27,370/C/1

A. I f

18

All after p 784 of this vol
belongs to vol IV

DISPUTATIONES
AD MORBORUM
HISTORIAM ET CURATIONEM
FACIENTES.

QUAS COLLEGIT, EDIDIT ET RECENSUIT

ALBERTUS HALLERUS.

TOMUS QUINTUS.

AD FEBRES.



LAUSANNÆ,
Sumptibus MARCI-MICHAEL. BOUSQUET & Socior.

MDCCLVIII.

Verwijderd
K. B.

KONINKL.
BIBLIOTHEEK
TE 'S HAGE.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

DISPUTATIONUM
AD
HISTORIAM
ET
CURATIONEM MORBORUM
PERTINENTIUM.
PARS QUARTA
AD FEBRES.

CLI.
GEORG. ERN. STAHL
DE
TERTIANA FEBRIS
GENIUM UNIVERSUM MANIFESTANTE
R. GOTTFRID. MEYER.

Halæ 1706.

PROOEMIUM.

DE Socrate commemorant hiſtoriæ, cum aliquando quidam, philoſophiam veſte ſqualida vel metiri, vel mentiri, certe præ ſe ferre, aggreſſus, eo lacero & neglecto habitu Socratem acceſſiſſet, & quid huic de ſe videredur, quæſiviſſet, reſpondiſſe: Δοκεῖς μοι χρεῖαν ἔχειν ἱματίȣ καινȣ̃. Sono quidem ambiguo, ſenſu vero, καὶνȣ̃, circumſtantibus & facile apparente, & plauſu approbato. Semper in hoc ſubjecto eadem luditur ſcena. Sicut enim, obſervante dudum Seneca, tam ſacra res eſt philoſophia, ut ſi quid ei ſit ſimile, etiam mendacio placeat; ita nimio vulgatius eſt, laciniis potius numeroſarum, & vix miſeris ſuturis invicem innectendarum opinionum, multiplicis & copioſæ ſcientiæ ſpeciem, ignorantibus & incautis oſtentare, quam ſimplicis ſolidæ veritatis inconſutilem togam amplecti. At vero, quibus oculus eſt limpidus, facile vident, quid centonem & ἱμάτιον interſit; tanto magis autem intelligunt, differentiam inter καινὸν, καί νόον. Puto non injuria allegari & moneri hæc poſſe, in expendenda theoria medica Febrium. Cui enim, niſi omnium in medicina ignaro, ignotum eſſe poteſt, quanta, à dimidio prope ſeculo, opinionum, imo ſubinde phantaſiarum, multitudo & varietas, in ſcholas medicas inundaverit, quarum nuſquam duæ, nedum plures, ſimul ſtare, adeoque certiſſime non plus una illarum, vera eſſe poſſit; ſi modo inter omnes illas una, & non potius nulla, vera ſit. Enim vero, cum plerique ejuſmodi diſſidentium opinionum fabri, theoriæ ſuæ qualicunque tandem, praxin etiam ſuperſtruere atque aptare geſtiant; falſo autem fundamento, non poſſit, niſi ruinoſa domus ſuperſtrui; quid mirum, ſi ab his circiter temporibus querela etiam increbuit, de novorum morborum hinc inde veluti nova apparitione, tanquam alia Pandoræ pyxis temerata eſſet. Sicut autem non ſola veſtis & externus habitus, ſed νȣ̃ς, mens & intellectus inprimis, philoſophum decet, imo facit; ita in ſcientiis etiam, non opinionum atque traditionum apparatus, ſed verus illarum intellectus & uſus cumprimis, doctum faciunt, & ſuæ artis peritum. Hoc ut de aliis quibuſlibet ſcientiis valet, ita etiam de peculiari illo, quod modo allegavimus, febrium negotio, nempe Theoria illarum Medica. Non placet de illis opininiobus prolixiorem eſſe, quæ nullam veriſimilitudinem habere videntur, & cum circumſtantiis affectus præcipuis, nedum omnibus, minime conſpirant. Dicam de illa ſententia, quæ à Campanella generaliſſime, ab Helmontio, in Theſi pariter generaliſſime; nec aliter à Sydenhamio tractata ſeu potius nude producta fuit; hypotheſi autem nulla condigne ſuffulta aut explanata: ab Helmontio etiam aliena explicatione, de excandeſcentia, indignatione, imo furore Archæi, incommodiſſime depicta. Hanc cum D. D. Præſes à pluribus retro annis, non ſolum aſſerere, ſed ita etiam explanare cordi habuerit, ut ex intimis veræ œconomiæ animalis, ſpecialiſſime vero humanæ, & vera a-

muſſi actionum mechanico-organicarum, demonſtraverit, quod febris, non ſolum à poſteriori, ab eventu, (non tamen per indirectum, & plane per accidens,) ſalutariter cedere poſſit, & interdum bona fortuna hoc faciat: ſed potius à priori, ad talem materiam, tales humorum commotiones, quam maxime utiles, imo aliquando neceſſariæ (& hoc in aliquibus caſibus abſolute) exiſtant; ſibi etiam relictæ, & ſibi conſtantes, ſucceſſium ſervent, tali materiei exquiſitiſſime proportionatum & ſæpe etiam, abſolute ita, & non aliter, neceſſarium. Secundarias etiam, & interdum etiam nudæ magis conſequentiæ, circumſtantias adſciſcat, primariis mechanica quadam ratione (in tali machina) cohærentes, &c. Hanc maximi momenti veritatem, cum variis ſchematibus, repetitis vicibus, propterea maxime in publicum produxerit, ut ſub variis præfigurandi methodis, quod ſub una ſimplici omnibus diſpaleſcere, primo forſan intuitu minus potuiſſet, tanta præmonſtrandi varietate, melius & copioſius eniteret; factum hinc apparet, ut hinc inde res ipſa quidem aſſenſum inveniret; modus autem rei, deductio inquam ab ipſo adornata, quocunque ſenſu vocem accipere velis, non agnoſceretur. Placuit itaque mihi, utpote hanc etiam ipſius univerſam ſententiam pro meo captu ſatis certam nonſolum, ſed evidentem etiam, habenti, illam iterum, ſub exemplo Tertianæ Febris, *conſpiciendam exhibere, & quomodo in hac etiam febre liquidiſſime diluceſcat, oſtendere. Puto vero tanto melius hoc fieri poſſe, cum* Tertiana *verum exquiſitum ſpecimen ſit totius apparatus motuum febrilium, ita, ut illi in hac, etiam in craſſum magis ſenſum incurrant. Neque hoc ſolum, ſed etiam, ſimplex & legitima tertiana, materiam tam manifeſtam fere habeat, ut ejus indoles genuina non ſolum facilius agnoſci, ſed etiam proportio ejus ad ſubſequentes motus, tanto promptius comparari, imo demonſtrari valeat. Cum vero hæc Theoria, vere Medica ſit, nempe quid Practico in tali conſtitutione agendum veniat, velut intento digito monſtret, & revera, juxta uſitatam ſcholæ medicæ Phraſin, indicet; tanto dignior fuerit, quæ thematis Inauguralis loco ventiletur, & publicum ſpecimen tam Theoriæ quam praxeos Medicæ rationalis, præbeat.*

Produco itaque hoc thema, de tertiana, febris genium univerſum manifeſtante, *ſolidam demonſtrationem. Faxit* Deus *ter optimus maximus, autor, quin ipſe fons veritatis, à quo non eſt, quicquid verum non eſt, ut veritatem in hac etiam, certe non contemnenda re, tam recte aſſequamur, quam luculenter exequamur; ut quicquid ipſi contrarium & inviſum, nempe non verum eſt, in hac etiam materia diſcutiatur, ad ſuos proprios fontes retro agatur, & a turbando limpido veritatis nectare, avertatur.*

CAPUT

CAPUT PRIMUM.

Hiſtoria.

F*Ebris tertianæ* Hiſtoria nuda & ſimplex, ſequentibus circumſtantiis abſolvitur. *Juvenis*, inprimis cæteroquin ſatis ſanus atque vegetus, non tamen æque ad quaslibet rerum non naturalium varietates, imo notabiles aberrationes frequentiores, aſſuefactus, cum *verno* tempore, *Aprili* menſe, *tempeſtate* varie turbulenta, de anguilla elixa multum & repente ingurgitaſſet; & mox *frigidam*, de reliquo vero jam *vappidam* tenuem *cereviſiam* ſuperbibiſſet, corripitur cito *nauſeabunda* quadam ſatietate. Cum etiam poſt prandium in liberiore aëre, veſtimentis juveniliter tenuioribus inſtructus, corpus *frigori* exponeret, ſentit ſubinde *horripilatoriam* quandam moleſtiam, *præcordiorum* rigidam gravitatem, *nauſeoſam* adverſitatem, & *capitis*, gravativum inprimis, ſimul tamen etiam acutiorem, & vertiginoſum *dolorem*; cui mox *artuum* etiam gravitas, quin univerſi corporis *languor*, veſtigia legunt. Ita ſenſim magis magiſque pejus habet. Veſperi, non deeſt ſolum *appetitus*, ſed emicat ſubinde poſitiva potius *nauſea*, cum continuis tenſionibus in abdomine, tanquam gravativis, & interdum volutatione brevi flatulenta. Noctem exigit parum quietam, dolente adhuc jugiter, & ſimul quadantenus *ſtupente*, *capite*, & *languente* admodum corpore. Mane ſurgenti valde grave eſt *caput*, ſtupidum, vertiginoſum; *languor* corporis moderatior, *præcordiorum* etiam tenſio levior. *Decima* vero *hora* appropinquante, (duabus & media ante meridiem) increbeſcit cito *dolor capitis* acutior, obruitur corpus torpore quodam & gravitate, redit *præcordiorum* tenſio ſeu gravitas, & nauſeabunda illa adverſitas; ita quidem, ut jam orthoſtadiæ quaſi tæderet, & lectum ſeu grabatum circumſpiceret. Agitatur tamen *inquietudine* peculiari, ut vix aliquamdiu jacens, iterum ſurgat, iterum ſedeat, iterum decumbat, cum illa frequenti Germanorum male habendi expreſſione: *Es ſey ihm ſo übel*, qua communiter in nauſeoſis & cardialgicis pathematibus indicandis, utuntur. Senſim nominat etiam *ſpaſticam* aliquam ſtricturam in brachiis, & cruribus, in dorſo quoque vagam quandam tenſionem, ſecundum diaphragmatis ambitum, verſus præcordia excurrentem; quam mox ſequitur, non ſolum in hac regione, & ſub hoc velut excurſu, frigidæ cujuſdam *horripilationis* ſenſus, ſed momentaneis fere ſucceſſibus augeſcens, ſenſim totum corpus occupat, & præcipitibus augmentis, cito maximo frigore totum percellit, & *horroribus* non ſaltem *contremiſcere* facit, ſed revera vehementer *concutit*. Sub hoc frigore ſequentes circumſtantiæ in patiente conſpicuæ ſunt. *Graciléſcit vultus*, & manuum *digiti*, & refrigeſcunt ſimul

ſimul, primo nares & aures & digitorum apices; in quibus inprimis ſeſe offert *unguium* talis ab extremitatibus pallor & in radicibus livor, quaſi in extremo faſtigio fortiter compreſſi eſſent. Conqueritur patiens de ſenſu etiam *conſtrictionis* atque tenſionis circa hæc loca; refrigeſcunt etiam ſub hoc ipſo hæ partes primum omnium. Ab his autem ſerpit præcipiti quodam ſucceſſu, hæc contractio, non ſolum per univerſam faciem atque manus, ſed cito etiam totum penitus ambitum corporis. Unde non ſolum frigus æqualiter intenſum, ſed oculis etiam conſpicuus, exquiſitus, imo luridus ſive ſublividus hinc inde, *pallor*, totius habitus externi corporis veluti repentina quædam *tabes*, aut ſane *macies*, inprimis autem *vaſorum* ſanguiferorum, per totam corporis peripheriam, veluti repentina diſparitio, partium autem mollium reliquarum ſpiſſa quædam & ſubrigida denſatio. Sub hoc frigore & horridis tremoribus corporis, & magna capitis turbulentia ac doloribus, *anguſtia* inſignis circa præcordia, increbeſcens magis magiſque vera *nauſea*, urgent. Inde inquietudo anxia, quæ tandem in conatus, ultimo etiam effectum, *vomendi*, erumpit. Quamvis quidem præſente adhuc vice, non ita multum evomat, ſed magis incaſſum ſeſe torqueat patiens: aliquid tamen muci tenuioris excutitur. Poſtquam per tres horæ quadrantes vel circiter, *anxietas* hæc cum *horrido* prorſus *frigore* duravit, remittit ſenſim utrumque, & in ingentem *laſſitudinem* mutatur; cui tamen mox *calor* corporis, maxime *inquietus* & *ingens*, repentinis incrementis augeſcens, ſuccedit. Acutior ſimul fit *dolor capitis*, & impatientior æger. Cooritur vehemens *ſitis*, interim licet *rubeat* intenſe patiens, & habitus corporis præ ſanguinis exundantia velut *inflatus* appareat, nullus tamen in tota cute mador, aut ſudoris ullum veſtigium, comparet. Pathemata illa anguſta atque *anxia*, quæ per frigoris periodum valde exercuerant patientem circa *præcordia*, & per unam vel amplius horam ipſius etiam *æſtus* adhuc duraverant, minuuntur ſenſim, imo evaneſcunt ſucceſſive, ita ut quarta poſt primum initium hora, nihil quidem amplius tale ſentiatur, interim tamen utique etiam pertinaciter adhuc tenorem ſuum ſervet ipſe *calor* admodum vehemens.

Poſtquam tandem hic etiam, per *novem* circiter horas, æquali ad ſenſum pertinacia, duravit, animadvertitur ſenſim intepeſcere atque minui, adeoque patiens ſenſim tranquillior atque quietior evadere. Intra horæ circiter decurſum pergit ita ſenſibiliter hoc caloris decrementum, ut etiam tactui nudo jam iterum pateat, & naturali corporis tepori reſpondeat. Ubi ſimul manu deprehenditur levis in cute *mador*. Ceſſat ita etiam *ſitis*, imo potius quædam, velut *inappetentia potus* ſuccedit; nihilque de omnibus toleratis incommodis reſtare percipitur, præter ſolam *fatigationem*, velut à labore moleſtiore exhauſto. Unde quidem etiam *ſomnus*, per noctem illam non adeo æque tranquillus atque profundus ſuccedit, ſed non ſolum *levior* ſolito & paulo *inquietior*, verum etiam

ipſo

ipſo adhuc ſequente mane *inertiam* quandam atque laſſitudinem relinquens. *Caput* interim, licet leviter veluti nubilum, *dolore* tamen vacuum eſt. Imo reliquum etiam corpus, quin ipſe animus, præter leviſſimum quoddam *faſtidium*, & vegetæ alacritatis exiguam imminutionem: Sufficit tamen debitis, & *vitalibus* ac *animalibus*, & ipſis *voluntariis* civilibus actionibus. *Appetitus* etiam licet reliqua recte ſana conſtitutione aliquanto languidior, tamen ſic ſatis mediocris iterum præſto eſt; & licet ab aſſumptis etiam mature admodum *obſaturetur*, quin etiam aliquid gravativi in *præcordiis* poſt ſe trahere appareat, nihil tamen eximium inde reſultat ulterioris gravioris moleſtiæ. Abit ita hæc dies ad veſperam uſque, ubi *appetitus*, licet nullus æque poſitivus ſentiatur; poteſt tamen etiam ſine ulla averſione aliquid edere, nec fere inde peculiaris incommodi ſenſum incurrit. Ipſa *laſſitudo* non æque ſenſibiliter augeſcit, nec ipſa directa *ſomnolentia* peculiaris ſeſe exerit. Dormit hac nocte, ſi non plane profunde, tamen melius quam pridie. Expergiſcens etiam ſequente mane, non habet de quo conqueratur, & ſatis bene ſibi conſtare, non aliis magis quam ſibi ipſi, videtur. Poſtquam tamen ſurrexit, & aliquamdiu obambulavit indutus, aliquid inertiæ ſenſim iterum percipit, quaſi a prægreſſo heſterno atque pridiano languore adhuc reſtitantis, ut nondum exquiſite ſibi reſtitutus videatur, licet nihil æque poſitive male habere appareat. Verſus *horam nonam* tamen quaſi ſegnior evadit, ita ut etiam ad *oſcitationem* atque *pandiculationes* propendeat. Magis magiſque grave hinc fit *caput*; & ſenſibilius iterum poſitiva emicat primo *faſtidioſa*; mox etiam *languida* fatigatio; *caput* magis magiſque ſenſibiliter oneratur, tandem turbatur levi veluti vertigine. Incipit hinc iterum *nauſeabunda* præcordiorum, & ſenſim magis gravativa atque tenſiva inquietudo; ſuccedit ocyus incurſatio illa *horridula*, quæ mox moxque augeſcens, ad *frigus* per totum corpus, & *horridas* tandem concuſſiones tremulas, iterum procedit. Simul exſurgit iterum ingens illa *præcordiorum* nauſeoſa & *anxia* perturbatio, adeo ut patiens iterum peſſime habere videatur; omnibus præcipue illis oculo conſpicuis circumſtantiis, *palloris*, extabidæ *maciei*, oculorum orbitæ veluti *concavæ* atque *luridæ*, *venarum* univerſarum velut *diſparitionis* &c. ſimul & ſemel iterum eluceſcentibus. Nauſea *vomibunda* ſenſim, mox iterum ad *conatus*, imo *extorſiones* actuales, *mucidæ*, tandem etiam *bile* offuſa coloratæ ſaburræ progreditur. Abhinc reliqua paria, ut in paroxyſmo nudius tertius tolerato; *ſucceſſione*, *duratione*, tandem etiam *exitu*; niſi quod hic inſultus una forte hora maturius, miteſcere appareat. Paria hac etiam nocte; ſimilia ſubſequente die, uti nuper. *Alterna* iterum die, paria omnia uti *tertia* hac & *prima*. *Evomit* tamen hoc tertio paroxyſmo patiens notabiliter plus variæ ſaburræ *olidæ*, & conſiſtentia etiam *turbidæ*; quamvis hoc ipſo mane nonnihil juſculi aſſumſerit. *Æſtus* etiam neque in univerſum ejuſdem uti nuper impetus, exquiſite eſſe obſervatur, nec ejuſdem

ejuſdem durationis, ſed poſt ſextam horam à ſui initio, jam iterum notabiliter miteſcere. Super omnia vero emicat, *hoc tempore decrementi*, non ſolum manifeſtior, ſed omnino largior *ſudor*; quem velut in momenta ſenſibilior ſublevatio excipit, adeo, ut patiens hac veſpera, poſt finitum totum paroxyſmum, ad ſenſum *tranquillior*, imo *vegetior*, obſervetur. *Nocte* hac etiam quietius dormiat; ſubſequente die, non ſolum *vegetior* corpore, ſed animo etiam *alacrior* exiſtat, *appetitum* ad prandium ſenſibiliorem adferat, & plus etiam quam hactenus aſſumendo, non ita cito obſaturetur: poſt prandium etiam parem uti nuper, intermediis illis diebus, *præcordiorum* gravitatem aut qualemcunque tenſionem vix percipiat. Interim revertitur proximo die, qui a primo inſultu eſt *ſeptimus hora* conſueta, idem uti hactenus paroxyſmus *frigoris*, *horroris*, & reliquorum ſymptomatum, undique tamen ad ſenſum *leniorum*; nec etiam *nauſea* æque ſenſibilis, nedum *vomitus*, amplius ſentiuntur; *anguſtia*, etiam ipſa, vix ſenſibilis adeſt, *anxietas* vix ulla memoranda. *Æſtus*, quamlibet ſenſibilis, hactenus tamen ſolito, minime comparandus; *ſitis* proinde etiam moderatior; *duratio* vero univerſa, *quatuor horas* non excedens, quibus elapſis mox intepeſcens, *ſudorem* affert largum, ſimul tamen *placidum* & *æqualem*, cum quo *æſtus* velut in momenta *detepeſcens*, patientem cito ſublevat, ut ille hac ipſa etiam adhuc veſpera, tranquillior, tanto quietiorem inde noctem abſolvat; ſequente mane, longe vegetior & alacrior ſurgens, majore euphoria hunc etiam diem exigat, *appetitum* æque, atque tolerantiam ciborum, propemodum ſine querela recuperaverit, & vix de levi aliqua laſſitudine præter ſolitum promtiore, quod conqueratur adhuc habeat. His quidem ita ſe habentibus, cum juveniliter ſibi indulgeat, affatim, & quicquid fere occurrit, edat, in publicum etiam magis magiſque toto die indifferenter prodiens, auræ liberæ ſeſe mancipet, inprimis hac tempeſtate, turbulentæ, frigido-humidæ horridæ, incurrit iterum ſequente die, hora hactenus conſueta, paroxyſmi inſultum tam *frigore* quam *æſtu* ſatis inclementem, brevem tamen, & vix *quinque* horarum ſpatium excedentem. Sub quarum finem, cum ſatis prompte detepeſcat æſtus, eo ſecurior & moræ impatientior æger è lecto ſurgit, neque *ſudori* ſponte emicanti vacare cordi habet. Unde paulo diutius in veſperam illam languidior, noctem tamen ſatis quietam experitur, diem etiam ſubſequentem veluti illibatæ ſanitatis compos, abſolvit; imo *appetitu* præter morem, & propemodum præter modum, auctiorem, experitur. Nihilo ſecius proximo rurſus die, hora conſueta recrudeſcit iterum *paroxyſmus*, proxime præcedentem per omnia, inprimis *brevitate* durationis, æquans. Continuat hæc ſcena diutius, ad complures ſuccedentes paroxyſmos. Interim patiens, tum intermediis diebus, tum ipſis, qui paroxyſmum afferunt, tam *ante*, quam aliquando *poſt* paroxyſmum, ſatis ſanus & ſibi conſtans viſitur, *intermediis* inprimis diebus, nullum alterum non penitus illibatæ

valetu-

valetudinis ſignum præ ſe ferens, quam exiguam *coloris* labem, *pallore* leviter veluti flaveſcente, quamvis non admodum memorabili, conſpicuam: & qualemcunque ad labores quoslibet promptiorem fatigationem.

CAPUT II.

Hiſtoria variationum quarundam circa hanc febrem familiariter evenientium.

NOn ſine cauſa in Hiſtoria noſtra allegavimus febrem hanc in *juvene maſculo* corientem; quandoquidem familiarius *virilem* ſexum occupat, quam *fœmininum*. Non, quod fœminis plane non, aut rariſſimis exemplis, eveniat; ſed quod rarius utique aliquanto, neque tam prompte etiam, uti viris, inprimis *juvenibus*.

Porro *tempus anni* data prorſus opera indicavimus, *vernum*. Non, quod tertiana *abſolute* huic tempori velut alligata ſit, nec alio quocunque oriri poſſit: ſed quod revera hoc ipſo tempore *familiarius*, imo etiam *promptius*, contingat.

Occaſionem etiam ejus ab intemperantiore *eſu anguillæ*, memoravimus. Quoniam *tertiana*, & hujuſmodi errores in eſculentis, magis immediate, frequentibus admodum exemplis, excipere ſolet & inſequi; & alias etiam huic inprimis anni tempori, ex eo maxime fundamento, magis imminere apparet, quoniam per hyemem, in corporibus minus ſolerter à frigoris injuriis munitis, tum in univerſis humoribus, tum ſeorſim in *primis viis*, ex digeſtione per eaſdem cauſas non ſatis vegete procedente & abſoluta, ſaburra ejuſmodi *mucoſa* reſtitare poſſit, quæ tandem huic commotioni febrili occaſionem præbere valeat.

Neque vero ab Hiſtoriæ filo alienum eſt, quod notavimus, non *ſtatim poſt* hunc errorem in diæta commiſſum, ſed *altero* demum die, tertianam hanc obtigiſſe; quandoquidem non hoc ſolum familiariſſimum eſt, ſed admodum frequenter, etiam *tertio* demum die, non raro etiam pluſculis jam elapſis diebus, & propemodum nova concurrente occaſionali cauſa, febris hæc prægreſſis ejuſmodi cauſis ſuccedit.

Sicut autem etiam illud annotavimus quod hæc intemperantia Diætetica, mox aliqua alia *ſenſibilia* incommoda, circa *ventriculum*, & *appetitum*, poſt ſe traxerit; ita communiſſime certe, quando etiam *tertiana* febris, diu poſt hujuſmodi diætæ errores cooritur, intermedio tamen tempore ſatis ſenſibiliter ſeſe exerunt talia, circa *appetitum* atque *primas vias* ſymptomata, quæ teſtatum facere poſſint, quod hæ *partes* & *actiones*, ab aliqua reali moleſtia obſideantur, cui deinde *tertianam febrim* ſupervenire, longe manifeſtius atque veriſimilius ſit, quam aliunde, &

qualibet altera ſive cauſa ſive occaſione, aut plane per ſe coortam, cum iſtis rebus nihil peculiaris aut directi nexus habere.

Notari autem debet illa, huic febri *legitimæ*, non magis familiaris, quam potius *certa* atque *ſolennis* circumſtantia, quod totius ſcenæ, *paroxyſmorum*, inquam, ſuorum, peculariter *ſtatum* ſervare ſoleat tempus *incipiendi*, horas *ante-meridianas*. Nec illud quidem promiſcue, ſed peculiariter a tempore vulgo conſueto *jentaculi*, ad tempus *prandii*. Adeo, ut *ſimplex legitima* tertiana, vix unquam aliud tempus ſubeat; imo vero, quæ aliud tempus occupare ſentitur, *primis* præſertim ſuis invaſionibus, vel eo ipſo juſtam ſuſpicionem faciat, indolis minus ſimplicis atque ſinceræ. Quo magis etiam ſub ipſis ſuis *progreſſibus*, hoc invadendi ſeu paroxyzandi tempus ſtatum *variat*, eo juſtiorem ſuſpicionem facit, alienæ *complicationis*, & minus ingenuæ indolis atque ſimplicitatis.

Porro, prima illa perceptio *tenſionum* ſenſibilium circa artus, adeo ſolennis eſt inter prima plerarumque febrium, inprimis autem *tertianæ*, præludia, ut alibi quidem mitius, ſed & eo ipſo veluti generalius, artus pererret, imo totum corpus externum; (unde non ſolum ad *oſcitandum*, ſed inprimis ad *pandiculationes* feruntur ægri;) alibi vero manifeſto vulgaris appellationis *ſpaſmo*, in cruribus ſuras, in brachiis cubitos & carpum manus, ſtringat. Sicut in *acutis*, tanto magis autem *malignis*, ante omnia *exanthematicis* febribus, ſin minus reliquos artus æque ſenſibiliter, *dorſum* tamen peculiariter, corripit.

Enim vero in *tertiana* febre etiam familiaris eſt, *in dorſo* tenſionis cujuſdam ſenſus; ſed & paulo obſcurior, & brevibus magis micationibus, quam univerſali quadam & magis pertinaci contentione.

Obtingit præterea vix alio, quam proxime impendentis *paroxyſmi* tempore; ubi vagis quibuſdam, & ſecundum limbos diaphragmatis antrorſum ad præcordia excurrentibus, tremulis veluti vibrationibus, jamjam ingruenti frigori præludit.

Imo vero *ſenſationis* hujus ſpaſticæ, univerſum habitum corporis æqualiter ſenſim comprehendentis, primum etiam ſignum eſt paroxyſmo ſimiliter mox præludens illa *compreſſio* totius peripheriæ corporis, quæ patienti ſpeciem conciliat, ut vulgo tanquam in genere interpretantur, ægram, quam Germani noſtri appellant, *Er ſehe übel aus, kräncklich, verfallen; es ſey ihm gewiß nicht wohl, man ſehe es ihm wohl an &c.* Cujus totius rei cardo in eo vertitur, quod patiens *contractam* quandam faciei veluti denſitatem, adeoque repentinæ veluti *macei* ſive *contabeſcentiæ* ſpeciem, intuentibus offerat.

Augeſcit autem hæc eo magis magiſque, quanto jam evidentior ſeſe exerit frigoris ſenſus. Ubi non ſolum tacita talis corporis compreſſio, ſummæ *maciei* ſive tabis ſimilitudinem exhibens, conſpicitur; ſed omnino ad *ſuccuſſationes* uſque tremulas augeſcit, imo *palpitationes* potius membrorum, quam ſimplicem *tremorem*, format.

Frigus

Frigus autem ipſum, & inprimis *horrida* ejus, primo corpus veluti perreptans, mox etiam violentius concutiens, incurſatio, quando paulo circumſpectius advertitur animus, pariter initia ſua circa illam partem *dorſi*, qua proceſſus *diaphragmatis*, & ſimul proxime ſub illis *inteſtini duodeni* extenuatio in jejunum, præſto ſunt.

Sicut autem nemo quiſquam *tertiana* febre correptorum, à *præcordiorum* anguſtiis, imo *anxietatibus* qualibuſcunque, immunis vivit, & ad minimum, innominatum illud de reliquo, *male habere circa præcordia* vulgo memoratum, experitur; ita pleriſque, imo vero, *ſimpliciter* & exquiſite *tertianariis* omnibus, perpetua eſt ſtomachalis hujus ſeu præcordialis perturbationis ſpecialiſſime *nauſeabunda* conditio, ut vulgo dicant: *Es ſey ihnen ſo ſehr übel, als wann ſie ſich übergeben ſolten; werden ſich wohl übergeben müſſen: wann ſie ſich nur übergeben könten &c.*

Quo magis *legitima* eſt tertiana, eo certius ad ipſum etiam effectum pervenit *vomitus*. Differentia tamen illa intercedit, quod, apud alios quidem *conatus* vomendi ſatis fortes obtingant; ſed ſine conſideratu digna *excretione*, inprimis alterius materiæ quam nudi forte *muci*. Apud alios autem ejicitur *copia tenacis* mucoſæ, vel ſimul etiam varie *diſcoloris* materiæ, aſſumtorum male digeſtorum reliquiis interſperſis; interdum etiam *biliosa* ſaburra, jam concurrente, jam ſuccedente: aliquando etiam ipſi adhuc prorſus indigeſti cibi &c.

„ Ita v. g. fæmina ſororis ſuæ domum, ipſa hora prandii præteritura, „ ad illam divertit, & in culina cibum menſæ inferendum expromentem „ offendens, braſſicam criſpam ibi conſpicit, de qua bonam portionem, „ ita feſtinanter, ut in tranſitu, devorat, & inde domum iterum pro- „ perat. Non mirum videbatur, quod de ſuo domi parato prandio ni- „ hil amplius appeteret; ſed non ſolum nihil appetebat, verum nauſeabat „ etiam. Cumque ceveviſiam ſuperbibiſſet, grave veluti pondus in ven- „ triculo inde ſentiebat. Continuabat, imo augeſcebat inappetentia, non „ tam ſimplex, quam nauſeabunda, illo & ſequente die, neque minus „ illa ventriculi gravitas, quin varius omnino obſuri doloris ſenſus. Ter- „ tio die corripitur febre, quæ poſthac etiam tertianario typo revertens, „ tertio demum poſt paroxyſmo, vomitum inducit vehementiorem, quo „ ipſam illam, quam nuper, ante ſeptem inquam dies aſſumſerat, imo „ ita ut aſſumſerat, nihil alteratam, braſſicam, magna copia (nempe „ veriſimiliter etiam quantum ipſius aſſumſerat adhuc totum) ejiciebat: „ & ita quidem præſentiſſime ad ſe rediens, poſt proximum paroxyſmum „ quam leniſſimum, a febre deinde immunis evadebat. Ita nota etiam „ eſſe poteſt, notabilis certe illa apud *Kerckringium in ſpicilegio*, hiſtoria „ juvenis ruſticani, qui cum tertiana febre per multas ſeptimanas confli- „ ctatus, tandem per alvum dejectis acinis aliquot ſeu baccis uvarum, ad- „ huc integris & nihil alteratis, quos ante invaſionem febris, cum pluribus

„ ſed melius commaſticatis ingurgitaverat, a febre facile deinceps & cito „ liberatus eſt.

Non placet hiſtorias hujus generis, quæ magno numero paſſim, tam in ſcriptis medicis, quam quotidiana praxi occurrunt, hic in ſcenam producere. Illud autem ad complendam harum rerum hiſtoriam adjicere convenit, quod, quicunque ita, inprimis mature, & affatim *evomunt*, promtius etiam, & maxime *ſecurius*, ad priſtinam atque ſolidam ſanitatem revertantur. Ex adverſo vero qui non *excernunt*, nonniſi perita prorſus *arte*, ſine hac vero nequaquam *tempeſtive*, ſed *tarde* prorſus atque *languide*, ſanitatem ſuam recuperent.

Quid, quod frequentiſſima occurrant exempla, ubi poſt hujuſmodi diæteticos craſſiores errores, peſſime habentes ægri, vero paroxyſmo febrili corripiuntur; ſed etiam *largiter* & quaſi *funditus*, *ſtatim* evomunt, & eo ipſo ſtatim illa una ſimplici evacuatione defuncti, nullam ulteriorem febrim experiuntur.

Illud autem apprime notandum eſt, quod non tam ſola per *vomitum* evacuatio, quam etiam per *alvi fluxum*, tertiana febre correptis evenire ſoleat.

Et quidem, quod apprime notandum, utrumlibet *ſub paroxyſmo*, non æque alias aut quolibet die indifferenter.

Porro, *alvi fluxus* in tertianis eveniunt non tam *promiſcue*, quibuslibet ſubjectis, ſed ſpecialiter, vel (1) *ætate* provectoribus vel (2) quibus ante formalem febris exortum, valde diu jam adhæſit *coacervatio* ſaburræ talis in primis viis *muceſcentis*, & per longius tempus veluti *ſemicoctæ*; (4) vel ſub etiam reliqua febre, deficiente debito *vegetiore* excretionis genere per ipſam moram ita ex parte veluti concoqui contingit. (4) vel denique qui alias etiam magis peculiariter ad ſpontaneas *diarrhœas* aſſueti ſunt.

Quamvis enim illis, qui vel ad *ſpontaneas* diarrhœas, vel ad promptos *vomitus* aſſueti ſunt, in univerſum minus facile ad *febres tertianas* uſque durent occaſiones depravatæ concoctionis, ſed communius præſentiore repentino impetu ſive *vomitus* ſive *diarrhœæ*, citra laborioſas illas tentationes, abſolvantur; fit tamen non ita raro etiam in ejuſmodi diſpoſitionibus *collectio*, tandem ad febrem hujuſmodi exiens, inprimis, quando vel (1) *leniter atque ſenſim* facta eſt materiæ collectio; vel (2) non magis ſimul & ſemel, quam etiam cito nimium *lenteſcentis*, & nudo motui ſimplici, ſine aliquo apparatu *præparatorio* inidoneæ vel (3) præceſſit inſignis aliqua *virium* defatigatio; vel denique (4) *toni ventriculi* ſeorſim peculiaris velut enervatio; imo (5) inter monſtra empiriarum modernarum, molienti etiam & *ſalubriter nauſeanti* ventriculo, alibi *adſtringentia*, alibi *opiata*, præpoſtere objecta.

Eſt autem horum generum proventus febris tertianæ ſucceſſivus atque lentior, inprimis familiaris *ſummo vere*, quando a refrigeratione hyberna in-

incautius admiſſa, adeoque ipſam primam coctionem non magis, quam diſtributionem & evacuationes turbante, ſenſim collecta ſaburra, cooriente tandem fortiore aliquo ſimultaneo ſtimulo, ad ejuſmodi *molimina februa* impellit.

Utræque verum hujuſmodi, tam per vomitum, quam per alvum, excretiones, incidunt communiter in tempus *paroxyſmi frigoris*; & familiariſſime quidem jam *ſeneſcentis*, & mox in æſtum tranſituri. Inprimis quando reliqua patientis continentia ita conſpirat, ut neque ſpontanea *jectigatione* nimia, neque *imaginaria* etiam auctiore nauſea, *frequentiores* conatus vomendi irritet.

Interim, quod etiam jam indigitatum eſt, plurimum intereſt, inter nudas harum excretionum *commotiones* atque conatus vacuos; & actuales ſufficientes *evacuationes* in effectum deductas.

Verſatur autem differentiæ nervus in eo, quod *commotiones* nudæ, toti febri nihil detrahant, imo laborioſiorem potius illam, quin *pertinaciorem* efficiant, & omnibus modis non ſolum nullum commodum ſed verum potius damnum inferant.

Qando paroxyſmus *frigoris* plane nullas *excretiones*, aut earum evidentiora *molimina* ſecum fert, tunc ſubeſt fere una aut plures ſequentium circumſtantiarum, (1) patiens obſervabitur temperamenti atque indolis magis *ſegnis & languidæ*; aut (2) etiam alioquin ad hujuſmodi excretiones, inprimis *vomitum*, non aſſuetus; aut (3) morbus certius trahetur in longum, (niſi videlicet arte debita ſublevetur) aut (4) febris manifeſto *laborioſior*, paroxyſmus *vehementior*, *longior*, & a ſimplici legitimo *typo* alienior erit; *anxietatibus* etiam, tam præcordiorum, quam ipſius mentis importunior, imo ad quaslibet *anomalias* magis promptus, imo præceps.

Quando vero etiam *perverſa medicatio* concurrit, *lentæ* febres (imo aliquando *acutæ*) *tabidæ* & *hecticæ*, in humidioribus *hydropes*, in procinctu.

Remittenti frigori non ſtatim & *immediate* æſtus ſuccedit; ſed *languor* ſolum quidam, cum moleſto veluti *contuſionis* ſenſu, per totum corpus, inprimis autem *artus*. Unde germanis noſtris ſolennis eſt expreſſio: *Es ſey ihnen, als wann alles an ihnen zerſchlagen wäre.*

Quamvis quidem illi, quibus *nauſea* diutius durat, hoc incommodum minus exquiſite ſentiant, propter reliquam internam, ab illa adhuc nauſea, perturbationem, & aliqualem anxietatem.

Illud autem obliviſci minime convenit, quod *horror* vehementius & importunius *contremiſcens*, familiarior ſit *vomendi* conatui, aut ad minimum materia huic debita magis affectis; ſimul etiam *rigor* ſpaſticus pertinacior: illis autem, quibus magis ad *alvi fluxum* tendit excernendi conatus, *rigor* major, *horror* minor. Utriſque *frigus intenſum*; *vomibundis* tamen *vagum*, & veluti levibus phlogoſibus emicantibus interpolatum, in-

primis ſub anxietate *conatuum* vomitoriorum: conſtantius autem & æqualius *frigus* κάτω inclinantibus.

Parvum & breve frigus, ſine ullis, aut certe inſignibus *excretoriis* commotionibus, illegitimum, & *acuto* typo, ad minimum compoſito, propinquum indicat morbum: ſi nempe *vehementiorem*, *repentinum* inprimis, & *longum* (quamvis hæc fere nunquam ſibi invicem deſint) *æſtum* poſt ſe trahat.

Brevis enim & *levis* æſtus, cum *parvo* & *breviſſimo* frigore prægreſſo, vix unquam evenit, niſi *ſeneſcente* jam, & *legitima* quidem, tertiana.

Totus paroxyſmus tertianæ legitimæ, vix infra *ſex* ad minimum, familiarius *octo*, horas durat: vehementior vulgo *duodecim* horis circumſcribitur. Qui has excedit, pro *notho* ſeu anomalo habetur.

Frigus rarius ultra, neque tamen multum citra, *horæ* ſpatium, durat. Reliquum tempus, poſt parvam illam intercedentem morulam medii habitus, *æſtus* occupat. Et hic quidem fere *æqualiter* fervidus, per dictum illud plurimum horarum ſpatium. Quo præterlapſo, intepeſcit ſenſibiliter.

Sub *æſtu* hoc valde conſpicuæ ſunt ſequentes circumſtantiæ. Ante omnia evaneſcit aſpectus ille patientis ſub frigore *macilentus*, ſimulque *pallor*, atque *vaſorum* deliteſcentia, imo redit patiens, non ſolum ad reliquum *turgidulum* faciei, & univerſi corporis æque ac *vaſorum* ſanguiferorum, habitum; ſed increbeſcente pededentim æſtu, etiam præter ſolitum *turget* habitus corporis, inprimis *facies*, quæ etiam ita communiter *rubet*, uti ab igneo calore exterius diutius illam feriente, fieri ſolet.

Quo *minus* hoc fit, ut, inquam, præter ſolitum, in ſtatu cujuslibet patientis vegeto concalefacti, modum, color & turgiditas faciei, ſub febris *notabili æſtu*, nihil augeſcat, eo pejus habet patiens, & paroxyſmi, imo febris ipſius, indoles alienior eſt, & merito ſuſpectior.

Dolor capitis, *ſitis*, *inquietudo*, tum anxia circa *præcordia*, tum impatiens per ambitum corporis, & inprimis artus, concurrunt: unde patientes tales, tum toto corpore, tum inprimis artubus, non diu eundem ſitum ſervare volunt; quandoquidem inde *gravativum* quoddam *fatigationis* genus (antiqui *oſteocopon* vocant) ſentientes, motu membri ad alium poſitum, iſtius veluti relaxationem tantiſper percipiunt.

Manet in ejuſmodi ſtatu patiens per plures horas; *æſtu* inquam intenſo & inquieto peſſime affectus, *capite* valde dolens, *ſiti* vehemente affectus. Interim quantuſcunque ſit *æſtus*, *ſiccus* eſt corporis ambitus, nec ullum *ſudoris* veſtigium. Adeo etiam, ut ne quidem *medicamentis* ſudoriferis, neque *regimine* ad ſudandum diſpoſito, ullus mador eliciatur: ſed

potius

potius nihil niſi *anxietates*. *mentis* perturbationes, *doloris* capitis incrementa, *æſtus* intolerabilis exceſſus, *inquietudo* & *impatientia* enormis, præſentiſſime inde pullulent.

Quando vero hæc incommoda jam per multa horas, *ſex*, *octo*, *decem*, ita propemodum *æquali tenore* durarunt, fit patiens ſenſim manſuetior atque *tranquillior*, & remittit de querelis ſuis, tam *æſtus*, *cephalalgiæ*, quam *ſitis* imo univerſarum prægreſſarum moleſtiarum. Imo fit ita magis magiſque tranquillior, & *calor* etiam, ad tactum intepeſcit.

(Metiuntur vulgo paroxyſmum tertianarium, ad ſummum *duodecim* horis; harum periodum ſi diutius tranſcendat, pro *ſpuria* habent; id eſt, vero practico ſenſu, *compoſita*, ad *continuum* genium accedente. Illud etiam certum eſt, quod tamdiu perdurantes paroxyſmi, vehemente *æſtu* & *pauco* inprimis *frigore*, conſpicui, febrem denotent ad *acutam continuam* indolem proclivem;)

Interim maxime digna notatu eſt hæc circumſtantia, quod ii patientes *tertianarii*, qui *plethora* notabili affecti ſunt, & *impetum* majorem, & *durationem* longiorem *æſtus*, omni modo experiantur. *Dolores* etiam, & *perturbationes*, capitis, majores certius incurrant.

Neque hoc ſolum, ſed etiam *anguſtias præcordiorum* exquiſitiores, *inquietudinem* majorem, imo ipſorum *excernendi* conatuum *tergiverſantem* veluti inertiam, & ipſarum *excretionum* difficiliores *exitus*.

Imo vero, quo *major* adeſt ſanguinis *abundantia*, eo magis propendet veluti talis febris, ad *acutos*, *inflammatorios*, *continuos*, *hecticos* typos; quos ſæpe malum patientis *regimen*, aſt ſæpius hodie imperita *empiria*, temere introducunt.

Sub hac demum ſymptomatum reliquorum, inprimis autem *æſtus remiſſione* maxime ſenſibili, emergit *ſudor ſpontaneus*, ſi patiens per initia paroxyſmi per *vomitum* aut *alvum* exoneratus ſit; ſub æſtu etiam *ſitim*, modeſta tamen bibendi licentia, reſtinxerint, & hoc ipſo maxime tempore æſtus depaſcentis, *quietiorem* ſeſe gerat.

Sin minus *primo* ſtatim paroxyſmorum prægreſſa, *æſtu* etiam fervidiore, & *potu* præter modum paulo aſſumto, ſequi tamen ſolet ſequentibus paroxyſmis:

Quanto tardius, eo moleſtiores ſunt ipſi paroxyſmi; omnibus conſuetis ſymptomatibus, *duratione*, imo etiam diuturo, & modo non conſtante, *languore* poſt paroxyſmos; quin intermediis etiam diebus.

Ex adverſo, quo magis *ſudores* hi, *prompte*, & *ſponte*, ſuccedunt, eo *breviores*, & in univerſum fere *mitiores* fiunt paroxyſmi ſubſequentes; & ſuccedit, mox ipſi paroxyſmo finito, tanto magis autem ſequente die, præſentior, & omni modo manifeſtior, *euphoria*.

Interim immodeſtior *concitatio* ſudorum, nihilominus incommoda affert.

fert. Quando in ipſo *æſtu* paroxymi, intempeſtive atque præpoſtere tentata, effectum ſortitur; non ſolum nihil ſublevat patientem, ſed ſenſibiliſſime *debilitat*; obnoxium etiam reddit, quaſi *perpetuis ſubationibus*, quæ *tabidam* etiam maciem; & ſummum *virium* defectum introducunt, *ſimplicem* tertianam in *compoſitam*; *lentam*, imo, ſi modicus error circa cohibitionem ſudoris, tandem neceſſariam viſam, committatur, (neque per *imperitam empiriam corticis Jeſuitici* temere ſuppreſſam ipſam febrem;) in *hecticam* transformant.

Quando hi *ſudores*, etiam cum debita moderatione, & nihil coacti, *ſerius* demum paroxyſmis ſuccedunt, nulla evacuatione primarum viarum potitis, tunc *æſtuum* quidem impetum per ſequentes paroxyſmos mitigant, nihil autem impediunt, quo minus paroxyſmi *revertantur*, & æquali communiter duratione jugiter continuent.

Quando vero etiam *excretiones* ſupra dictæ commode obtigerunt; *ſudores* autem hi ſub finem paroxyſmi, a patientibus negliguntur, refrigerando, aut prorſus e lectis ſimul ſurgendo: trahunt poſt ſe certiorem futuri paroxyſmi non ſolum *reditum*; ſed etiam *æſtus* & impetum & durationem. Imo, ſi aliquot deinceps paroxymis, pariter neglectim habitis deficiat *ſudor*, trahitur tanto facilius tota febris in longum, & tandem velut in *habitum*. In *plethoricis* etiam, non deeſt periculum ſuccedentis tandem *lentæ*, imo per peſſimam *empiriam* temere *cohibitis* hujuſmodi febribus, *hecticæ*; ſicuti etiam in tali conſtitutione, *vehementiore* inprimis atque *longo* æſtu, nimis intempeſtive, mox tertio quarto paroxyſmo ſupprimentia talia opponantur, obtingit ſatis familiariter periculum *acuti* typi; imo *inflammationis* internæ.

Quando etiam reliqua quidem febris; licet *tardius* & *pluribus* demum paroxyſmis, tandem fatiſcit, *ſudores* autem ita temere *ſuppreſſi* fuerunt; eveniunt poſthac familiariter, & *Præcipites* & *copioſi ſpontanei* ſudores; communius quidem ſaltim *ſub ſomno*; ſæpe tamen etiam per totas dies, aut ad minimum quoties aliquid vel *edit* patiens, vel *bibit*; ante omnia tamen quoties *calidum* quidquam aſſumit. *Fatigant* communiter hæc ſudorum incommoda, ipſos facientes enormiter, imo exhauriunt *viribus*. Et ſicuti illi qui diu noctuque jugiter patientes obſident; ordinarie cum *lenta* adhuc *febricula* connexi ſunt: ita ſi illis etiam tandem ſubvenire neceſſarium videatur; & hoc immodeſtius per *adſtringentia*; aut protritum illud jam in ipſis triviis artificium (*artis vitium*) *corticis Jeſuitici*; perpetretur; prompte ſubeunt *lentæ febres*; *hecticæ*, *phthiſes*; *hydropes*.

Febris *tertiana* quam maxime *legitime* ſuccedens; non eſt affectus prorſus *evanidus*; ſed *durat* fere per *aliquot* paroxyſmos, inprimis nulla ſtricte dicta *arte* adjuta, ſed *tota ſibi relicta*, recte tamen obſervata & adminiſtrata ejus indole, ubi raro ante *quartum*, frequentius tamen ante *ſeptimum* paroxyſmum, in ſolidum ceſſat.

In

In noſtris autem climatibus, minime obſervatur ulla vel affectatio *ſeptimæ periodi*: vel *ſeptimi* paroxyſmi ſeorſim, ſpecialior efficacia, ad univerſum affectum quaſi *critice* terminandum.

Imo, ſicuti *ſeptimus* paroxyſmus etiam in *tempus criticum* non incidit, ſed in *decimum tertium* diem; ita ſi quod jus *criticum* affectare poſſet paroxyſmus, *quartus* potius hoc aſſequi deberet, utpote non ſolum in *diem ſeptimum*, ſed *horas* etiam *criticas*, expectandus: revera tamen nihil horum, etiam curioſa obſervatione, præcipue *conſtanter*, deprehendere licet.

Illud potius confirmat experientia, quod qualitercunque tandem deſinentes febres hujuſmodi, inprimis autem *languidius*, aut contra *præmature*, (illud *ſponte*, hoc *arte*) emanere apparentes, communiter adhuc aliquot ſuccedentibus *alternis* diebus, aliquas paroxyſmi, quantumcunque etiam leves, notas adhuc exhibeant: *languorem*, aut ad minimum *inertiam* aliquam, *ſegnitiem*, *faſtidium* qualecunque, capitis *gravitatem*, *ſomnolentiam*, *appetitum* minus vegetum, aut ad minimum non indifferentem ſed *malacia* quadam eclecticum: ſæpe etiam, accuratiore obſervatione, ſentiuntur, *apex naſi*, infimæ *auriculæ*, extremi *digiti*, leviter iis horis frigeſcere. Ita cuidam Parocho, uno & altero paroxyſmi ſymbolico die, *digitus* ſolum *auricularis in utraque manu* ſenſibiliter refrixit.

Illud inſuper quam maxime notatu dignum eſt, quod febris tertiana nunquam meliore fide ceſſet, & ſinceram ſanitatem poſt ſe trahat, quam ubi *ſenſim decreſcente* paroxyſmorum & *impetu* & *duratione*, ita gradibus veluti quibuſdam atque paſſibus peculiaribus, decedit.

In vulgus uſque notum eſt, quod febres tertianæ *recte* ſuccedentes atque decedentes, *ſanitatem* non ſolum *integram*, ſed velut ad ſenſum *firmiorem*, *alacriorem* atque *robuſtiorem*, poſt ſe trahat. Unde plebs: *Mann werde nach dem kalten recht geſund.*

Sæpenumero vero exerit ſeſe quaſi peculiariter, *appetitus* inſigne incrementum. Neque hoc ſolum, ſed etiam corporis reliqui veluti viſibilis *evexia* & augmentum.

Sicut etiam illa ipſi adeo plebi ſatis nota eſt febris tertianæ legitimæ innocentia, ut hac ipſa neminem mori, pro certo habeant; imo etiam vel *ſine medicamentorum* concurſu ſubinde ſuperari, equidem etiam exemplis, ſed propemodum magis traditione quadam, pro comperto habeant.

Hæc quidem hactenus, de *tertiana ſimplici atque legitima* omnino valent atque vera ſunt. Interim etiam illud adjicere fuerit integrum, quod aliis etiam febribus, concurrens ſegnior quædam ſaburra *ad inteſtina* congeſta, *tertianarii* typi velut *complicationem* haud raro afferat.

Neque vero illud etiam præterire eſt integrum, quod febris tertiana, craſſiore quodam modo converſationis atque *contactus*, ut *in eodem lecto* dormiendi, ex *iiſdem vaſis* bibendi, iiſdem *cochlearibus* utendi, aliquando

veluti *contagioſa* appareat: inprimis autem tanto certius, quando diætæ notabiles aberrationes, *prædiſpoſita* exhibent corpora.

Sicut autem jam ſupra nonſolum memoravimus, ſed velut anticipando quadantenus cauſam allegavimus, quamobrem id fiat, ut tertiana *verno* tempori familiarior ſit; ita monſtrat experientia, quod etiam aliæ, inprimis *epidemicæ* febres, paulo lentioris indolis, *verno* tempore admodum familiariter *tertianarium typum* ſimul adſciſcant, & reliquis ſuis moribus ſuperaddant: quamvis haud raro, non ſine peculiari nota majoris *periculi*, tum proprio illarum *typo*, tum intimioribus *partibus corporis*, hinc ingruentis.

Ultimo loco de hac etiam febre obſervari meretur, quod illa per longam moram, diu videlicet negligentius habita, tandem ita in *conſuetudinem* abire videatur, ut conſumta etiam vera, & inprimis quidem proportionata vera, *materia*, *motus* nihilominus febrilis, curſum ſuum conſtanter ſervet, ut *alternis* illis diebus revertatur; neque illud quidem *diſſimulando* aut fugitive, ſed omnino vegete atque ſatis fortiter; *brevioribus* tamen communiter paroxyſmis. Quando tamen nimis audacter circa res non naturales exorbitant patientes tales, proximus ab eo errore *paroxyſmus* importunior eſſe obſervatur.

Intermediis interim diebus, imo uſque ad ipſam horam paroxyſmi, & poſt unam forte horam ab ejus fine, & animo & corpore, actionum vitalium *acerrimam* etiam energiam poſſident & excercent.

Frequens tamen in tali conſtitutione eſt peculiaris *edacitas*, unde etiam plebi ſpecialiter *Freſs-Fieber* appellari audias, atque de *diuturnitate* quaſi certo præſagio ſuſpectas eſſe.

Ita quidem ſeſe habet vera atque genuina hiſtoria *febris tertianæ legitimæ*, atque circumſtantiarum ipſi non magis familiarium, quam veluti *eſſentialiter*, & *ſpecie* quidem infallibiliter, *gradu* ſolum differente ſolennium.

CAPUT III.

Hiſtoria curationis vulgo uſitatioris, inprimis quantum ad effectus ejus, aut eventus, attinet.

NIhil temere anticipare, nedum ordine præpoſtero incedere, fert animus; unde hoc quidem capite non tam ipſam methodum curationum, prolixe & velut ex profeſſo, tradere aut commemorare placet: ſed illud ſolum e re fuerit, quemnam *eventum* ſortiri obſerventur curationum diverſa aliquot genera, & inprimis quidem inter ſe admodum diverſa, tanquam *hiſtoria nuda* cognitum habere.

Sunt

Sunt autem methodi uſitatæ, *trium* fere generum, *prima* antiquior, occupata communiter fuit in *evacuatione cathartica*, communiter tamen cum *epicraſi* humorum, in ſpecie bilis.

Altera recentior, & per initia fere abſolute *empirica*, in evacuatione *per vomitum* fortiore fundata eſt.

Tertia, pariter recentior, huc uſque quidem nude atque *ſimpliciter empirica*, per *corticem Jeſuiticum*. Quem recentiſſime aliqui, non tam æque nuda & ſimplici *empiria*, quam potius qualicunque *ratione* generalioris paris efficaciæ inducti, ſupplere aut potius imitari aggreſſi ſunt, per aliarum etiam arborum, inprimis *quercus*, corticem: & pari quidem in genere ſucceſſu, ſi eventus ſolum ſpectetur. Quod jam attinet *hiſtoriam* ſucceſſus & eventus harum curandi *methodorum*, loquuntur hoc non ſolum ipſæ antiquorum hiſtoriæ, imo etiam præſcribendi atque commendandi ſenſus, quod illa methodo nonniſi *languidis ſucceſſibus* expugnatæ ſint febres tertianæ; ſed monſtrat hoc etiam hodierna adhuc experientia, quod ab hac methodo febres ordinarie magis in longum *trahantur*, quoties illa febribus hiſce jam *pertinacioribus*, aut quoque modo *inſolentioribus*, adhibetur.

Quando vero *mitioribus* applicatur, certo certius nullam peculiarem prærogativam his ipſis etiam afferat aut conciliet, quin, ita benigne conſtitutæ hujuſmodi febres, etiam *ſine* omni hinc inde, aut certe ſine tali in ſpecie methodo atque medicatione, pari ratione aut tolerabiles exiſtant, aut ſimilibus ſucceſſibus, & temporis menſuris curentur; & hoc quidem vel *ſine* ullis medicamentis, vel *cum talibus*, quæ cum hac *methodo* nihil commune habeant; v. g. *euporiſtis pepticotonicis* ſeu *ſtomachicis*; imo etiam *ſudoriferis*: inprimis ſi cæteris paribus, *quæ vulgo non* æque *attenduntur*, paulo convenientiore *tempore* ſudor vel inſtituatur, vel ſequatur.

Sunt autem illa, quæ *minus attendi* dicimus, inprimis *ſpontanei* illi *vomitus*, aut aliquando *catharſes*, *prioribus paroxyſmis*, aut quandocunque tandem, modo affatim atque *largius*, evenientes.

Quod vero verum ſit, quod talia vulgo *minus attendantur*, liquere poteſt ex eo inprimis, quod non ſolum *vulgus* hominum, ſed *medicorum* etiam, inprimis autem iſtius ſcholæ, hujuſmodi evacuationes in hac febre, proprie pro morbi directis *ſymptomatibus*, & ventriculi male affecti *pathemate* interpretantur, quem propterea *roborandum* potius eſſe concludunt, ne talibus *commotionibus* afficiatur &c.

Secunda methodus, quando *vomitum* cum bono ſucceſſu copioſioris *evacuationis* inſtituit, & inprimis *tempus* maturum rei gerendæ aſſequitur, in ſubjectis inſuper *robuſtioribus*, & ſibi magis firmiter conſtante indole, communius tam bonum operæ pretium facit, ut inde tanto confidentius *abſolutam* certitudinem ſibi imputet, & audacter ad *vomitu* exonerandos ægros convolet.

Interim *incommoda* experitur minime diſſimulanda ſequentia: *Primo*, quod ſine prudenti, adeoque *dogmatica* potius, quam *empirica* exhibendi ratione, ſæpe numero fruſtra ſit, & nihil niſi *conatus* enormes, ſine *materiæ* peccantis ſucceſſu, provocet, adeoque patientes, vel in genere inutiliter *fatiget*, *teneriores* atque *debiliores* in ſpecie perturbet, gravius *plethoricos* vehementer angat & exagitet, & fere *impoſterum* utilioribus conatibus & ſucceſſibus *inidoneos* efficiat.

Secundo: Evemetis adhibita hæc Methodus, eo inprimis tempore, quo *ſponte* ad vomitum propendent, imo jam ad illum feruntur (ut *verſus paroxyſmos*) facile *hyperemeſes* excitat; & tamen ſubinde adhuc *excretionem* actualem, *ſufficientem*, eoque ſolo *utilem*, non præſtat.

Tertio: Tanto magis autem, ſi nude *Empirice*, pro adæquato Febris hujus remedio habita hæc methodus, *promiſcue* etiam diuturnis & jam in habitum quendam deductis hiſce Febribus, indifferenter applicatur, non ſolum nihil, boni, ſed ſatis etiam ſæpe aliquid ſiniſtri producit.

Quarto: Omni modo vero Febri toti curandæ minime methodice quadrat, inprimis, quando quoquo modo ſenſibilius exceſſit *coactus* vomitus, & ipſas *vires*, imo tenorem & *ordinem* tranquilliorum *motuum* vitalium gravius concuſſit.

Quinto: Methodus hæc, ſi nulla adſit *propenſio* ad vomitum, minime abſolute *innoxia*, nedum ſimpliciter *adæquata* eſt; ſed potius facilius tali tempore, & familiarius *inefficax* ad minimum; *ſola* inquam directa *Emeſis*. Ubi *adeſt* propenſio aut penitus jam *conatus*, ibi iterum hæc *nuda*, *periculoſa* eſt, neque certe in tali caſu ullo intuitu *neceſſaria*.

Interim omni modo, ſi perite atque prudenter, non tam *medicatio*, quam *methodus* ad minimum Emetica, inſtituatur & adminiſtretur, aut ad minimum in debitam conſiderationem veniat, minime omnium vero, ſpontanea abſolute pro *nudo ſymptomate directe morbido* habeatur, plus uſus habet, quam neutra reliquarum.

Enim vero *tertia* uſitata *methodus*, communiter cito *cohibet* tertianam febrem; interim circumſtantiæ quæ uſui illius familiariter eveniunt, omnino notari debent.

Edit effectum ſuum expectatum, ſine memorabili aliquo *præſentaneo* incommodo, (α) in *robuſtis*, (β) antehac ſatis *ſincere ſanis*, (γ) non primo ſtatim aut ſecundo paroxyſmo, (δ) nec etiam propius impendentibus paroxyſmis (ε) omnino tamen verſus illos, exhibita. Si ſecus fiat, ut etiam aliqua *ſigillatim* harum circumſtantiarum deſit, incommoda etiam præſentiora poſt ſe trahit; & quidem quo *ordine* hic à nobis recenſitæ ſunt dictæ circumſtantiæ, eo certiora atque graviora: certiſſime atque graviſſime, ſi hæ circumſtantiæ *omnes concurrant*.

Nihil juvat hæc methodus, ſi plane *ſine reſpectu ad paroxyſmum* aut ejus diem, *vacuo* v. g. *tantum* die cortex hic adhibeatur.

Periculum ſemper, effectum autem *noxium* frequenter, exhibet, quando

do *materiis non evacuatis*, *febre* hucuſque adhuc vehementibus paroxyſmis agente, in corpore inſigniter *plethorico*, *ſudoribus* etiam nullis, aut nihil *ſufficienter*, ſecutis, *multum* exhibendo, & ſæpe atque *continuando*, inſtituitur. Tanto magis autem ſi una cum talibus hujus methodi amethodiis, vel patientis errore, vel imperiti empirici ſuaſu, qualicunque, tanto magis autem fortior, impulſio & *interna commotio ſudoris* conjungitur.

Incommoda, quæ effectu ſuo veluti *directo* etiam, certo poſt ſeſe trahit, ſunt *conſtipatio pertinax alvi*, ab ejus uſitata methodo, & citra conſtitutiones plane individualiter peculiares, aliena; appetitus interim augmentum, etiam inſolitum; familiaris interim novi *paroxyſmi reditus*, poſt aliquot dies; certus quaſi, ſi *obſtipatio* illa ab hoc cortice introducta, ſtimulo aliquo rumpatur atque reſeretur.

Noxæ quas poſt ſe trahit, ſi minus caute atque circumſpecte exhibeatur, omnes fere ſunt *Sonticæ*; aliæ tamen *tardiores*, aliæ *præſentiores*, imo aliquando veluti *præcipites*.

Tardiores, (non tamen ortu æque, quam ulterioribus pejoribus effectibus) ſunt, ipſa *adſtrictio*, & ſenſim *ſiccitas* alvi, familiariter poſt febres hac methodo ſublatas, contra priſtinam conſuetudinem, impoſterum veluti *in conſuetudinem* abiens. *Anguſtiæ* etiam inſolitæ, aut ſolito certe majores & frequentiores, circa *præcordia*, in primis *poſt cibos*; apud paulo manifeſtius *plethoricos*, hoc eodem tempore *phlogoſes*, *faciei rubores*, *capitis gravitates*, & *inertia*, non vere, ſed tamen *quaſi ſomnolenta*; flatulentia vel penitus inconſueta, vel tamen ſolito non ſolum major; ſed inprimis à ſucceſſu alienior, *concluſa* magis, ſub alvi *ſtipticitate* potius, quam *ſiccitate*; unde aliis graves & pertinaces, cum vel ſine ſenſibilitate *anxiæ tenſiones* in abdomine, borborygmis miteſcentes; ſenſim magis magiſque importuna *hypochondriaca* pathemata, neque magis *excretionum* quam tandem ipſarum etiam *coctionum* atque *diſtributionum* vitia.

Ab his *progreſſus*, licet hic inde admodum *ſegnis*, minime tamen æque rarus, fit ad illa mala, quæ aliquando etiam *præſentius* evenire diximus.

Nempe ſunt talia graviora pathemata *colica*, *inflammatoria*, *abſceſſoria*, *ſcirrhoſa*, in abdomine; *icterus*, *tabes*, *cachexia*, *œdemata*, *aſcites*, *tympanites*, *anaſarcodes* inflatio, *febres acutæ*, *inflammatoriæ*, *anginæ*, *ſtrangulationes cardialgicæ*, febres *lentæ*, *ſudatoriæ*, *hecticæ*, *anomalæ* vagæ.

Horum malorum ſucceſſuum, qui *præſentius* ſuboriuntur, inprimis in corpore non jam ante admodum male prædiſpoſito, non tantæ fere ſunt *pertinaciæ*, & periclitationis, ut illi, qui poſt longas *cunctationes* & *ſegnes innidulationes* tandem ſuccreſcunt.

Certior etiam, & melioris omnino ſpei præ modo dictis tractabilioribus, eſt talis medicatio, ſub qua *febris* priſtina *revertatur*. Hæc enim ſi deinde patienter atque prudenter & toleretur, & artificioſe ipſi ſuc-

 curratur,

curratur, pleniorem atque *ſinceriorem* reſtitutionem in integrum, ſubminiſtrat.

Parcius autem *datus* cortex, nihil perpetui & *uniformis* præſtat. Producit etiam ſubinde, imo familiarius, effectus, à conſueta reliqua ſui operatione alienos; dum *vomitum* alibi, *alvi fluxum* tanquam poſitive *catharticum*, alibi *utrumque*, concitat; inprimis, quando *verſus paroxyſmum* propius inſtantem, adhibetur.

Hæc eſt vera & intemerata *hiſtoria*, trium illarum *famoſiorum* & uſitatiorum *methodorum*, earumque veræ & conſtantis efficaciæ, de qua illud inſuper monere reſtat, quod uti duæ priores non æque *certæ atque infallibiles* exiſtunt; quin *prima* quidem magnæ ambiguitatis, & certe remotioris ſolum *generalioris*, energiæ pro univerſo hoc negotio, exiſtat; *ſecunda* partim *inſufficiens*, partim non abſolute *ſecura*, tandem etiam minime omnium *neceſſaria*, niſi forte in plane peculiaribus caſibus; ita *tertia*, licet ipſo effectu *generali* certior, ſpeciali tamen *incerta*, nempe graviorum eventuum nunquam non *ſuſpecta*, quales loco febris tertianæ, minime periculoſæ, & per alias non minus certas quam multo ſecuriores methodos ſuperandæ, temere periclitari, nemo prudens in animum induxerit.

C A P U T IV.

Pathologia Febris Tertianæ.

Sicut in procemio ipſo jam monui, quod D. D. Præſidis ſententiam de negotio *febrium* ſequi animus ferat, ita placet illam ante omnia brevibus proponere, & ad illam deinde *febris* etiam *tertianæ* omnes atque ſingulas circumſtantias exigere.

Poſtulatur ante omnia conſenſus circa res ſimplici rationi innitentes; (1) Quicquid & fieri poteſt, & non fieri, illud non *neceſſario* fieri. (2) Quicquid à quacunque cauſa non ſemper, ſed potius valde raro fit, illud ab illa nulla *abſoluta neceſſitate* fieri. (3) Aliud eſſe neceſſitatem *materialem*, aliud *moralem*; illam directe ad nullum *finem* reſpicere, hanc perpetuo ad *certum*. (4) Illam *abſolutam* eſſe, hanc *reſpectivam*. (5) Illam *ſtricte* dictam *neceſſitatem*, hanc *utilitatem* magis proprie appellari. (6) Sine quocunque finis obtineri non poſſit, illud ad finem eſſe neceſſarium. (7) Ubicunque finis ſit neceſſarius, ibi neceſſaria eſſe *media* ad illum finem tendentia. (8) Cuicunque finis ſit neceſſarius, illi media ad illum finem neceſſaria, pariter eſſe neceſſaria. (9) Sub iiſdem circumſtantiis poſſe vel agere vel non agere, eſſe Agentis liberi. (10) *Fictiones mentis* nudas, inprimis pure *morales* ſeu æſtimatorias, nullam habere

bere activitatem directam & immediatam in *materias*; multo minus viciſſim. (11) *Voluntatis* executionem circa uſum rerum corporearum, *motu* membrorum corporeorum perfici. (12) Aliud eſſe λέγον, *intellectum* ſimplicis veritatis; aliud λογισμόν, multiplicem comparationem reſpectivæ veritatis, circa affectiones rerum in craſſos ſenſus cadentes. (13) Etiam in rebus ſingulis λογισμȣ̃ manifeſtum eſſe λόγον; in nullis autem τȣ̃ λογȣ̃ rebus, verum λογισμόν. (14) Animam, quantùm ſcimus, abſolute opus habere corpore organico. (15) Corpus abſolute nullum uſum habere, organicum, niſi pro deſtinationibus animæ. (16) Nullum eſſe actum in corpore, adeoque etiam nullam partem organicam, in quam anima non habeat poteſtatem aliquam, illam ſecundum ſuas intentiones commovendi; (17) Animam manifeſtam habere poteſtatem, motus corporis tum univerſim, tum particulatim, inhibendi. (18) In omni febre eſſe aliquam materiam (aut ad minimum firmam de illa ideam, licet hoc ſolum rarius) vitalium partium, aut directarum actionum vitalium, graviſſimæ læſioni idoneam. (19) In omni febre eſſe commotiones humorum, extraordinarias quidem gradu, ſed non tam ſpecie. (20) In omni febre eſſe ſecretiones & excretiones; (21) & quidem materiæ febrili è corpore excutiendæ proportionatas. (22) Nullius tamen materialis immediatæ neceſſitatis; (23) & proinde facillime perturbandas, cohibendas, repellendas, in tranſverſum agendas. (24) Non magis corporeis inprimis ſenſoriis irritamentis: (25) quam nudis animi repentinis intentionibus intenſioribus. (26) Si hæc ita tranquille & ordinate procedant, inſervire corporis conſervationi, & liberationi à noxiis effectibus materiarum febrilium. (27) Adeoque motus illos, qui febriles habentur, non ſolum a priori quadrare, ſed etiam a poſteriori ſatisfacere, liberationi corporis a rebus ita noxiis. (28) Adeoque etiam omnium probabiliſſime contra illas materias inſtitutos videri. (29) Cocta autem movenda eſſe, non cruda, neque in principiis, niſi turgeant (rariſſime autem turgere) id eſt, nihil movendum eſſe, niſi ſit mobile.

Puto hæc ſufficere poſſe, tam pro *theſi*, ſeu *explicatione* febrium in genere, quam pro *hypotheſi*, ſeu *applicatione* ad tertianam febrem in ſpecie, cujus rei experimentum facere aggredior. Præmonemus tamen non ſine cauſa, ut illa quæ jam alibi à D. D. Præſide in hanc materiam dicta ſunt, adverſus ἀλογίας in intelligendo, & ἀσυλλογιςίας in argumentando ſubſumendo & concludendo, in diſſertationibus de Hiſtoria Febris in genere, Pathologia ejus in genere, excuſatione adverſus examen pulſus celeris, conſtanter ante oculos, imo in mente & intellectu, retineantur; quandoquidem in cathedra medica, & de rebus medicis differentibus, ἄτοπον, imo etiam tædioſiſſimum eſt, logicam perpetuo inculcare, & præpoſteras acceptiones, & inde ineptas propoſitiones plurium terminorum, alieniores inſuper ſubſumtiones, & familiares

miliares concluſiones, in quibus alia ſint, quam in præmiſſis, corrigere, & emendare.

Sicut itaque *concoctio* in ventriculo, juſta atque debita, *vitale* utique eſt negotium, debitum corporis perenni *conſervationi*, per reſtitutionem illarum ſubſtantiarum, quæ ſub reliquo motuum vitalium perpetuo ſucceſſu, materiæ neceſſitate fatiſcunt; neceſſarium hinc utique eſt, ſicubi aliqua materia, tum *organa* huic negotio debita, obſidens & impediens, tum *actus* illos eludens pro ſe, & pro aliis rebus labefactans & præoccupans, præſto ſit, illam auferre atque removere.

Si enim hoc non fieret, impenderet toti corpori, & primo loco *ſanguini*, certiſſimum periculum ſucceſſivi interitus, per defectum neceſſariæ *reſtaurationis*, ſub progreſſu indeſinente conſumptionis Fluidarum, & labefactione ſolidarum partium.

Ne itaque tantum detrimentum eveniat, inprimis propter rem cui facile ſit & ſatis promptum efficaciter reſiſtere, imo ob illa corpus liberare; tanto magis utique conſultum eſt, & fieri non magis debet, quam decet, ut quod fieri utique poteſt, omni modo fiat. Poteſt autem natura, materias in corpore humano occurrentes, niſi enormiter ab ejus proportione aberrent, & ut vulgo loquuntur, toto genere diſtent, *commovere*, *promovere*, *emovere*.

Quidni autem *poſſit?* cum utique univerſum negotium vitæ, nulla alia re, niſi his *modis* atque *motibus*, indeſinente continuatione ab illa perpetretur.

Ab *illa* inquam, ipſa *humana natura*, nempe *anima*. *Propter quam* nimirum totum corpus organicum non ſolum ita unice exiſtit, ut *abſolute propter nullam aliam rem*, neque ſit, neque poſſit, neque debeat eſſe; *propter animam* autem adeo *abſolute* debet eſſe, ut ſi hoc non eſſet, nihil poſſet *humana* anima, omnium eorum, quæ poſſe vere & realiter intelligitur.

Neque vero ſolum corpus neceſſario eſt *propter animam*, ſed anima etiam vere & realiter *compos eſt* corporis; tum *ſenſu*, ad quem corpus dirigit, ſub quo corpus regit, quem per corpus ſuſcipit atque percipit; tum *motu*, quem *pro ſuo arbitrio*, *animalem*, præſentiſſime & ſane fortiter, inſtituit & inſtruit; & *pro ſua intentione*, *vitalem*, neque minus prompte, neque ſubinde minus fortiter, flectit atque regit, v. g. *Lipothymiis*, *tremoribus*, *convulſionibus*, inprimis *vomendi* moliminibus, à *terrore*, *timore*, *iracundia* effera, *nauſea*, &c.

Sane vero, cum non magis exemplo, quam ipſo vero facto & eventu, familiariſſima ſit & expeditiſſima, animi, etiam ſub *nuda imagine* nauſeantis, poteſtas in *motum ventriculi*, ad illum *vomitu* ita concutiendum, ut quicquid moleſtum, vel tale ſolum falſo æſtimatum, ineſt, imo ſolum imminere eidem fingitur, citata, & promptiſſima excutiendi methodo, expellere non magis *poſſit*, quam etiam promptiſſime *ſoleat*; indignum

indignum profecto illa eſſet, ſi rem non ſolum proclivem, ſed etiam valde ſibi familiarem, negligeret, adverſus incumbens aliquod periculoſum onus, tentare atque experiri.

Sicut autem iterum iterumque memori mente tenenda utique venit illa animæ humanæ etiam circa res *nudæ rationis* ἀταξία, inprimis ſecundum individua varia; communiter tamen major potius quam minor; ut nempe non, quod abſolute *deberet*, ſtatim abſolute *intelligat*; neque quod etiam *intelligit*, propterea ſtatim *velit*; neque quod etiam *vult*, propterea ſtatim, alacritate atque fiducia debita, & ſimplici atque plana methodo, *ſuſcipere & exequi audeat*; prout ejus rei innumera ſunt non tam in dies, ſed etiam in horas exempla *civilia* atque *moralia*; ita valet hoc ipſum tanto magis etiam de *vitalibus* negotiis.

Ut adeo nihil minus mirum ſit, quam quod anima humana, utpote ſola quantum maxime ſciamus, *errandi* præcipue compos, non ſolum *in genere* erret; ſed tanto magis in *ſpecie*, circa negotia corporea, *corporeis motibus* & modis expoſita; cum etiam familiariter, & ſubinde pertinaciter erret, circa morales res, quas nudo momento *cogitationis* corrigere atque ſuperare poſſet. Sicut autem in univerſum veriſſimum deprehenditur, quod maxima labes animæ humanæ, & primaria errandi pertinacia, in *voluntate* potius ſit, quam in *intellectu*; adeo ut familiariſſimum ſit, non ſolum *non velle*, quod & *poſſit* & *debeat*; ſed etiam contra, *voluntate* enixa atque defixa perſequi, quod non ſolum *non debeat*, ſed etiam *non poſſit*, & hoc utrumque etiam *ſatis recte intelligat*: ita certe etiam in *vitalibus* rebus, quam ſubinde, imo vix non ſemper, *ſentiat* & agnoſcat, quod aliquid noxii impendeat, imo *quale* & *quomodo* periculum immineat, quin ingruat: tamen ad *voluntatem*, tum aliquando in genere reſiſtendi, tum longe frequentius in ſpecie, ita *uti convenit*, exquiſite contra agendi, jam *ſegnior* ſit, jam *ſecurior*, jam *alienior* & aliis potius rebus intenta, jam timidior, imo *trepidior*, *fluctuans*, modo huc modo illuc tendens, ſed neque viam neque *conſtantiam* debitam ſervans nedum *ordinate* exequens. Conferatur diſſert. ſub D. D. Præſide habita, de *frequentia morborum in homine*, *præ brutis*.

Pertinet huc etiam, tum ſingulorum *vitalium* negotiorum, tum in ſpecie *concoctionis* atque *diſtributionis*, habitus atque reſpectus ad tempus, ſive *languidiores* veluti, *diuturniores* certe progreſſus atque ſucceſſus. Inter quos plane ſpecialiſſimam utique conſiderationem meretur *concoctionis* ciborum in ventriculo negotium, utpote quod etiam *ſpontaneo*, & ipſis materiis inſito quodam actu & ſucceſſu, bonam partem nititur: quem natura humana omni modo expectare perpetuo, adeoque moræ illius tantiſper indulgere, & de eventu illius juſto, utique ſemper veluti bene ſperare, tanquam a priori inſtructa eſſe merito agnoſcitur. Ut proinde, niſi vel inſuper *pathetice*, *impatiente*, quodam ſtimulo aut inſtinctu provocetur, tanquam magis ordinariè, hujus coctionis difficultates, & ambigui-

biguitates potius patientius tolerare, indulgentius expectare, & confidentius de illius ſucceſſu adhuc eventuro, ſperare, etiam ſine exquiſito errore, poſſit.

Cœterum, ſicuti in œconomia animali minimè neceſſarium eſt, *res inutiles in utiles* convertere: ſed ſufficiat & ita etiam inſtitutum ſit, potius perpetuò penu novo conquirendo invigilare; tantò minus autem, vel ſimpliciſſimæ rationi quadret, rebus ad nocendum paratis, in melius convertendis laborioſè demum inſudare, potius quam illas *totas cum ſua noxia efficacia*, ſive ex parte aliquâ, ſive ex univerſo habitu corporis ejicere, quo nempè actu in ſolidum tollitur, & omnis ambiguitas noxiam efficaciam immutandi, & omnis periclitatio, ne illa priuſquam ſubigatur, aut ſi planè ſubigi non poſſit, nocumentum illud corpori ſive ex parte, ſive ex toto inferat.

Sicut inquam hæc ita verè ſeſe habent, ita ejuſdem certiſſimæ veritatis eſt, quod in tota œconomia animali nulla ſit poteſtas, materias eximiè & inprimis firmiter atque conſtanter ad nocendum aptas, imo ſaltem *à ſimilitudine temperiei corporis longiſſime alienas*, corrigendi aut immutandi, ſed unice *movendi*, *pellendi*, *expellendi*.

Cum enim *materiæ* non directe alterari, aut ad minimum præſentius *immutari* poſſint, niſi aliis materiis, aut ad ſummum, tam intimis, ſubtiliſſimis, atque potentiſſimis motibus, quales in œconomiæ corporeæ animalis poteſtate non præſto ſunt; propterea abſoluti erroris eſſet, velle, ſperare, tentare, nedum exigere, quod abſolute in poteſtate non ſit; ſicut ejuſdem notæ eſſet, *abſolute non velle*, quod *ſimplicius*, & omni dubitatione *certius*, utique in poteſtate ſit, & perpetuo uſu comprobatum ſit.

Eſt autem hujuſmodi in præſente conſtitutione *medium* atque *remedium*, *excretio* e ventriculo, per motum ejus, & fortiter compreſſorium, & ſubinde cum impetu quodam concuſſorium, nempe *vomitum*.

Interim hoc ipſum medium, uſum ſuum optatum aſſequi minime utique poteſt, quamdiu *materia*, quæ ita excuti debet, *motui* prompto non recte eſt *idonea*. Ut v. g. nimium *lenta* atque *tenax*, nimium *denſa* atque *ſpiſſa*, nimium *aſpera*, non ſatis ac decenter *lubrica*.

Neque vero ultimæ conſiderationis eſt, quod paſſim *extraordinarios* motus, ſibi alias minime conſuetos & familiares, natura per individua diverſimode *abhorreat*, neque niſi *languide*, *tergiverſanter*, *anxie*, *trepide*, *fugitive*, illos ſuſcipere aut proſequi, toto die obſervetur. Neque hóc magis in hiſce vitalibus, quam pariter potius omnino etiam in rationalibus ſuis conaminibus.

Quid, quod conceptui nullam uſquam difficultatem objicit, quod frequentiſſime fieri poſſit, ut natura ex una parte extraordinarios illos conatus ſuſcipere *diffidens* atque metuens, ex altera parte qualemcunque ſpem adhuc fovens, poſſe adhuc per ipſam alterationem ſeu qualemcunque

con-

concoctionem talem fieri, ut tranquillioribus excretionibus obſequens, *extraordinariis* ejuſmodi moliminibus non indigeat, etiam in nudis remediis ſibi conceſſis ad hujuſmodi præparationem tantiſper ſubſiſtat, neque ipſum *effectum vomitus* laborioſius moliatur.

Interim, quando etiam ipſum utique *vomitum*, pro tali excuſſione machinatur; ſi quidem maxime tempeſtive hoc facit, *antequam* materia excretioni admodum impar atque refractaria evadat, omnia certe in plano poſita ſunt. Et fit hac ratione nudus atque *ſimplex vomitus*, & nuda ita ventriculi *exoneratio*, ſine vel metu, vel concurſu *febrili*. Aut ſi omnino aliquis talis, exquiſiti ordinis atque moliminum concurrat *apparatus*, defuncta ſimul & ſemel univerſo negotio, & *potita ſcopo ſuo* natura, nihil ultra nec intendit; neque tentat, ſed rebus ſuis earumque, juſto & conſtanti filo, iterum ex antiqua formula vacat.

Quando vero materia illa libero præſentaneo motui, jam plus, aut plurimum inidonea (quod interdum *mora*, interdum etiam ſatis *repentinis progreſſibus* fieri poteſt) evaſit, tunc utique etiam alienum eſſet ab omni ratione, & quam maxime ſimplici λογῷ contrarium, *motum ſuſcipere* adverſus materiam *motui ineptam*. Maxime vero rerum ordini conſentaneum eſt, *materiam* ad motum quocunque poſſibili modo prius *diſponere*, & tunc demum motum ſuſcitare.

Jam vero merito conſideratur, qualemnam *præparationem* vel hæc materia ſuſcipere, vel natura ipſi præſtare poſſit? Jam modo enim diximus; quod natura *alterationum* præſtandarum ut plurimum impos exiſtat.

Cum vero difficultates illæ, quibus hic ſuccurrendum eſt, unice reſpiciant materiæ habitum ad *excuſſionem per vomitum* magis immediate; ad hanc autem ſufficere poſſit etiam illorum ſolum incommodorum correctio, quæ paulo ante nominavimus, nimiæ *tenacitatis*, nimiæ *denſitatis*, nimiæ *aſperitatis*; quibus univerſis ſimpliciore *emollitione*, qualicunque *lubricitate* introducta, imo etiam *vehiculo liquido* atque *lubrico*, ſic ſatis ſuccurri poſſit: non eſt dubium, quin natura tam *generales* alterationes atque ſubſidiarias *præparationes* ſimpliciſſimas, præſtare, aut ſane tentare, poſſit.

Neque vero æque opus eſt in illa conſideratione velut a *priori* prolixius occupari, quid natura hic *poſſit*: ſed præſtiterit omni modo potius ex ipſa re, non tam conſiderationem quam agnitionem inſtituere, quid utique agat & efficiat natura in hoc ipſo negotio. Non poteſt hoc melius fieri quam recte obſervatis illis *actibus*, *ſucceſſibus*, & *eventibus*, qui in febris tertianæ *paroxyſmo incipiente*, ſtatim fiunt.

Nauſeoſum quiddam ibi, etiam ante formalem paroxyſmi impetum ſentiri; & tanto magis ſub hujus inſultu continuare atque vigere, omnino verum eſt. Sed non minus verum eſt etiam illud, quod *innumeri* dentur, non ſolum *paroxyſmi*, ſed omnino *ægri* tertianarii, in quibus *nauſeæ*

vel nullum ſit veſtigium. Imo vero, quamvis in ipſo vero paroxyſmo tertianario, forte nunquam deſit omnis, communiſſime vero maxime *moleſtus ſenſus* circa præcordia; langueſcentis tamen tandem tertianæ, nedum in nudam veluti conſuetudinem fatiſcentis, paroxyſmis nihilominus veris atque ſatis omnino ſenſibilibus, etiam *nullus abſolute* amplius hujuſmodi ſenſus præſto eſt; ſed occurrunt familiariter etiam, graviſſima alia, ſine febribus, circa ventriculum varia, de reliquo ſatis evidenter paria, imo gemina hiſce, ſymptomata, quibus tamen reliquum quidquam tertianario paroxyſmo uſitatum minime accidat, aut complicetur.

Dico hoc propterea, ne mox ab ipſo initio ſuſpicio illa locum inveniat, quaſi omnes reliquæ circumſtantiæ, nuda *nauſeæ ſymptomata*, & *paſſivæ* ejus ſequelæ exiſterent. Illa itaque phænomena, quæ abſolute ſtipant tertianarium paroxyſmum, ſunt *habitus corporis conſtrictio*, & eo ipſo ad *interiora corporis* fiens, humorum copioſa coacervatio. *Stricturam* enim illam ſequuntur tantum, nullo vero alio vel *ordine* vel *reſpectu* ſtipant, phænomena illa admodum conſpicua, *palloris*, *frigoris*, *vaſorum* per peripheriam corporis *diſparitionis*.

Jam ſi non tantum *à priori* perpendimus, quid per hanc circumſtantiam fieri *poſſit* atque *debeat*; quam quid *à poſteriori fieri* revera appareat: facile diluceſcet, quod tam ſtricta *coacervatione* univerſæ maſſæ ſanguineæ, atque diuturna *detentione* circa interiora, non ſolum *poſſit* ſequi ſubtiliorum fluorum *ſeceſſio*, ad aliquas cavitates: ſicuti etiam hoc ita *debere* fieri, certe utile apparet, dum materia utique, quæ præſto eſt in ventriculo, eget non ſolum *emollitione*, aut ad minimum *demollitione* ubi adhæret: (*daß die Zähe klebrichte* materie, *abgeweichet wird*, *wo ſie anklebet*) ſed etiam *vehiculo*, cum quo *lubrica* conſervetur, & concuſſione ventriculi *vomitoria*, ita ex ipſo per œſophagum *proluatur*, nec alicubi *tenacitate* ſua denuo *obhæreſcendo*, totum actum fruſtrari poſſit.

Quod autem hoc omnino ita fiat, etiam *a poſteriori* teſtatum utique faciunt, non ſolum ipſi tales tertianariorum *vomitus*, aut *diarrhϾ*: ſed etiam omnino cum iiſdem *prodeuntes humiditates*, jam *ſinceriores*, & ſine materiæ veræ peccantis comitatu: unde quotidie audias: *Der* patient *habe ſich zwar übergeben*, *aber nichts als Waſſer und Schleim*: Vel etiam *cum* ipſa materia *morbida* copioſe prodeunt: ubi utique nemo hominum crediderit, quod hujuſmodi humores *limpidi & incorrupti*, & vel oculo judice, reliquæ turpi materiæ magis *affuſi* quam *confuſi*, nedum *innexi*, cum illa materia tam diu atque conſtanter illic hæſerint, & potius ipſa illa νεωτερα materia ſint, quam aliquid *adventitium*, & nuperius quidem demum affuſum. Sicut etiam illa, ſub proxima *vomitum* perpetrandi promptitudine contingens, copioſa *affuſio ſalivæ*, ex ipſo ore, *limpidæ* atque *puræ*, ut omni *vomitui* inprimis *laborioſo*, familiaris: ita certe non abſo-

abſolute & ſimpliciter *ut fiat*, nedum ut ex ore *effluat* aut *exſpuatur*, ſed ut *deglutiatur*, atque promovendæ *vomitoriæ excretioni* ſubſerviat, ea ratione affunditur.

Quemadmodum autem ex hiſce circumſtantiis, non ſolum ſatis dilucеſcit, quod ſanguis ita ad *interiora* compulſus, verum aliquem *uſum* ibi ita exhibeat, qui tum *actus vomitus* commodiſſime ſecundet, tum etiam in genere ad *ſucceſſum* atque progreſſus faciliores *e ventriculo* & inteſtinis, eandem materiam *præparet*: & ita quidem *præparet*, uti hæc materia inprimis poſtulat atque indiget: ita minus adhuc mirabilis eſt, ſed potius manifeſtæ prorſus evidentiæ, illa *ſyndrome* reliquarum circumſtantiarum, *palloris*, *frigoris*, vaſorum *exinanitionis* atque diſparitionis, ſenſus *ſpaſticarum conſtrictionum*, imo denique *ſuccuſſationis*.

Ubi quidem revera ſupervacuum eſt, notare, quam alienæ hic ſint veteres traditiones, de cauſis *palloris*, *frigoris*, *horroris*, imo *rigoris*: & quæ de *putrefactione* humorum jam *intra venas*, jam *extra venas*, finxerunt. Multo minus illis rebus tempus perdere, quæ a recentioribus de *paſſivis ſpaſmis*, *cutis* æque, atque totius ambitus *corporis*, aliter dicuntur, aliter ſcribuntur; & non ſolum cum ſimplicitate præſentis rei, ſed adhuc nimio magis inter ſe ipſa, abſolutiſſime ἀσύςατα ſunt: ſed placet ſolum illud paucis attingere, quod omnino etiam in alio caſu, a nuda *imaginaria nauſea* inſtante vomitu, quo minus expedite ille ſimul & ſemel procedit, & quo minus etiam *materiæ* tali motui exquiſite obſequentis præſto eſt, tanto certius & evidentius omnia hæc, ad minimum in *ordine* illo ſuo, præſto ſint, & ſeſe mutuo inſequantur.

Quo minus *anxius*, aut *irritus*, aut *pertinax*, eſt ille conatus, & actus ita excernendi, per ipſum paroxyſmum, eo certius ſuccedit notata illa *languida remiſſio* inter frigus ſenſibilius, & æſtum gravius emicantem. Sequitur autem utique *æſtus*, cujus phænomena ſunt ſequentia. *Pulſus* qui ſub frigore *tardus*, *rarus*, *oppreſſus* atque *parvus* erat; fit *celer*, *frequens*, *plenus* atque *magnus*; ſimul *comparent* non ſolum iterum *vaſa* ſanguifera, ſed *exturgeſcunt* ſenſim, atque diſtenduntur veluti: *habitus* etiam *corporis* eo ipſo ab illa *ſtrictura* tabida revertitur ad *turgidulam* extuberantiam: & nonſolum ſolitum, & floridum, ſed etiam *abundantem*, *colorem*: ſimulque increbeſcentibus ſatis his omnibus, in locum *frigoris* præcedentis ſuccedit actualis, imo exceſſivus *calor*. Hunc comitatur *ſitis*, & inde facilis *ſiccitas oris*, *reſpiratio* etiam *brevior* atque citatior: inquietus ſub hiſce circumſtantiis, inprimis in ipſis artubus eſt patiens, *tenſivo gravativo* quodam fatigationis ſenſu. Harum rerum duratio continuat per aliquot horas, & hoc quidem maxime *æqualiter*. Sub tota vero hac duratione, nulla ſenſibilis *excretio* emicat, nec ipſius etiam *tranſpirationis* uſquam augeſcentis.

Quando vero jam per *ſex*, *octo*, *decem*, horas continuatus hic æſtus; tandem iterum ad ſenſum *decreſcit*, imo ſenſibiliter intepeſcit, tunc demum emicat *ſudor*, moderatus, non tam affatim & copioſe æque diffluens, quam leviter *manans*: communiter tamen utique non nude *halituoſus*, ſed omni modo *fluidus*. Jam ſuperius autem dictum eſt, quod *æſtus*, & *vehementior* ſit & *longior*, ubi *abundantia* ſanguinis evidentior ſubeſt. Hic adhuc addendum quod, quo *longior* eſt *calor*, eo difficilius atque *parcius*, inprimis mox primo aut ſecundo paroxyſmo, ſuccedat *ſudor*. Præcipue, quando patiens, eo maxime tempore non exquiſitiſſime *tranquillum* ſeſe gerit, & inprimis ſub exitum æſtus, a *refrigerationibus* ſenſibilioribus atque *jectigationibus* intemperantibus, ſibi temperat.

Neque vero ſilentio nudo prætererire decet illam inprimis circumſtantiam, quod hic etiam *æſtus* ſub omnibus his conditionibus, ita maxime eveniat iis quoque patientibus, qui velut e media *intemerata ſanitate* in affectum hunc devoluti ſunt, & in quorum ſanguine nulla merito ſuſpecta ſit mala diathesis. Imo, quo magis athletici habitus compos videatur tale ſubjectum, tanto certius imo fortius hæc ipſi evenire, familiare eſt.

Non libet jam quæſtiones formare, unde tanti tumultus non ſolum in *ſanguine*, ſed inprimis in *motu* ejus? quæ *materia* ſanguinem ita exagitet? aut *cor* ad tam impetuoſos tumultus *exſtimulet*? aut quocunque tandem intuitu hæc poſſint fieri? ſed videtur potius conſiderandum eſſe, cur hæc *non poſſint*, aut certe *vix*, & omnino *incommodius*, poſſent *non fieri*?

Quando ſanguis è toto reliquo corpore ita ad interiora coacervatus, ibidem etiam tamdiu detinetur, motu ſuo progreſſivo alacri, qui conſervandæ *fluiditatis* ejus primarium eſt organon, deſtitutus, fieri non poteſt, quin conſiſtentia ejus *denſetur* atque *ſpiſſeſcat*. Ad hanc debitæ ſuæ *tenuitati* reſtituendum, nulla eſt alia via, niſi ut iterum vegete *per poroſam* corporis *peripheriam* tranſpellendo, hoc ipſo actu illam iterum aſſequatur.

Tanto magis autem hoc; cum hæc ſit etiam methodus *ordinaria*, qua indeſinenter ipſi hæc ſua neceſſaria fluida conſtitutio, perpetuo actu præſtetur. At vero ipſa quidem hæc operatio, ſanguinis, inquam, tantiſper *ſpiſſius denſati*, reſtitutio in debitam ſuam *tenuitatem*, uti per ſe non ſimul & ſemel, uno ſimplici circuitu, æque abſolute ac exquiſite abſolvitur, ſed etiam veriſimiliter plures poſtulat & expectat; ita non tam præcipitis tranſitus, & breviſſimi temporis etiam eſſe poteſt: inprimis ubi vel eximie major ſanguinis quantitas adeſt; vel etiam jam ante, in ſtatu talis individui etiam tolerabiliter ſano, ſanguis aliqua denſitate jam affectus fuit.

Sicut itaque certiſſimum eſt, quod ſanguis tamdiu coacervatus *ſpiſſeſcat*; à ſpiſſitudine hac in debitam ſuam *fluxilitatem* tenuem reſtitui debeat;

debeat; hujus rei medium, corpori ordinarium, ſit motus atque *tranſitus localis* per poroſas partes peripheriæ corporis: & quidem non unus ac alter ſimpliciter, ſed numeroſior atque ſæpius repetitus. Ita ejuſdem certitudinis & evidentiæ eſt, quod hoc *non poſſit non* ita fieri, in his paroxyſmis, ubi ipſi hæc omnia ita eveniunt.

Sicut autem ruſticis etiam abunde notum eſt, non ſolum quod ſanguis *citatiore motu* per partes haſce poroſas incaleſcere poſſit; ſed potius *non poſſit non* incaleſcere; quod è *curſu*, *laboribus* corporis, *agitationibus* artuum, perſpectiſſimum habent; ita non poteſt ſolum in hoc noſtro caſu eadem ratione fieri, ſed omnino potius *non poteſt non* fieri.

His autem ita conſtitutis, de reliquis concurrentibus circumſtantiis allegatis, ſupervacuum eſſet, quidquam amplius adjicere.

Apage vero illas ſophias, quæ in dubium vocant, *an in febribus earumque æſtu ſanguis citatius progrediatur*, & non potius nimio *ſegnius*, quam extra febrim: aut illos Agricopirrhonios, qui etiam diſceptant, imo vel negant, num febre affecti, quo tempore calorem febrilem ſuſtinent, *revera caleant plus quam extra febres*, & non *potius minus*. Inſanabilia ſunt talia.

Aliud autem dubium ſupereſt non levis ponderis: cur *tam valde* diu continuetur hic vehementior impulſus ſanguinis, *in ſtatu* quantumcunque ſenſibiliter, tanto magis autem eximie *plethorico?* Certe vero ex vagis opinionibus atque fugitivis ſuppoſitionibus, hoc illud, pro coloranda hac re arripere, perpetuo à nobis aberit. *Opinionum commenta delet dies, naturæ judicia confirmat*, ait recte Seneca.

Quid notius eſſe debet, ex vera phyſiologia, quam quod ſanguis, per illum ſui *motum inteſtinum*, qui *progreſſivo* & ordinarie ſuſtentatur, & hujus augmento, aut decremento, intenditur aut imminuitur, ſenſim *reſolvatur in ſerum* excrementitium, adeoque in *quantitate imminuatur*.

Jam ubi adeſt ſanguinis *ſuperflua* quantitas, quæ non ſolum alias corpori oneroſa eſt, & motus corporis moleſtiores reddit, inprimis per *turgefactionem*, & ingentem *concalefactionem* ſanguinis; qui ſub hujuſmodi ſuſceptis motibus immediate exſurgunt; ſed quam maxime hic in ipſo tali ſtatu *paroxyſmi* febrilis, omnia moleſtiora reddendo, & inprimis in ipſo neceſſariæ *reſolutionis ſanguinis* actu; quis dubitet, hic maxime occaſionem eſſe, hanc abundantiæ hujus moleſtiam & acrius *ſentiendi*, & *impatientius ferendi*: eoque magis, ſi quæ ſuppetat via qua huic moleſtæ abundantiæ detrahi poſſit illam hoc maxime tempore tentandi, imo perſequendi? Quæ vero brevior eſſe poſſet via, quam in eo, quod etiam aliunde nunc neceſſarium eſt, *progredi*, nempe augmentum motus ſanguinis *progreſſivi*, non ſolum ad ſanguinis *attenuationem* debitam proſequi, ſed etiam uſque ad aliquam multæ portionis ejus extenuationem ſeu *reſolutionem in ſerum*, perſequi & continuare. Ego certe non

ſolum

ſolum non video conſilium ſanæ rationi ſimplicius conſonum, ſed omnino potius quidlibet aliud ab illa longius diſtare arbitror.

Quod autem non prius, quam hæc partim magis *proprie*, partim pro re nata ſatis *proxime*, *neceſſaria*, ita abſoluta ſunt, *ſudoris* excretio permittatur, certe defectui *admiſſionis* humorum uſque ad ſuperficiem corporis, imputari non poteſt; cum hæc non ſolum *infarctu* turgido, ſed inprimis etiam altiſſime elucente *colore*, præſentiam *admiſſionis* affatim teſtetur. Unde præcipua potius *emiſſionis* eſt culpa: nempe extimorum per cuticulam meatuum atque pororum *ſtrictura*, quæ ubi tandem *remittitur*, patet tenuiſſimæ humiditati exitus.

Unde vero hæc *contrahatur*, ſive *cur*, (immediate phyſice ſive corporaliter Τὸ cur intelligendo,) dicant qui volunt; de quo poſt, ubi de *paroxyſmo*. Nos nihil tale dicimus; bene vero illud, *cur non prius* remitti debeat talis ſtrictura? imo cur fieri debeat, & ſervari? *propter* ſcopum, *phyſicum* tamen (non *moralem*, ſed certe *moraliter*, quod ſcholæ docuiſſe debent.)

His ita peractis, *ceſſat* paroxyſmus, utpote qui hic nihil aliud eſt, quam *apparatus motuum humorum & totius maſſæ ſanguineæ localium*, *pro materia in ventriculo & primis viis hærente*, *nihil*, *aut male concocta*, *inprimis autem tenaci viſcoſæ lenteſcentiæ vel proxima vel idonea*, *ad promptam excretionem per vomitum aut alvum exturbanda*; deinde vero *maſſa humorum inprimis debitæ ſuæ tenuitati reſtituenda*, *& ex aliqua quoque parte reſolvenda*, *adeoque imminuenda*.

CAPUT V.

Pathologia paroxyſmorum plurium in ſpecie.

SAne vero negotium *febrium*, *in genere*, inſuperabiles difficultates hactenus habuit, quas ulla una hypotheſis, vel leviſſima veriſimilitudine ſubigere aut edomare potuit; palpitantibus in his miſeriis *ſpeculatoribus*, novus objicitur labor, præ quo illum alterum luſum dixeris: certe *Herculeus* eſt, *Hydra*, *Paroxyſmi*.

- - - *Lernæam ferro & face deſtruit Hydram*;

canit poëta de *Hercule*. *Face* certe opus eſt; ſiquidem non ſolum hic *tenebræ* ſunt, ſed unde aliquod lumen expectares, etiam offuſæ, imo ſpiſſæ; *ferrum* neceſſarium eſſet, ad detruncanda portenta, non quidem tot *capitum*, quod abſit, ſed ſane tot *opinionum*, *quot capita*. Sed nos cum hac *Hydra* non pugnabimus, ſed fabulam illis relinquemus, qui fabulas amant.

Illos vero qui non fabulas, nec abſtractos conceptus, ſed *reales* me-

re

re *corporales*, imo *ſenſibus deprehendendos*, in poteſtate habere profitentur, libentiſſime audiremus in hac materia; certe enim hic haberent, quo perſpicuitates ſuas toti mundo teſtatas faciant, ſi diſerte hæc enodare ſuſciperent.

Si *nauſea*, *conatus vomendi*, *vomitus* ipſe, non fiunt ut *propter finem*, *ſed fiunt directe a materia*, quæ nullum aliud agens, afficiat, ſed *ventriculum*, *fibras ventriculi*, aut (quoniam hæ certe *extremæ* ſunt) *membranas* ventriculi, vel potius *nervos* in ventriculo, imo *fluidum* quod eſt in nervis, non (*proprie & nude corporaliter*) impellendo, premendo, tundendo, tendendo, expandendo, ſed (ut terminus ſit, ut illi volunt, *phyſicum* & *corporale* quid, ſine ambiguitate, velut ipſis ſenſibus ſiſtens) *irritando*: ſed hoc omnino, iterum *phyſice*, & *corporaliter*, commoveat; ut *ſe*, *ſe* inquam, *contrahat*, (*quis* autem? nam ſemper manet ante allata illa *perſonarum in hac ſcena* intricatio) & ita fiat *vomitus*; & quidem illius materiæ, quæ hoc ſibi ipſi, uti turdus exitium; & ſi hæc materia hos actus facit *materiali* ſuo *jure*, *corporeo contactu*, *actu*, & *effectu*, *quid tunc ſunt*, & *ubi ſunt*, *paroxyſmi?*

Certe *materia* hæc in ventriculo fuit *ante paroxyſmum*. Nec tamen *commovit* paroxyſmum; commovet paroxyſmum, imo *vomitum*; ſed qui *non evomat*. Ergo *manet materia* in ventriculo. Quid vero mox *ceſſat? meliorne* facta eſt? aut amiſit *vires* ventriculum ſtimulandi? aut *ventriculus*, vel quicquid tandem illud eſt, quod *irritabatur*, diſperiit? aut plus ne virium ad *continuandum vomendi conatum* requiritur, quam ad ſuſcipiendum fortiſſimum illum motum ſanguinis *ad æſtum?* Ubi eſt illa materia, ubi eſt ejus energia, ubi reciproca harum rerum *corporea* efficacia, per horas forte 36. imo amplius? unde illam efficaciam recuperat, ut iterum priſtinum luſum ludat? quomodo vero ad *menſuram temporis exquiſite* eandem? & quidem ſubinde magis magiſque *augeſcente* impetu? quæ eſt *corporea* cauſa, cur etiam hoc paroxyſmo *iterum* ita ceſſet? Revertatur autem *tertio*. Imo facta, jam ſimultanea jam ſucceſſiva per aliquot paroxyſmos, *excretione*, tamen nihilominus paroxyſmi ulteriores veniant, non ſolum cum univerſo reliquo apparatu, ſed etiam iterum, *vomendi conatu*. Ubi ſunt hic v. g. in allatis & mille talibus exemplis, de *braſſica criſpa* ingurgitata, *de acinis uvarum* indigeſtis, qualitates illæ *corporales* ventriculum ad vomitum *irritandi*, aut ad diarrhæam? Quomodo tam diu *ceſſarunt?* &c. modo nemo hic dicat: *Deum hæc ita voluiſſe*; nam ego certus ſum *Deum nec voluiſſe neque velle*, *quæ vera non ſunt.*

At nos miſſis hiſce inextricabilibus, potius poſitive rem ipſam intuebimur, & rationes perveſtigare aggrediemur. Tertianæ paroxyſmus, *ſimplicis* atque legitimæ, ordinarie primo ſtatim die quo incipit, occupat *horas antemeridianas*, ab *octava* vel *nona* ad meridiem uſque. Diximus ſuperius, *horas jentaculi*, *ad prandium*. Qui *jentare* conſueverunt, quan-

 do

do *tertianam* incurrunt, horis illis ipſis *octava*, *nona*, paroxyſmo familiarius corripiuntur: qui nihil hujus conſueverunt, proprius ad *meridiem*, *à decima ad duodecimam*, paroxyſmum experiuntur.

Quam maxime etiam notabile eſt, quod illi, qui jam *ſeneſcente* paroxyſmorum *impetu*, aliquid verſus paroxyſmum aſſumunt, & eo *citius* illum iterum incurrant, & eo *gravius*: & plerumque quidem cum ſubſequente *conatu* imo non raro eventu, *vomitus*. Qui vero adhuc vegetioribus paroxyſmorum inſultibus laborant, illis ad maturius provocandum paroxyſmum, communiſſime ſufficit etiam *nuda nauſea*, per importunam *mentionem*, nedum *oblationem*, *conſpectum*, aut *odorem* ciborum, cito cooriens.

Neque vero tum a veritate, tum a conſideratione alienior ex illa obſervatio, quod meridiei exquiſito tempori, in homine ſano, *appetitus* ita aſſueſcere ſoleat, ut etiam ſine omni horologio, ſponte illam horam determinet *acrior* appetitus; unde vulgi hominum locutio: *ſie haben die Uhre bey ſich im Magen &c.* Neque hoc ſolum, ſed non minus vulgo nota eſt par omnino *aſſuetudo appetendi jentaculum*, nempe deſiderio quodam ciborum illis horis flagrandi.

Quemadmodum autem appetitus & nauſea, circa *commune* ſubjectum verſantur, nempe *eſculenta* in ventriculum aſſumenda; ita ſimplici rationi nihil planius eſſe videtur, quam eo tempore, quo *aſſumptioni* ciborum aſſuetus eſt homo, eorum cum *appetitu recordari*, ſi omnia recte habeant; cum *nauſea* vero, ſi illorum aſſumptio vel *concoctioni* minus idoneum locum, vel plane *corruptioni* alicui prædiſpoſitum.

Quod autem magis verſus *prandii* quam *cœnæ* conſuetas horas hoc ita eveniat, ſatis notum eſt, quod *cœna* propemodum *acceſſio* ſolum quædam ſit *prandii*; aut certe, ſi qualitercunque *toleratum* eſt prandium, cœna quoque vel uti reliquiis ultimis obrepens, vix novam aliquam *intolerantiam* directe provocare poſſit aut debeat. Quando vero non ſolum per totam noctem, ſed iterum prope ad meridiem, *novo* revera de integro *labori* concoquendi, ſe ſubmittere debet natura, tunc quidem quam maxime minus mirum eſt, de integro, & velut è mediis tranquillis rebus, iterum in ſolidum cooriri atque ſentiri, quicquid veræ atque realis difficultatis in hoc negotio obtingere poteſt; adeoque ſi quod ejus rei ſubeundæ juſtum ſit faſtidium, illius utique emicationem manifeſtiorem, tali præcipue temporis periodo æquius monſtrari, eique tantiſper indulgeri.

Aſt vero cur hoc non ſingulis, ſed alternis ſolum diebus ita fiat, ullam immediatam indubiam rationem afferre minime in nos ſuſcipimus; ſed etiam omnes alios vel adhuc longius ab hac ſpe abeſſe, ſatis certo ſcimus. Interim *generaliorem* & reddere poſſumus, & nullam aliam ſpecialiorem etiam ſubeſſe, ſatis pro certo habemus, quam illam, quod hæc ſpecies *materialis* cauſæ, minoris omnino *præſentanei periculi otioſius*

etiam

etiam tractetur, neque illi propterea jugiter, ſed *per vices*, aliquid laboris impendatur. At vero per *ſtatas* vices tanto magis, quanto magis *menſurarum atque proportionum*, & inprimis *æſtimationum*, compos eſt illud principium, quod hos motus non ſolum *inſtituit*, ſed ſcite etiam *inſtruit* atque *dirigit*.

Quod autem etiam omnes *typi febriles*, inprimis *æſtimationi*, nempe dignitati *partium*, *actionum*, *periclitationum* eventuum, apprimè proportione reſpondeant, ex ſingulorum prudente conſideratione ſecundum veras haſce circumſtantias, ſimplicisſimæ penſitationi, diſpaleſcit.

Tanto magis autem frequentioribus *repetitionibus* talis *menſuræ* temporis iterum *adſueſcit*, *adſueſcit*, inquam natura, ut ita ſingulos deinceps paribus horis repetat; adeò quidem, ut etiam *brevisſimos*, imo tandem vix niſi leviter *attactos*, tamen *in easdem horas* reverti animadvertamus.

Ubi quidem juſtisſimus eſt metus, aures non plane ſtupidas offendendi, prolatione iſtarum, & plane pro luculentiſſimis extruſarum nugarum, quomodo hæc planè ſtata ſucceſſio periodica paroxyſmorum, à *plane materiali* ratione atque proportione cauſæ corporeæ pendeat, dum nempe ab unius paroxyſmi fine, uſque ad alterius initium, *exquiſite eadem menſura materiæ* regeneretur, & tunc, ſicut olla ferventis aquæ præ nimia plenitudine exundans, iterum in paroxyiſmum erumpat. Nempè ita, plane *materiali neceſſitate*, *abſolutè omnia & ſingula* præcedentis paroxyſmi, & reliqua ſymptomata, & *durationis* etiam ambitum, *neceſſario* iterum exhibiturum; & hoc *neceſſario* etiam *in infinitum*. Abſint hæc à nobis. *Intermittentium* certè paroxyſmos, eorumque ita *ſtatas penitus* reverſiones, magis nudè *conſuetudini* movendi deberi, quam ulli *materiæ*, *directo*, & ut vulgo ajunt, *mechanico*, impulſui, confirmare etiam poſſunt illa phænomena, quod vel *poſt integrum annum* recrudeſcant, & *ſtato* illo quidem tempore, quo ante annum præſtò fuerant.

Cæterum illud, quod in *tertianâ* cum aliis etiam *omnibus* atque ſingulis febribus *commune* evenire obſervatur, eſt utique per hactenus dicta (1) *materia*, *vitalis partis aut actionis*, *corruptioni* & *cohibitioni* imminens; (2) adeoque juſta atque neceſſaria *intentio*, hujuſmodi periculum averruncandi; (3) hujus executio *per motus ſecretorios*, ad *locum* affectum & *ſcopum* debitum rectè collineantes; (4) & his non *tumultuarie* intercurrentes, nedum revertentes, ſed *ordinatè* atque *tempeſtivè* ſuccenturiatos, etiam motus *excretorios*; iterum omni modò *convenientes*; (5) hoc ipſum autem *periodis* non ſolum *ſtatis* in genere; (6) ſed etiam peculiari quadam *menſura* comprehenſis. (7) cujus quidem *generalis dimenſio*, (uti hic *otioſioris* intermiſſionis, eſt circa *edendi* tempora reverſionis,) non deſtituatur *generali ratione* (8) *ſpecialiſſima* verò, ut exquiſitè *tertianarii* paroxyſmi, & alibi *ſeptenaria* perio-

dus, abſolutè ratiocinationem ſubterfugiat; (9) inprimis cum apud quoslibet *ætates*, corporis *moles*, materiæ *quantitates*, imò *qualitates*, hæc perpetuò ſint eadem, (10) quod hæc uti *rectè & ordine ad ſcopum* expugnandæ, & expurgandæ noxæ procedunt, ita etiam illo rectè potiantur; (11) niſi *impedimenta accidentalia* obſtent; (12) quibus abſentibus, *ſemper rectè* procedit atque cedit actio tota; (13) inter impedimenta verò dicta plurimum poſſunt, etiam à priori, *animi pathemata*. (14) *Omnibus* autem *rectè conſtitutis*, *febris qualibet*, etiam *ſine ullo partis adminiculo*, *ſalutariter* exit.

CAPUT IV.

De Curatione Tertianæ Febris.

SI medicus vere *magiſter* eſſet, & non *miniſter* naturæ humanæ, nimio plus utique noſſe, imo poſſe deberet, quam in rei veritate ſit. Neceſſe hinc omnino nimio magis eſt, ut potiùs *ſubſerviat*, quam *imperet*, naturæ, ejusque *motibus* atque operandi *modis*; quod quidem in *febribus*, ſubinde etiam *abſolute*, neceſſarium eſt; inprimis autem in *malignis*, & quidem tanto magis, quo magis illæ ſunt tales.

Egit de hac re D. D. Præſes brevibus, ſed ſatis puto nervoſe, in præfat. *problem.* ad *febrium hiſtoriam pertinentium* aſſeverans, quod *nullum detur remedium* aut *artificium*, *quo ulla febris ſolide*, *nihil ambigue*, *& ex ipſo fundamento*, *curetur*, *ni per illos modos atque motus*, *qui ſpontaneæ febrium indoli familiares ſunt.* Unde quidem, licet minimè *omnem* efficaciam v. g. *Alexipharmacorum*, *abſolute* neget; illud tamen conſtantiſſimum eſſe aſſeverat, quod tantum abſit, ut hæc remedia, nudô aliquo ſuo atque *directo*, ſolum *alterante* effectu, noxam illam deſtruant, & materiam lædentem ſubigant potius, quam ſolum *excretionem* illius facilitent & promoveant, ut, ſi tali intentione exhibeantur, [nempe nudo *alterandi*; & venenatam, ut vocant, materiam *ſubigendi*, non vero ad *evacuationem diſponendi* aut *promovendi* ſcopo) poſitive *noceant*. Quod de *alexipharmacis* ſine ordine ad *ſudationem* decenter moderatam exhibitis, optandum ſane foret, ut tantundem obſervatum atque notum eſſet, quam certum atque nocuum eſt.

Ex omnibus autem *febribus duæ* cumprimis ſunt, quarum *fomes* ſeu cauſa *materialis* paulo magis immediatam adhuc *correctionem* admittere poteſt; propterea maxime, quod eo *loco* præſto ſit, ubi magis immediatæ activitati ejusdem, per medicamentorum magis immediatam *materialem* ἐνεογείαν, & quidem adhuc *intemeratam*, præſentius conſuli, & inverti poſſit hæc illorum noxia indoles. Sunt hæ *duæ* febres, (1)

cho-

cholerica; modo ſatis cito vel ipſa ſeſe exerat, vel medicus maxime mature *cauſodea* initia, ab alia qualibet indole dignoſcere ſciverit; & (2) *tertiana*.

Sicut autem in utraque harum, quam rariſſime contingit, ut *jam conceptæ* febri, etiam his artificiis revera abſolute ita ſatisfiat, ut nuda *correctio*, ſine omni febrili *evacuationis* concurſu aut imitatione, in effectum deducatur; ita manet ad minimum conſtans hæc non magis aſſertio, quam vera prorſus indicatio, quod ad *excretiones* quovis modo directa manere debeat intentio: &, ſi nihil aliud, certe in ſubſidium, eidem locus relinqui, imo ſubinde præberi.

Valet hoc proinde quam maxime etiam in febris *tertianæ therapia*, ut illa tota dirigatur ad *ſublevandos* atque *facilitandos* naturæ ſcopos; vel ſi ita videtur, etiam *imitandos*. Unde nempe rectiſſime fit, & abſolvitur ita hujus febris curatio, *certiſſime*, *citiſſime*, *conſtantisſime*, ſi primo *ſaburra* quæ ventriculum & primas vias obſident, vel ad *excretionem* faciliorem diſponatur vel *tempeſtivo* etiam inſuper ad excernendum *ſtimulo* concitetur.

Sicut autem merito inconſultum videri atque judicari poterit, quælibet adminicula negotiis ſuis recte perpetrandis idonea, aſpernari, & nihil niſi ſuæ propriæ intentioni præfracta pertinacia inſiſtere; ita tanto minus hoc locum habere poteſt in febrium negotio, & ipſius etiam noſtræ tractationis, *tertianæ*. Cum enim ipſi *paroxyſmi*, ad hoſce ſcopos directe tendant, quos medicum *ſequi*, *imitari*, *promovere* debere, diximus; alieniſſimum certe fuerit, ab illis animum avertere, & illos quidem deſerere, ſibi vero ſeorſim & particulariter novum quiddam ſumere; adeoque ſi nihil aliud patientem inter paroxyſmorum *inſultus*, & medici *tentamina* dividere; è quibus ſi *poſteriora* minus commode cedant, facile etiam *prioribus* præjudicium inde contingat.

Optima itaque *tertianam* etiam tractandi methodus eſt, quam in allegatis *problematibus* laudavit D. D. Præſes; *medicatio in paroxyſmos*, *& in paroxyſmis*; nempe *verſus* paroxyſmos, & *in* iiſdem. *Modus* optimus, *materiæ* ita occurrere atque ſuccurrere, ut *excretioni* obſequens, tanto facilius inde eiiciatur. Sive ſurſum illud fiat per *vomitum*, ſive per *diarrhœam*, imo vel *ſpontaneum* placidum alvi ſucceſſum.

Hoc ſi ita recte peragitur, ſuccedit non ſolum paroxyſmus, *tranquille* admodum atque *commode*, quin etiam *leviter* atque brevius; Sed ſi *alteri* ingruenti iterum eadem ratione occurratur, quin hoc idem *tertio* etiam repetatur, *decreſcunt non* ſolum hi magis magisque, impetu æque ac duratione, ſed *ceſſant* etiam tanto citius in univerſum. Et hoc quidem eo certius, quo magis *tempeſtive*, primo ſtatim aut ſecundo paroxyſmo, ita ſubventum fuit, & quidem eo ſucceſſu, ut natura vel *ſponte*, vel artis ſubſidia ſequens, *excretiones* decentes, perpetravit.

 Quan-

Quando vero paroxyſmus etiam *æſtus* ſucceſſit, ſubſerviendum & huic eſt, tum ſufficiente *dilutione*, tum *quietiore*, ad minimum certe non impatiente, *continentia*; ſub *exitum* autem æſtus, vel ſolo *regimine*, vel *Medicamentis* etiam prudenter atque *moderate* ſuppeditatis, eo dirigenda eſt natura, ut etiam ventilatio per *ſudorem proportionatum*, exitum inveniat; qui nempe reſpondeat magnitudini æſtus prægreſſi.

Intermedio die eo reſpiciendum eſt, ne natura, ſive *aſſumendo*, ſive *retinendo* oneretur, quod duplici modo fit. Primo: quando plus quam convenit, aſſumitur; ſecundo: quando etiam conſuetæ debitæ *excretiones* non decenter peraguntur. Priori inſervit intemperantia in edendo & bibendo; nimium, diſpepta, frigida, &c. Poſteriori modo incommodæ ſunt *alvi adſtrictiones*, & improvidæ imo temerariæ corporis *refrigerationes*, inprimis autem tranſitus *è calore in frigus*.

Medicamenta huc facienta, ſunt. (1) *Digeſtiva*, inter quæ *tartarus vitriolatus*, *amarus*, *arcanum duplicatum purum*, *nitrum*, cum abſorbentibus *oſtraceis*, & *antimonio diaphoretico*, egregium habent uſum, & omnibus aliis artificiis facile parem; modo *moderatis*, proportionatis, doſibus. In *antiquiore* jam atque ſegniore conatu, ſincerum *piper*, *zingiber*, *radix ari*. Ubi etiam *amara*, inprimis *abſinthium*, *centaurium*, *radix gentianæ*, obfirmatis & jam lenteſcentibus, conferunt.

Vomitoria nota ſunt, ſed raro *neceſſaria*. Si quis *intermedio* die talia dare voluerit, in *robuſtioribus* inprimis erit integrum, rariſſime tamen *neceſſarium*.

Sub finem *æſtus*, temperatæ eſſentiæ *Alexipharmacæ*, *exigua* doſis proderit; major non æque; neutra vero *neceſſaria* erit; imo ne quidem *utilis*, niſi ſimul admodum quietum *regimen* ſervetur; imo vero *ſine hoc* magis *noxia*, certiſſime incommoda & moleſta. Sit tamen regimen non tam calorem affectans, quam *quietem* conſervans. Cavendo etiam, ne mox inde patiens iterum *ſurgat* & libere circumeat, nedum *frigore* abutatur.

Cortice Jeſuitico non ſolum *opus* non eſt, ſed revera vix ipſi *uſus* eſt, niſi ultimo caſu, quando *motus* febrilis *nudus* atque ſolus, conſumta jamdudum *materia* proportionata, tandem cohibendus venit. Quo tempore tamen, ſicut univerſa reliqua efficacia, huic cortici non ſolum gemina penitus præſtat, ſed longe minore impetu cohibendi, adeoque omnimoda ſecuritate, manifeſto antecellit, *Crocus* ille *Martialis antimoniatus* ſelectus, quem D. D. Præſes deſcripſit *Menſe Januario* 1698. Quid etiam hic præſtiturus ſit *Mars per alcali fixum ſolutus*, experientiæ commendamus. *Pillulæ Wildeganſii* veræ nempe *opium*, vel per ſe prius correctum, vel cum corrigentibus bonis exhibitum, & quidem veſpera paroxyſmum præcedente exhibendæ, NB. *ablata materia*, ad *motum* tantum aſſuetum cohibendum, pariter valent; ſicut etiam *Pillulæ Matthæi*

ſeu

ſeu *Starckey*; quamvis hæ non raro, inprimis ubi adhuc materia reſtitat, ſequente mane *vomitum*, aliquando *diarrhæam* poſt ſe trahant.

Nos cum hoc loco ſermonem habeamus de febre tertiana *ſimplici & legitima*, aſſeveramus, quod hiſce rebus ipſi nihil opus ſit, ſed unice illis, quæ ante nominavimus: imo vero *methodo*, quæ horum omnium velut anima eſt.

Suppreſſio vero febrium quocunque tandem ſtatu *materiæ* adhuc *indigeſtæ*, reſiduæ, retinendæ, pure *temeraria* eſt, & ſciens talium adminiſtratio a bonis viris aliena.

Omnia vero *ſpecifica*, quæ dictis ſcopis non primario ſatisfaciunt, falſa ſunt & irrita.

Conchæ fluviatiles, imo rivulorum, *uſtæ*, & aſſervatæ, largioribus doſibus, *robuſtioribus* individuis, at nonniſi penitus in initio, aut poſt aliquot iterum paroxyſmos, faciunt haud raro operæ pretium; ſed manifeſta *calcaria* reſolvente ſua efficacia.

Sufficere hæc poſſunt, pro medica conſideratione *hiſtoriæ*, *pathologiæ*, *therapiæ*, imo *materiæ medicæ*, febrium *tertianarum* veræ indoli quadrantis. Deo vero ter optimo maximo, pro præſtito beneficio & gratia ſua, in hoc etiam cœpto exequendo, gratias perſolvimus immortales.

J. GODOF.

CLII.

J. GOTHOFRED. BERGER

ET

HENRICI DAVID STIELER

DE CHINCHINA

AB INIQUIS JUDICIIS VINDICATA.

Witteb. 1711.

I.

MErito divina vocatur medendi ſcientia, atque ad ipſum auctorem Deum refertur. Namque is, uti eſt benignus & providus in genus noſtrum univerſum, e terra herbas procreavit, & alia remediorum genera condidit, ſuis quæque viribus prædita, quorum uſu, & crebra effectorum atque eventuum obſervatione, orta eſt hæc ſalutaris profeſſio, ſubinde aliorum ſalute, aliorum interitu, perniciofa diſcernens a ſalutaribus. Quam ideo nusquam non eſſe, vere *Celſus l. de re med.* ſcripſit, in *præfat.* Siquidem etiam imperitiſſimæ gentes herbas, aliaque prompta in auxilium vulnerum morborumque noverint. Quod enim ille apud *Plutarchum* teſtatur, in *dialogo de brutorum ratione*, fama acceptum, velle aegyptios omnes inde uſque ab initio medicos audire: idem de gentibus aliis, minus quidem cultis & moratis, apud alios, ac ſpeciatim de indiarum incolis, genere hominum indocto & agreſti, apud *Gul. Piſonem*, *lib.* II. *de indiæ utriusque re natur. & med.* in *introduct.* relatum legimus: eos paſſim omnes medicinam facere, & morborum notitiam ex ſymptomatibus venari, ac neglectis cauſis occultis & abditis, communi quadam animi notione eruere indicationes ex morbis, iisque ſatisfacere contrarium remedium opponendo, & hos quidem per manus ſibi traditis medendi præceptis, atque remediis, tantum in arte profeciſſe, ut etiam eos, de quorum ſalute deſperarint europæi, iique docti, medici, & chirurgi, cum horum admiratione brevi feliciter ſanarint.

II.

AC utinam hac ſimplici via omni ævo ad hæc uſque tempora medici proceſſiſſent, &, ſpretis rerum naturalium, quæ vocant, principiis, cauſiſque phyſicis, ac hypotheſibus aliis, utpote dubiis, & incertis, certa tantum, & explorata, cauſas puta morborum evidentes, & evenientia in his phænomena, atque effectus, & vires remediorum, eventuumque varietates, diligenter notaſſent. Sic enim illa ſaluberrima diſciplina, uti ab omni philoſophorum ſecta ſecreta: ita, omni libera opprobrio vanarum opinionum, poſt obſervationem tam diuturnam, in hac præſertim anatomes luce, quæ perſpicue docet, a circulo ſanguinis vitam pendere, ab illo perfectionis faſtigio nunc paulo abeſſet propius, quo eam vel chymiæ, vel philoſophiæ experimentalis atque mechanicæ adjumento, perductam eſſe, multi fruſtra gloriantur. Sed poſteaquam medici, ſeptis revulſis, altius quædam agitare conati, rerum quoque naturæ ſibi cognitionem vendicaverunt, tanquam ſine ea trunca

& debilis medicina eſſet, ab illa recta via deſcivere, & phyſicorum chymicorumque ſequuti ſententias, multa, eaque contraria, opinionum commenta in illam introduxerunt, atque in varias diviſi ſectas, ita ſuis quisque hypotheſibus indulſere, ut non tam de morbis, recte cognoſcendis, & curandis, quam de reddendis illorum ex ſuis principiis rationibus, iiſque ad hæc ſomnia reducendis, atque ad eadem accommodanda medendi ratione, cogitarint. Quo fieri omnino debuit, ut, in varios delapſi errores, id demum, ubi medicina opus eſt, adeptos ſe ſentiant, ut verba ſuperſint, deſit medendi ſcientia. Ecquid enim nos aliud conſequutos putemus, vel ex atomorum Democriti, & Epicuri, figura motuque variarum, & huc illuc, ſuſque deque, caſu & temere concurſantium, glomere, atque ex omni, quam cum Gaſſendo multi ſuam fecerunt, philoſophia corpuſculari, vel ex materia, forma & quatuor elementis peripateticorum, vel ex materia ſubtili Carteſii, & ignotis tenuiſſimarum particularum motus legibus & figuris, vel ex ſale, ſulphure & mercurio chymicorum, acidi item & alcali pugnis, vel ex calidi innati, & humidi radicalis, igniſque vitalis, tot porro facultatum, ſpirituum, archæorum, fermentorumque, ac ejus farinæ fabulis aliis? quam ut hujuſmodi medicinæ æque ac philoſophiæ illius variæ levitas & inconſtantia appareat. Quæ ſi minus in philoſophia reipublicæ obeſt: tamen in medicina cædes & funera parare poteſt. Cum enim de primis rerum principiis, & hypotheſibus ejuſmodi aliis, quibus ad explicandas vitæ, & ſanitatis, morborumque, ac remediorum, cauſas vulgo uti ſolent, neque inter ſapientiæ profeſſores, neque inter medicos conveniat, quid certius eſt, quam quod illa omnia incerta ſint & dubia, atque ipſa adeo medicina, quæ ejuſmodi principiis ſuperſtruitur, incerta & dubia eſſe debeat?

III.

At vero nihil hæc omnia ad medicinam pertinere, eo quoque diſcitur, quod, uti jam pridem I. c. *Celſus* animadvertit, tam hi, qui talia ſtatuerint, quam illi, qui diverſa de iſtis ſenſerint, ac etiamnum ſentiant, ad eandem tamen ſanitatem remediis uſu exploratis homines perduxerint olim, hodieque perducant. Ex quo cuivis eſt perſpicuum, cauſarum huiuſmodi, quæ a conjecturis hominum pendent, & diſputatione huc illuc trahuntur, inveſtigationem in medicina ſupervacaneam, ac inutilem, nec raro damnoſam eſſe, atque ad eam artem non magis conferre, quam morborum & remediorum, quæ non ex hypotheſibus, ſed uſu diſcitur, cognitionem. Siquidem toto die experimur, morbos, febres v. c. intermittentes, tam ab his curari, qui hæc aliave agnoſcunt principia rerum, quam ab illis, qui illorum omnium ſunt ignari, aut ea cuncta pro ineptiis habent, & rident. Eandem eſſe rationem aliarum hypotheſium, earundem exemplo febrium patet. Has enim ſanari conſtat

conſtat non minus ab iis; qui febres iſtas oriri volunt ab humoribus putridis, per intervalla cor affligentibus, quam ab illis, qui eas vel a pituita, vel a bile, vel a ſucco pancreatico, aut fermento quodam acido, vel a ſanguinis fermentatione atque effervefcentia p. n. vel a ſpiritu quodam vitali, aut animali, accenſo, archæove iraſcente & furioſo, cauſiſque aliis; nullo nexu cum ſuperioribus colligatis, proficiſci contendunt. Qua quidem ratione fieri videas, idem genus remedii, quod illis in febribus prodeſſe uſus docuit, huic putridos abigere humores, illi pituitam, iſti bilem, alteri humorem acidum corrigere porro quibuſdam fermentationem atque effervefcentiam ſanguinis ſiſtere, nonnullis impetum tumultumque ſpirituum ſedare, vel iratum placare archæum, aliis alia; & quibuſvis quævis facere, eoque ridiculas reddi hypotheſes & ſectas medicorum, atque; detracta hac larva; apparere demum, quantum inani hoc hypotheſium amore, & intermiſſo obſervandi ſtudio; tot retro ſeculis damni paſſa ſit medicina, eamque, ſibi relictam, ſive nudam & ſimplicem, nullique implicitam ſectæ, ſed, quod principio dixi, cauſarum ſaltem evidentium, & virium morborum, remediorumque, obſervatione, ſive experientia, fultam & innixam, ſalutarem demum & optimam eſſe. Nam quod de febribus dictum eſt, idem de morbis valere aliis, neminem intelligentium latere poteſt.

IV.

Quæ quidem dum affirmo, nihil interea detractum volo, vel matheſeos, vel philoſophiæ experimentalis ſtudiis: ſiquidem non uno modo artificis ingenium excitant & acuunt: & quamvis non faciant medicum, tamen ornant eum, & aptiorem medicinæ reddunt, modo caveat, ne cornicum oculos ſubtiliori acie configere nitatur, & ſibi mathematicam quandam theoriam, uſu medico deſtitutam, fingat, atque obſcuris omnibus, non quidem a cogitatione, ſed ab ipſa arte rejectis, veriſſimum eſſe putet, de quo alicubi conqueſtus eſt Verulamius, deſiderari adhuc philoſophiam naturalem veram, ac realem, cui medicinæ ſcientia inædificetur. Merito autem hypotheſes improbo, ac rejicio, quæ vitæ noſtræ, & morbis, atque remediis affinguntur, ipſique praxi, invita experientia, ſubſternuntur. Cui quidem rei, ut multa omittam alia, vel unus cortex peruvianus, qui vulgo china chinæ, itemque kinkina, dicitur, luculento eſſe documento poteſt, quem operæ pretium eſſe putavi, hoc loco ab iniquis, quæ interrupta falſis hypotheſibus experientia peperit, judiciis vindicari, quod ſibi par remedium in tollendis febribus intermittentibus non habeat. Nam etſi id ſatis etiam alii oſtenderunt: tamen præcipites quorundam de natura & viribus ejus corticis opiniones tantum valuere, ut apud multos hodieque male audiat tutiſſimum illud pariter atque efficaciſſimum genus remediorum.

V.

Id autem, opinor, notius jam eſt, quam, ut exponi debeat, illum corticem Arboris eſſe peruvianæ, indis kina dictæ, cujus hiſtoriam antonio Bollo debemus, eumque, diu ante ab illis adverſus febres intermittentes, adhiberi ſolitum, medio ſuperiori demum ſeculo, poſtquam tam diu remedium hujuſmodi omni artis ingenio fruſtra quæſitum & optatum fuit, europæ innotuiſſe, accedente mox tanta ubivis terrarum exiſtimatione, ut, cum in febre quavis intermittente, ipſaque quartana, quæ quondam inter ſcandala medicorum referebatur, hora una alterave ante paroxyſmum, unius, vel duarum pondere drachmarum, ex vino, vel aqua, datus, nunc unum, pluresve averteret paroxyſmos, modo totam febrim fugaret, vulgo pulveris febrifugi nomen meruerit. Sed uti rerum omnium, ſic etiam remediorum quædam ſunt viciſſitudines. Nam & illa, quæ nuper in magno habita fuerunt pretio, tandem quoque occidunt, & ſubinde reſuſcitantur. Id quod eidem huic cortici evenit. Vix enim fama ejus pleraſque europæ partes pervaſerat, cum a multis, non modo e vulgo, ſed etiam principibus medicorum, medicinæ empiricæ, fallacis & doloſæ, nomine appellaretur, quod interdum quidem febrim ſupprimeret, plerumque vero quoſdam ejus paroxyſmos tantum ſuſpenderet, certa graviorique recidiva. Neque adeo ejus uſu plus effici, quam, ſi ulceri cavo, & mox erupturo, cicatrix inducatur. Quodſi ſubacta ſit febris, non tamen ægrotum curatum eſſe, ſed vitia humorum relinqui, indeque non ſolum reverti febres, & ſæpius multiplicari, nec raro continuas fieri, ſed morbos etiam alios diuturnos, febri graviores, vel reſtare, vel naſci.

VI.

Cui quidem opinioni favebat, atque occaſionem dabat hypotheſis, qua febris in fermentatione quadam ſanguinis aucta, ſecretioni noxiæ materiæ utili, ac neceſſaria, conſiſtere credebatur. Huic deinde facile erat, aliam addere hypotheſin: vi corticis illum ſanguinis motum cohiberi, & ſiſti, eoque deſpumationem hujus, & neceſſarias ſecretiones, excretionesque, minui, & detentam intus materiam noxiam, in vaſis & viſceribus coacervari & figi, ac periculoſas excitari obſtructiones, nec modo pejores inde recidivas, ſed etiam alia, his graviora, mala proficiſci. Neque enim corticem vi & facultate alia, quam conſtringente humores, & viſcera, vaſaque, aut præterea abſorbente quidem fermentum febrile acidum, ſed illud tamen concentrante, atque abdente in vaſis & viſceribus, pollere. Hoc jacto fundamento, etiam non difficile erat aliis, eadem vi corticis coanguſtante & figente irato ac ſævienti cerebro & nervis, aut ubicunque tumultuanti, ſpiritui & archæo, quo minus infenſam naturæ materiam aggrediatur, & ejiciat, compedes injicere, & por-

ro cuivis quidvis fingere, modo vis remedii conſtringens, figens, concentrans, includens, & abdens noxiam materiam, eoque motus & inſultus febriles remorans, febres autem non auferens, ſarta tecta maneat. Quo quidem fiebat, ut etiam ii, qui, experientia convicti, chinchinam febres curare fateri habebant, id tamen ea non tam tuto, nec tam cito, jucundeque, quam ope ſalium, fieri, cum *barbette*, *prax. lib.* III, *cap.* 3. exiſtimarent.

VII.

His cum conſentirent alii, alii diſſentirent, inter diſputationes, concertationum plenas, in medium prodit empiricus britannus, qui, uſu londini edoctus, non quamvis chinchinæ quantitatem febres depellere, & nimium dari pro una doſi ante acceſſionem, nec tamen ſatis reſtituendæ confirmandæque ſanitati, eumque corticem, quod eo modo efficere minus poſſit, aucta, ſed diviſa in plures partes, doſi, ac iteratis vicibus ſtatim a paroxyſmo, eodem die vacuoque tempore, ſumta, feliciter præſtare, de nulla ſolicitus hypotheſi, qua id ratione fieret, Lutetiam Pariſiorum ſe contulit, tantaque ibi felicitate hanc methodum adhibuit, ut accitus ad curationem ſereniſſimi delphini, febri laborantis tertiana, ipſi regi remedium aperuerit, magna auri vi, & annuis reditibus, equeſtrique ordine donatus. Quam deinde medicinam rex tanti fecit, ut eam ſcriptis divulgari juberet, conſtatque, non alio huc uſque remedio uſum eſſe regem, quotieſcunque febre quadam intermittente corriperetur. Ita igitur, quod indi empirici invenerunt remedium, a medicis vero rationalibus in contemtum adductum eſt, inventa meliori utendi ratione, empiricus britannus dignitati ſuæ reſtituit. Idem vero docti quidam viri eodem tempore literis prodiderunt, e quibus in primis *Sydenhamius Tr. de morb. acut.* & *in ep. ad Rob. Brady*, laudem meretur, quamvis aliter *Liſtero* videatur, qui modum exhibendi corticem hora una alterave ante acceſſionem vel centies a ſe feliciter compertum eſſe, ſcribit, *exerc. med.* III.

VIII.

Namque illud profecto exercitatione artis & crebra prudentum obſervatione jam ſatis notum eſt, febres intermittentes, modo primarum viarum ratio habeatur, & ventriculus, ubi aut bilis ægrum, aut cruditas, male habet, vomitione levetur, alvuſque compreſſa ſolvatur, ſolius uſu corticis, tuto, celeriter, jucundeque curari, ſiquidem is ſtatim a paroxyſmo, ſimul atque corpus integrum eſt, unius pondere ſcrupuli, vel plus minuſve, pro ratione ætatis & conſtitutionis corporis, capiatur, & ita medio tempore, prout id longius, vel brevius eſt, ſingulis horis, vel altera, aut tertia quaque hora, ad novæ uſque acceſſionis tempus, continuetur, ita quidem, ut intervallo unius diei in

ter-

tertiana, minimum ſemiuncia, & biduo in quartana uncia una conſumatur, &, ſive redierit paroxyſmus, ſive deceſſerit, eodem medio tempore eadem medendi ratio adhibeatur, minore tamen corticis quantitate, ubi ille non adfuerit. Namque ita febris ſæpius prima alterave vice decedet, aut multo mitior futura eſt, &, tertia vice adhibito remedio, fere ſemper ceſſabit. Pari modo etiam in quotidiana, & duplici triplicique tertiana, vel quartana, occaſioni ſerviendum eſt, ut medio quoque tempore cortex, quanta ſatis eſt copia, adhibeatur. Sic enim canalem alimentorum, chylique vias, & ipſum ſanguinem vi ſua ſenſim imbuit, ac vitiatam corporis oeconomiam paulatim reſtituit, & corrigit, & infantes puerperaſque ac ſenes, nec minus viros, quam mulieres adjuvat, atque id quidem moderate, citraque ullam moleſtiam, quæ doſin majorem facile conſequitur, efficit. Quo vero tuti a recidiva ſimus, una alterave a febris diſceſſu hebdomade repetitus per dies aliquot corticis uſus, bis, vel pluries in die, prout neceſſitas requiſierit, efficiet. Quin imo aliquando tertia, quartaque vice per eadem, aut longiora temporis intervalla, ac præſertim, ubi quædam febris imminentis ſigna ſe produnt, eadem methodus utilis ac neceſſaria erit. Nam plerumque unius curatio adulti ſeſcunciam, vel uncias duas, corticis requirit, raroque infra unciam unam abſolvitur. Non opus eſt hic afferre exempla febris quartanæ, itemque tertianarum duplicium, ac triplicium, quæ, cum uſui corticis, ſatis quidem diu, ſed copia minus ſufficiente, adhibiti, haud ceſſarent, ejus aucta ſaltem, & iterata ſæpius, doſi feliciter profligatæ fuerunt. Hoc modo uſu & exercitatione conſtat, non tantum curationis eventum certum reddi, ſed etiam tempus eventus prædici, neque aliud eo cortice præſentius anditotum excogitari poſſe, ac quævis illum remedia alia febrifuga, vel ex ſtibio, hydrargyro, & auro, vel ex cruſtaceis & teſtaceis, vel ex herbis, corticibus, & lignis amaris, aromaticis, & adſtringentibus, vel ex ſalibus omnis generis, parata, multis poſt ſe intervallis relinquere. Quo tamen loco non prætermittendum eſt, ſublata febri, alvum, quotiescunque ex intermiſſione officii facta eſt ignavior, lenientibus ſaltem remediis ſubinde ſolicitandam, atque in viam officii, qua exorbitaverat, reducendam, tum quoque, ubi quædam in præcordiis ventreque moleſtia ſentitur, & homo neque cibum recte appetit, neque ab eodem ſumto juvatur, blanda vomitione, vel inferius benignis & mitibus auxiliis, per intervalla clementer expurgandam eſſe, ne ex ſaburra ventris, vel reſiduo humore vitioſo, nova vis materiæ noxiæ ſuccreſcat, & vix febri liberatum voto ſuo defraudet, ac recidivam, vel morbum alium, pariat. Cui quidem ſcopo etiam chinchina, mitiori ſociata purganti, ut placet *Deckero*, *exerc. Pr. p.* 251. conveniet. Ad cathartica vero fortiora, ſive naturam magnopere turbantia, agitantiaque præſidia, non temere accedendum eſſe, merito multi artis periti monent, qui infauſto id eventu, & certa cum recidiva, plerumque

fieri, obſervarunt, quod nondum ſatis firmatus tonus ventriculi, & inteſtinorum, novam ab illorum ſtimulo vim patiatur, atque compages inprimis tenerrima vaſorum lacteorum facile labem inde capiat.

IX.

Neque vero probare vulgari medicorum cantilena ſeducti Sydenhamii cautionem poſſum, ut ne præmature nimis, & antequam febris ipſa ſuo ſe marte aliquantiſper protriverit, in uſum hic cortex ducatur: quod alioqui non illud ſolum metuendum ſit; ne a præpropero ejus uſu ineſficax reddatur, & ſpem ægri fallat, ſed etiam, ne de ægrotantis vita agatur; ſi ſanguini, omni fermentationis niſu ſe deſpumanti, eam derepente injiciamus remoram. Namque ex opinione vulgi, falſaque hypotheſi, hanc profectam eſſe cautionem, ſatis cuivis intelligenti patet. Rectius *Badus*, *Donzellus*, *Protoſpatharius*, *Liſterus*, *Mortonus*, *Jones*, multique alii, ſtatuerunt; & nuper admodum doctiſſimus *Bohnius*, ſenex experientiſſimus, ad verſus Baglivum, *peculiari diſſ. de præmat. intermittent. fuga ſuſpecta*, præclare oſtendit, id quod experientia docet, præmiſſis quidem, ſi opus fuerit, evacuantibus; ac præſertim emeticis, mox ineunte morbo, & ante; quam febris radices egerit, & ſuccos, viſceraque, ac vires corporis labefactarit, uſu corticis vires illius feliciter frangi & atteri. Sic enim nec recidivarum; nec illorum metus eſt malorum, quæ male Baglivus uſui corticis adſcribit; cum febri, ac perverſæ curationi, ipſiuſque impuritati corporis debuiſſet, quia recto corticis uſu, naturam egregie adjuvantis, cauſam illorum malorum una cum febri tolli, & experientia monſtrat, & ratio ſuffragatur, ita ut laudatus modo *Bohnius* l. c. teſtetur, innumerabiles fere, quibus initio morbi corticem præbuerit; eoque febrim ſanarit; nihil damni cepiſſe. Ac minus quidem cum uſu artis convenit, quod habet *Baglivus*, cum *prax. lib.* II. §. 2 & 3, ſcribit; febrim tertianam nonniſi elapſo decimo quarto die, quo quidem tempore ſponte naturæ finiatur, febrifuga pati; & irrito prorſus conatu ante illud tempus remedia quævis adhiberi; aut certe non ſine ingenti damno rudes medicos intempeſtivo febrifugorum uſu eam febrim; veluti in ovo, jugulare conari: quod; paucis interjectis diebus, vel ipſa redeat ferocius, vel ejus loco quamplures graviſſimi morbi, aſthmata; hydropes; febres lentæ, phthiſes; aliaque mala, emergant. Hic diſcere potuiſſet a Præceptore ſuo, *Luca Tozzi*, quem rudem videri nolit ipſe Baglivus, aphoriſmum Hippocratis LIX, Sect. IV; quo tertiana exquiſita ſeptenis ad ſummum circuitibus terminari dicitur; quove illius ſententia innititur, non ita capiendum eſſe, ac ſi ante ſeptem circuitus, ſive ante diem decimum tertium, quo ſeptima acceſſio revertitur, febris hæc nunquam a natura vincatur, ſed ſummum eo terminum indigitari, ita; ut ſenſus ſit, febrim hanc exquiſi-

ſi non prius, quam tardiſſime ſeptima acceſſione finiri, atque extremum ejus terminum eſſe ſeptimum acceſſionis reditum, cum ſcilicet, ut ait *Tozzi*, *comm. in aph. Hipp. p.* 322, *nullo artificis auxilio interrupta*, *ſponte ſua*, *ut conſuevit*, *proceſſerit. Sin*, addit idem, *antifebrilium medicamentorum*, *ut noſtra fit ætate*, *uſu corticis peruviani*, *ejus impetus infringatur*, *& periodicum fermentum hebetetur*, *profecto citius eſſet abitura*, *ſicut jamnunc paſſim experimur.* At vero febrim hanc raro quidem illo finiri termino, ſed fieri plerumque, ut vel errore curantis, aut ægroti, vel ipſius mala naturæ habitudine, vel conſtitutione aeris minus congrua, cauſave alia occulta, febris non modo ultra illum terminum extendatur, ſed etiam duplex triplexve evadat, notum eſt cuique, & ipſe monuit *Hippocrates*, cum in *coacis*, tertianam exquiſitam, aut quinque, aut ſeptem, aut novem periodis finiri, tradit. Quamobrem hic doctiſſimus medicus febri hujuſmodi mature remedia adhiberi ipſe voluit, cum *lib.* 11. *de morb.* inquit: *Si febris tertiana detineat*, *ſiquidem poſt tres paroxyſmos quartus prehendat*, *purgans per inferiora propinato: quodſi purgante non egere tibi videatur*, *pentaphylli radices*, *acetabuli quantitate in aqua tritas*, *bibendas dato. Si vero nec ſic quidem ſedetur*, *ubi multa calida laverit*, *trifolium*, *& ſilphii ſuccum cum vino pari aqua admixta*, *propinato*, *reclinatumque ſtragulis*, *dum ſudet*, *contegito*.

X.

Non pluris facienda eſt experientia *Pallilii*, cum in *ep. ad Baglivum*, gallos, ſcribit, pene omnes chinchina in febribus feliciter uti, ſed minime id in agro romano, natura galliæ, ob varietates ventorum, tempeſtatumque cœli, & exhalationem, valde diſſimili, ſuccedere. Quapropter uſum ejus remedii ad frænandam ſiſtendamque febrim ridet, & nunquam id, niſi in fine febrium, ad roborandum ſaltem ſtomachum, morbi diuturnitate relaxatum, atque ad reſtituendum primævo vigori ſanguinem, longa morbi præſentia jam vapidum, adhibendum cenſet. Sed mireris merito, medicum romanum non pari felicitate eundem adhibere corticem didiciſſe, qua illo non ſolum adverſus febres intermittentes tam diu magno lucro patres Jeſuitæ in collegio romano, ſed ipſis quoque in febribus quibuſdam continuis medici romani, ut Cardinalis de Lugo teſtatur in *ep. ad Lanzonium*, uſi fuerint. Eundem corticis effectum, quem evidentem, ac miraculoſum vocat, etiam florentiæ expertus, ita publice collaudat *fr. Redi* in *exper. natur. p.* 143, ut prædictis patribus univerſum orbem gratias debere putet, quod eundem primi omnium cum tanta ſua gloria in Europam detulerint. Quo vero minus viribus corticis ventorum ac tempeſtatum mutationes, atque exhalationes foſſilium, obſtare videantur, ſecurum Pallilium laudatus modo *Tozzi*, neapolitanus, medicus doctus, & longo uſu exercitatus, reddere

dere poteſt, qui l. c. occaſione aphoriſmi Hipp. XXV, Sect. II. febres quartanas, quas antehac medici longiſſimas, ac fere immedicabiles, habuerint, hac noſtra ætate unius ope corticis peruviani; tam cito tutoque fugari, docet, ut vel hinc patere liquido poſſit, quam hæc veterum, in medicina facienda, temporibus præcellant. Neque ſolum in quartanis, ſed etiam in tertianis, ceteriſque intermittentibus, cum primum ſunt invaſuræ, utiliter adhiberi, teſtatur. Quin imo ſibi compertum eſſe ait, eundem corticem febres quoque continuas, ſi opportune adhibeatur, infringere, atque intercipere, etiamſi mali moris ſint; nullumque catharticum præmiſſum; modo dies aliquot præterierint, quibus fermentum febrile quodammodo extenuatum, exagitatum, ac diſſolutum fuerit.

X I.

Equidem majorem putarim cautionem requiri in uſu corticis peruviani in curatione febrium continuarum, neque eum temere adhibendum eſſe iis in febribus, quæ continentes ſunt, nec remittunt, nullaque afflictis quietiora tempora præſtant, ſed uno tantum circuitu abſolvuntur. Neque vero eidem facile locus erit concedendus in quibuſvis continuis, quæ remiſſiones atque exacerbationes ſuas, eaſque vel ſtatas & certas, vel incertas vagaſque, habent. In quibus enim febribus æſtus atque exacerbatio vehementius diutiuſque urget, & minor eſt remiſſio, eiſdem minus par vis corticis deprehenditur: Quo vero eædem plus de fervore remittunt, & propius accedunt ad intermittentes, ita, ut ante novam acceſſionem, aut leve externarum partium frigus, aut dorſum occupantes horrores, perſentiantur, hoc tutius iis hunc corticem, majorique efficacia, adhibere licebit. Ex quo facile intelligitur, febrium continuarum, ſive acutæ ſint, ſive lentæ, quarum & certi circuitus, & quietiora ſunt tempora, expeditiorem rationem eſſe. Ac de his quidem intelligendæ ſunt obſervationes, quas in *zodiaco med. gall. ann. II, m. aug.* & *ann. V, m. jan.* itemque apud *Badum, tr. de cort. peruv.* & *Capuccium, ep. ad Protoſpath.* relatas legimus. Nam ubi ſanguis lenteſcens naturæ negotium creat, & inflammatio ſubeſt, æſtuque continuo corpus jactatur & intenditur, melius ſalibus nitroſis, & alcalicis, ſalſiſque, ac ejus generis remediis, æſtum temperantibus pariter, ac facilem blandumque cientibus ſudorem, rem agi comperimus. Idemque haud raro obtinet in intermittentibus, quæ pluribus paroxyſmis, iiſque præſertim vagis, uno die vires convellunt, neque procul a continuis abſunt.

X I I.

Atque hæc quidem in uſu quotidiano collocata ſunt. Accedit, quod ibidem experientia comprobavit, hoc majore corticem vi pollere, quo

ſimplicior ejus eſt præparatio & compoſitio. Solent quidem alii alia, tanquam corrigentia, vel adjuvantia, ac præſertim ſalem abſinthii, vel ejus generis alium, nitrum item antimoniatum, arcanum duplicatum, tartarum vitriolatum, ſalem ammoniacum, antimonium diaphoreticum, bezoardicum minerale, pulveres teſtaceos & cruſtaceos, corticem fraxini, lignum colubrinum, juniperi, ſaſſafras, rad. gentianæ, contrayervæ, ſerpentariæ virgin. baccas juniperi, fabas S. Ignatii, putamina nucum, herb. abſinth. chamædr. fl. centaurii min. chamæmeli, ſulphuris, theriacam, ipſumque opium, & varia demum purgantia, cortici commiſcere, & ſuas quiſque compoſitiones commendare. Sed modus hic, ne farrago fiat remediorum, adhibendus eſt, imitatione naturæ, quæ nihil fruſtra, aut ſuperflui, facit: ſicut contra etiam nulla in re deficit. Id optime priſca vetuſtas ſcivit, & merito de indis *Piſo* l. c. his verbis laudat: *Certe cum conſidero, gentem hanc ſimplicibus, & cuivis obviis, ac vilioribus, herbis feliciter mederi affectibus contra naturam, tam externis, quam internis: non dubito priſcam medicinam omnino talem fuiſſe, ac maximam partem compoſitorum iſtorum medicamentorum, a recentioribus inventam eſſe, ſuo potius, quam ægrotantium, commodo. Ut vix me contineam, quin cum Plinio exclamem: Quo deorum iſtam perfidiam monſtrante, hæc conſtituta ſunt, ut ſæpe contrariis qualitatibus conſtantia medicamenta ſimul miſceantur, niſi ut carnificinam (addo & aurificinam) in humanum genus exerceamus.* Quare tametſi cum Sydenhamio illos omnes, qui aliud quid, præter idoneum vehiculum, eidem cortici adjiciunt, vel inſcitiæ, vel doli mali, arguere nolim: tamen, ſi dicendum eſt id, quod toties exploratum compertumque multi docti viri habent, ſolius mihi corticis uſus ſanandis febribus intermittentibus plerumque ſufficere videtur, modo in tenuiſſimum redactus pulverem, quacumque libuerit forma, in quam ope aquæ, vini, & ſyrupi cujusdam, redigi facile poteſt, eo quem dixi, modo adhibeatur. Siquidem nullum miſcendi artificium poſtulat, ſed cujusvis tantum palato idoneo vehiculo ita aptandus eſt, ne vis eius ab additis minuatur. Neque majorem vim vel liquoribus, cum cortice fermentatis, vel ejus eſſentiæ, ſpiritu vini paratæ, extractove, tribuendum puto.

XIII.

Ut vero hæ vires corticis compertæ ſunt & manifeſtæ: ſic ratio & cauſa earum minus quidem conſtat. De qua cum ſit difficile dicere, perinde, ut res poſtulat, ibo, qua potero, & quidem medico magis, quam philoſophico pede, viſurus primo ea, quæ ſenſibus patent, & tentabo deinde, quouſque in interiora penetrare juvet & liceat. Satis autem opinor conſtare, ſaporem chinchinæ perquam amarum, & ſubadſtringentem eſſe. Notum eſt etiam, cum vi ignis parum liquoris vel ſpiritus

acidi, & oleum fœtidum & craſſum, ſalemque, herbarum more amararum, lixivium, ſive alcalicum fixum, præbere, uti *Pitcarnius*, *diſſ. med. p.* 137, & *Lemery*, *curſu chym. edit. V. cap. XIX*, *p.* 341, notarunt, & ipſe comperi. Tum vero & illud liquet, eundem corticem omnis generis liquoribus ſolvi & extrahi, atque aquæ, vino, & ſpiritui vini ſaporem ſuum facillime largiri, ac infuſionem ejus in vino non minus, quam decoctionem in aqua, ſanguini, vena ſecta miſſo, permixtam, fluidum eum & rutilantem reddere, & porro decoctionem illam, ad unam duasve uncias in venam canis jugularem ſiphone immiſſam, vehementem primo palpitationem cordis, mox ſpaſmos varios, in tetanum demum, mortemque, deſinentes, inducere, &, ſectis deinde venis, ſanguinem rutilantem, & nimis tenuem, rarumque, profluere, ut factis experimentis teſtatur *Jo. Freind* in *emmenol. cap. XIV.* Quibus addendus eſt effectus varius, quem prudens quiſque, cui familiaris eſt ejus corticis uſus, deprehendit, & multi præſtantes arte viri, ac præſertim *d'Aquin*, *Liſterus*, *Bohnius*, *Monginotus*, *Sydenhamius*, *Jones*; *Dekerus*, animadverterunt, egregie hunc corticem ventriculum roborare, & acuere appetitum, ac deficientem corporis calorem excitare, vireſque reficere, nec ſolum tranſpirationem promovere, ſed etiam ſudorem, & urinam, ſubindeque alvum, præſertim ſi recens ſit, ciere, & quandam quaſi diarrhœam parere, ita quidem, ut, ea dejectæ fæces particulas corticis, materia quadam viſcoſa ac tenaci obvelatas, oſtendant, &, qui hoc effectu uſi ſint cortice, omnes febre liberi manſerint, nec ullo inde oriente ſymptomate atque incommodo afflicti fuerint.

XIV.

Ex his enim collatis inter ſe comparatiſque illud ingenio & ratione, quantum homines poſſumus, aſſequimur, vi non minus ſolvendi, quam ſtringendi, eo artificio mixtam eſſe chinchinam, ut ſanandis plerisque febribus, quæ ex primis viis ortum & fomitem habent, apprime conveniat. Quod ut clarius appareat, neminem puto inficias iturum, de quo ipſos conqueri febricitantes audias, iis in febribus ventriculum & inteſtina languere, nec cibos recte confici, & inde profecto crudo lentoque ſucco ſanguinem inquinari, ac in eodem febris materiam colligi. Neque profecto ad hanc excitandam aliud quid præterea, quam pulſus cordis frequentior, ab illo eodem ſucco, vel undecunque excitatus, requiritur. Quo autem crudus ille ſuccus ex primis viis in venas & ſanguinem admittatur, id procul omni dubio laxatis & labefactatis vaſis lacteis tribuendum eſt. Nam uti ea nonniſi tenuem ſatis liquidumque ſuccum transmittunt, quamdiu in iis pororum, per quos aditus ex inteſtinis patet, anguſtia & firmitas conſtat ſibi, vigetque: ſic ubi quavis cauſa labefactata & laxata ſunt eadem vaſcula, liquoribus etiam craſſio-

aditus & tranſitus conceditur. Id quod eleganti hoc experimento, quod habet *Liſterus* in *act. phil. lond. n.* 93. 142. 275, demonſtratur: Nimirum ſi cani, inedia quadraginta minimum horarum admodum famelico, carnis coctæ & aridæ, ac ſine ullo humore ad augendam ſitim, aliquot unciæ dentur, eiuſque inteſtinum duodenum poſt quinque horas perforetur, & immiſſo ſiphone libra aquæ tepidæ, indigo bene trito tinctæ, injiciatur, ac poſtea, conſuto foramine, canis, vinculis ſolutus, ſibi relinquatur, horisque tribus exactis, venter ejus aperiatur, vaſcula lactea non ſine magna animi voluptate cœruleo plena liquore conſpiciuntur, certo indicio, vaſa illa, quoquo modo labefactata, non liquores tantum coloratos, ſed craſſiuſculos etiam pulveres, & facile, & copioſe, admittere.

X V.

Jam igitur ſi eam chinchinæ vim, ſtringentem pariter ac ſolventem, ad illum, quem dixi, ſtatum morboſum in febribus accommodemus; rationi perquam conſentaneum erit, eam inſtaurando tono ac robori ventriculi & inteſtinorum; atque hinc procedentium venarum lactearum; & vaſorum ac viſcerum reliquorum; quo ad concoctionem ciborum; & rectam chyli ſecretionem, tum & circuitum ſanguinis; & ab eodem pendentes ſecretiones excretionesque, præcipue opus eſt; ita proſpicere, ut interim ſuccus lentus & viſcidus dividatur; attenuetur; & abſtergatur, quodque ejus ventriculo & inteſtinis obhæreſcit, facilius in alvum corporiſque ſentinam excidat, quod vero in vaſis & viſceribus, ipſoque ineſt ſanguine, naturæ robore atque imperio, ſive, ut clarius dicam, vegetiore circulo ſanguinis per ductus renum, & totius habitum corporis; glandulasque inteſtinorum; ac bilis vias, foras projiciatur; eoque modo febris aliquando fluxione alvi, ſæpius perſpiratione aucta, obortoque, ſudore, & urina craſſa ac largiore, ſolvatur. Qua quidem ratione cum & elaboratio, & ſecretio chyli inſtauretur, ſuccuſque crudus per firmatas anguſtias intra vaſa lactea neque admitti, neque deduci in ſanguinem poſſit, & quicquid ejus collectum fuit, per tot naturæ exitus, ac præſertim per inſtauratam tranſpirationem, ſenſim paulatimque profligetur, fiat neceſſe eſt, ut cum ſtatu corporis mutato febris decedat, & ſanitas redintegretur. cumque in hominibus variis varia ſit læſio toni vaſorum ac viſcerum, atque humoris lenti & viſcidi copia & indoles, id quidem patet, non unam omnibus chinchinæ quantitatem ſufficere, & uſum ejus, aliquandiu continuatum; ſubinde etiam repetitum, extirpandis febribus, & confirmandæ valetudini, utilem ac neceſſarium eſſe. Liquet etiam, eadem corticis vi medicum naturam egregie adjuvare, quam ipſum præeuntem adminiculantemve habere, vel inde appareat, quod quivis paroxyſmus febrilis, totaque non raro febris, copioſo ſudore, urinaque cocta, decedere ſoleat, & corpus

pus integrum reddat. Neque ſolius ope valentis ac vegetæ tranſpirationis febres ſanari, mirabitur, qui ex Sanctorianis obſervationibus noverit, eam omnium excretionum maximam eſſe, reliquas cunctas ſenſibiles conjunctas longiſſime ſuperare. Ac eandem ob cauſam etiam quartanæ æſtivæ magna ex parte breves, autumnales vero, & maxime, quæ hyemem attingunt, longæ eſſe ſolent, ut *aph. XV*, *Sect. II*, *Hippocrates* advertit. Indidem perſpicuum eſt, quantum emetica, ac lenientia, ſive ſordes primarum viarum eluentia & abſtergentia, perſpirationi ventriculi & inteſtinorum, totiuſque corporis, neque uno adeo nomine curationi febrium faveant & conferant.

XVI.

Quodſi nunc ratio & natura chinchinæ ita comparata eſt, ut ſtringendi pariter ac ſolvendi, ſive roborandi aperiendique vi gaudeat, in aperto eſt illorum error, qui chinchinam viſcera & ſanguinem conſtringendo, motumque eius cohibendo, & materiam noxiam figendo, atque in viſceribus abdendo, febres ſiſtere, eoque modo & recidivas, & morbos graviores inferre, contendunt. Hi ſi illud tantum conſiderent, quod quotidiana experientia confirmat, chinchinam non modo ſudorem & urinam movere, ac deficientem corporis calorem reficere, ſed etiam ante paroxyſmum febrilem doſi paulo majori ſumtam, haud raro frigus quidem minuere, ſed tanto magis æſtum intendere, aliter fortaſſe ſentient, facileque comprehendent, tantum abeſſe, ut illud divinum remedium obſtructiones viſcerum, cachexiam, icterum, hydropem, alioſque morbos chronicos pariat, ut potius eoſdem, ex febribus præſertim ortos, feliciter ſanet. Ita enim *D. D'Aquin*, ut in *zodiaco gall. ann. V*, *m. aug.* extat, animadvertit, uſu ejus febres per inſenſibilem tranſpirationem, imo ſæpiſſime per copioſam ſudorum profuſionem, decedere, adeo, ut etiam illius vi alvus motu critico reſeretur, & in plurimis ægris viæ urinariæ pateant excretioni adeo ſalubri, ut una cum quartana hydrops, ab illa excitatus, diſparuerit. Idem *Jones*, *tr. de febrib.* & *reſtaurandus*, *Hippocrat. de uſu ch. ch.* ut alios taceam, ſe obſervaſſe, teſtantur. Meminit præſes ſtudioſi cujuſdam, qui cum per plures menſes quartana laboraſſet, & diu purgantibus, ac ſpiritu ſalis ammoniaci, & bezoardico, cum eſſentiis amaris fruſtra uſus eſſet, accedente ingenti tumore pedum oedematoſo ad ventrem uſque, præmiſſo emetico, ſolius uſu chinchinæ, & applicato pedibus ſpiritu vini abſinthite, brevi reſtitutus fuit. Quodſi chinchina vi tantum adſtringente febres ſiſteret, & tanta, quanta vulgo proferuntur, damna pareret, profecto nemo innumerabilium, qui eodem remedio per unam pluresve hebdomadas ad unam, duas, pluresve uncias uſi ſunt, ab iis immunes manſiſſent, atque ad perfectam valetudinem rediiſſent. Quod tamen rerum uſus docet,

& nemini, niſi uſus chinchinæ imperito, ignotum eſſe poteſt. Itaque, ſi vel recidiva, vel morbus alius febri cuidam, cui fugandæ chinchina adhibita fuit, ſuccedat, id certe non remedio inſonti, ſed vel inepto ejus uſui, vel erroribus ægrotantis, vel impuritati corporis, & neglectæ curæ ac providentiæ accidentium, quæ & alia quævis febrifuga ſubſecuta fuiſſent, tribuendum eſt. Ut enim remedium recte agat, recta etiam methodo ſecundum varias indicationes adhibendum, ac providendum eſt, quid ante uſum, quid in uſu ejus, & quid demum poſt eundem, faciendum ſit. De recidivis recte *Reſtaurandus*, l. c. in *præfat. Quid iniquius*, inquit, *quam a china chinæ extorquere, ut nequaquam ab ea aſſumpta revertantur febres? Nunquid ſæpe ſæpius animadvertitur illarum reditus, poſtquam fuerunt curatæ ab aſſumptis cathartīcis, aliiſve remediis? Præterea an china chinæ tenetur prohibere, ne, qui reduce fruitur valetudine, errata in diæta committat? ne cauſæ externæ, & animi pathemata febrim exulem renovent?*

XVII.

Non opus eſſe puto hic, vel de fermentatione ſanguinis, quam cortex ſiſtere dicitur, vel de ſpiritu vitali, aut animali, illo quorundam febrium intermittentium fabro, quem idem remedium mulcere & ligare volunt, aliquid addi: ſiquidem fermentationem ſanguinis nullam, & illud adeo ſimile, quo cereviſiæ fermenteſcenti injecta amara fermentationem ſiſtere dicuntur, hic prorſus diſſimile eſſe, in vulgus jam notum eſt. Nec minus ſpiritus, vel, ut quibuſdam vocatur, archæus faber a prudentibus exploſus eſt. Ii vero, qui febrim motum naturæ ſalutarem vocant, & conatum, quo illa noxium ab utili ſegregare ejicereque intendat, monendi ſunt, ne naturam conſulto & cogitato, ſtudioque tuendæ ſanitatis, ut placere nonnullis video, motus febriles excitantem, atque ad bonum finem dirigentem, ſibi fingant, cum ea ſolius vi artificioſæ conſtructionis ſuarum partium, & prorſus ἀπροαιρέτως, ac neceſſario, nullo iudicio, nulla præcognitione, nec raro ad ſui interitum potius, quam conſervationem, agat. Nam quoquo modo febris naturam indagemus, eam a corde, non a facultate quadam cognoſcente, cujus conſilio prudentiaque regatur, ſed vi cauſæ cujuſdam morbificæ, quæ varia eſſe poteſt, ad pulſum ſive contractionem velociorem adacto & incitato, pendere deprehendemus. Quo quidem cordis motu cum ſanguis in rapidiorem abripiatur circuitum, eoque & totum corpus, ſæpe una cum anima, conturbetur, & nunc ſolutio excretioque humoris noxii, modo aliarum læſio partium, aut major & ſolidi & liquidi corruptio, ſequatur, neceſſe eſt, poſt tot exantlatos cordis labores, febrim vel in ſanitatem, vel in morbum alium, vel in mortem verti. Qua ratione jam olim *Celſus*, rem melius intelligens, febrim ſæpe præſidio eſſe dixit,

dixit, l. *c. lib.* 11, *c.* 8, nimirum ratione aliorum morborum, a quibus ſolutione ejectioneque vitioſæ materiæ hominem liberat. Sed quia febribus homines maximo vitæ diſcrimine conflictari, nec minus eos obire cernimus, qui ſolius bonitati naturæ confidunt, id quidem patet, in earum curatione naturam, ubi recte movet, ſibique ſola ſufficit, nulla importuna medicina temere irritandam, vel impediendam: ſin aliter eveniat, & natura ſe expedire a morbo, quo implicatur, minus poſſit, aptis eam auxiliis adjuvandam, & arte ſupplendum eſſe, in quo ipſa deficit. Nam ideo Deus, ſortis miſertus noſtræ, tam multa dedit remediorum genera, tamque varia arte mirabili & conſilio ad variorum ſanationes morborum diſtribuit, ut eorum adjumento laboranti atque afflictæ naturæ ſuccurramus. De febribus quidem intermittentibus ſatis conſtat, eas ſolius vi naturæ perraro ita domari, quin diu hominem graviterque teneant, ac graviora tandem mala inferant, genuino autem chinchinæ uſu ita expugnari, ut etiam quartana, quæ miris quondam modis & laborantes, & curantes, fatigabat, jam prope leviſſimis morbis annumeretur.

XVIII.

In quo autem ſitum ſit illud mixtionis artificium, unde iſta ſingularis in fugandis febribus vis & efficacitas pendet, qua chinchina inter cetera eminet remedia, quæ cum ſapore, tum productis chymicis, & viribus roborandi aperiendique; cum eadem alioqui quodammodo conveniunt, ego quidem ingenue ignoro, neque id ægre fero, cum mea interſit, noſſe vires corticis & proprietates ex uſu & effectis, quæ in corporibus noſtris præſtat. Neque enim aliunde rectius, quam ex eventibus, ſive obſervationibus, caute & accurate factis, vires remediorum perſpicere poſſumus. Ex vultu conjecturam facimus, quantum quiſque animi habeat. Vires autem chinchinæ non modo non aſpectu, ſed nec odoratu, neque guſtatu ſentire & percipere poſſumus. Ac fruſtra tempus conſumit, & oleum ac operam perdit, qui eas ad gradus caloris & ſiccitatis referre, vel miniſterio ignis atque analyſi chymica evolvere, & vel ad ſalis, aut ſulphuris, aut terræ dominatum, vel ad acidi & alcali pugillationem, vel denique ad materiæ ſubtilis & igneæ motum, aut ad turbas ignotarum figurarum revocare nititur. Vim novi magnam eſſe in ipſa partium proportione, ut ex mixtura carbonis, nitri & ſulphuris, rebuſque aliis, ac medicamentis artefactis patet. Sed quis aliter chinchinæ partes, & earum comparationem proportionemque, quam conjectura, aſſequetur? Et ſi vel maxime cognitam eam habeamus, non tamen melius febres curabimus, neque aliter vires ejus & utilitates, quam uſu & periclitatione, addiſcere poterimus. Quo magis mirari ſubeat, alios in parte ſalina alcalica, acidum abſorbente, alios in terrea, adſtringentes illas eximias ac præcellentes chinchinæ vires

res quærere, cum planum ſit, nullum vel alcalicum, acidumque abſorbens, vel terreum, adſtringenſve remedium, eadem virtute pollere. Nec vero eſt, ut in hujus rei argumentum radices pentaphylli adducantur, quas quippe, ut alia, quæ hic moneri poſſent, taceam, experientia docet, vix parva chinchinæ parte æquari conferrique poſſe. Hoc ſcite *Sponius* monuit, cum in *Obſerv. de febrib. & febrifug. qu. XXII*, ſcribit: *Hippocrates in febribus intermittentibus radice pentaphylli utitur: ſed niſi hæc planta majoribus polleat viribus in Græcia, exiguæ his in regionibus deprehenduntur, etſi levis adſtrictionis ſit particeps; quamobrem addit, niſi deſinat febris, exhibeatur ægro ſuccus trifolii, cum ſucco ſilphii ex vino, æquali portioni aquæ remixto.*

XIX.

Quæ cum ita ſeſe habeant, patet profecto, quo jure magnam hanc medicinam, quam merito miraculoſam vocat *Fr. Redi*, l. c. & cui principem locum inter omnia, quotquot ſunt, remedia deferre non dubitavit *Sydenhamius* l. c. nomine medicinæ empiricæ, fallacis, & doloſæ, in contemtionem multi adduxerint. An enim aliter alia quævis præſtantia remediorum genera inventa ſunt, præterquam uſu, & effectorum atque eventuum obſervatione, ſive ἐμπειρίᾳ? An aliunde novimus, vires radicis vomitivæ ipecacuanhæ in dyſenteria, in vigiliis & doloribus opii, in lue venerea hydrargyri, lignique indi, quod guajacum dicitur, in ſcorbuto Britannicæ herbæ, & corticis Winterani? ut emetica, purgantia, atque alia prætere am remedia. Annon ipſe Hippocrates artem medendi experientia didicit? Is enim, cum mos iis temporibus fuiſſet, liberatos morbis ſcribere in templis Apollinis & Aeſculapii, ut poſtea ſimilitudo proficeret, exſcripſiſſe medicamenta longo uſu & periclitatione comperta ex pendentibus tabellis dedicatitiis perhibetur, & cremato templo Aeſculapii in Epidauro medicinam hanc inſtituiſſe, quæ clinice dicitur, circa decumbentes in lectulis inviſendos & percurandos occupata. Quamvis negandum non ſit, eum tum a patre Heraclida, tum ab avo Hippocrate, etiam præceptis quibuſdam inſtitutum atque imbutum fuiſſe. An hucuſque ex matheſi, & philoſophia, vel peripatetica, vel corpuſculari, atque experimentali, chymiæve laboribus, & omni ingenii vi, præſtantius chinchina, vel ei ſaltem par, febrifugum inveniri potuit? Tempus & charta me deficerent, ſi cuncta remedia, quæ ſorte ſola, vel caſu deprehenſa, ac ſæpe diuque quæſita, fortuito tandem, quaſi divinitus inventa, atque a brutis etiam animantibus, a natura facultates multarum herbarum experiendo edoctis, monſtrata, & uſu obſervandique conſuetudine, ſenſuum magiſtra & perfectrice, reperta ſunt, ſigillatim proſequi vellem. Ac nimis quidem inter cordatos conſtat, quantum ſine hujuſmodi remediis in curationibus morborum valea-

valeamus. Recte laudatus *Piſo*, atque ad mentis meæ ſenſum l. c. ubi de Medicina utriuſque agit indiæ: *Quamvis plurima in hac barbarie occurrant cruda, corruptaque, & Hippocratica arte indigna: ſunt tamen non pauca inſuper utiliſſima, atque antiquitatis æmula, quæque vel eruditiſſimos medicos exercere queant. Multarum ſane artium rudimenta ipſis ab animantibus (quæ benigna mater natura noluit carere arte inſita inprimis curandi morbos ſuos) ad nos redundare fatendum eſt. Quis dubitet ab his etiam mortalibus, licet remotisſimis a dogmatica medendi arte, non tantum ſaluberrima & ſecreta remedia, antidota, medendique modos, veteribus incognitos, ad nos poſſe derivari; quibus paulatim per manus traditis, & tandem quaſi in ſuccum & ſanguinem, a rationalibus converſis, Doctorum ſcholæ & libri ſuperbiant, modo acceptis e vulgo remediis ratio & rectus uſus adhibeatur, in quo Summa artis poſita eſt?*

XX.

Ad ultimum cum errores eorum, qui chinchinam medicinæ fallacis & doloſæ inſimulare non dubitaverunt, jam ſatis per ſe ipſi pateant, verbis ſuper ſedeo. Nec vero quicquam de diſcrimine inter corticem verum, & adulterinum ac fucatum, hic addendum puto, cum ille jam in vulgus notus ſit, ac vili admodum pretio veneat. Concludam ſententia præſidis, quam pridem de viribus chinchinæ fini diſſertationis de inflammatione adjecit, & veram eſſe deprehendet, qui eo cortice recte utetur: febrium intermittentium tutiſſimum pariter ac fortiſſimum remedium eſt cortex peruvianus, cujus uſum qui principio illarum diſſuadent, ægroſque aliquandiu vexandos cenſent ante, quam illum adhibeant, nil plus ſapiunt iis, qui hydropis, febres illas excipientis, culpam in eundem conferunt. Nam ſatis præclara ſuarum virium exempla prodidit in debellandis, non ſolum novis, cœptiſque febribus, ſed etiam inveteratis, iiſque cum oedematoſis pedum tumoribus, & aqua intercute, febre collecta, conjunctis, itemque continuis ipſis, nulla omnino vomitione, aut ſanguinis miſſione, aliave exinanitione ſenſibili adhibita, quarum aliam atque aliam, interdum quidem neceſſariam, nonnunquam vero inutilem, ac pernicioſam exiſtimaverim. Nec vero minus rationi conciliatur eadem corticis efficacia, cum vis non minor aperiens, ac divellens, & diſſipans in minima lentorem febrilem, quam corroborans in eo inſit; ſecus, atque opinantur, qui obſtructiones inde, febres duplicatas, & cachexias metuunt, naturæ tanti remedii, ac uſus, indoliſque febrium ignari.

FINIS.

HONO-

CLIII.

HONORII GUIL. KASTENHOLTZ,

CONSECTARIA

THEORETICO-PRACTICA

EX

HISTORIIS QUATUOR FEBRIUM TERTIANARUM INTERMITTENTIUM DEPROMPTA.

Altorf. 18 Maii 1745.

PROOEMIUM.

C *Uncta , quæ in arte medica , tanquam certa , vera , indubitataque æſtimari merentur , & quæ ceu infallibilia in ſcriptis medicorum genuinis continentur , potiſſimum exactæ accuratæque morborum obſervationi tribuenda ſunt. Divinum enim , quod medicinæ ſtudio ineſt , idque , quod auctoritatem praxin exercentibus conciliat , maximam partem ſcientiæ , quæ de præteritis , de præſentibus , & de futuris morbi viciſſitudinibus ſcite judicat , ex merito adſcribendum. Certe dempta & neglecta ſedula morborum contemplatione , utpote firmo prognoſeos fundamento , tantum medicinæ haud affulgeret lumen , quantum affert ſtudium , eo vel maxime directum , ut periodos , naturam , & eventus morborum , attento perluſtremus animo. Hanc viam ingreſſus eſt* Hippocrates , *ſuique nominis immortalitatem ſibi comparavit , quod fundamentum ſcientiæ ſuæ in ſedula morborum obſervatione poſuerit. Hanc ſecuti ſunt alii , & quotquot condigne veneramur artis noſtræ Parentes , ſimilia preſſere veſtigia. Quæ ut legant moderni artis tirones , ſerio monuere celeberrimi ſeculi hujus medici ,* Baglivius , Boerhaavius , Lanciſius , Hoffmannus , Stahlius , *aliique , & laudem inde meruere haud intermorituram , quod ſalutarem artem priſtinæ ſuæ veritati & auctoritati reſtituerint , atque non tam vanis ſpeculationibus , quam experimentis inhærendum cenſuerint. Natura enim ſibi ſemper ſimilis , & decurſus morborum , iiſdem conſpirantibus cauſſis , eadem ratione , qua olim accidit , etiam noſtris æque ac futuris temporibus eveniet. Equidem & multis , & magnis , difficultatibus premitur perita obſervationum indagatio ; nec parum intereſt , a mere empirica & incompleta morborum cognitione ſibi cavere , ne ſcilicet in varios ſeducamur errores ; ſed opus eſt , ut morborum diverſitates , e ſymptomatum , cauſſarum , & eventuum varietate deducendas , ſollicite perveſtigemus , ut ad faciliorem curationem eorum tuta magis via accedere poſſimus. Sic notum quidem eſt , febres , eaſque tertianas intermittentes , ſatis frequenter accidere , nec cognitu difficiles eſſe : at enim vero quam ſæpe pertinaces , rebelles , & methodo medendi ſolito haud obedientes , non accidunt ? Quam facile non turbantur , pervertuntur , corrumpuntur , & quæ modo ſpem ſalutis recuperandæ dederant , miſeros aut gravioribus longe ſymptomatibus , aut morbis aliis ſupervenientibus ; aut denique morti , tradunt ? Quotquot ſanandis hujuſmodi febribus operam dedere , aſſenſum mihi haud denegabunt ; & cum in re tam intricata , ſatis evolvenda , nemo ſat operis conferre poſſit ; non ingratum laborem me ſuſcepturum ſperavi , ſi aliquas , etiamſi paucas ſaltem ,* obſervationes circa febres intermittentes tertianas , *antea adnotatas publici juris faciam , eaſque tam ad theoreticas , quam ad practicas veritates ,* conſectariis *inde deſumptis deducam. Cum enim in Noſocomio*

Pazma-

Pazmariano, quod Viennæ, Regia Auſtriæ Metropoli, eſt, & in quo magna copia ægrotantium, tam militum, quam pauperum, magnis ſumptibus alitur, praxeos excercendæ cauſſa, ultra annum commoratus ſim, & præter alios morbos, frequentes caſus febrium intermittentium annotaverim, ex quibus variæ cautiones medicæ deduci poſſint : ideo ſpeciminis inauguralis loco, in hanc rem meditationes aliquas publico eruditorum examini exhibere mecum conſtitui. Faxit Deus *Feliciter !*

CASUS I.

De febre tertiana intermittente vernali, in continuam acutam ardentemque tandem mutata, cum maculis ſcorbuticis ſuccedentibus.

Femina, annos circiter 24 nata, temperamenti ſanguineo melancholici, febre tertiana, ſtatis ſuis temporibus recurrente, affecta, quartum tunc paroxyſmum jam perpeſſa, in Noſocomium Pazmarianum apportabatur. Examinatis ſingulis, quæ cognitu neceſſaria fuerant, menſium fluxum legitime ſuperatum fuiſſe, nunc autem ſymptomatibus febri tertianæ ſolennibus correptam eſſe, cognovimus. Aderant inappetentia, vomitus, capitis æque ac ſtomachi gravativi dolores, languor, & quod pathognomonicum eſt criterium, ſtatis ſuis temporibus recurrentes ordinarie febris tertianæ paroxyſmi. Hinc & conſilio & auctoritate Viri in arte ſalutari Excellentiſſimi & Experientiſſimi; Domini Doctoris *de Bucamps*, medici in hocce Noſocomio Primarii, uſu & doctrina graviſſimi, præſcribebantur neceſſaria, ea nempe, quæ vis morbi poſtularat. Nimirum dabantur emetica, ſubjungebantur his ſalia digeſtiva, præcipue arcan. dupl. modo ſolum, modo cum floribus ſalis armoniaci mixtum. Continuatis per aliquot tempus medicamentis convenientibus, poſt vomitus, tam ſpontaneos, quam arte excitatos; paullo tardius revertebantur paroxyſmi, ſymptomata remittebantur, & nihil niſi temporibus conſuetis levis quædam alteratio remanſerat. Hæc ipſa tamen periodica febris muſſitatio tandem ceſſavit, datis prius iis, quæ primarum viarum expurgationi ſurſum & deorſum promovendæ conducebant; deinde vero applicato electuario antifebrili Chinato & juniperato, quod ſalibus digeſtivis remixtum erat, ne ſcilicet a mera Chinæ corticis vi adſtringente obſtructiones forte naſcerentur. Reſurgens a morbo femina nobis quidem valedicebat; ſed poſt aliquot tempus miſera ad nos rediit, cunctis ſymptomatibus febris acutæ & continuæ, quæ quidem malignæ ſpeciem referebat, illam denuo invadentibus. Nimirum miſeram hanc adfligebant cephalalgiæ enormes, cum deliriis conjunctæ, ſummæ anxietates præcordiorum, calores intenſiſſimi, ſitis inexſtinguibilis, lingua nigricans &

& arida, pulſus fortis, aſt inæqualis, urina turbida, cereviſiæ ſimilis. Incertum morbi hujus initium, incertaque dierum dijudicatio, venæ ſectionem diſſuadebant. Hinc præſcribebantur bezoardica leniora, temperantibus & analepticis juncta, veſicatoriiſque, ad pedes & brachia applicatis, conſulebatur capiti, delirio, & humoribus, ad congeſtiones internas properantibus. Graviſſime ægra his detenta malis, quoties mentis compos fuerat, toties de anxietatibus præcordiorum & dolore cardialgico valde conqueſta, perpetuo de oppreſſo & pleno ventriculo verba faciebat. Diebus ab adventu ſuo circiter quinque in noſocomio præterlapſis, neque tamen ullis criſeos, aut morbi mutati ſignis apparentibus, adhibebatur pulvis emeticus ex Ipecacuannha cum ſale abſynthii mixtus, quo aſſumpto, & ſurſum eductis cruditatibus, notabiliter levabatur vomitu, morbuſque uſurpatis poſtea bezoardicis, diluentibus, & abſorbentibus terreis, ſævire deſiit. Nihil nunc de tanto, quo antea affecta fuerat dolore artuum conquaſſatorio, nihil de febricula, amplius conquerebatur ægra. Succedebat alvus, licet non ſemper ordinate; laſſitudo ſaltem membrorum, cephalalgicæ & cardialgicæ remanebant paſſiones. Adhibebantur abſorbentia & digeſtiva, propinabatur ſuccinum album præparatum cum pulvere præcipitante, ſine tamen effectu ſperato, ſed potius urgebant nauſea, & inappetentia, quæ iteratam poſtulabant emeſin & catharſin. His itaque denuo adhibitis, & vomitu feliciter ſuperato, ægra maculis e rubro liveſcentibus atque ſcorbuticis, iiſque tam copioſis, tam amplis latiſque per cutem ſparſis, infeſtabatur, ut intuentibus ſpectaculi loco fuerit. Excretione hac cutanea convenienter promota, & ſuccis Chærefolii atque Naſturtii cum juſculo propinatis, & aliis ſcorbuti acrimoniam emendantibus aſſumtis, tandem miſera prorſus convaluit, poſtquam 13 ſeptimanas curationi in noſocomio noſtro in utroque morbo impenderat.

CASUS II.

Febris tertiana, cum œdemate pedum, alternatim repetens.

Uxor mercenarii, annos 54 nata, tertiana febre correpta, in noſocomium deducebatur. Symptomata febris iſtius conſueta adfuerant, iiſdemque methodo convenienti, ante allegata, atque longo uſu ſæpe probata, nimirum digeſtivis, emeticis, amaris, diluentibus, & abſorbentibus, obviam itum eſt. Etſi vero nihil de cortice chinæ, ſed pulveres tantum, e ſalinis digeſtivis terreiſque compoſitos, per aliquot hebdomadas ægra adſumſerit; febris tamen conſuetis paroxyſmis reverti ceſſavit. Hancce morbi remiſſionem ſequebantur tumores pedum œdematoſi;

adverſus quod malum pulvis antihydropicus, ex arcano duplicato, ſale ſtipitum fabarum, & paucis granis trochiſcorum alhandali compoſitus, (utpote quo remedio multos alios hydropicos vidi ſanitati reſtitutos) aliquoties aſſumptus eſt. Inde non modo largior diureſis nata, ſed etiam laxantibus alvus repurgata; utpote quibus excretionibus factum eſt, ut ægra, tumore pedum liberata, priſtinum vigorem recuperaſſe viſa ſit. Verum ſubito femina iſta gravi præcordiorum anxietate, dolore laterum & ſtomachi acutiſſimo, rurſus affligebatur, novumque paſſa eſt inſultum febris. Horror enim illam invadebat, primum acerbior & diuturnior, ſubſequentibus tamen paroxyſmis paulo mitior; æſtus vero major illum excipiebat. Propinabantur ſalina digeſtiva & emetica, quibus etiam pulvis gentianæ rubræ interponebatur. Elapſis inde aliquot ſeptimanis, febrilis iterum ceſſavit paroxyſmus; aſt tumores pedum œdematoſi revertebantur, cum majori abdominis inflatione. Quibus malis more ſolito depulſis, febris rurſus emicuit, corrupta tamen, erratica, & adeo mutata, ut paroxyſmus modo matutinis, modo veſpertinis horis reverteretur, caloris etiam frigoriſque gradus, & duratio inter ſe haud amplius convenirent. Hiſce fatigata & marceſcens ægra ſymptomatibus, ne febris pertinaciæ ſuccumberet, auctoritate & conſilio medici primarii ſupra laudati, electuario antifebrili uſitato, chinato nempe & juniperato, ſublevata quidem eſt; verum nondum, dum Vienna diſceſſeram, prorſus & integre ſanata fuerat. Neque interea, an id effectum ſit, comperi; valde dubitans, an unquam ſanitatem ſit recuperatura, cum in lentam tabem jam incidiſſe viſa ſit.

CASUS III.

De tertiana, cum tumore abdominis flatulento conjuncta, viciſſim aucta, & tandem victa.

PUer, annum ætatis 15 agens, tumore abdominis flatulento, quem Viennæ vulgari nomine *einen Brod-bauch*, ex abuſu panis crudioris copioſe comeſti, appellant, affectus, febre etiam tertiana, leviore tamen, correptus, auxilium implorabat medicum. Alvus ipſi extiterat durior, atque ſæpius obſtipata, & quoties cibum ſumſerat, toties anguſtiæ præcordiorum & inflationes ventris auctæ, miſerum affligebant. Præſcribebantur itaque huic puero, quæ ἄνω καὶ κάτω primas vias repurgarent, itemque pulvis deopilativus ruber Viennenſis, cum pulvere flavedinis corticum aurantiorum mixtus propinabatur; externe vero emplaſtrum diſcutiens, paregoricum & carminativum epigaſtrio imponebatur. His aliquamdiu continuatis, atque digeſtivis inſimul, quæ & tenacem pi-

pituitoſamque materiam attenuarent, & aperiendis viſceribus inſervirent, prudenter applicatis, abdomen quidem detumeſcere cœpit; aſt febris mirum in modum aucta, intenſiorque facta; & ubi uſus laxantium diu omiſſus eſt, ſtatim venter rurſus inflari & intumeſcere cœpit; alvo autem laxata detumuit. Tandem ope remediorum illorum, & febrifugis ſubjunctis, non modo febris ſævire deſiit, ſed etiam puer ſanitati reſtitutus e valetudinario dimiſſus eſt.

CASUS IV.

De arthritico affectu, & tremore artuum, poſt ſuperatam tertianam exortis & depulſis.

VIr ſexaginta annis major in febrem tertianam incidit, atque tam evacuantibus, quam digeſtivis, & demum febrifugis convenienter applicatis, febre liberatus eſt. Paroxyſmis aliquamdiu emanſis, nihil amplius incommodi ſupereſſe dixit, præter aliquam artuum debilitatem. Cum autem eo victu, quo recens ex morbis convaleſcentes apud nos refici ſolent, uteretur; ſubito non ſolum tremore artuum fere continuo, ſed etiam doloribus arthriticis vagis vehementibuſque correptus eſt. Examine inſtituto, utrum forte hæmorrhoidum fluxum unquam expertus ſit? an vero molimina ſaltem eorum quædam ſenſerit? neutris ſe unquam his paſſionibus vexatum fuiſſe aſſeveravit. Illis tandem membrorum cruciatibus ereptus eſt, partim uſu Magneſiæ nitri cum ♄ii ceruſſa mixtæ, partim blandis aliis diapnoicis, partim denique ptiſanis & juſculis ex avena contuſa & carne juniori paratis, vel & aliis brodiis carnium, utpote quibus alimentoſis medicamentis ſeſe vel maxime ſublevatum eſſe affirmavit, eorumque continuato uſu, caloriſque ad fornacem delinimentis, quibus maxime delectabatur, tandem perfecte convaluit, & noſocomio valedixit.

Equidem plures hiſtorias de febribus intermittentibus tertianis e diario practico excerpere, & huc tranſcribere potuiſſem; verum hi quatuor, quos modo recenſui, caſus ſufficiant; ſiquidem ſatis habebunt, ex quo argumenta diſcendi & diſputandi depromi poſſint. Ut itaque haſce recenſiones uſibus theoretico-practicis impendam, & brevitatis rationem habeam, minus ſollicitus ero de completa febris hujus pertractatione. Genius enim febris iſtius, & ſymptomatum frequentius occurrentium ſeries, methoduſque medendi generalis, cum paſſim in libris medicorum occurrant; non ſeorſim in his perluſtrandis occupatus ero. Præcipua ſaltem momenta, e quibus conſectaria duci, & in uſus therapeuticos dirigi poſſint, ſi ſub examinis incudem revocavero, me propoſito meo ſatisfacturum ſpero.

CONSECT. I.

Febres tertianæ facile in alios, eoſque natura diverſos, morbos tranſeunt.

SI ad quatuor iſtas generatim reſpiciamus hiſtorias, ſtatim intelligimus, e febribus tertianis ſecutos eſſe alios, eoſque tam natura ſua quam medendi ratione, diverſos morbos. In primo enim caſu, ardens & continua febris, in altero hydrops, in tertio varia pathemata, in quarto denique arthritica affectio, febrim tertianam exceperant. Certe non levioris momenti, nec eadem ratione ſanandi, fuerant hi morbi, utpote qui laudem intermittentibus, præſertim tertianæ, tribui ſolitam valde imminuunt. Quamvis enim e febrium claſſe, poſt diariam intermittens, & quidem tertiana legitima, omnium cenſeatur mitiſſima, & quæ rite tractata neque periculi quidquam vitæ alat, neque difficultatem in medendo pariat, ſed potius redintegrandæ ſanitati, viſceribus depurandis, viribuſque reparandis, egregie inſerviat, adeo, ut tantum non renovare corpus, & efficere valeat, ut illud ferme rejuveneſcat; nihilominus tamen experientia ſatis teſtatur, non in omnes febres tertianas, ſed in eas ſaltem, quæ benignioris ſunt indolis, nempe in exquiſitas, legitimas, gradu leviores, nec cum gravi viſcerum vitio, & dyſcraſia humorum ſcorbutica conjunctas, eaſque prudenter tractatas, illud laudis cadere. Si enim quis unquam morbus facile turbari, ab ordine ſuo ſeduci, & in graviores paſſiones converti ſolet; ſane tertiana febris hunc cenſum ſubire promeretur. Notum enim eſt, quam rebellem, intricatam, diuturnam, gravibuſque pathematibus ſtipatam ſe gerat, quam facile recidivet, & anomaliam ſuſcipiat, in continuam, lentam, tabificamque convertatur, & licet modo ſuperata eſſe videatur, alia tamen facie, graviorique cum tyrannide revertens, miſeros denuo impetat atque infeſtet, præſertim ſi turbata, corrupta, & aut vitiis diætæ, aut inconcinnis remediis, aut a latente intus viſcerum vitio, humorumque profunda corruptione, in pejorem ſtatum deducatur. Ita ſi libros therapeuticos evolvimus, paſſim invenimus, poſt ſuppreſſas vel turbatas intermittentes tertianas, præcipue præpoſtero corticis Chinæ uſu ſuffocatas, modo phlogoſes, capitis gravitatem, ſenſuum ſtuporem, vertigines; modo tenſiones abdominis, inflationes tympaniticas, hypochondriacas, hyſtericaſque paſſiones, & tremores artuum, item cachexiam, ſcorbutum, ſcirrhos lienis & hepatis, abſceſſus meſentericos, colicam, inflammationem, œdemata, aſcitem; modo febres acutas, anginodeas, lentas, hecticas, ſemitertianas, quartanas, duplices, malignas; modo

ar-

arthritidem, contracturas, ſcabiem, cœcitatem, tinnitum aurium, convulſivos motus, aſthmata, hæmorrhagias enormes, hæmorrhoides, & molimina hæmorrhoidalia, iſchiadicum malum, aliaſque paſſiones ſucceſſiſſe. Mirum videri poſſet, qua ratione fiat, ut ex uno eodemque morbo tot diverſi morbi naſci poſſint, cum eadem cauſſa eoſdem quoque effectus producere alias ſolita ſit? Verum ſi perpendimus, homines non modo temperamento, ætate, regione, ſexu, victu, conſuetudine, diſpoſitione hereditaria, animique indole, multum inter ſe diſcrepare, ſed etiam variis modis febres turbari, & modo recentes, modo inveteratas corrumpi, modo ſtypticis adſtringentibus, modo opiatis & theriacalibus, modo refrigerantibus aut calefacientibus, purgantibus, aliiſque draſticis, ordinem naturæ ſalutarem in febribus perverti: hinc nemo non videt, non eandem, ſed plane diverſas, cauſſas pathematum iſtorum accidere poſſe, ex quibus etiam diverſi morbi oriantur, neceſſe eſt.

CONSECT. II.

Dolor gravativus ventriculi, in febribus intermittentibus ſæpe, non tamen ſemper, indicat præſentiam cruditatum.

FEmina, de qua in hiſtoria prima, potiſſimum conqueſta eſt de cardialgia, & dolore ventriculi gravativo. Cum itaque ab aſſumptis emeticis & digeſtivis levamen non modo ſenſerit, ſed etiam febris acuta & continua exinde quoad maximam partem ſublata ſit; vero ſimillimum quidem videtur, magnam cruditatum ſaburram in culpa fuiſſe, ob quam dolore gravativo ventriculi vexata ſit; nihilominus tamen in iſtis ſolis primarum viarum impuritatibus totam cauſſam doloris ventriculi reponendam eſſe, in hac femina vix affirmare auſim. Quamvis enim ſatis repurgata, ſurſumque multoties evacuata ſit; attamen dolor reverſus eſt, uſque dum maculæ ad cutis ſuperficiem tandem ablegatæ, & ſucceſſive per poros cutis excretæ ſunt. Si ſola enim cruditas ventriculum dolore affeciſſet, remota iſta, tanquam cauſſa, etiam dolor evanuiſſet. Verum ſæpe non tam in cavitate ventriculi, quam in membranis ejus, ſtimulus ille latet, a quo ſpaſtica ejus conſtrictio, præſertim in regione cardiæ, naſcitur. Notum enim eſt, a congeſtione & abundantia ſanguinis circa ventriculum in gravidis & hæmorrhoidariis quibuſdam plethoricis vomitum ardoremque ſtomachi, abſentibus licet cruditatibus, nonnunquam ortum trahere. Sic ſæpe ex recenſionibus viri excellentiſſimi & experientiſſimi, Parentis mei, ſumma pietate venerandi, audiviſſe & didiciſſe memini, multos ipſi obveniſſe in praxi ampliſſima caſus cardialgicarum paſſionum & vomituum rebellium & chronicorum, qui non tam cru-

tates, quam alias potius congeſtiones ſanguineas, eaſque tandem in ſcirrhos vel hepatis vel lienis mutatas, pro fundamento habuere; quale exemplum etiam in Illuſtriſſima Comitiſſa quadam expertus eſt. Accedit etiam, in exanthematibus purpuraceis & petechialibus, quamdiu in hac ſtomachi regione virus lympham deturpans hoſpitatur, cardialgiam ſpaſmodicam obſervari, donec materia exanthematica remediis aptis diſcuſſa, & e vaſis membranarum nerveo-muſculoſarum ſtomachi depulſa ſit, liberumque partibus motum reſtituerit. Ideoque medicus attente reſpiciat, utrum ſigna cruditatum conſueta adſint, & an his vel alteratis vel eductis dolor mitigetur? Si enim neque evacuantibus, neque corrigentibus, finem ſuum aſſequatur, & poſt uſum evacuantium adhibita antiſpaſmodica & roborantia ſtomachica, (quæ vim ventriculo ab emeſi illatam reſarciant,) dolorem motumque ſpaſmodicum ventriculi non mitigent; non vana eſt conjectura, cauſſam doloris non tam in cruditatibus, quam in aliis irritamentis poſitam, eamque aut exanthematibus latentibus, aut vitio viſcerum, aut denique congeſtionibus, ſcirrhis, ſpaſmiſque tribuendam, ideoque non mere evacuantibus & incidentibus, ſed aliis convenientibus remediis, tractandam eſſe.

CONSECT. III.

Vomitus tertianarum ſpontaneus ſæpe non ſufficit ad febrim tollendam.

Celeberrimus *Carlius* in *hiſtoriæ medicæ Pathologico therapeuticæ P. I. cap.* 14. *art.* 1. *p.* 178. adeo laudat vomitum tertianarum intermittentium, ut ſæpe eundem pro critico & ſalutari habeat. *Quæcunque*, inquit, (febres tertianæ intermittentes) *ſponte curantur, vomitoriæ ſub frigoris finem, ſudatoriæ vero ſub æſtus remiſſionem ſunt.* Neque negaverim, in febribus hujuſmodi, præſertim exquiſitis, benignis, & ex pravo victu ortis, hancce criticam evacuationem cum euphoria, imo plane cum plenaria febris ceſſatione, interdum contingere; ideoque vomitum iſtum minime ſupprimendum, ſed potius digeſtivis & diluentibus abſterſivis adjuvandum promovendumque eſſe. Nihilominus tamen quotidiana nos docet experientia, hanc rem non ſemper adeo proſpere ſucceſſiſſe. Ex centum enim hiſtoriis, quas de febre hac, ſpontaneis vomitibus ſtipata, conſignatas legimus, pauciſſimæ ſunt, in quibus vomitus ſpontaneus febrim funditus ſuſtulit; plures autem extant caſus, in quibus aut levamen morbi aliquod attulit, aut ſaltem curationem nonnihil promovit; in aliquibus tamen morbi ſymptomatumque augmentum exinde eveniſſe invenimus. Femina, de qua hiſtoria 1ma mentionem facit, vomitu ſpontaneo haud levata, nec a febre tertiana exinde liberata eſt, etſi aliquot

ejus paroxyſmos jam paſſa, materiæque febrilis coctionem aliquam, ſudoribus nempe largis ſub finem æſtus effuſis, experta fuerit. Nec eſt, cur miremur, febrim tertianam rarius vomitu ſpontaneo exturbari. Sicuti enim hæc febris nec in omnibus eandem originem agnoſcit, nec eandem vomitus cauſſam fovet: ita mirum non eſt, illam neque eadem ratione tolli, neque vomitu ſemper ſolvi poſſe. Equidem genius febris ipſius, ad hoſce emeticos motus excitandos, non parum conferre videtur. Cum enim ſub rigore febrili & ſtrictura partium extremarum ſanguis verſus interna viſcera copioſius reprimatur; fieri non poteſt, quin viſcera, præſertim ſanguinea, inprimis hepar & lien, & quæ illis interjacent partes, nimirum ventriculus, duodenum, & pancreas, ſolito majori obruantur ſanguinis copia, qua demum laceſſitæ fibræ ad fortiorem oſcillationem exſtimulantur, utpote ex qua inſolita agitatione non modo ſpaſmi cardialgici, ſitis, nauſea, anxietas, cordis motus auctior, aliaque febris accidentia, naſcuntur; ſed etiam vomitus in aliquibus moveri valet. Etſi vero vomitum etiam quemlibet rigor quidam & ſtrictura extremorum plurimum præcedere vel comitari ſoleat; attamen non neceſſe eſt, a quovis artuum rigore febrili viciſſim vomitum excitari; niſi aliæ concurrant cauſſæ, quæ emeſin moveant. Sicuti vero plures accidere poſſunt vomitus cauſſæ; ita hoc ipſo motu excretorio vix ulla earum removeri e primis viis ſolet, niſi quæ in cruditatibus latet. Hæc enim ſaburra, ut ſtimulando ſtomachum & duodenum vomitui æque ac febri aliquando fomitem ſuggerit; ita ſurſum eructata, utriuſque mali incitamentum maxima ex parte ſubtrahit. Quapropter, ſi febris a cruditatum copia oborta ſit, reliquis conſpirantibus, vomitum criticæ evacuationis vim exſerere poſſe, haud nego. Quodſi vero malum altius, nempe ex viſcerum profunda labe, humorumque ſanguineorum corruptela, repetendum ſit; vomitus haud ſufficere poterit, ad iſtam cauſſam evellendam. Id quod exemplo ſuo femina iſta ſatis confirmavit.

CONSECT. IV.

Vomitoria uſus ſunt inſignis in intermittentibus, imo repetito interdum exhibenda; non tamen promiſcue, ſed caute & circumſpecte, propinanda ſunt.

IN noſocomio noſtro uſitatum fuerat, tantum non omnibus, febre intermittente affectis, antequam febrifugis uterentur, præmiſſis digeſtivis emetica propinare, primaſque vias a ſordibus inibi contentis repurgare. Nec facile nos pœnituit hujus medendi methodi; ſiquidem & citius & tutius febrim deinde debellari poſſe, experti ſumus. Quamvis enim lubens concedam, hancce ſanandi rationem non omnibus febricitantibus convenire, nec ſine diſcrimine applicandam eſſe in delicatulis; attamen hominum illorum, qui valetudinarium noſtrum quæſiverant, conditio uſum emeticorum non tam admiſit, quam potius exegit. Nimirum milites aliique plebeii & voraces homines, qui aut crudo, aut copioſo & inordinato, victu frui ſolent, ad nos pervenere, in quibus farragine cruditatum farctis nihil effici remediis poterat, niſi vomitu præmiſſo ſtomachi recrementa, quæ catharticis haud obſequuntur, furſum excreta fuerint. Regionis etiam iſtius conditio melius emetica mihi ferre viſa. Bene enim recteque *Baglivus*, *Prax. lib.* 1. *cap. de febribus*: *obſervavi*, inquit, *vomitoria*, *pro varietate regionum & climatum*, *magis aut minus prodeſſe vel nocere.* Adeo non pertimeſcebamus emeticorum uſum, quin aliquoties, & repetitis vicibus, ſi res poſtulaverit, illa ſecure exhibuerimus. Caſus 1mus idem docet, in quo vix tertium vel quartum vomitorium funditus ſaburram evellere poterat, ſed demum ſextum, cum iterato jam in ardente, eaque recidivante, febre decumberet ægra, propinatum, non modo febris vim fregit, ſed etiam (quod mirari fas eſt) exanthematum ſcorbuticorum excretionem promovit. Latet ſæpe in duodeno & tenuibus inteſtinis tenax quædam viſcidaque ſaburra, quæ niſi digeſtivis antea ſatis attenuetur, vix ab uno vel altero emetico educitur; quinimo durante febre illuc confluunt humores bilioſi & ſalivales minus laudabiles, qui etſi non ſoli febrim producere valeant, eandem tamen augere, reſuſcitare, & pertinaciorem reddere ſolent. Dubium enim non eſt, perſeverante febre novas ſæpe ingigni ſordes. Circulo enim ſanguinis alterato, actione viſcerum turbata, ſecretione & præparatione humorum digerentium ventriculi corruptis, non poſſunt non humores bilioſi & ſalivales intemperati primis viis innaſci & colligi, qui a cibis interea ſumptis, iiſque haud rite digeſtis, aucti, & per calorem febris con-

confermentati, novam ſordium geneſin proferunt, quæ, licet antiqua ſaburra vomitu jam antea exturbata ſit, novam materiam noxiam & duodeno, & febri, ſuggerunt. In his ergo removendis alterandiſque medicus naturæ conatibus ſuccurrat oportet. Ubi enim conatus vomendi, faſtidium ciborum, ructus acidi & nidoroſi, aliaque cruditatum ſigna ſunt præſentia, & prægreſſa diæta cruda, vel potus aquarum putridarum, pullitieque verminoſa fœdarum, evacuationem per ſuperiores vias indicant, tunc vomitoria egregios uſus præbent; imo ſi vires, robur corporis, & indoles pathematum illud permittant, repetenda veniunt. Idem ſuaſit Illuſtr. *Frid. Hoffmannus med. rat. ſyſtem. Tom. IV. cap.* 1. §. 9. *caut. Quando*, inquit, *paroxyſmus ſæpius, licet mitius, recurrit, & febris ex neglecto regimine diætetico, vel perperam inſtituta medicatione, ad aliquot menſes extracta, utiliſſime ſæpius dedi vomitoria.* Bilioſa nempe cruditas, quam alii ceu cauſſam caloris febrilis accuſant, potius inter effectus febris interdum ponenda videtur; ſiquidem ſanguis jam intemperatus, & calore febrili acrior redditus, iſque copioſior & celerius ſolito per hepatis viſcus agitatus, bilem temperatam & paucam ſuppeditare nequit, ſed copioſam potius, excrementitiam, juſto acriorem, ac intemperatam fœnerabit, quæ, niſi aut attemperetur, aut tempeſtive evacuetur, ſymptomatibus febrium exacerbandis inſerviet. Equidem ab his bilioſis cruditatibus interdum duodenum & ventriculus adeo arroduntur, ut neque emetica, neque purgantia validiora, locum amplius inveniant; cum teſte *laudato Hoffmanno l. c. emetica facile ventriculi inflammationem, ad quam concipiendam ſtomachus ab æſtu nimio jam diſpoſitus eſt, tunc procurent.* Pari modo caute procedendum cum emeticis, ſi podagrica diſpoſitio concurrat. Hac enim præſente, poſt uſum emetici, in tertiana exhibiti, graviſſimas ſuffocationes pectoriſque oppreſſiones eveniſſe, obſervationibus medicis, *Viri Excellentiſſimi & experientiſſimi Dom. Doct. Weiſii P. P. O. Præceptoris æterna pietate venerandi*, debeo. Itemque, ſi quis majori ſenſibilitate præditus, vel alio vitio vomitum interdicente infectus, & ubi ventriculus eroſus, vel ad inflammationem ſpaſmodicoſque dolores concipiendos proclivis eſt, atque ſi nil niſi motus febriles ſuperſtites ſunt; tunc ab uſu emeticorum abſtinendum eſſe, haud repugno; quoniam longe graviora inde invitarentur mala. Adeo adverſos eventus, vel a ſolo purgantium uſu, Romæ quondam *Baglivus* in Prax. med. l. 2. cap. 10. §. 2. adnotavit, ut aſſeveret: *ſe obſervaſſe, febres intermittentes ab exhibitis inter initia purgantibus vel duplicari, vel gravibus exacerbari ſymptomatibus, & ab iiſdem demum repetitis, in chronicas & lethales terminare; itemque tertianas ſimplices poſt repetita præparantia (nempe ſyrupos dulces, & purgantia) annuas evaſiſſe, & tanquam incurabiles, a medicis tandem derelictas eſſe.* Ex his ſatis patet, caute mercandum eſſe cum vomitoriis in tertiana intermittente.

CONSECT. V.

Semina ſcorbuti latentia intermittentes reddunt pertinaces & anomalas.

SCorbutus, aliis morbis junctus, eorum ſymptomata non modo graviora & intricatiora, ſed curationem quoque eorundem difficiliorem reddit. Id quod tam in externis morbis, nimirum vulneribus, ulceribus, fracturis, ambuſtionibus, quam in internis paſſionibus, phthiſi, colica, febribuſque ſæpiſſime experiuntur medici. In caſu primo ſine dubio maculæ ſcorbuticæ tam pertinacem & rebellem reddidere febrem, ut atrocior redierit ſemel depulſa, & in continuam converſa, malignitatis notas intulerit, nec prius deſierit, donec exanthemata iſta ex internis partibus revocata, & ex maſſa humorum explicata, cutis ſpiracula penetraverint, & deſquamatione ſuperveniente penitus excreta ſint. Hæc tamen excretio ſicuti a copia cruditatum, primas vias vellicantium, & affluxum humorum illuc invitantium, retardata eſt; ita ſtimulo iſto interno, iterato adhibitis emeticis evulſo, & bezoardicis propinatis, tandem criſis ad ſuperficiem corporis facta exoptatum morbi finem fecit. *Prævotius* etiam vidit *maculas plumbeas ac lividas, poſt duplicem tertianam ſalutariter erumpentes.* Item *Welſchius* in exoter. cur. & obſ. chil. 1. obſ. 686. p. 171. *Tertianam mirabilem, longiſſimis paroxyſmis intermittentem, adnotavit, quæ puſtulas multas habuit comites.* Nec raro accidit, ipſius febris tertianæ ſævitiam mitigari puſtulis circa labia & genas erumpentibus. Neque tamen negaverim, aliquando ſcorbutum e febribus male tractatis naſci poſſe. *Sennertus* tract. de febribus lib. 2. cap. 18, p. 285, idem in Saxonia adnotavit: *Sæpe*, inquit, *accidit in hiſce regionibus, ut in febribus diuturnis & tertianis, & quartanis, ſcorbutus conjungatur. Materia enim febrilis & vitioſa, in viſceribus collecta & diutius hærens, tandem diſpoſitionem ſcorbuticam induit, unde febres curatu difficiliores redduntur, imo non curantur niſi ſimul medicamenta, quæ ſcorbutus requirit, adhibeantur.* Quamobrem & in hac femina antiſcorbuticorum diutius continuatorum uſu curationem abſolvimus. Hanc enim medendi methodum, & remedia ſceletyrben corrigentia, expoſcunt etiam alii morbi, quibus ſcorbutica acrimonia ineſt.

CON-

CONSECT. VI.

Febres tertianæ intermittentes, præſertim illæ, quæ nondum perfecte ſolutæ ſunt, ſæpe poſt ſe relinquunt aut ſpaſmodicas paſſiones, aut atoniam partium aliquam.

THeorematis hujus veritatem ex II & IV caſu ſatis perſpicimus. Senex enim ſpaſmodico arthritico dolore, vetula vero œdematoſo pedum tumore, tanquam atoniæ ſuccedentis indicio, poſt acceſſiones febris conſopitas, laborare cœperunt. Equidem febres, perfecte & tempeſtiue ſolutæ, parum vel nihil incommodi poſt ſe relinquere ſolent, ſed ſanitati in dies magis magiſque inſtaurandae apprime favent. Ubi vero febres intermittentes aut neglectæ ſunt, & juſto diutius protrahuntur, aut præmature ſupprimuntur, aut alia ratione incongrua, quæ robori corporis viſcerumque integritati obeſſe poſſit, turbantur; neceſſe eſt, varia ſubſequantur incommoda. Febrilis enim materia, quæ neque ſatis excocta & emendata, neque ſufficienter excreta, ſed ex parte quadam intus retenta eſt, non poteſt non temperiem humorum partiumque actionem naturalem pervertere, magnamque ſanitati labem affricare. Notatu dignum eſt, utroſque iſtos ægrotantes ætate provectiores & declives jam extitiſſe. Senilis enim ætas hiſce malis magis expoſita videtur ideo, quia minus idonea eſt, quæ frequentes febrium iſtarum inſultus ſine damno ſuſtinere poſſit. Sicuti enim ſenes rarius intermittentibus febribus affliguntur; ita ſæpe iiſdem gravius laborant; quam juvenes & viri ætate juniores. Teſtantur illud febres comatoſæ tertianæ, quibus ſenes non raro e vivis eripiuntur; niſi tempeſtiue iiſdem occurratur; ſiquidem perniciem earum methodumque ſanandi celeberr. *Werlhofius* in elegantiſſimo de febribus tractatu expoſuit. Humores enim ſenum craſſi viſcidique ac ſcorbutici minus apti ad iteratas febriles intermittentium coctiones & excretiones; debile vero eorum genus nervoſum motibus iſtiuſmodi repetendis haud adeo accommodatum eſſe videtur, quin debilitatem inſignem ex frequentibus illis inſultibus recipiat. Cum enim vehementes motus ſpaſmodici, inter quos etiam febriles acceſſiones reſpective pertinent, notabilem ſæpe atoniam poſt ſe relinquant; mirum non eſt, ceſſante intermittentium tumultu, non leves atoniæ notas obſervari. Ita non tantum laſſitudo, inappetentia, pallor faciei, dyſpepſia, ingenii tarditas, excretionumque ſegnities aliquandiu remanent, ſed etiam pedes œdematoſo tumore, ceu in vetula iſta factum, implentur. Poſtremum hoc ſymptoma non tam corticis Chinæ abuſui, quam aliis potius cauſſis adſcribendum eſſe, vel inde patet, quod femina illa nondum de cortice Peruviano quicquam aſſumſerat. Majore jure alii culpam œdematis rejiciunt in nimiam aquarum ingurgitationem, qua ſi-

ſitim æſtumque febrilem reſtinguere geſtiunt. Sicuti autem non omnibus exceſſus in potu œdema infert; ita ſenes magis hujuſmodi ſymptomati obnoxii eſſe ſolent. Hi enim facile viſcerum atoniam & tardiorem vaſculorum oſcillationem experiuntur, magiſque proclives ad œdemata eſſe ſolent. Quodſi tamen purgantia, utpote quæ tumorem pedum in vetula ſuſtulerant, una cum digeſtivis & roborantibus propinentur, ſerum illud vappeſcens, in pedibus ſtagnans, cito educitur. Ex illorum enim remediorum effectu patet, atoniam febri ſuccedentem evanuiſſe, poſtquam motus vaſorum oſcillatorii a ſtimulo catharticorum & roborantium aucti, humores vero exinde æquabilius agitati, alterati, atque excreti fuerant. Satis ex his perſpectum eſſe exiſtimo, atoniam febres ceſſantes aliquando ſequi; ſupereſt, ut comprobem, interdum ſpaſmodicos affectus in aliis ſupervenire. Si morbos, febribus intermittentibus ſuccedentes, antea in conſectario I recenſitos, perluſtramus, non paucos, qui huc referri poſſint, inter illos reperiri intelligimus. Unum ſaltem hic recenſebo dolorem vagum arthriticum artuumque tremorem, tanquam ſpaſmodici morbi ſpeciem, qualis ſenem noſtrum, caſu IV commemoratum, poſt febrim ſuperatam graviter afflixerat. Quodſi vir iſte olim arthriticis vel hæmorrhoidariis ſaltem paſſionibus obnoxius fuiſſet; haud inſolitum quid ipſi accidiſſe concederem, ſi priſtini reverſi eſſent morbi. Quamvis enim ſolertiſſimus febrium obſervator, *Franc. Tortus in therapeut. ſpeciali febrium Lib. III. Cap. VII. p.* 121 affirmet, *ipſi rarius arthriticos dolores in febribus videre contigiſſe*; attamen *Ludov. Mercatus*, vir eruditione, experientia, & muneris dignitate præſtantiſſimus, *Lib. VI. de febrib.* fidem facit, eos, qui articularem morbum pati ſunt aſſueti, febre detentos, arthriticos graviſſimoſque dolores non raro expertos eſſe. Adeo inter ſe nonnunquam conſpirant arthriticæ paſſiones & motus febriles, ut ſeſe viciſſim excipiant. Ita laudatus *Frid. Hofmannus*, in Diſſ. qua obſervationes pract. circa febres tert. exhibuit, p. 12, hiſtoriam recenſet, huc vel maxime ſpectantem: *Vir*, inquit, *robuſtioris naturæ, podagrico affectus dolore, poſtquam ab imperito homine cataplaſmate externo ſedatus fuerat, vel potius intro repercuſſus, in tertianam incurrebat, diris ſymptomatibus ſtipatam, - - & perquam dignum hic notatu erat, quod ſedata febre dolores ingentes ipſos artus per aliquot dies adhuc excruciaverint.* In noſtro vero febricitante citra prægreſſam arthriticam diſpoſitionem, poſtquam ſola febris præceſſerat, & per aliquot tempus ceſſaverat, articulares dolores cum tremore membrorum ſubito eruperant. Forte motus febriles, chinæ corticis uſus opiti, cum tyrannidem ſuam in partes internas exercere amplius non potuerint, ad externas diffuſi, ſub ſpecie articularis morbi, membra convulſa ſpaſmis infeſtarunt. Sicuti enim febres iſtæ levi de cauſa recidivant, priſtinoſque motus repetunt; ita refrenato paroxyſmo muſſitans ille niſus motuum ſpaſtico-febrilium, nervoſo generi adhuc inhærens, & ex con-

ſue-

ſuetudine febris diuturnæ ferme naturalis factus, mutato nonnihil morbi ſchemate, aliquando in artus diſtribuitur, non minus, ac ex colica arthritis, & ex ſuppreſſis partus doloribus tremor artuum in puerperis accidere ſolent. Idem indicant medicamenta alimentoſa & demulcentia, arthritidi huic oppoſita. Juſcula nempe avenacea & brodia blando ſuo delinimento ſpaſmorum ſævitiam placarunt, & reſtituta inde humorum temperie ac tranſpiratione cutis ſimul ad fornacem continuata, curationem abſolverant. Quod reliquum eſt, ex binis hiſce caſibus monemur, ne febrim jam effugiſſe viſam ſubtuto negligamus, ſed curatione illam ſecundaria proſequamur, & attenti reſpiciamus, utrum pathemata ſpaſmodica, an vero atonia ſaltem partium, adhuc reſtet? Cum enim utraque hæc vitia non iiſdem, ſed ſæpe diverſis, remediis debellari debeant; opus eſt, ut non modo febres ſenum cauta ratione aggrediamur, ſed etiam provide diſtinguamus, quibuſnam ſub finem morbi roborantia, an vero temperantia & antiſpaſmodica, exhibere conveniat?

CONSECT. VII.

Quamvis interdum alii morbi alternatim cum febribus recidivent, & viciſſim revertantur; attamen non idem in omnibus nexus, nec eadem medendi ratio, obtinent.

VArii ſæpe morbi cum febribus junguntur, vel ſaltem illas, modo fugientes, preſſo pede ſequuntur; aſt redeuntes iterum febres poſt ſe trahunt, & cum his alternatim miſeros invadunt. Ita vero videntur mutuas adeo conſeruiſſe manus, ut arcto vinculo connexi & conſpirantes vix ab invicem divelli poſſint, & alter morbus pro alterius ſuccedentis cauſſa haberi, ideoque uno illorum penitus ablato, etiam alterius radices ſimul evelli queant. Nihilominus tamen haſce morborum viciſſitudines non ſemper eundem nexum inter ſe habere, inſtituto examine convincimur. Nonnunquam enim morbi junguntur febribus, qui aliquam cum his affinitatem habent, & mutua ſibi invicem incrementa aut decrementa ſuppeditant. Interdum autem tales febribus aſſociantur paſſiones, quæ cum natura febrium nihil commune habent. Notum tamen eſt, ex quibuſdam morbis tertianas ſubinde naſci, ex his vero rurſus tam priores, quam novos, oriri; alios morbos febribus ſupervenientibus tolli ac minui; ex adverſo alios earum adventu exacerbari; nec minus accidentia quædam febribus remedio, alia vero incitamento, eſſe. Ex his enim ſatis patet, morbos, alternatim cum febribus revertentes, neque eundem inter ſe nexum habere, neque eandem ſemper curationem admittere. Si enim morbi quidam rebelles, v. gr. epilepſia, icterus, hypochondriorum dolores, cachexia &c. â febribus tertianis accedentibus evidenter minuerentur; aut ſi febres ab aliorum ſympto-

matum, ſæpe ſalubrium & criticorum, v. gr. â diarrhœæ vel vomitus acceſſione, vel ab exanthematum puſtularumque eruptione, ceſſarent; ſane haud prudenter agerent, qui morbum hunccce ſalutarem, recens adventantem, præmature & ſubito ſupprimerent; quoniam aut prior, aut alius quidam, graviorque morbus certo reverteretur. Ex adverſo, ſi febris tertiana, morbo cuidam ſuperveniens, hujus perniciem intenderet; impium foret, iſti diutius juſto indulgere, dubiamque febris ſalubritatem fruſtra, vel majori cum periculo vitæ, exſpectare. Prælibatis hiſce, quid de febrientibus noſtris ſentiendum ſit, nunc liceat breviter exponere. Si ad caſum II revertamur, œdema pedum febrim tertianam aliquoties ceſſantem ſequebatur; eodemque ſanato, febris viciſſim redierat; hac denuo ſubacta, œdema rurſus ſuccreverat. Puer autem, de quo hiſtoria III loquitur, toties magis inflari cœpit, quoties primum febris imminuebatur; & viciſſim ventre detumeſcente, flatibuſque diſcuſſis, febre gravius affectus eſt. Diſpar ratio mihi videtur intercedere inter utroſque morbos, mutuo cum febre repetentes. Certum quidem eſt, œdema ex febre prægreſſa natum eſſe; utpote quod ſymptoma febribus intermittentibus, modo ceſſantibus, non raro ſuccedere novimus. An vero febris ab œdemate renata ſit? id abſolute affirmare non auſim. Equidem, ſi œdema ab externis repellentibus verſus interna retropulſum fuiſſet, forſan febris recurſui anſam dare potuiſſet. At vero, cum ſerum œdematoſum ope remediorum ſupra nominatorum ſatis alteratum, atque per alvum & urinam excretum ſit; immediata & materialis febris redeuntis cauſa non tam in œdemate, quam in purgantibus adhibitis, & in viſcerum labe profunda, (quæ jam lentam tabificamque intulit,) quærenda eſſe videtur. Quod enim purgantia, præſertim valentiora, intermittentes, cortice Chinæ ſopitas, facile reſuſcitent, ſæpius comperta res eſt. Irritatione enim ſua, qua villos inteſtinales vellicant, & ad motus tam ſecretorios, quam excretorios, accelerandos extimulant, purgantia facile febriles motus, adſtringentibus vix refrenatos, habenis per uſum aperientium & draſticorum rurſus laxatis, denuo concitare, & ita mediate febrim revocare valent. Quamvis autem hac ratione febris ex œdemate ſanato mediate revixerit; hoc ipſum tamen œdema non in culpa immediata verſatur, ob quam febris reverſa ſit; nec opus eſt, ut ſemper febris poſt uſum purgantium, removendo, œdemati deſtinatorum, revertatur. Quanquam enim nonnulli, qui ſæpe experti ſunt, purgantibus poſt febres modo ſopitas exhibitis, paroxyſmos revocari poſſe, ipſis laxantibus chinata remedia interponant; attamen alii felicem & durabilem febris curationem factam eſſe judicant, ſi, ceſſante febre, laxantia adhibita paroxyſmum haud rurſus invitaverint. Equidem ex altera parte calor febrilis, repetito accenſus, ad diſſipationem & attenuationem ſeri œdematoſi aliquid conferre, & ita febris ſimul œdemati remedio eſſe poſſe videtur; ſiquidem pedes redeunte febre detumuerant. Dubito tamen, an ſolus ſuffe-

ciſſet calor; niſi digeſtiva, aperitiva, & laxantia fuiſſent præmiſſa. Sæpe enim œdema & aſcites febrim comitem habent, qua tamen ſerum hydropicum minime abſumitur. Ita vero neque febris œdema, neque viciſſim hoc illam, penitus & perfecte abſtulit, aut abſoluta quadam neceſſitate poſt ſe traxit; niſi aliæ cauſſæ interveniſſent. Nam, ſicuti ſupra monui, hæc femina, utpote in cachexiam & tabem jam inclinans, tantam viſcerum abdominalium labem ſine dubio conceperat, quæ & febris, & œdematis, recurſui occaſionem dederat. Si vero ad puerum iſtum reſpiciamus, febris potius remedio eſſe poterat obſtructis abdominis viſceribus, quæ cauſam febri ſuppeditaverant. Hanc itaque ſupprimere febrim haud opportunum fuiſſet, ante quam aperientibus & incidentibus viſcera reſerata, & laxantibus primæ viæ repurgatæ fuiſſent.

CONSECT. VIII.

Ventris poſt cibum aſſumtum inflatio dyſpepſiæ & aceſcentiæ præternaturalis eſt criterium.

PUer idem, de quo caſus III agit, ſtatim a cibo ſumto magis inflari cœpit. Hujuſmodi inflatio partim a fermentantibus cibis, partim a ſpaſmis duodeni & ventriculi, pendere ſolet. Sanus enim homo, & qui perfecta ventriculi digeſtione gaudet, a cibo modico & ſalubri non inflatur. Ubi vero digeſtio vitiata, & inprimis aceſcens cruditas præſens eſt, frequentes accidunt inflationes & eructationes. Acidam enim ſaburram, in hoc puero adfuiſſe, partim ex prægreſſo panis crudioris acidique abuſu, partim ex ipſa poſt cibum inflatione & tumore abdominis cacochymico, colligimus. Alimenta enim, præcipue vegetabilia, eaque humectata, accedente tepore caloris, qualis in ſtomacho eſt, facile aceſiunt, niſi aceſcens iſta fermentatio impediatur interventu aliorum liquorum, qui reſolutioni iſti aceſcenti, fermentanti, & aerem copioſum eructanti, natura ſua reſiſtere valent. Hunc in cenſum veniunt bilis, menſtruum ventriculi, & ſuccus pancreaticus, utpote qui liquores, rite conſtituti, oxyregmiæ potentiſſime reſiſtunt. Ubi vero menſtrua iſta, ob vitia viſcerum hepatis, lienis, pancreatis, & tunicæ glanduloſo villoſæ ventriculi, non rite parantur, ibi digeſtio corrumpitur, cruditas nata ſtomachum & duodenum irritat, unde ſpaſmi, ſaburram retinentes, &, quo minus hæc deorſum excernatur, impedientes eveniunt, qui ſpaſmi ſimul augentur a circulo ſanguinis inæquali per viſcera abdominis infarcta, eoque in vena portæ retardato, & ſtomacho ac inteſtinis moleſto, utpote ſæpe febrium & ſpaſmodicorum affectuum incitamento.

CON-

CONSECT. IX.

Febres tertianæ dependent potiſſimum a motu elaſtico & vitali, ſpecifice & determinate alterato.

Quemadmodum naturam morborum præcipue ex eorum phænomenis cognoſcere & dijudicare poſſumus: ita quoque febrium differentias ex iiſdem vel maxime eruere valemus. Quodſi itaque ſymptomata febris tertianæ intermittentis tam cum aliis morbis, quam cum reliquis intermittentium ſpeciebus, comparamus; ſtatim intelligimus, ſymptomata tertianæ non tantum ab aliis morbis, febre carentibus, longiſſime recedere, ſed etiam ab aliis febribus, tam continuis, quam intermittentibus, non parum diſcrepare. Quamvis autem tertiana tam generatim, quoad communia febrium accidentia, cum omnibus febribus; quam ſpeciatim, quoad ſpecialia intermittentium ſymptomata, etiam cum aliis intermittentibus conveniat: attamen præcipua quædam in tertianis eveniunt phænomena, quibus a reliquis diſtinguantur. Nam reſpectu (1) originis & modi, quo fiunt, (2) ratione repetitionis & durationis, (3) item effectuum & ſymptomatum quorundam ſuccedentium, (4) gradus, vehementiæ & periculi, & denique, (5) intuitu methodi medendi, tertianarum phænomena non perfecte nec omnimode cum ceteris intermittentibus conſentiunt, ſed in ſingulis iſtis conditionibus ſæpe præcipui quid habent. Jam autem pro certo ſtatutum eſt, actiones phyſicas reſpondere ſuis cauſſis, & mutatos rerum effectus ex mutatis eorum cauſſis ſequi. Nec omnino negandum, febrium accidentia e numero effectuum reſpective phyſicorum excludi haud poſſe. Hinc rationi conſentaneum eſt, ſtatuere, tertianam quoque ex peculiaribus & ſpecificis cauſſis pendere, ob quas nullus alius morbus, niſi eadem tertiana, naſcatur. Certum autem eſt, pleroſque morbos, præſertim eos, qui ſpontanei, ſeu naturæ humanæ viribus excitati ſunt, e regulis quibuſdam, naturæ humanæ competentibus, originem ſuam trahere. Regularum autem earum non ultima, quæ tam in ſtatu naturali, quam præternaturali, valet, ſequens eſt: nos ex iiſdem, quibus vivimus, cauſſis, recte diſpoſitis, bene valere; ex iiſdem vero turbatis vel alteratis, morbo corripi; & tandem ex iſtis prorſus ſublatis nos demum mori. Videamus itaque, quænam præcipua vitæ & ſanitatis cauſſa ſit? Hanc in æquabili, temperato, & conveniente circulo ſanguinis, excitato a legitima actione ſolidorum & fluidorum corporis humani, nimirum in quantitate, qualitate, & motu utrorumque inter ſe proportionata, ceu in motu vitali & elaſtico rite conſpirantibus, ponendam eſſe, ratio ſuadet. Cum itaque febris ſpeciali modo ab eo ordine naturali deflectat; ſequitur, tertianam in motu vitali & elaſtico partium corporis noſtri, & in circulo ſanguinis, ſpecifice & determinate alteratis, quærendam eſſe, ideoque fieri, ut mutatis his cauſis etiam tertiana mutetur, adeo ut aliquando in continuam, ardentem, malignam, interdum vero in alium chronicumque morbum, converti poſſit.

CON-

CONSECT. X.

Laſſitudo, poſt tertianam finitam diu remanens, ſuſpecta eſt, aut de febris recurſu, aut de morbo alio superveniente.

MOrbis perfecte judicatis, humoribus attemperatis, impuris vero coctis & excretis, & æquilibrio virium inter ſolidas & fluidas partes reſtituto, vigor corporis & actionum alacritas ſucceſſive redire ſolent. Laſſitudine autem poſt morbos juſto diutius protracta, tonum vitalem & elaſticum nondum integre reparatum, ſed adhuc impeditum, ideoque morbis provocandis opportunum, ſupereſſe judicamus. Si ad febricitantes noſtros reſpicimus, languor, ſuperata febre iis diutius inhærens, malus extiterat nuntius, & vel redeuntem febrem, vel alium morbum oſtia pulſantem, indicaverat. Vere recteque *Hippocrates aphor.* 5. *ſect.* 2. non modo generatim: *laſſitudines*, inquit, *ſpontaneæ morbos denunciant*; ſed etiam in libro de *judicationibus* inter alia morbi mox redituri ſigna, ſolutum corporis robur, omniumque membrorum dolorem, ſeu laſſitudinem moleſtam, numeravit. Sicuti enim ſubitanea & enormis laſſitudo ſæpe morbos præſagit malignos, ita *Sim. Pauli Tr. de febr. malign.* §. 14. & *Franc. Rubeus in nocturn. exercit.* 6. & 22. adnotarunt, *poſt intenſiorem laſſitudinem in febre tertiana, malignam & duplicatam febrim eveniſſe.* Si itaque laſſitudo gravior poſt tertianam remaneat; indicat, aut cauſſam febris nondum funditus ſublatam, aut vires adeo fractas eſſe, ut ſanitati conſervandæ ſint impares, aut denique cauſſam aliam latere, quæ reparationem virium impediat. Has ob cauſſas, ſilente licet febre, neque medicum, neque ægrotum, ſecurum eſſe decet, ſed potius remediis tam diæteticis, quam ſi opus pharmaceuticis, inſiſtere, donec laſſitudo inſolita penitus evanuerit.

CONSECTARIORUM RELIQUORUM SYLLOGE.

EQuidem plura haberem conſectaria, ex caſibus iſtis ducenda, quæ uberiore illuſtratione magis confirmare poſſem. Verum, ut brevitati ſtudeam, ea ſaltem nominaſſe ſufficiat.

I. *Cephalalgia tertianarum minus periculoſa, quam acutarum & malignarum febrium, quia illa potiſſimum per conſenſum e primis viis oritur.*

II. *Veſicatoria inſignem uſum habent in continuis, delirio ingruente.*

III. *Salia digeſtiva polychreſta quidem, ſed non omnibus congruentia.*

IV. *Delirium, cum cardialgia alternatim invadens, in tertianis plurimum ſympathicum e ſtomachi cruditate.*

V. Ipecacuanha, ob vim aromaticam, mitior & tutior in febribus, quam tartarus emeticus, qui ſæpe ſpaſmum ventriculi graviorem, acerbiores irritoſque vomendi conatus, & cardialgiam poſt ſe trahit.

VI. Sæpe febris accuſatur, ceu cauſa pathematum & morborum ſupervenientium, cum potius vel diæta neglecta, vel inconcinna medicatio, noxa intulerit.

VII. Oedema febribus ſuccedens purgantibus facile cedit.

VIII. Epithemata tepida, epigaſtrio impoſita, ſpaſmos febrium cardialgicos & flatulentos egregie demulcent.

IX. Febris ſæpe remedio eſt aliis morbis.

X. Febrifuga chinata tam flatulentos, quam febriles conjunctos, motus interdum moderantur.

T A N T U M.

J. FRID.

CLIV.

J. FRID. CARTHEUSER

DE

FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS EPIDEMICIS,

PROGRAMMA.

Francof. ad Viadrum 1749.

IN pleriſque Germaniæ tractibus hoc & præterito anno de refractariis ac ſæpe recurrentibus febribus intermittentibus multas multorum querimonias auditas fuiſſe, & etiamnum hinc inde audiri, medicos practicos latere nequit. Non vulgares profecto hæ febres ſunt, uti aliqui, tritæ duntaxat methodo adſuefacti, autumant, ſed jure ad epidemicarum claſſem, niſi omnes, certe tamen quamplurimæ, referri merentur, & longe aliam ideo, quam ordinariæ, ob genium ſuum, atque originem plane ſingularem, medelam poſtulant. Clarius, quod ſpero, memorata ex brevi originis, ſymptomatum, atque cauſſarum contemplatione ac comparatione, quam protinus ſubjungam, patebunt. Vulgares febres intermittentes, ſive ſint quotidianæ, ſive tertianæ aut quartanæ, cruditatibus, nunc pituitoſis, nunc mucido-bilioſis, nunc tenaciſſimis pituitoſo-acidis, in prima culina coacervatis, natales ſuos præcipue debent: Impura hæc colluvies, cujus geneſi varii errores diætetici circa alimenta, adfectus animi, præſertim iracundia, terror, & mœror, aliaque occaſionem præbent, perenni ipſius ventriculi & inteſtinorum actione ſenſim reſoluta ac mobilis reddita, ſucceſſive, niſi tota, quoad notabilem tamen, immo maximam partem ad ſanguinem & lympham tranſit, eorundemque ſyſtaſin naturalem miſcela ſua corrumpit, & ſolidas quoque partes nervoſo-membranaceas continua preſſione, & iterata vellicatione, quoties ſcilicet, mole magis magiſque aucta, in tubulis capillaribus ſubſiſtere, & circuli libertatem ſufflaminare incipit, ad contractiones, ſolito vehementiores, adeoque ſpaſmodicas, impellit: Hinc aliter omnino fieri nequit, quin auctiori & celeriori huic contractioni primo violenta cruoris ex peripheria corporis ad centrum, ſeu ex vaſculis capillaribus ad canales majores preſſio, eidemque protinus ſociata horripilatio, nonnunquam ſatis diuturna, tandemque, hac ceſſante, per corpus univerſum non ſanguinis ſolum, ſed cæterorum pariter humorum circuitus impetuoſior atque velocior, cum notabili ac prorſus præternaturali caloris incremento, uno verbo, febris ſuccedat, tamdiu neceſſario perſeverans, uſque dum translata & diſſeminata materiæ obſtruentis, prementis, vellicantis, portio iterum excuſſa, in motum redacta, & poſt ſufficientem reſolutionem, cui motus febrilis egregie velificatur, per cribrum cutis & vias urinarias excluſa fuerit. Peracta hac excretione, temporariæ quædam turbarum ſenſibilium induciæ, pro differenti adducendæ materiæ ſolubilitate, nunc breviores, nunc longiores, notantur: Temporariæ, inquam, induciæ; toties quippe novus paroxyſmus redit, & memorati igniculi febriles, prævia horripilatione, rurſus in ſanguine accenduntur, quoties ſufficiens iterum ac nova materiæ inimicæ moles ex primis viis ad liquida circulantia tranſ-

miſſa fuit. Quare, quo major etiam ſaburræ in prima culina collectio eſt, quo magis præterea ventriculi & inteſtinorum conjuncta imbecillitas novarum cruditatum geneſi favet, eo diutius quoque deſcripta luditur tragædia. Et inde pariter cuivis facile perſpicere licet rationem, cur practici rationales, vulgaris febris intermittentis curationem ſuſcepturi, magis de minera febrili præparanda, fomiteque ſubtrahendo, quam de ipſo motu febrili, quem recte conſuetum, & perſæpe ſaluberrimum, naturæ remedium judicant, ſedando ac cohibendo ſolliciti ſint, cur in principio aliquamdiu incidentia, abſtergentia, temperantia &c., deinde emetica, aut cathartica exhibeant, & cur tum demum, ſi nempe, ob refractariam morbi indolem, neceſſe ſit, ad decantatiſſimi corticis peruviani, ſimiliumque uſum confugiant, quando, viſcerum obſtructionibus reſeratis, & prima culina debite purgata, nihil amplius, niſi flacciditatis ſeu atoniæ emendatio, quam cortex peruvianus, & hujus commatis reliqua conſtringendo ac roborando præſtant, peragendum reſtat. Prolixius memorata ventilare, & quævis momenta argumentis variis, a ratione non minus, quam experientia deſumptis, corroborare poſſem ac vellem, niſi hic ſubſiſtere memet, & febrium intermittentium epidemicarum originem, naturam, & cauſſam dictinctam paucis quoque exponere, ſcopus juberet: Cauſſam voco diſtinctam, quoniam unice ad eminentem denſitatem, ſpiſſitudinem, muciditatem, & ſcorbuticam acrimoniam ſanguinis ac lymphæ redit, adeoque locus natalis, & prima harum febrium incunabula neque in ventriculo, neque inteſtinis, ſed in ipſis humoribus circulantibus quærenda ſunt. Altius igitur ſeu e longinquo, ex incongrua nimirum, & inimica atmoſphæræ conſtitutione, tempeſtatumque frequenti ac prorſus ſingulari viciſſitudine annorum præcedentium prima ac vera depravatæ hujus conſiſtentiæ atque temperiei origo petenda erit. Ad finem quippe properante anno ſupra milleſimum & ſeptingentiſſimum quadrageſimo ſeptimo per binos menſes tepida, nebuloſa ac pluvioſa tempeſtas erat, quæ, fibras relaxando, partium ſolidarum tonum valde dejiciebat, & humoribus omnibus, ob circuli languorem, & ſe & excretionum imminutionem, non ſpiſſitudinem ſolum ac muciditatem, ſed ſcorbuticam quoque acrimoniam ingenerabat. Humidæ huic ac tepidæ aëris conſtitutioni ſub initium anni ſequentis repente gelu ſuccedebat intenſiſſimum, ad vernale uſque tempus ſine memoranda propemodum remiſſione perdurans, quod nonnihil quidem, fibras laxas conſtringendo, atoniam ſolidorum, neutiquam vero humorum vitia, emendavit, ſed lymphæ potius atque cruoris ſpiſſitudinem auxit. Frigoris ſævitiem, paucis interjectis hebdomadibus temperatis, contra verni temporis naturam, ſat magnus excipiebat æſtus, qui humores craſſos, mucidis acribuſque quiſquiliis inquinatos, commovere, attenuare,

&,

&, largioris tranſpirationis beneficio, depurare incipiebat; verum, cum ſubito iterum aſperiores venti boreales flarent, & frigore ſuo exhalationem cutaneam, hactenus largiorem, denuo ſupprimerent, cœpta reſolutio ac depuratio rurſus ceſſabat, & relictæ partes, impuræ, pituitoſæ, acres, copioſiſſimæ, in tranſitu ſuo ad corporis peripheriam maxime interceptæ, in tubulis capillaribus ſubſiſtere, eoſdemque pertinaci inhæſione ſua magis in dies magiſque obſtruere cogebantur. Ad ſummum tandem denſitatis, ſpiſſitudinis & acrimoniæ gradum cruor ac lympha pervenerunt, cum iterum æſtus ingens ac valde diuturnus inſequeretur, & animantium corpora, quæ, durante hac tempeſtate æſtuoſiſſima & ſicciſſima, continuo ac forti ſudore ferme diffluebant, relictis partibus impuris, tam promte ob craſſitiem & acredinem ſequi, ac ſimul exire neſcientibus, maximam ſeri diluentis, ac contemperantis jacturam facerent. Non mirandum itaque fuit, quod, creſcente in dies canalium obſtructione, aucta hoſtili impuritatum ſubſiſtentium, & paſſim firmius impactarum preſſione ac vellicatione, & funeſta imminente circuli humorum ſufflaminatioue, tandem apud homines, indicato fluidorum vitio eminentius laborantes, febris, ſatis plerumque vehemens, diuturna, atque rebellis, apud alios intermittens ſolitaria, ſæpius tertiana, quam quotidiana, & quartana, apud alios duplicata, h. e., intermittens, ac ſimul continua ſupervenerit. Confirmant cauſſam allegatam non ſymptomata ſolum, ſed lædentia pariter atque juvantia: Apud ſubjecta enim quamplurima, intermittente inprimis continua correpta, frigus exiguum fuit atque breviſſimæ durationis, inſequens æſtus vero ſatis fortis, & apud multos multaſque patientes adeo diuturnus, ut poſt primum febris inſultum, & primam, eamque leviorem, horripilationem, recurrentium paroxyſmorum acceſſiones, modo regulares, modo valde irregulares ac vagabundæ, vix amplius attendi potuerint, novumque ſupervenire, magis inquietudinis, anxietatis, & æſtus incrementum, quam præcurrens horripilatio, monſtraverit. Æſtui plerumque largi jungebantur ſudores, qui ægros non parum quidem debilitabant, & febris lenteſcentis ſpeciem morbo conciliabant, ſumme nihilominus neceſſarii erant. Nam, quoties paullulum ſupprimebantur, vel ſponte etiam prorumpere ceſſabant, apud aliquos leve animi deliquium ſuperveniebat, apud ſingulos anxietas cum ſymptomatibus reliquis increſcebat, & natura protinus materiæ impuræ excretionem per alia loca moliebatur: Et inde quoque factum eſt, ut apud nonnullos tuſſis pituitoſa, apud alios diarrhœa, immo apud paucos parca quædam narium hæmorrhagia acceſſerit. Sanguis, vena extractus, ordinario ſpiſſus erat, & muco adeo plerumque refertus, ut interdum magis pituita cruenta, quam verus ſanguis e vena inciſa effluere videretur; interdum tamen ſanguis floridus, miniati prorſus coloris,

loris, obſervatus fuit, denſus nihiloſecius, ad coagulum proniſſimus, & ſcorbuticis ſalibus ſine dubio valde impraegnatus. Urina, nunc aurantii ſaltem, nunc rubri ſaturatioris, nunc fuſco-nigricantis coloris, admodum craſſa erat, & poſt moram aliquam copioſa recrementa, vel albicantia ac mere mucida, vel mucido-lateritia ad vitri fundum deponebat. Larga hæc impuritatum per vias urinarias excretio apud multa ſubjecta per aliquot interdum hebdomades citra intermiſſionem perduravit. Nonnunquam, rarius tamen, hinc inde tubercula purpurata, & maculæ ſcorbuticæ in conſpectum venerunt, quæ diu tamen in ſuperficie perſiſtere renuebant, ſed poſt modicum temporis intervallum iterum diſparebant. Venæſectio, ante primum morbi acceſſum inſtituta, multis profuit, poſtmodum vero, febre nimirum jam præſente, adminiſtrata, nihil emolumenti attulit, ſed criticas excretiones aliquantulum potius turbavit. Emetica & purgantia, quæ in vulgaribus febribus intermittentibus, præmiſſa cruditatum præparatione, locum inveniunt, immo inter bona omnino ac neceſſaria remedia militant, plus nocuerunt, quam profuerunt, quum materiam febrilem, per maſſam humorum unice diſſeminatam, minime valuerint eliminare, ſed, liquidiores ſolummodo ſuccos educendo, ſanguinemque exagitando, æſtui augmenta dederint. Idem de tincturis amaris, aromaticis & quibuſvis aliis medicamentis calidioribus, nec minus de famoſo cortice peruviano, dicendum venit. Cortex hic, quod ſupra pridem retuli, ob terreo-reſinoſo-gummeum principium amaricans & auſterum, blande roborat, & valide inprimis conſtringit, adeoque in vulgaribus, iiſque refractariis, febribus intermittentibus, præmiſſis tamen præmittendis, ad robur primæ culinæ reducendum, tuto in uſum vocari poteſt, in epidemicis vero, de quibus hactenus diſſerui, nullum plane locum invenit, ſed oblatus perſæpe vires veneni exercet. Quid ſibi enim fibrarum ac tubulorum conſtrictio vult, quando humores, hinc inde pridem ſubſiſtentes, & incarcerati quaſi, periculoſas vaſorum, præſertim capillarium, obſtructiones pariunt? Nullam profecto uſus rationem hic invenio, & iterum proinde iterumque pronunciare audeo, corticem hunc in deſcriptis ſimilibuſque febribus non ſalutare, ſed valde nocivum remedium eſſe, quoniam ſcilicet, tubulos coarctando circuli libertatem magis turbat, neceſſariam ſaburræ reſolutionem & excretionem cohibet, vaſorum ac viſcerum obſtructiones auget, & prava pathemata, febre longe graviora, ominoſam videlicet vertiginem, capitis ſtupiditate, & viſus obſcuratione plerumque ſtipatam, aſthma cum vehementi pectoris conſtrictione, anxietates præcordiales, tumores viſcerum imi ventris, œdemata membrorum &c. producit. Nonnulli quidem ad experientiam provocabunt contrariam, &, quum uſum hujus corticis ſemel vel aliquoties innocuum invenerint, prædictis ſerio contradicere

tradicere non dubitabunt. Sed hiſce reſpondeo, febres, quas corticis chinæ uſu feliciter profligarunt, non deſcriptas epidemicas, ſed intermittentes vulgares, fuiſſe, & ſi forſan fuerint, ſanitatis labem, niſi protinus, ob ſingulare naturæ robur, ſucceſſerit, ſuo tempore certiſſime inſecuturam eſſe. Quod me attinet, nunquam hoc remedium in febribus hiſce adhibui, ſed eaſdem æque ferme, ac mere continuas, tractavi, & diluentibus inprimis, temperantibus, blande reſolventibus & diapnoicis, quibus ſubinde leniora roborantia, nec minus, febrili nimirum ſaburra ſimul in primis viis hoſpitante, vel illuc quoad partem critice translata, laxantia interpoſita fuerunt, cruoris ac lymphæ reſolutionem, & reſolutæ impuritatis excretionem per vias congruas promovere ſatius judicavi. Methodum hanc, quam attenta originis, naturæ atque cauſſæ ſpecificæ conſideratio ſuadebat, poſtea plerorumque etiam, immo, ſi abſque arrogantiæ nota licet dicere, omnium, quorum cura mihi tempeſtive fuit demandata, quique præſcriptæ vivendi normæ decens præſtiterunt obſequium, felix reſtitutio ſatis comprobavit, ita, ut aliis quoque eandem commendare, nullus dubitaverim.

FINIS.

CAROLI

CLV.

CAROLI GIANELLA

DE

ADMIRABILI IPECACUANHÆ VIRTUTE

IN

CURANDIS FEBRIBUS TUM AUTUMNALIBUS, TUM LENTIS, TUM ALIIS SIVE CONTINUIS, SIVE INTERMITTENTIBUS, SEDEM IN PRIMIS VIIS HABENTIBUS.

Patavii 1754.

QUod in Mechanicis evenire ſolet, ut invento aliquo inſtrumento pro unius rei commodo, poſtea ad aliarum rerum utilitates extendatur, id identidem in medicina facienda evenire obſervamus. Nihil enim eſt ſimul inventum, & perfectum, & cum proprietas, & medicamentorum vires non niſi poſt repetitas obſervationes, & experimenta detegantur, evenit ſæpenumero, ut majora remedia ad novos uſus quotidie extendantur. Hoc certe, ut reliqua omnia ſilentio prætermittam, hiſce noſtris poſterioribus temporibus in radicis ipeccacuanhæ uſu comprobatum eſt, quæ ad dyſenterias vincendas prius inventa, poſtea in ſanguineis fluxibus tum pectoris, tum uteri curandis uſurpata nunc temporis pro uno, optimo, conſtantiſſimo, & omnibus aliis anteponendo remedio, aliquando tamen rhabarbaro in conſortium arceſſito, in curandis febribus tum autumnalibus, tum lentis, tum aliis ſive intermittentibus, ſive continuis ſuum ignem in primis viis habentibus, & quæ aliquando Kinæ Kinæ uſu aut non cedunt, aut recidere ſolent, ſi veræ morbi pathologiæ fides, & rationi, & quotidianæ experientiæ adhibenda ſit; proponitur, exhibeturque. Equidem ſcio a medicis emunctæ naris in uſum quotidie revocari ipeccacuanhæ radicem in febribus tum intermittentibus, tum continuis, nec non etiam in putridis malignis cum exhantematibus; at in ſolis ſupra recenſitis remediis totam harum febrium curationem conſiſtere, a nemine alio, quod quidem ſciam, propoſitum fuit. Exhibetur hæc radix in aquam infuſa mane partitis vicibus, jejuno ſtomacho ad plures dies, & poſtquam bene interiores ventriculi, inteſtinorum, meſenterii, aliarumque partium vitioſi humores purgati ſunt, ſi febres non cedant, ad rhabarbarum fit tranſitus, quod ſingulis, vel alternis diebus, vel ante prandium, vel quatuor horis a prandio exhibendum eſt; & neque tutius, neque facilius, atque jucundius curatio ulla inſtitui poteſt.

Verum enim vero, ut hujus therapejæ rationalis fundamentum penitus cognoſcatur, eſt altius harum febrium pathologia inquirenda. Æſtivis temporibus urente ſirio majores fiunt exhalationes, & vapores. Nam radiorum ſolarium percuſſionibus aqueæ & cum aqueis carnoſæ particulæ in aëra feruntur, quæ denuo ob earumdem pondus, præcipue ſi ſimul jungantur, in terram relabuntur, & per os cum ſaliva ingeſta ventriculi, & inteſtinorum excretoria vaſa, atque eorumdem ſuccos infarciunt. Hinc ſuccorum craſſities, tenacitas, lentorque generari incipit, qui quotidie incrementa ſuſcipit ex vinorum aciditate, ex aquarum impuritate, ex ciborum tenacitate, & ex fructuum fugacium ſupervacanea humiditate. Interim chylus impurus redditur, & bilis, Pancreatis, & inteſtinorum glandularum vires enervantur, ex quibus vitioſi humores producuntur,

qui per galaxiam cum ſanguine incipiunt commiſceri. Quouſque tamen calor, & temporis æquabilitas perdurat, & cutis pori aperti ſunt, & vegetior natura permanet, ſuſcepta a cruoris maſſa vitioſa excrementa per æquabilem perſpirationem eliminantur. At adventante autumno modo calor, modo frigus ſupervenire incipit, anguſtiores fiunt pororum tranſitus, glutinoſa, & craſſa retinentur, & vaſorum ſtipationes fiunt, quia manantia corpuſcula, ut inquit Celſus, per inviſibilia foramina ſubſiſtendo iter claudunt, unde fluidorum maſſa ponderoſior facta vitiatur, virium languor incipit, oris amarities moleſtat, perturbantur ſomni, & fames perit; quæ omnia ſymptomata majorem fomitem poſſunt ſuſcipere ex diminuto tunc temporis ſolis calore, qui cum vim non habeat aut in altum tollendi, aut diſſipandi terraqueæ molis impuritates, in cauſſa eſt, ut iſtæ cum aëre ſalivam inficiant, & cum ſaliva, ut ita dicam, fermenta omnia. Porro hiſce in febribus tum plus in corporis peripheria excitatur crudorum vaporum, quam diſſipari poſſit, tum plus crudorum humorum in ventriculo gignitur, quam concoquitur. Hinc ægri anxii ſe ſe per lectulum jactant, neque uno loco quieſcere poſſunt. Et quia ventriculi tunicis mala quædam qualitas infixa eſt, ſæpe etiam vomitus in paroxyſmis excitatur. Non raro etiam ob ſummam humorum tenacitatem diu perdurant, & ſudores remittente febri erumpunt, qui licet videantur judicare morbum, nihil tamen decernunt, quin imo longiores febres in ipſis ſudoribus evadunt, præcipue tamen ſi aer humidus ſit, qui cutis poros cum infarciat, & Atmoſphæram leviorem reddat particulis nitroſis ab aqueis, & ſulphureis corporibus plurimum occupatis, ſanguinem fere vapidum reddit, corporis fibras laxat, unde vires fiunt languidiores. Quibus accedunt lienis, & hepatis obſtructiones, & urinæ craſſæ cum ſediminibus. Febres hæ aliquando intermittentes ſunt, & ut plurimum tertianæ duplices, aliquando ſemitertianæ, & aliquando continuæ continentes, remittentes tamen, quæ laticæ dici poſſunt cum Avicenna, ob occultam, quam ſervant, acceſſionem. Et licet Ballonius diſtinguat febres in venoſas, & in gaſtricas, id eſt in febres, quæ vitium venoſi generis ſequuntur, & in febres, quæ a vitio humorum in ventriculo, in inteſtinis, meſenterioque contentorum producuntur; hæ febres de quibus nunc loquimur, mixtæ ex utriſque appellari poſſunt, cum univerſalem tum ſuccorum primarum viarum, tum venoſi generis corruptelam ſequantur.

At ſentio nonnullos me corripere, quia harum febrium fomitem in tam univerſali humorum corruptione conſtituo. Nam a Williſio culpatur tantum vel acris, vel acida ſanguinis diatheſis, quæ chylum, ſeu ſuccum nutritium non ſubigit, ſed in materiam, quæ quotidie ebullit, tranſmutat; a de le Boë Sylvio ſuccus tantum pancreaticus, qui ſcilicet in ductibus pancreatis lateralibus obſtructis moram patitur, &

acef-

aceſcit, mox, obice ſuperato, intra duodenum una cum bile æſtuat, & in ſanguinem per chyli ſemitam periodice aſcendens febriles paroxyſmos inducit; a Fernelio vero in Pancreate & Meſenterio febrilis ignis ſtabilitur; & tandem a multis practicis exiguæ molis ſermentum febrile eſſe aſſeritur, quia evincitur cortice febrifuga, quæ aliquando abſque ulla ſenſibili evacuatione aut per alvum, aut per ſudores, aut per urinas febres extirpat.

Porro hæc omnia concedenda ſunt, ubi febres tertianæ tantum ſunt, aut ſi duplices ſint, ad perfectam ſemper ſingulis periodis Apyrexiam perducuntur, abſque virium proſtratione, nauſea, inquietudine, vigiliis. At in iis febribus, in quibus horror, aut rigor univerſalis, tremores convulſivi, & longi, lumbago, vomitus, angores, inquietudines, cibi faſtidium, oris amaritudo, aut inſulſitas, virium debilitas, ſudores, urinæ craſſæ, vigiliæ, ſitis, præcordiorum anxietates, & alia ſymptomata apparent; & quæ autumni tempore, auſtro flante in regionibus humidis, & aëris craſſitie fiunt, præter ventriculi vitium, præter bilis, pancreatis depravationem, etiam chyloſi ſucci glutinationem in plexu nerveo meſenterii, & in ciſterna Pecqueti irretitam, & lienis, & hepatis obſtructiones clare adeſſe conſtat; quia pari vago, & pari intercoſtali late per abdomen diſtributis talia ſymptomata producuntur cum impura ſanguinis diatheſi, quæ ex ſudoribus, languoribus, & urinis craſſis earumdemque ſediminibus arguitur. Et quia hiſce in febribus ea ſanguinis craſis reperitur; per quam ad majores contactus deductus ſanguis ipſe, & lentior factus in vaſis capillaribus potiſſimum reſiſtentiam inducit, inſurgunt frequenter modo horror, modo etiam rigor cum tremore, quia a diverſimodis particulis vel bilioſis, vel pituitoſis, vel alterius generis ipſamet cruoris maſſa afficitur.

Ignis igitur harum febrium non uno tantum loco accenditur, ſed & in gaſtrica, & venoſa cacochymia, unde frequenter vel ſemitertianæ, vel duplices tertianæ oriuntur; quia altera alteri acceſſio accedit, & urget. Neque hæ febres differunt humoris natura, ſed putredinis igne. Et quia aliquando iiſdem febribus caloris inæqualitas adjuncta eſt, eſt etiam maxima humorum tenacitas, atque craſſitudo arguenda, quæ difficulter diſſolvitur.

Cognita funditus harum febrium pathologia ad noſtram therapejam rationalem accedamus. Primus qui detexit radicis Braſilienſis proprietatem fuit Helvetius, qui pro tali invento in donum a Galliarum rege mille nummos aureos accepit. Et licet ab aliquibus tam utilis inventio Grenier attribuatur, Grenier tamen fuit tantum negotiator, & tam nobilem radicem ad Helvetium tranſmiſit. Habet hæc radix vires antidotales; ſudoriferas, & quidem vomitivas. Habet facultatem abſtergen-

gendi, meatus reſerandi, ac infarctus reſolvendi. Vis purgativa, & emetica una ſimul & adſtringens in ea eſt. Unius noctis ſub dio maceratione medicam virtutem liquoribus communicat. Poſtea caput mortuum reſervatum, denuoque eodem modo præparatum in eundem uſum exhibetur, minus quidem efficax ad purgandum, vel vomendum, ſed magis adſtringens, ita ut radix hæc non ſolum materiam morbificam licet tenaciſſimam a parte affecta revellat, ſed & adſtringendo viſcerum tonum reſtituat. Hinc illam in dyſentericis fluxibus, qui ab ingeſtis præcipue dependent, & in infarctu ventriculi ſedem habent, & in quibus nulla ſuſpicio inflammationis adeſt, ut incomparabile auxilium medici experti ſunt.

Hæc igitur mane jejuno ſtomacho eo modo, quo jam ſuperius diximus præparata exhiberi debet, & non tota ſimul, ſed partitis vicibus paulatim in ventriculum ingeſta, & uſque dum vomitio ſufficiens, aut purgatio cum ægrotantis euphoria ſuperveniat. Tali enim pacto violenti, & vehementes corporis motus evitantur, qui ex partium, quæ in emetico reperiuntur, tenuitate produci poſſunt. Interim ſive ſingulis diebus, ſive alternis, ut judicium practicum decernit, ſimili modo exhibenda eſt, & tandiu in ejuſdem uſu perſiſtendum, donec ventriculi, inteſtinorum, meſenterii, & aliorum viſcerum morbida ſarcina ſit, & per inferiores, & per ſuperiores partes expurgata. Quod ſi poſt unam, aut alteram exhibitionem adſtrictione, & corroboramento potius, quam purgatione opus ſit, ſecunda decoctio, aut infuſio, utpote magis adſtringens, quam purgans, propinanda eſt; quia facultas purgativa facilius, & facultas adſtringens difficilius elicitur.

Patet igitur hanc admirabilem Braſilienſem radicem e directo morbificæ cauſæ adverſari. Et quodnam poteſt umquam aut efficacius, aut tutius exhiberi remedium? Hoc enim modo phlegma ponderoſum ſtomachi plicis coaleſcens, quod cathartica quævis præterlaberentur, veluti ſcopis purgatur. Inſuper partes vicinæ, hepar, pancreas, meſenterium, lien concuſſione valida commoventur, adeo ut obſtructiones in iis factæ, & quæcunque alia ſanguinis impedimenta hoc admirabili præſidio extirpentur.

Expiata vero hoc modo gaſtrica cacochymia aliquando febres omnino deſinunt, aliquando tantum diminuuntur: nam vitium relictum in ſanguine adhuc fomitem febrilem nutrit. Quid igitur faciendum, moliendumque putemus? Ad rhabarbarum confugiendum eſt: at non eo quidem modo, quo exhiberi ſolet, exhibendum, ſed a prandio quatuor horis ad dimidium drachmæ integrum ſumendum, & diu ore detentum, & cum ſaliva commixtum, ac bene dentibus comminutum poſtea deglutiendum. Quia ſcilicet hoc modo ſumptum ne minimum quidem

quidem caloris producit, quia a chylo contemperatur, & ita contemperatum in ſanguinem inducitur ad reliquias febriles accenſas extinguendas. Per repetitas obſervationes, & experimenta didicimus, rhabarbarum hoc modo ſumptum ſpiritus animales non accendere, ſed ſua vi tum purgante, tum adſtringente glutinoſam lympham incidere, ſero-ſulphureas particulas cicurare, villos ſanguinis in ordinem redigere, ſuccis digeſtivis virtutem reddere, ſolidorum vim reſtituere, & expulſo fermento, & roboratis cribris, febres eliminare. Hinc vere dici poteſt & hepatis cor, & viſcerum pater, & admirabile febrifugum, ut teſtatur etiam Montanus.

Verum enim vero annotandum eſt hac methodo ſolummodo utendum eſſe, ubi autumnalis conſtitutio humida exiſtit, ubi laxitas fibrarum adjuncta eſt, & ubi vitioſa cacochymia tum gaſtrica, tum venoſa ſimul exiſtit. Nam ſi aliquando ob præcedentes aliquas cauſſas aut fibrarum irritatio adſit, aut phlogoſis exiſtat in ſanguine, non ad hanc methodum accedendum puto, niſi præmiſſa ſanguinis miſſione, & laxatis fibris, emollientibus, laxantibus, nitratis, & refrigerantibus medicamentis. Neque is ſum, ut tali ſemper methodo inſiſtendum eſſe contendam: nam imminente periculo, præcipue ſi febres pernicioſæ ſint, & in malignas poſſint degenerare, quod cognoſcitur, ſi oris amaritudo, cibi cujuslibet faſtidium, pertinaces vigiliæ, & maxima virium proſtratio adjunctæ ſint; tali in caſu, priuſquam ungues firmentur, & creſcant, domandus eſt leo, & ad kinæ kinæ uſum doſi paulo generoſiori, & ſæpius repetita ipſomet morbi initio eſt confugiendum. Duplex enim ſemper adeſt febrium curatio, regularis, quæ reſpicit cauſſas, & urgens, quæ ad majus periculum evitandum dirigitur. Sed ſi nulla neceſſitas urgeat, & maximus crudorum humorum apparatus in meſenterio ſit, in tam impuro corpore kinam kinæ dare aliquando in ægrotantis periculum vertitur. Fateor me non ſemel obſervaſſe admirabilem corticem hiſce in febribus exhibitam incredibilem quidem per ſeceſſum copioſam materiam educere, at nunquam febres fugare, unde mihi ſuſpectum, illis in caſibus ubi talia contingunt, tale præſidium eſt. Et hoc modo evenire puto, quia humores vitioſi in ſuperioribus partibus inſidentes, cum per inferiora educuntur, in inteſtinorum tranſitu per meſeraicas venas inſinuantur, & in ſanguineum laticem introductæ magis, ac magis illum coinquinant, & ad febricitandum diſponunt. Ex quo medici diſcant, quam noxia ſint purgantia medicamenta harum febrium initio propinata.

Sed de febribus autumnalibus ſatis: tranſeamus nunc ad aliquid dicendum de eximia hujus radicis præſtantia in febribus lentis aut continuis, aut recurrentibus, in quibus humores viſcidi aut pituitoſi, aut lymphatici, craſſi tamen tenaceſque prædominantur; & qui non ex

viſcere affecto, non ex tumore, vel ulcere aliquo producuntur, ſed ventriculi plicis, aut inteſtinorum cavitatibus, aut meſenterii glandulis inhærent, & cum anorexia, aut apoſitia, cum nauſea, & quandoque etiam vomitu manifeſtantur, in quibus extirpandis quam utilis ſit admirabilis radicis uſus, vel ex illo colligi poteſt, quod & fibrarum inertiæ, & humorum adhæſioni adverſatur. Quemadmodum obſervavi præterito æſtivo tempore in quadam Matrona tum nobilitate, tum omnium virtutum genere præſtantiſſima, quæ poſtquam copioſiſſimum ſanguinis uterinum profluvium per triginta, & quinque dies paſſa eſſet, ſupreſſo repente ſanguine incidit in febrem lentam continuam fere homotonam, a qua doloribus per univerſum corpus, ac præcipue circa thoracis partes tum anteriores, tum poſteriores, vigiliis pertinaciſſimis, frequenti vomitu, nauſea, anorexia, & frequentibus convulſionibus, quibus tamen multo tempore antea vexabatur, per centum, & quinquaginta dies aggreſſa fuit. Nam cum aliquid phlegmatis ponderoſi apparuiſſet, præmonſtrante natura viam intra quadraginta dies quatuor vicibus per admirabilem Braſilienſem radicem ad pondus duorum ſcrupulorum per vomitum purgata fuit, cum vomitu phlegma ponderoſum, viſcidumque ad plures libras ſemper eliminatum cum maxima ejuſdem Matronæ, ſaltem quoad febrem, & dolores, utilitate. Neque ullum unquam aut in ſtomacho, aut in œſophago, aut in viribus damnum aut vomitus tempore, aut poſtea fuit obſervatum. Quid nunc dicent nonnulli hujus civitatis medici aut nimis vafri, aut ingenio nimis obeſi, qui cum in quodam nobiliſſimo ſene admirabilis radix a nobis, ſuadente Bertio, non ignobili practico, eo modo, quo fuit a nobis ſuperius expoſitum exhibita eſſet, & poſt duos dies per integrum diem, integramque noctem cum inani vomendi conatu animo delinqueret, inſontem radicem criminari auſi ſunt? At nunquam in tantum errorem incidiſſent, ſi aphoriſticam illam ſententiam legiſſent, quæ nos edocet *a tuberculi intus ruptione exſolutionem, vomitionem, aut animi defectionem fieri*; quod an evenerit in nobiliſſimo comite, vel ex illo apertiſſime colligi poteſt, vomitum materiæ purulentæ fuiſſe ſequutum, quæ etiam per quadraginta dies aut in ſeceſſu, aut in urinis cernebatur, quo tempore nulla eſculenta, potulentaque ſumens per quatuordecim dies, macie confectus evolavit ad ſuperos. Quomodo hujus phænomeni cauſſa ex radicis uſu peti poteſt? Quæ in ventriculi affectionibus ex Rajo datur optimo ſucceſſu, neque unquam ulcus aliquod ab illo præſidio excitari poteſt, quod veneno ex Guillelmo Piſone adverſatur, & ex quo vomitus ſanguineos, hæmoptiſes horrendas, urinas cruentas, hæmorrhoidales fluxus, imo hæmorrhagias narium abundantiſſimas, ac pernicioſiſſimas ſanatas vidit doctiſſimus Manget, quemadmodum legitur in ejus pharmaceutico-medica Bibliotheca. Et quamvis maximis præcautionibus adhibenda hæc

radix

radix ſit ; attamen nemo unquam mentis conſtans aſſeverabit, tales effectus ab inſonte remedio potuiſſe produci. Latebat enim tuberculum, vitium ex ſua natura clanculum in poſteriori ſtomachi parte, quod nunquam a medicis detegi potuit. Quæ eſt igitur tanta licentia, ne dicam impudentia, damnandi ſine conſilio, ſine examine, ſine ulla & morbi, & ſymptomatum cognitione ea quæ a medicis practicis factitantur?

Sed e diverticulo in viam. Quantum vero valeat radix iſta admirabilis in febribus tum intermittentibus, tum continuis, æſtivis temporibus ſævientibus, ſatis eſt cogitare vomitus facilius æſtate ſupervenire, quam alio tempore: humores tunc temporis, qui peccant, eſſe bilioſos, & naturam ipſam per ſuperiores partes ad materiam morboſam vincendam procliviorem. Hoc enim modo humores per illas partes educuntur, in quibus canales minime adſunt, qui ad cor deferantur, & febrili fermento via intercluditur, quæ illud in ſanguinem perducat. Fatemur ſancte, ac ſincere nos innumerabiles curaſſe febres ſolo hujus radicis uſu, neque unquam recidivam obſervaſſe, quemadmodum frequenter evenit in illis, qui Peruviano cortice ſanati ſunt. Hac eadem radice etiam feliciter fugavimus quartanas febres, erraticas, & illas, quæ identidem accenduntur, ita ut vere dici poſſit in gaſtrica, & venoſa cacochymia, ubi ventriculi ſucci enervantur, ubi hepar, pancreas, & inteſtinorum, & meſenterii glandulæ infarctæ ſunt, & ubi lienis obſtructiones, & durities perſiſtunt, radicem ipeccacuanhæ, opportune tamen rhabarbaro in conſortium arceſſito, ſingulare præſidium eſſe, ita ut nullum aliud præſidium cum hujuſmodi præſidiis poſſit æquiparari.

F I N I S.

CLVI.

J. HENRICI SCHULZE

ET

J. GOTTFRID. GRÆVII

DE

MERCURIALIUM USU IN FEBRE QUARTANA CURANDA.

Halæ 1742.

PROOEMIUM.

Quum de argumento diſſertationis inauguralis eligendo cogitarem, varia ſe offerebant, quæ & mihi fructum ab accuratiori meditatione & perquiſitione percipiendum pollicebantur, & ſpem faciebant, fore ut benevoli lectores, ſi quos hæ pagellæ habituræ ſunt, non omnino fruſtratæ operæ tædio afficerentur. Vicit autem tandem apud animum meum illud, de quo nunc commentari aggredior: quippe morbi, inter ſcandala medicorum pridem relati, curationem, poſt multa irrita, tandem felicem & exoptatam promittens. Pridem animo meo alte infixum hæret, quod ex ore D. D. Præſidis, *mei per tres annos præcéptoris fideliſſimi, ſæpius audivi axioma practicum, efficacia pertinacium quartanarum remedia eadem eſſe, quibus lues venerea percuranda eſt: quemadmodum febrium tertianarum firma & certa remedia eadem fere eſſe ſolent, quæ in epilepſia & ſpaſmo curandis ſolidam opem afferunt. Hujus doctrinæ memor, varia, quæ quidem ad quartanam pertinent, notavi & ad examen ſeverius revocavi. Inveni tandem certiſſimum utique eſſe, quod liceat aliquas febres quartanas, quæ nondum confirmatæ ſunt; & profunde inhærent, tollere antiſpaſmodicis, quibus etiam tertianæ parent: ſed quod earum aliquæ ad hæc immotæ perſtent, & efficaciorem medicinam exſpectent. Minime igitur mirari decet veteres, qui, teſte* Plinio hiſt. nat. lib. 25. cap. 5. *quartanis, quæ aliter non deſinant, elleborum album objecerunt, quem alias non niſi graviſſimis affectibus, qui tamquam vecte revellendi eſſent, deſtinare ſolebant. Ejus autem operationem & juvandi modum non reponebant in multitudine & varietate eorum, quæ expellit, excrementorum, nec in diſtenſionibus & violentia in vomendo: ſed deprehenderant in eo facultatem omnia pervadentem, quam igni comparabant. Pulchre de eo* Aretæus de curat. diuturn. lib. 2. cap. 13. *ſcribit:* igni facultate perſimile eſt veratrum album: & quod ignis exurens facit, eo plus veratrum interius diſcurrens operatur. *Sed noſtro ævo pridem intermiſſus eſt ellebori albi uſus, neque credo nos illo opus habere in uſum revocando, quum forte nihil ſit, quod ab ipſo vel exſpectaverunt vel conſequuti ſunt priſci medici, in quo non abunde nobis ſatisfaciant ex mercurio vel ſtibio præparata, ſi quis recte illis uti noverit, & non tam impetuoſe quaſſare morboſam arcem, quam lente ſuffodere & tamquam cuniculis actis ſubruere muros didicerit. Hanc artem quum nondum callerent primi iſti, qui medicinas chemica arte paratas in uſum deducebant, inter aliqua, quæ famam earundem ſuſtentaverunt, pulchra ſucceſſuum ſpecimina, ſubinde plura infelicium curationum exempla ediderunt, quibus novorum medicamentorum oſores ad invidiam illis conflandam uſi ſunt. Quemadmodum vero nihil eſt, quod præclare juvet, a quo non magna etiam nocumenta imperito & perverſo uſu proficiſci queant: in quibus vir prudens aberrationes*

nes notat & reprehendit, rectum autem uſum laudat & honorifico loco reponit: ita etiam in iſtiuſmodi curationibus dijudicandis ſic puto eſſe verſandum, ut, quæ vituperanda & fugienda ſint, aliorum erroribus moniti diſcamus: ſequamur autem & in noſtros uſus convertamus, quæ juviſſe cognovimus. Atque hunc finem mihi præfixi hac commentatiuncula, ut, collectis & inter ſe collatis exemplis, ubi uſus mercurialium in febris quartanæ curatione vel bene vel male ceſſit, elicere ſtudeam illa, quæ faciant ad intelligendum quo tempore, modo, quibuſque legibus ad hunc morbum tollendum mercurialis medicinæ afferri poſſit. Spero fore ut benevolus lector intelligat, nos non unicam & perpetuam hic proponere medelam, ſed talem, quæ certis conditionibus adſtricta ſit. Multum philoſophari non vacavit: effectus mercurii ab experientia cognitos & indubios in omni ſchola medica quæſivimus: quæſtiones illas, de quibus quivis ſeorſim ſentit, ad lectum ægrotantis non pertinere, & curandi nullam viam oſtendere, perſuaſiſſimum habemus.

---

§. I.

QUid febris quartana in ſcholis medicis dicatur, non puto ulla indigere explicatione, quum vix putem multos fore, etiam ſalutari arte non imbutos, qui ignorent id nomen illi tribui intermittenti, quæ, poſtquam uno die hominem corripuit, duos integros ipſi permittit ab invaſione liberos, ac deinde illo, qui a prima acceſſione quartus eſt, revertitur, eodemque deinceps tramite, uſque ad finem totius morbi, ægrotantem affligere, eidemque immunitatem concedere aſſolet. Quum omnino occurrat hujus generis febris, quæ minime diuturna ſit, ac menſtruo, aut breviori etiam tempore, conquieſcat; utique ſi alio, quam auctumnali, tempore cœperit: longe tamen pluribus illa ſatis diu inhæreſcit, &, quantumvis multis remediis tractata ad aliquod tempus cedere viſa ſit, facile tamen & ex leviſſima occaſione revertitur.

§. II.

Non injuſte igitur accuſatur quartanarum diuturnitas & pertinacia: cujus exempla cum alii conſignaverunt auctores, tum diligentiſſime omnium nobiliſſimus ille Cliviæ ducum archiater *Jo. Wierus obſervationum pag. m. 36. ſeqq* ubi meminit hominum ſua ætate omnibus cognitorum, unius, qui cum hoc morbo 18. annis, & duorum, alterius Comitis & aurei velleris equitis, alterius ruſtici, qui ambo febre hac per 33. annos detenti tandem deceſſerunt. Sed *Wolfg. Gabelchoverus cent. 6. obſ.* 74. adducit exemplum per 48. annos affligentis. Atque hoc puto eſſe longiſſimum tempus, quod unquam certo obſervatum eſt, longeque excedit illum, quem ex Avicenna plerique conſtituunt, durationis febris hujus

jus terminum, duodecim annorum. Vero ſimile eſt magnum illum & immortalem memoriam conſequutum eruditorum hominum patronum, Mæcenatem, cui *Plinius hiſt. natur.* 7. *cap.* 51. perpetuam febrem fuiſſe annotatum reliquit, non alia, quam quartana laboraſſe: forteque hic omnium longiſſimæ durationis exemplum præberet, ſi de eo aliquid certi haberemus, quo vitæ anno deceſſerit. Illud certe ſatis probabiliter colligimus, quod plures quam 48. annos numeraverit, quum A. 1746. vitam cum morte commutaret.

§. III.

Mirum eſt hunc Romanum equitem, in afflicta ſua valetudine, animo tamen ſemper alacrem & hilarem fuiſſe, quod cum vitæ ipſius hiſtoria docet, tum illud maxime, quod Auguſtus imperator, quoties animi aliquam ægritudinem abſtergere vellet, ad Mæcenatem ſuum deportari ſe juſſit, ut feſtivis ac facetis ipſius ſermonibus ſemet recrearet. Videtur itaque ſimilis fuiſſe illius mercatoris Hafnienſis de quo in *Actis phyſ. med. Acad. N. C. Volum.* 4. *obſerv.* 35. refertur, quod paroxyſmo ſuperato optime viſus fuerit habere, & tamquam plethoricus & obeſioris corporis conſtitutionis; facie roſea præditus, cum aliis pro lubitu converſari, negotiari, edere, bibere, ludere potuerit, ut vix quidem umquam febre affectum quiſquam putaſſet, cui non aliunde notum eſſet, quod per plurimos jam annos omnes Daniæ, Germaniæ, Belgiique celebres medicos pro remedio quartanæ febris imploraſſet.

§. IV.

Enimvero certum eſt, quod non omnes quartana febre correpti æque tolerabili fato defungantur: non ii certe, qui quam maxime impatienter eam ferunt, &, ut celerrime eam profligent, tam infinitorum medicorum opem implorant, quam empiricorum & ultimæ plebeculæ conſiliis utuntur. Tantoque magis in periculum conjiciuntur, quos adoleſcente ætate morbus corripuit. Caſum ejuſmodi accepi in prælectionibus *D D. Præſidis*, de adoleſcente 18. annorum, qui cum ſedulo operam ſcholaſticis ſtudiis navaret, & genium propterea defraudaret, aliquas etiam diſſimulandi mœroris cauſas haberet, in quartanam incidebat. Nihil omittebatur a medico, non certe temerario, neque imperito, quo opus videbatur ad morbum profligandum: ſed quoties videbatur cedere uno vel altero paroxyſmo, in compenſationem datarum induciarum fere duplicata, ſemel etiam triplicata, redibat; vel continuæ aut inflammatoriæ genium cum vitæ periculo induebat, ut felicem ſe prædicaret, ſi ſimplici quartana frui poſſet. Mutabatur hæc inter cælum, nullo fructu. Atque hæc ultra 30. menſes ita durabant,

quo tempore proceritatem corporis conſpicuam conſequebatur, ut veſtes, quas interea ſæpius mutaverat, toties abjicere cogeretur. Tandem vero, corpore ſatis extenſo, facillime parebat morbus uni cochleari florum chamæmeli juſto tempore propinatorum. A quo tempore in hunc diem, qui prope triceſimum a re geſta annum attingit, pancratice & omnis incommodi expers vivit.

§. V.

Qui vero adoleſcentiam jam egreſſi, & viriles annos adepti, quartana corripiuntur, admodum frequenter ſigna oſtendunt viſcerum male conſtitutorum. Laborant aliqui tuſſi ſatis feroci & tantum non convulſiva, ſed ſicca, unde potius hypochondriacorum viſcerum vitio inhæreſcere, quam thoraci intelligitur. Alii cum cachexiæ manifeſtis ſignis apparent lividi, ſubtumidi, tandem in pedum tumorem incidunt: aliquibus ictericum quid ſubeſt, & vel flavedine vel fuſca nigredine tinctam cutem & oculorum tunicam albugineam oſtendunt, ſuntque præter ceteros magis moroſi & faſtidioſi, ac de duritie quadam & tenſione hypochondriacæ regionis perpetuo conqueruntur. Rurſus aliqui obtingunt, in quibus ſcabies & quartana quaſi vices permutant, ut illa diu vexati, per quartanam liberentur, aut quartana deſinente ſcabies, ſæpe fœda & ferina, efflореſcat: quorum malorum pertæſi, ſi fortiſſima adhibeant, & præcipue ſulphuratis externe multum utantur, abſceſſus, multum fœdæ ac purulentæ materiæ includentes, paſſim inter muſculos enati fuerunt, a quibus ſubinde etiam oſſa fuerunt correpta & arroſa.

§. VI.

Qui febribus quartanis diutius afflictos, tandemque mortuos, inciderunt & viſcera contuiti ſunt, de varia labe in illis deprehenſa certiores nos reddiderunt. Ex quibus aliqua nobis decerpenda ſunt, ex quibus deinceps in cauſam mali profundius latentis cognoſcendam deducamur. Luculentiſſima eſt obſervatio *Ottonis Heurnii*, quam *Bonetus* in *ſepulcreto lib.* 4. *ſect.* 1. *obſ.* 30. *pag.* 165. legendam exhibet. Scilicet invenit lienem ſolito admodum, & vel triplo majorem, & ſanguine nigro ultra, quam decet, infarctum. Aderant autem ubique per truncum venæ portæ & ductum cholidochum glandulæ multæ tumidæ & induratæ, quæ in exteriori ſuperficie adhærebant, ac comprimendo ductus anguſtabant, ut nec ſanguis per hanc venam libere ab liene ad hepar confluere poſſet: nec lympha progreſſum debitum haberet, nec bilis excerni poſſet. Præcipue notabatur admodum magna glandula, trunco venæ portæ ad finem pancreatis firmiter nexa, quæ ſanguinem a liene reflu-

refluxurum, compreſſione ſua, præcipue impediebat: videturque inprimis effeciſſe ut hoc viſcus tantopere inferciretur.

Atque illud vitium malæ conformationis, quod tot glandulæ tumefactæ & induratæ vaſa, quibus adhæreſcunt, comprimunt & anguſtant, produxit utique illam lienis oppletionem & infarctum, de quo nos plura ſectionum exempla certiores reddunt. Is quibuſdam in tantum ſuccreſcit, ut omnino crepaturam tam mollis viſceris inducere valeat: quod pariter in quartanario poſt mortem diſſecto viſum fuit, & ex *Ballonio* adductum apud *Bonetum l. c. pag.* 163. legitur: ut & aliud exemplum ex *Car. Piſone pag.* 162. exhibet. In aliis facit ut ad lienem a ventriculo decurrentia vaſa ſanguifera, quoniam ſe exonerare in viſcus tantopere infarctum nequeunt, mirum in modum extendantur, cumque e minimis arteriolis ventriculi in venas nihil amplius mitti deponique poſſit, facile fit in villoſis extremis ſive anaſtomoſis, ſive diæreſis, ut craſſus ſanguis in cavum ventriculi influat. Hinc quando vomitu rejectum aterrimum ac piceum viderunt, inde inducti fuerunt veteres ad credendum hanc eſſe bilem nigram, a liene ad ventriculum miſſam: atque hinc plurimi eorum quartanis febribus cauſam aſſignaverunt melancholiam. Manifeſtum autem eſt totam hanc rem principio ſuo pendere a lympha, trajectui per ſuas glandulas ineptæ redditæ, unde hæ infarctæ & obſtructæ intumuerunt, ſuo autem iſto tumore, quo magis is augetur, vaſa magis comprimunt ſanguinea, quibus adhærent, ſicque etiam ſanguinis progreſſui officiunt.

§. VIII.

Neque minus conſideratione digna eſt obſervatio *Nic. Tulpii*, quæ ex *obſerv. medic. lib. IV. cap.* 32. ibidem adducitur. Secuit is ſcilicet hominem quartana demortuum, & præter lienis vitia, prioribus ſimilia, admiratus eſt pancreatis, ſupra infraque turgidi & extuberantis, molem, intus ſordido pure ac viſcida pituita impendio nimis infarcti, cujus pondere ac mole depreſſas occluſaſque venæ cavæ ac arteriæ magnæ, viſceri huic ſuppoſitarum, tunicas & cava ſpatia imminuta fuiſſe clare intuitus fuit. Proſtant inſuper plures clarorum virorum obſervationes, quibus edocemur etiam in tertianis pertinacibus, quartanarum indolem æmulantibus, & horas pomeridianas uſurpantibus, ubi ad funeſtum exitum decurrerunt, detectas fuiſſe glandulas per omentum & meſenterium diſperſas, ut & pancreas ſcirrhoſum & induratum fuiſſe: de quibus ſæpe videas expreſſiones adhiberi, tumores fuiſſe ſupra admirationem magnos, duros, glandulas diſtentas & retorridas, ut vere lapideas dixeris. *Io. Fernelius patholog. libr. VI. cap* 7. magis, quam pro captu ſui ſæculi, ubi de meſenterio & pancreate parum explorati in ſcholis anatomicorum docebatur, exſpectares, clare ſcribit, ſe affirmare & profiteri lentarum pertinaciumque febrium, latentium denique morborum cauſas,

ſas, a ſe in his plerumque ſedibus fuiſſe animadverſas, earumque depulſione deploratis ſalutem fuiſſe redditam.

§. IX.

Apparet, ni fallor, ex dictis, quod in pleriſque quartanis, præſertim gravioribus illis & diuturnis, vitia organica ſubſint, eaque a vitio non tam ſanguinis, quam lymphæ, primitus inducta, & initio partibus potius exſanguibus dici ſolitis inhærentia, quam multo ſanguine perfuſis: quamquam progreſſu morbi etiam his labes affricatur viſceribus, eademque vario modo labefactat & corrumpit. Ex quo illud facillime conſequitur, quod ad quartanas febres, ab ejuſmodi radice pullulantes & ſuſtentatas, nihil cum recta ratione adhiberi poſſit, quam quod ad lympham attenuandam, fundendam, atque tenuiſſimas glandularum, tam conglobatarum quam conglomeratarum, vias reſerandas efficaciter valet; quodque contra rectam rationem agant, quicunque potius iis inſiſtunt medendi viis, quibus lymphaticus latex incraſſari, viæque ejus arctari conſtringique debent. Cumque omnium, quæ nobis benigna natura ad morborum remedia indulget, nihil aut benignius, aut certius & efficacius ſit ad lymphaticas vias aperiendas, ipſamque lympham corrigendam, quam ex argento vivo, quod chemicorum filii antiqua conſuetudine mercurium appellant, rite præparata & dextre applicata remedia; hinc facile a priori, ut dicere ſolemus, colligitur, quantam ſpem reponere in illis liceat ad felicem quartanarum rebellium & pertinacium curationem.

§. X.

His præſtructis viam mihi video planam eſſe, qua progrediar ad alterum, quod in diſſertatione hac perpendendum conſtitui, ſcilicet ut oſtendam uſum mercurii, & ex eo paratarum medicinarum, ad febres quartanas curabiles cito, tuto & jucunde curandas. In quo quidem argumento ita verſari placet, ut magiſtræ rerum experientiæ primas, uti par eſt, tribuam, ejuſque ſuffragia, quæ ad meam cognitionem pervenerunt, in medium proferam. Producam autem primo loco teſtimonium *Guilielmi Ballonii* apud *G. H. Welschium obſerv. medic. epiſagm. IV.* quod homini ulceribus tibiarum laboranti, atque ſimul cum febre quartana conflictanti, quum illorum ſanandorum cauſa hydrargyroſis adhibita eſſet, ſimul etiam quartana ſublata fuerit.

§. XI.

Poſt hunc prodeat *Thomas Williſius*, qui libro *de febribus*, *cap. VI.* quod de quartana agit *p. m.* 101, ſequentem in modum ſcribit: *virgi-*

ni

ni cuidam perilluſtri, curationem ſubitam quovis modo perficiendam exigenti, propoſui, ut, ſi a pharmaco quodam minerali per aliquot dies oris fluorem pateretur, inde morbum brevi profligatum iri ſperaret. Cum huic facile aſſenſit, pharmacum ei mitius, & omnino tutum, exhibui, a quo ſputatio tandem levior, eademque intra duodecim dies finita, ciebatur. A quo ſalivatio incepit, paroxyſmis ſtatim caruit: quibus vero temporibus accedere ſolebant, perturbationem in toto corpore cum cordis oppreſſione & lipothymiæ metu perſenſit: poſtea tamen ſputatione finita plane convaluiſſe videbatur. Cumque poſt bimeſtre ſpatium hujus morbi leviores quasdam acceſſiones pateretur, a pulvere emetico, bis aut ter exhibito, ſine recidiva integre curabatur.

§. XII.

Ad illuſtrationem hujus obſervationis notandum eſt, quod curatio facta ſit in conſtitutione epidemica, qua iſtis, per quæ graſſata fuit, regionibus fere quarta mortalium pars, cujuſvis ætatis aut temperamenti homines, etiam infantes puerique, corripiebantur, nullaque methodus curandi, nulla medicamenta uſu alias probatiſſima proficiebant. Hæc itaque, quæ virgini evenerunt, ſymptomata, tribuenda ſunt epidemicæ malignitati: minime autem in mercurialem medicinam conjicienda ſunt. Quod ut cognoſcatur clarius, adducam caſum febris quartanæ, quem mecum D. D. *Præſes*, præceptor meus per complures annos fideliſſimus, communicavit. Femina ſexageſimum annum jam egreſſa, quinto jam anno laborabat febri quartana, multaque a variis medicis, tonſoribus & empiricis ſine fructu adhibuerat. Paroxyſmus ſtata tempora accurate ſervabat: accedebat a meridie poſt horam quartam, & ægrotam per quinque horas detinebat. Superato illo ſatis alacriter domeſtica negotia procurabat, neque habitus corporis externus aliquod vitium prodebat. Appetebat ſatis bene & concoquebat. Sed in collo aliquis ſeſe tumor tamquam ſtrumoſus prodebat, qui reſpirationi jam aliquam moleſtiam creabat & aliquando deglutitioni officere videbatur. Quum auxilium hujus potiſſimum cauſa quæreret, dabatur altero quovis die pulvis, in quo mercurii dulcis quinque grana erant & infuſum, aliquod aperitivum jungebatur. Forte quatuor doſes ejus conſumſerat, quum ſe ptyaliſmus admodum mediocris oſtenderet, quartana autem omnino ceſſaret. Quo facto admonebatur de regimine recte obſervando, & faucibus ac ore decocto quodam crebro eluendis: quibus paucis medicinis, abſque ſtrepitu & incommodo ullo, cum valetudine optima in gratiam redibat.

§. XIII.

Collata inter ſe utraque curatio clare, ut ſpero, docet, quod ante dicebamus, illa, quæ virgini Anglicæ acciderunt cum mercurio uteretur, non eveniſſe proprie a quartana, ſed a quartana epidemiis quibuſdam,

ex aëris conſtitutione pendentibus, accidentibus ſe ipſa deteriore. Ipſemet hoc agnoſcit *Williſius*, qui febrem hanc a ſanguinis dyſcraſia, propter anni intemperiem inducta, ortum traxiſſe docet, quum ordinarias & ſporadice graſſantes ab humore atrabilario, ob lienis vitium congeſto, cum veteribus medicinæ antiſtitibus derivet. Neque tamen multum diſputabimus, quid ægrotæ ſuæ *Williſius* ad ſalivationem concitandam dederit. Ex mercurialium familia certe fuit, ſive ille, quem dulcem vocamus, ſive præcipitatus aliquis & edulcoratus mercurius fuit. Nemo enim hodie ignorat, quod veri nominis ſalivatio mercurialibus ſolis concitari poſſit: ſed quod ex late patente eorum familia plura ſint, quæ ad hunc finem poſſunt porrigi.

§. XIV.

Hunc mercurialium in febribus quartanis ſaluberrimum uſum pridem docuit & comprobavit illuſtris *Frid. Hoffmannus*, patronus, præceptor ac promotor meus perpetua pietate colendus, in diſſertationibus, quarum una *de curatione quartanæ* inſcribitur, altera *de praxi clinica febrium*; ut & in *medicin: rat. ſyſtematic. tom. IV. pag.* 64. 73. 74. *& ſeq.* Scilicet a longo jam tempore in uſu habet pulverem reſolventem ac roborantem ex corticis Peruviani p. III. reguli antimon. medic. p. ij. mercurii dulcis, croci martis tenuiſſimi & arcani duplicati ana p. I. compoſitum, cujus drachmam dimidiam aut integram, cum rob ſambuci & julepo roſarum in electuarii formam redactam, mane ac veſperi ſumendam exhibet. Monet autem mercurium non teri cum pulveribus debere, ſed cuſpide tantum cultri permiſceri. Movet is quidem aliquando ſalivationem, ſed nullo pacto extimeſcendam, cujuſque breve tædium felix curatio abunde compenſat.

§. XV.

Atque hujus medicinæ in quartanis pertinaciſſimis curandis egregiam efficaciam, ſimul vero etiam ſalivationis a mercuriali medicina commotæ haud pœnitendum fructum, inſigniter comprobat *Caſp. Pezoldus obſervat. medico chirurg. LXVIII.* ubi binis caſibus ſpectatam ejus efficacitatem albo calculo notat. Facit maxime ad lymphæ in quartanis fovendis coagula agnoſcenda, quod ſcribit alterum ex ægrotis ſuis, dum ſalivatio vigebat, magna fruſta pituitæ ſalivæ fluidæ admixta excreviſſe, non ſine inſigniſſimo capitis & dentium dolore, qui tamen ſalivatione finita omnino ſublatus fuit. Neque obſtare laudibus hujus pulveris debet, quod is, qui poſt fata b. D. D. *Pezoldi* ejus ſucceſſor fuit D. D. *Klaunigius* ſiniſtros ab ipſo effectus notaviſſe ſibi viſus fuit. Omnino enim apparet id omne non pulveris culpa accidiſſe, ſed quod is, contra illuſ-

luſtris auctoris mentem forte paratus, aut diutius aſſervatus fuit. Non enim fert ætatem, ſed optime pro ſingulis ægrotis paratur, quantum ejus ad curationem neceſſarium judicamus.

§. XVI.

Sed uſus mercurialium minime intra hæc continetur, quæ ſalivationem concitare valent atque ſolent, verum etiam dantur ex argento vivo parata, quæ viribus reſolvendi ſatis conſpicua ſunt, ſed ſalivationem aut plane non movent, aut omnino rariſſime: in quartanis autem curandis efficaciſſima jam ſunt deprehenſa, non minus quam in glandularum tumoribus atque ulceribus ſinuoſis ac fiſtuloſis, abſque chirurgi manu perfecte curandis, quin lue venerea omni expugnanda. Pridem de hoc argumento egit D. D. *Præſes* in diſſertatione *de febre quartana duplici cum hemicrania* 1724. edita, ut & in illa de *æthiope minerali* 1735. emiſſa: quibus oſtendit quam multum de æthiope minerali exſpectare hic liceat, quippe glandularum tumoribus reſolvendis, ſcabiei percurandæ, vermibus pellendis efficaciſſimo atque ſimul tutiſſimo remedio. Hunc autem æthiopem, ſi quidem rite, ut decet, ſulphure ad leniſſimum ignem liquato, & mercurio admixto, paratus ſit, nullam omnino ſalivationem movere certum eſt. Non optimo autem conſilio officinis pharmaceuticis commendata & præſcripta paſſim legitur methodus Harriſiana, ubi æthiops paratur diuturna tritura ſulphuris & argenti vivi. Non enim eſt exſpectandum a perfunctoria hominum pharmacopœo ſervientium opera, ut eam accurationem ac patientiam adhibeant, qua opus eſt, ſi tutum & in ſenſu medico fixum medicamentum parari debet.

§. XVII.

Non uno experimento cognitum eſt, quod laudatæ medicinæ, diebus a febri vacuis, continuo exhibitæ, uſu, febres quartanæ, ſæpius hiberno tempore recidivantes ac horis veſpertinis ingruentes, devictæ ſint. Obtigit D. D. *Præſidi* vir juvenis per varias terras & complures annos peregrinatus, ſæpiuſque malignis febribus impetitus, quæ non patientiſſima methodo, ſed tumultuaria ope curatæ fuerant. Retulit hinc pedum tumores & ulcera, quibus, per æſtatem omni molimine conſolidatis, appetente hyeme febris intermittens ſupervenit, tertianæ facie larvata, ſed quartanæ genium tempore invadendi prodens. Huic ſuadebatur uſus æthiopis, quem ex pharmacopolio non optimum accipiebat, quoniam viventis & non exſtincti mercurii moleculæ in cochleari, ex quo illum aſſumebat, adhærentes, veſtigium relinquebant. Poſt non multos dies ſalivatio plena vi erumpebat: prorſus ut illam ſuo juri permittendam eſſe neceſſarium videretur. Illa ad finem perducta febris ceſſabat omnino,

no, ſed per totum corporis habitum fera & maligna ſcabies erumpebat, initio ſicca & prurientiſſima, ut lectum omnino perferre nequiret. Huic autem quum ptiſanæ, quibus viperæ incoctæ erant, diu opponerentur, abſceſſus majores, nucem moſchatam aut ovum columbinum ſubinde æquantes, eruperunt maturo & bene cocto pure repleti; quibus patienter curatis perfecta, per aliquot jam annos durabilis, a febre & reliquis incommodis liberatio & immunitas ſucceſſit.

§. XVIII.

Poſt æthiopem mineralem in mercurialium ſatis benignorum, & tamen efficacium, claſſe militat dictus præcipitatus ruber, crebra ablutione & ſpiritus vini abſtractione a ſalibus acidis adhærentibus liberatus, ſicque armis illis, quibus violenter agit, exutus. Hunc pridem in doctorum & celebrium medicorum arcanis fuiſſe patebit iis, qui *Henr. Scretæ*, celebris iſtius Scaphuſienſium archiatri, ſcripta luci publicæ nondum expoſita, quamvis a multis expilata & furtis temerata, evolverit. Aliqua de iſtius uſu attigit D. D. *Præſes in prælection. ad diſpenſat. Brand.* Legi de eo poterit *Herman. Bœrhave chymiæ tom. II. p.* 486. qui de præparando & mitigando ſatis clare loquitur. Egregiam eſſe medicinam pro illis, quos ulcera & ſcabioſæ efflorefcentiæ vexant, curatos autem tranquillius & abſque ſalivationis eventu cupimus, certum eſt. Granum unum vel alterum extracto cuidam aut pilulis mitioribus abditum & alternis diebus exhibitum, infuſo autem quodam vel decocto ad ſanguinem depurandum accommodato adjutum, per diaphoreſin ſatis conſpicue agit; ſalutariterque promovetur corporis blando motu interpoſito. Hinc eſt, quod a quibuſdam mercurii diaphoretici nomine ſalutatur. Sunt qui præcipitatum album, pariter edulcoratum, paria facere ſcribunt. Sed videat quiſque, quam bene ſibi experientia hic ſit reſponſura: mihi certum eſt quod ruber magis diapnoen moveat, albus, utpote mercurii dulcis principia habens, ad ſalivam concitandam nimis cito progredi ſoleat.

§. XIX.

Iisdem quartanariis, quibus febris & ſcabies fœda cum ulceribus tamquam vices mutuas agunt, mercurius dulcis, cum ſulphure ſic dicto aurato antimonii conjunctus, aut idem ſulphur præcipitato albo bene edulcorato maritatum, egregiam opem ſpondet. Eſt remedium Germaniæ ante centum annos probe cognitum & exteris oſtenſum: quod, poſtquam oblivioni apud nos traditum jam erat, in memoriam nobis revocatum fuit per *acta medic. Edinburgenſia.* Sed ita fit in pluribus, ut apud nos probe inventa & propoſita ſæpe parum æſtimentur: eadem ſi quis Gallicus aut Britannus ſcriptor nobis propinet; ſi modo, quod

tam-

tamquam jurati obſervant, inventoris aut doctoris Germani nomen retineat, avide arripiamus, miramque gratiam ex illis percipere nobis videamur. Ne autem fruſtra Germanicum inventum dixiſſe videar, commendo legendas *Jo. Schulteti*, medici Ulmenſis, obſervationes, quæ armamentario ipſius chirurgico ſubjungi ſolent, ubi in illa, quæ omnium poſtremo loco poſita eſt, invenietur.

§. XX.

Atque hæc ſingula, ut & recta ratio proficua oſtendit, & experientia ſæpius comprobavit, ita ad individui curandi accurate exploratas conditiones ita ſunt accommodanda, ut naturam ægrotantis, quo facillime duci poſſit, ſequamur, & a mitioribus præſidiis ad efficaciora non niſi per juſtos gradus pergamus, ſubinde interpoſita aliqua mora & tempeſtive ad medicinarum uſum redeundo. Nam quæ multorum annorum decurſu enata, congeſta & confirmata ſunt vitia, ea non ſuperare exiguo paucorum dierum ſpatio licet. Si vero tempus accedat, ac prudens lentaque medicinarum continuatio, atque vel minimum quovis die promoveatur, tandem ſpes eſt plenam emendationem impetrandi. Interea dum interquieſcendi juſtas moras concedimus, rerum non naturalium juſtus atque congruus uſus inſtituatur, ne intemperantia ægroti fructum adhibitæ medelæ intervertat.

§. XXI.

Non ſemel in ſuperioribus monitum eſt, mercurialium uſum adjuvari debere infuſis vel decoctis commodis. In quem finem eligenda ſunt illa potiſſimum, quæ etiam in lue venerea fructum aſſerunt, ut ſarſæparillæ, bardanæque radicum, quibus addi ſcrophularia & polypodium poſſunt, jamque abſoluta decoctione aliquantum glycyrrhizæ admiſceri. Et ſarſaparillam quidem ad quartanæ curationem impenſe laudat vir minime vanus *Franc. Arcæus*, qui capite *de febr. curat.* 8. ita de ea ſcribit: *uno præſidii genere ſæpius uſus ſum, quod tale eſt, ut pro illo omnes Deo optimo maximo gratias reddere debeamus, qui talem vim huic medicamento conceſſerit. Eſt autem hoc ſarſaparilla, cujus decoctum, eo, quo dicemus modo, paratum quartanas brevi curat.* Ipſum jam parandi modum edocet *pag.* 283. quem compendio huc reponam. Radicis illius conciſæ tuſæque unciis 4. affundit aquæ libras 16. lenteque decoquit ad quartæ partis conſumptionem. Tunc addit epithymi unciam dimidiam, ſennæ tantundem & hermodactylorum contuſorum duas uncias: & poſt leviſſimam bullitionem ab igne removet: atque hoc unicum decoctum pro potu ordinario ad viceſimum uſque diem uti jubet, abſque ullo regimine ſudorifero.

§. XXII.

De bardana, quod nomen hodie in officinis lappæ majori datur, auctor eſt

G. H. Welſchius l. c. quod empiricus Pariſienſis plurimos quartanarios decocto ejus, magno ſucceſſu, curare ſolitus fuerit. Parandum autem eſt cum æquis partibus vini albi & aquæ, ſic ut unciis octo conciſæ radicis liquoris illius duæ libræ addantur & ad dimidiæ conſumtionem lente bulliant; tandem ab igne jam remotis ſennæ uncia una vel ſeſcuncia immergatur. Hujus decocti ſelibra mane ſumta, ſi per 15. aut 20. dies cum regimine ſudorifero continuatur uſus, proque ordinario potu bibatur chinæ aut ſarſæparillæ decoctum, reliqua etiam diæta recte ordinata ſit, luem veneream curat, quod in Henrico III. Galliæ rege comprobatum teſtatur *Sam. Formius* apud *Riverium* in *obſervat. communic.* 41. *p. m.* 421.

§. XXIII.

Addendum videtur, quod infuſa aut decocta ejuſmodi copioſe multumque ingurgitari neutiquam debeant: quia lymphæ viis non expeditis, trajectuque per glandulas nondum reſtituto, nihil aliud quam infarctum augere & malum pejus valent reddere; aut prorſus vel in viſcere infarcto vel in lymphaticis rupturam inducere, ſicque viam hydropi immedicabili ſternere. Adeoque tam hic, quam in univerſo morbo valet, quod plures graviſſimi viri provide monuerunt, quartanam omnium minime ferre violentas commotiones: & quicunque hic impetuoſius agunt, plerumque implent præſagium *Jodoci Lommii: ſcire licet non quieſcere ſolere hunc morbum, niſi vitio aliquo viſceribus illato.* Nam ſi id generaliter accipere aliquis vellet, inſtantiis pluribus, per complures annos poſt quartanam ſuperatam athletice & pugilice valentium hominum, refutari illico poſſet.

§. XXIV.

Addimus tandem in longo morbo, ſi quando interquieſcendi moras concedere & a medicinis exhibendis feriari viſum eſt, non inutiliter adhiberi interea externa præſidia poſſe, hypochondriorum regioni imponenda. Fructum talium inſignem ac plane conſpicuum vidit ante novem annos *D. D. Præſes*, qui juveni, per aliquot annos hic commorato, & cum febre quartana jam bienne tuſſi etiam ſeroſiſſima hypochondriaca, prorſus convulſiva, laboranti, quum circa anni finem in patriam redire cogeretur, & ejus opem imploraret, ſupra ſpem ſuam omnem utrumque morbum depulit, quum ipſi emplaſtrum ſpleneticum cum ſaponato mixtum per dies forte quatuor geſtandum præſcripſiſſet. Non alia intentione ac ſpe illud ſuaſerat, quam ut viam reliquæ curationi inſtituendæ ſterneret. Tanto autem magis gaviſus eventu fuit, & confirmatus in ſententia pridem concepta, quod noſtrum ſæculum, externis præſidiis minus utens, tantundem delinquat in medendi methodo, quam vetuſtiores, qui nobis videntur unguentis, oleis & emplaſtris ſuis nimium tribuiſſe. Sed hæc nunc dicta ſufficiant.

PAULI

CLVII.

PAULI LE ROY

ET

J. BAPTISTÆ HATTE

AUCTORIS

THESIS IN HÆC VERBA

Ergo febri ſubintranti Kinakina.

Pariſiis 23 Decembr. 1753.

P 2

I.

UT corporis firma conſtitutione nullæ opes, nullæ fortunæ, ampliores, ſic labente illa nil tædioſius, calamitoſius nihil. Mala undequaque humanam vexant quietem; certatim circumſtrepunt morborum agmina qui & inſidias parant & lethum minantur. At nullus qui frequentius homines infeſtet, nullus fere qui facilius perimat quam ipſa febris: fit exinde ut nil utilius nilque melius ſibi putent ægroti [a], ſi ex febre liberentur. Nec quicquam vero quivis ad ſanandum curam ſuſcipit niſi quem certa morbi notitia ac prima origo non fefellerit. Numeroſiſſima ſymptomatum, quibus febris ſtipatur, myriade polydædala quaſi ludit natura: ſed illorumce uno, conſtanti utique ac perpetuo, frequentia, ſcilicet, pulſus adaucta, criterion [b] febris ipſiſſimum propalatur. Ea ſi ſemel excitata, accidentibus ei multifariam implicitis [c], uno impetu ad finem perducitur, *continua* paſſim audit ac *continens* ſynochuſve, quæ in eodem ſemper tenore perſeverat [d], vel ſemper creſcit [e], aut ſemper decreſcit [f]. Dum diverſis vero acceſſionibus, ſtato tempore redeuntibus, interpolato apurexiæ ſpatio, vel non, ſuum abſolvit decurſum, febris *periodica* accipitur, atque, ſi feriantur periodi, *intermittens* accipienda, quæ differentias potiores, ob intervalla diverſa, quæ ipſos diſterminant paroxyſmos, ſortitur diverſas. Ex intermittente autem & continua, certo veluti connubio junctis, febris ſoboleſcit androgina, quæ, licet ab initio ad finem multiplici pathematum apparatu excruciet, per vices tamen mitior remittit, ut iterum exacerbetur, *continuæ remittentis* [g] vocabulo conſalutanda. Sed ſub ultimæ hujus inſignibus febris caput effert altera, quæ ut rarius accidit, ita difficilius noſcitur. In tota febrium turba, nulla abſtruſior, imo nulla quæ nodis, vindice dignis, magis implicetur quam ea pſeudoandrogina, quæ modo remiſſior, nunc validior, ægrum aſſidue laceſſit, ſporadica aut epidemica. Perpetuo hæc anceps, vel leviora continuæ remittentis accidentia famulatur *benigna*, vel deſævit *pernicioſa* [h], ſub qua ſymptomata ſingula, totidem morbi, pari intenſione, at infortunio minus præcipiti [i], quam quæ in intermitten-

 tibus

[a] His rationibus compulſi, veteres Romani nulli altero morbo quam febri templum erexerunt.

[b] Gal. de pulſ. lib. 3.

[c] Febris nulla incomitata progreditur. Fern. de feb.

[d] Acmaſtica. Gal. de diff. feb.

[e] Epacmaſtica ibid.

[f] Paracmaſtica. idid.

[g] Quam ſynechen dixere graï.

[h] Eadem cum *ſub continua* Torti, cum *continente proteiformi* Mortonis.

[i] Torti therap. ſpecial. lib. 3.

tibus pernicioſis (1), diriſſime impetunt. Utut facie ambigua, ea ſuapte tamen natura periodicæ ſpecies extat altera, citra conſuetas inducias inſurgens, cujus paroxiſmi, longiori progreſſu concatenati, continuæ remittentis imaginem adumbrant; periodicæ alicujus, tertianæ duplicis ut plurimum, paroxyſmus ſupervenit alteri, antequam prior plane deſierit, & hunc propter paroxyſmorum ſubingreſſum (2), illam *intrantis* Arabum princeps [*k*], *ſubintrantis* alii (3) appellatione ſignarunt. Fraudulenta ea, tametſi nuſpiam non obvelata incedat, ſignis interdum *demonſtrativis*, non utique univocis, ſui fert notitiam in alterutro acceſſionis tempore. In invaſione etenim, conſpicua magis indole, ſui immemor, proſiliens, non mera inſultat incaleſcentia aut capitis dolore, ſed a leni frigoris ſenſu auſpicata, rigorem aliquem, utut levem, molitur vel horripilationem. Sive oſcitationem tum proritet, ſive nauſea fatiget aut vomituritione, aliqualem ut plurimum, pulſum parvum ac debilem irrogans, motionem motui intermittentis analogam, adnititur captui multo facilior, ſi alias in ſuo typo regularis perſtat periodus. Remiſſionis ad invicem ſigna *demonſtrativa*, ac prioris notæ, ac plura, ſuam præbent cynoſuram. Ingens quippe tum obſidet virium imbecillitas (4), aut proſtratio, comes *ſubintrantis* pene individua. Fit obviam non raro urina (5) ſaturate rubra, hypoſtaſi lateritia inſignis, & magnifaciendum indicium.

(1) De intermittentibus *pernicioſis* algidis, puta, ſyncopalibus, cardiacis, dyſentericis, lethargicis, diaphoreticis, adeantur *Reſtaurandus*, *Lanciſius*, *Riverius*, *Sydenhamus*, *Badus*, *Morto*, *Torti*, *Wrelhoffius*; ſed ante alios *Mercatus* harum icones exhibuit.

(2) Licet febris ſit intermittens, dicitur tamen continua, ſed *continua per ſubingreſſum*, Capivaccius de feb. c. 12. ſi intermiſſio brevior aut nulla, *tertianam extenſam* nuncupant. Rondelet. de feb. ſemi tert. p. 823.

[*k*] Avicenna, lib. 4. Fen. 1. c. 16.

(3) *Subintrans* vel *ſubmittens* quoties in febre, antequam alter paroxyſmorum deſinat, alter incipit. Jo. de gradibus c. 2. de feb. Sanchez de feb. compoſ.

Communicans cum paroxiſmus ſupervenit alteri prope ſolutionem exiſtenti.

Coulterna ſi brevi a fine integro unius invadit alter. Avicenna l. 4. Fen. 1. Bellini. de feb c. 1.

Sed ſubintranti ſponte referendæ *Hemitritæa* Celſi, nec non *Tritæophyes* Galeni, quarum prima " tertio quoque die revertitur, neque ex toto in remiſſione deſiſtit, ſed „ tantum levior eſt. Celſ. lib. 3. c. 3.

Triteophyes pariter " tertio quoque die exacerbatur, neque per minimum inter- „ vallum ita miteſcit, ut in ea febricitans prope ſinceram infebricitationem aſſequi „ videatur. Galen. com. 2 in lib. 6. de morb. vulg & lib. 2. de febrib.

(4) Hac febre affecti viribus ſuis confeſtim decidunt, vix pedibus ſtantes Williſius, de feb. epid. anni 1658. Virium omnium dejectionem inter hujuſce morbi affectus mirati ſumus. Sylvius de le Boë. tract. 10. app. prax. Sydenhamus. ſect. 1. c. 3. obſ.

(5) Urina crocea in intermittenti periculum continuitatis portendit. Torti. Therapeutice ſpecialis lib. 3. c. 1. Morto. de contin. remit. c. 3. Sydenh. Epiſt. 1. Sylvius ibid. Williſ. ibid.

dicium. Aphtæ (6) vel puſtulæ juxta labia; pulſu interim inæquali, prorumpunt foris. Sed ſi calor perſentiſcatur blandus; ac ſudoris rudimentum, eadem tum ſuboffendit ſolutionis ac in intermittente, ſaltem diſpoſitio; ſi non totalis ſolutio; " quippe non hujus declinatio quemadmo„ dum alterius ſudoribus terminatur, neque ad integram infebricitatio„ nem pervenit [†]. Quibus cancellis comprehenſa, *ſubintrans* obtingit „ *benigna*".

I I.

Præſtans ſummonere dogma, *aliud continue febricitare*, *aliud febre continua laborare* [*a*]; quod in *benigna* modo ſuboluimus, in *pernicioſa* nunc manifeſto diluceſcet. Exitioſum id malum; ſi quid aliud, indiciis *prioris notæ* aſtringi impatiens, periodis exultat erraticis [*b*]. Invaſionis telam ordiens, alios nunc delirio; motibus artuum convulſivis annexo, [*c*] nunc ſingultu; aut vomitu [*d*] immodico, conquaſſat quos inceſſit, alios modo ſymptomate omnium graviſſimo, lethargo [*e*], puta, modo apoplexia [*f*], aut catalepſi, aut aphonia [*g*] premit miſeros. Sed hæc vel illa; ſemel enaſcentia, intermiſſionem ſubinde vix agnoſcunt; mitigata licet. Senes & melancholici vertiginoſi (7) evadunt plerique, in ipſamet remiſſione; quæ ſuo etiam ſymptomatum concurſu excipit invaſionem. Dolor capitis prægrandis [*h*]; laſſitudo ulceroſa, vigilia pertinax & anxietas [*i*] divexant ægrotum, nec ullam ſinunt quietem. Veniunt in conſpectum urina flammea [*k*], oris ſiccitas, linguæ ſcabrities [*l*]; & coincidentibus utpote calore & ſiti [*m*], hiſce omnibus

(6) Quoties hæc viſitur *cruſta*, de febre ad continuam vergente ſupicari fas eſt. Torti. ibid. Sylv. ibid. Mort. de feb. cont. prot.

[†] Gal. ad Glauc. lib. 1. de feb. quotid.

[*a*] Sylvius de le Boë. Append. prax. tract. 9. ſect. 25.

[*b*] Sylvius. tract. 10. append. Morto de feb. cont. prot. Torti. de *ſubcontinua malignante*.

[*c*] Williſ. de feb. epid. ann. 1658. Sylv. app. prax. tract. 10. & 9. Torti ther. ſpec.

[*d*] Iidem. ibid.

[*e*] Williſ. de feb. epid. 1658.

[*f*] Sydenham epid. 1.

(7) Ceſſante acceſſione ad ſe redibat, ſemiſopitus tamen. Ballonius. de feb. *Erratica in modum continuæ perſeverante* conſil. 18. lib. 1.

[*g*] Williſ. ibid.

[*h*] Williſ. ibid. Sylv. tract 10.

[*i*] Williſ. ibid. Sylv. tract. 9. & 10.

[*k*] Williſ. ibid.

[*l*] Sylv. tract. 10. Ballon. lib. 1. epid. conſtit. 42.

[*m*] Ballon. ibi.

bus *ſubintrans* continuæ remittentis ſpeciem tam maligne præ ſe ferens, in arte exercitatiſſimum torquet *pernicioſa*. Refrigerantibus, & aliis adverſus continuam paratis, quibuſcumque jam adhibitis, & nequicquam, omnia anxio verſas animo, neſcis *quo teneas nodo mutantem protea vultus:* vafer is profecto te ipſummet, artis medicæ phæbum eludet, ſummo ægrotantis periculo, ſin ad ſigna *anamneſtica* [*n*] aciem oculorum totam convertas. Duo tibi ſuperſunt, tempeſtatis, puta, *conſtitutio epidemica*, & *error diætæ calidioris*, quorum alterutro expiſcato, veritatem ipſammet fugitivam expiſcari dabitur.

Subintrans vere ac hieme [*o*] ſporadica non inſolens, æſtate ac autumno frequentius epidemica graſſatur regularis aut anomala [*p*], & pro epidemiæ dominantis genio verſatili, diverſicolor. Aliquando enim, periodicis autumnalibus, ipſo quidem menſe julio, increbreſcentibus, cito ab ortu [*q*] febrem ſapit adamuſſim continuam. Linea dirimens illam ab altera vix exprimitur. Nilque primis diebus in hac quicquam fere ex ſua natura, præter aliqualem remiſſionem, obtrudit. At re in melius vertente, in quibuſdam, quod rarius, paucos poſt dies exoleſcens [*r*], modo poſt hebdomadas plures [*s*], periodicam eſſe, qualem reapſe a natalibus, palam fatetur. Bruma proin adventante, in typum intermittenti apte reſpondentem, perfectamque illius migrat apurexiam; plerique vero interim, miniſtrorum impatientia, aut morbi ferocia, variis capitis affectibus (periodis tum vagis & incertis,) male plectuntur ægrotantes. Ab ea *ſubintrante* haud diſpar, ferus olim morbus qui *novus* [*t*] paſſim vocabatur; quem etiam *febris novæ* appellatione vult inſigniri *Williſius*, tertianæ typum imitatus, calore intenſiſſimo & vomitu principia ducebat, ſuccedente remiſſione qua ægri ſiticuloſi, anxii, & languidi decumbebant. Sed idem in poſterum delirio, motibus convulſivis, aut lethargo, malignitatis ſubiens notam, de domo in domum ſerpens, longe lateque ruri, præ urbibus, pagos depopulatus eſt. Nequicquam ars opitulabatur [*u*], agnito nondum aut poſt habito kinækinæ præſidio.

Altero afflante epidemiæ ſpiritu, obrepit *ſubintrans*, qua nec peſtis acerbior. Sub larva continuæ remittentis ſemel decurrens, nedum poſtea vergat ad

[*n*] Ἀναμνηστικά. ſeu *commemorativa* quæ præteritum ſtatum commemorant & a cauſis deſumuntur Galen. art. med. c. 7.

[*o*] Ineunte Januario quartana ſpeciem mutat & *continuam* mitem efficit. Ballon. Ephem. p. 31.

[*p*] Frid. Hoffm. de feb. epid.

[*q*] Syden. de morb epid. c. 2.

[*r*] Sydenh. ibid. Williſ. de feb. epid. 1657.

[*s*] Durat continuæ æmula, per duas vel tres hebdomadas, antequam in legitimam intermiſſionem concedat. Frid. Hoffm. de feb. tert. continua.

[*t*] Williſ. de feb. epid. ann. 1657.

[*u*] Williſ. ibid.

ad intermittentem, ad continuam ex adverſo in dies accedit. At cujus ſit prolapiæ, nuſquam niſi cum initium fecerit, liquido innotuit & aperte: intermittentis typum vere tunc habuit, tertianæ duplicis aut quotidianæ quæ ſubinde admodum incrudeſcens, in *ſubintrantis* conditionem ceſſit deteriorem. Huicce proxima quin rectius eadem, "*febris continua*, ab in„termittentium genio in hoc tantum abhorrens, quod hæ ſtatis ſolum tem„poribus, illa continenter urgebat, quæ immaniſſime debacchans tantam „hominum ſtragem, anno 1661, Londini edidit," quæ paulo poſt pari feritate, ſed gravius in opulentiores & delicatiores ſæviens, Leydenſium urbem devaſtavit; hujus tum curam, kinakina non invocata, adverſis avibus ſuſcepit vir experientia nemini ſecundus [*v*]. *Subintrans* huic epidemicæ prodierat pridem conſimilis ob oculos experientiſſimi Ballonii. Ita namque ille, quem pro meliori fide lubet adducere. " Toto menſe junio, „julio, & Auguſto febres vagabantur mali moris: tanquam quotidianæ „intermittentes ſingulis noctibus repetebant; verum aſſiduæ erant, & ta„men hoc fugiebat medicos. Initio quidem fuerat febris vacuitas ſed poſt „unum atque alterum paroxyſmum aſſidua erat febris..... Adeo tempus „matutinum terrificis erat ſymptomatis plenum, etiam primo quaterna„rio, ut multi ſacro oleo peruncti fuerint, qui una hora poſt, primæ re„ſtituti ſanitati videbantur. Et tale morborum ingenium nunquam ſe obſer„vaſſe medici dicebant [*x*]". Num autem jam dudum eadem *ſubintrantis* epidemicæ ſpecies incubuerit terris, & ab ævo e iamnum Hippocratis, cum monumentis mandaverit coacis, *hybernæ febres quartanæ nonnunquam in acutas tranſeunt*, non indubia res eſt. Quippe mutationem hanc pro Galeni [*y*] & Dureti [*z*] ſenſu, intermittenti aſciſcit regimen calidius; medicamentorum, inquiunt, purgantium acriori & intempeſtivo uſu ex ſimplicibus quartanis in duplices tripliceſque & ex his in claſſem continuarum ſe reponere nituntur intermittentes. Quibus non imperite ſubdit calculum Sydenhamus [*a*], toties errorem vulgi perſtringens, cardiacis ſtolide abutentis. Hac ſobole methodi depravatæ recognita, ſignum *ſubintrantis commemorativum* non infrequens excipitur. Statutoque eo, vel *prioris notæ* altero, ad morbi cognitionem gradu, rem preſſius nunc intueamur & expendamus, altiori cauſarum indagine & altiori intellectus ſcrutinio. „Etenim „medicus ſua prudentia, ſi vir induſtrius fuerit, ut plurimum cauſam diſ„quirit [*b*]. Neque enim credit, poſſe eum ſcire quo modo morbos curare „conveniat, qui unde hi ſint, ignorat [*c*].

III.

[*v*] Sylvius de le Boë. tract 10 prax. append.
[*x*] Ballon. Epid. lib 1 conſtit. 4.
[*y*] Galenus. ad Glauc. lib. 2.
[*z*] Duretus in coac lib. 1 n°. 166.
[*a*] Obſ ſect. 1. cap. 5. & paſſim.
[*b*] Hipp. de gland.
[*c*] Celſ. lib 1. c. 1.

III.

Cauſarum inveſtigatio, & in affectionis cognitionem deducit àmpliorem, & ad auſpicatam medicationem viam ſternit expeditam, medicus, phænomenis attentæ mentis acumine luſtratis, ſi periodicæ animum appulerit fideli prehendet obſervatione, in quolibet illius tempore, pulſus frequentiam adaugeri, cor adeoque velocius contrahi & cauſis, ex quibus cordis contractio fit, intendi. Cor ſic in motum violentiorem duci *irritationis* ſtimulo, cuivis microcoſmicos motus expendenti ſuadent omnia. Sed ipſummet ſtimulum, paroxiſmorum cauſam, & exhorreſcentiæ parentem, quem nemini, in corporis penetralibus, conſpicari fuit uſquam datum, ex primariis ipſis febrium conceptaculis, tanquam ex ungue leonem, apprime conjectabis (1). In his enim eduliis, quæ tam ad periodicarum proventum faciunt haſque certo nimis ingenerant, in prunis, melonibus, ficubus, hiſque ante alias, quas *febriferas* vocant aut *pharaonis* (2), febris & *irritationis* cauſa tibi erit ſatis obtutu. Quæque hæc ſi colluſtres, craſeos tibi unius & ejuſdem fidem facient, humoris, nempe, craſſi admodum, glutinoſi & tenacis, qui, ſi raptim ad corporis ambitum feratur, capillaribus infarctis, perſpirationem [*c*] ad minus inhibens, horrorem & rigorem ordiens, febriculam molitur: at idem, ſi correptus in via cum humore inteſtinali ineat conſortium, diatheſi vitioſa indutus, quam ex omni chylo pravo ſibi cudit natura, in primis viis primitus hoſpitatur. Ab eo communi morborum fonte, perpetuo manans, ad ſanguinis torrentem promovetur. Tubulorum in anguſtiis illuvies peregrina pedetentim aggeritur, omnes per artus infuſa, donec ſtata menſura totam horrore vel rigore agitet molem (3) in ultimis totius ſyſtematis vaſculoſi propaginibus lente mota, eadem & in ipſis cordis capillaribus, quaſi per angiporta reptans, vaſculorum parietes irritat, cor ad crebriores & debiliores contractiones ducit, obex una & ſtimulus (4). Prima vero acceſſionis coitione, quantumvis acerrima,

(1) Quod evidentes cauſæ faciunt, facere etiam abditæ poſſunt. Celſ. de feb. c. 3.

(2) Ficus febriferæ aut Pharaonis in Sardinia naſcentes, quæ cito ac certo cauſant periodicas, referente Cardano. de rer. variet. De ficuum noſtratium improbitate fert illuſtris clinicus quod ætatis ſuæ 35 nulla adhuc febre intermittente correptus, ex ficuum ingluvie inciderit in febrem duplicem tertianam *ſubintrantem*, cum atroci in paroxiſmis capitis dolore, ſomnolentia, & ſomniis laborioſis Nic. Cheſneau, obſ. de feb. quart. p. 462.

(*c*) Sanctor Aphor. 27. ſect. 3. & 13.

(3) Quin ex prævio jam vitio, debilitate, aut ſenſu exquiſitiori, partium in quas colluvies irruit, affectus cerebri, ventriculi, inteſtinorum, &c. peculiares aſſolet accerſere.

(4) Hinc pulſus celerrimus ſimul & debiliſſimus exhorreſcentiæ tempore, tempore vere horrendo quo ſolo ægrotantes pereunt, obſerv. Holler. in coac. Harv. de motu cord. Sydenham. p. 97. Hoffmann. t. 4.

cerrima, tandem peracta, cor ſuo excuſſo onere, expeditiori ſyſtole ſe contrahit: omne removetur actutum periculum at non item febris: irritationis enim fons alter intereadum ſcaturiit. Salinæ ſanguinis moleculæ quæ modo, ab oleoſis utpote liberiores, ſtagnabant, acrimoniæ nunc ſpiculis vaſorum truncos & cordis thalamos infeſtantes, velociori & validiori contractioni anſam præbent & ſecundo ſimul febris ſtadio. Id incaleſcentiæ tempus eo longius protrahendum, quo plus epidemicis miaſmatibus pharmaciſve calidioribus jam ſcateant humores, integrum perſequitur *ſubintrans benigna*, ultimi etiam ſtadii exordium conſalutans; illique, vix, niſi molles per artus ſudore tantiſper fuſo, erethiſmo [*d*] fugam meditante, in procinctu alter paroxiſmus corripit gradum, dum a ſecundo ſtadio mox ad alterius paroxiſmi inſultum *pernicioſa* ſicco pede tranſilit inopinato. Sed utraque, aggeſto ſic paroxiſmorum numero, debilitatis ſolidis & depravatis humoribus, ſerius ocius labefactat œconomiam: & ſuffuratis demum viribus, natura pullulanti materiei impar ſubigendæ, in paroxiſmi alicujus exordio tota brevi fatiſcit. Neutiquam inſuper typorum rationem in periodicis adeo diverſam, cur, videlicet, unum, nunc duos, nunc tres exigat dies, ut caput efferat eadem, expectares extricatam. Hanc neque extricat ipſa cauſa prædiſponens, in ſpiritibus aut nervis latitans, quam clariſſimus auctor [*e*] " cauſis omnibus obſcuris non a cogitatione artificis ſed ab ipſa arte rejectis ", [*f*] *characteris occulti* nomine cohoneſtavit. Deflectimus ſcopulum ad quem adhucdum allidunt opinantes: medicus enim, rerum utilium ſagax, in cauſis ſcrutandis, non tam ſciendi, quam agendi rationem intendit.

I V.

Detracta *Subintrantis* larva, illam a periodicarum incunabulis prognatam vidimus. Periodica hæc utique pejoris ſemper conditionis quam ipſa continua quælibet; ſi *benigna*, intra ſuos limites raro nec diu contineri amans, improviſo ſæpius ad graviſſimæ malignitatem properat: vehemens aut *perniciosa*, languenti virium proſtratione ſemper aliquid monſtri alit, & horrendis invaſionis accidentibus ominoſa, ſummum portendit periculum. Graviſſimæ ergo ſubintrantis magnitudo, mitioriſque mos ſubdolus nullam pariter in auxiliis admovendis moram patiuntur. Hoſtis undique mortem oſtentat; in illius ferocia narcoticis (1) pacanda & mitigan-

(*d*) Quo ſuſpenſæ tenentur ſecretiones pleræque.
(*e*) Van Swieten. comm. tom. 2.
(*f*) Celſ. lib. 2.
(1) Narcotica paroxiſmum quidem ſuſpendunt, ſed infido eventu. Hæc enim ita vires dejiciunt ut paroxiſmi ſuccedanei longe graviores poſt modum inſurgant. Frid. Hoffm. de fr. interm.

tiganda, non minus quam in ſuſtentanda natura cardiacorum (2) adminiculo, futilem navares operam, refrigerantibus alioqui levioris armaturæ præſidiis. Is ſolus incaſſum nil molitur quem penes eſt imminentis paroxiſmi impetus antevertere: cura prophylactica tota eſt; in amovendis procreatricibus paroxiſmorum cauſis, ut in prima quaſi herba eradicetur febris, omnia ſedent medici munera; & cauſarum nunc fontibus reſeratis, has exhauriendas jubet medicina. Sanguini primæ viæ ſtillicidio aſſiduo, & fatali quodam commercio, ad paroxiſmos continuo renovandos, materiam ſuggerunt, ſanguinemque virulenta ſimul qualitate, unde lugenda ſymptomatum cohors, inficiunt. Id commercium ſagaciter ſubolentes medici, colluviei adventitiæ excogitarunt providi, viam præcludere. Potiſſima fuit indicatio ut humor denſetur ante novam acceſſionem & quantum poteſt compeſcatur. " Humores denſabis fert Mercatus, [*g*] " ineptioreſque ad fluxum reddes, ſyrupo de malis punicis cum decoctis „ roſarum, cum aqua ferrata & deaurata & non parum hic prodeſſe com„ peries bolum armeni & terram ſigillatam". Pari methodo ducti qui ſpiritum ſulphuris, acetum, unicornu [*h*], nuces gallarum, alumen & his affinia, acida terreave, ſtyptica in auxilium advocarunt, periodicarum inchoarunt medelam, pro ea mox integre perficienda filum appendentes (3). Priori enim hacce opera, hoſtem febrilem in primarum viarum latibulis, detinuere in præcinctu & incarceratum, uſquedum infenſa illius indoles immutari poſſit & ipſe deturbari. Quod ultimum id munus caveſis ne credas incautus purgantibus. Colluvies, materia cruda & incocta, a promptiori horumce molimine pelli recuſat: vel altiores habet radices quàm ut tantillum ab his ſubmoveri patiatur; & purgantium ope id tantum lucrifacies, dictitante experientia (4) ut morbus contumacior evadat, & diutius ſtationem ſuam tueatur. Hanc vero coctionis provinciam tuto ſuſcipient ac rite adimplebunt amara, chamæmelum, puta, abſinthium, gentiana, centaurium & ſimilia ab omni ævo in uſum ducta. Enimvero hæc energia ſua ecphractica, ac vi tonica, qua vigent, viſcidam dyſcraſiam febrilem pedetentim ſolvent, abradent penitus. Sed ob tardiorem amarorum efficaciam, ni, hiſce operantibus, viæ ad ſanguinem ſedulo ac rite muniantur (5), Syſiphi ſaxum volvis

(2) Quis cum cardiacis mercaretur gnarus ſic ex intermittente *ſubintrantem*, eamque tacto cerebro lethalem effici.

(*g*) De Tertiana Pernicioſa c. 3. lib. 4. de Feb. putr.

(*h*) Bartholin obſ. Cent. 2.

(3) In periodica fuganda jam ſtyptica laudaverat Hippocrates; ubi æger medicamento purgante egere non videbatur, *Pentaphylli* radices dari juſſit. lib. 2. de morbis p. 474. edit. Foeſ.

(4) De contenta parte nil detrahunt, cum non cedat quia crudus eſt morbus. Hipp. de vict. rat. in ac. 3.

(5) Hinc quælibet evacuatio a purgantibus evertit tum quidquid ſtiptica ſubſtruxerunt. Sydenh. hinc in iis qui alvo prona ſunt non æque certo prodeſt kinakina.

vis: recidivuſque morbus redivivuſque labor te continuo verſabit vexabitque. Hinc rei ſcopo priori prætervíſo a pleriſque veteribus, quid mirum, ſi ultimæ duntaxat indicationi prorſus intenti, non ſemel ſe ab amaris ſenſere eluſos? Non primi medentes omnia invenerunt, quantumvis principia invenerint [*i*]; nec in amaris nec in ſtypticis, ſegregatim ſumptis, vis ineſt ſpecifice febrifuga: ſed quæ non proſunt ſingula, plura juvant. In recto utrorumque uſu vim optatam, in roſarum rubrarum, videlicet, & chamæmeli copula, nanciſcereris, niſi melius virium id connubium concinnaverit jam natura. Hæc alma ſinu divite promit ceraſum, fraxinum caſcarillam, kinamkinam & alia veterum priſcis ignota temporibus, in quibus ſtypticitas & amaror operas mutuas ſibi tradunt. Quæque hæc, dum blanda ſua aſtrictoria virtute, latici febrili ad ſanguinem eunti obicem ponunt, vi amarorum propria viſcidum id lenteſcens ſolvunt ut fluxile redditum, qua data porta, ultro eliminetur. Sed inter hæc febrifuga primas tenet, cæterorum decus, kinakina cui præ aliis herculea virtus adſcribenda, qua febris, hydra aſſidue renaſcens, validius contunditur & exterminatur. Salutaris is cortex quem tandiu terra incognita celavit, apud americanos delituit ipſiſmet ignotus, donec ſors eum e tenebris eruerit [*k*]. Experientia excudit artem exemplo monſtrante viam. Sic americanis innotuit ad noſque pervenit auro & gemmis longe pretioſior cortex; antidotus tot diu quæſita laboribus. Kinakina ſtipticitate potens, terreis ſuis moleculis dum meatus obturat reſorbentes, amaroris ſuæ ſpirituſve ſui rectoris efficacia, cui par non datur in colluvie febrili ſolvenda, & quo jure cæteris palmam præripit, colluviei ſarcinam quam facillime omnium ſubigit & ſuo demum conſortio excutit & detrudit. Id in intermittentibus remedium jam catholicon, haſque tanquam in ovo ſuffocans, quo dato fateri cogimur rerum naturam non largius mala quam remedia genuiſſe, utramque in *ſubintranti* indicationem omni numero explebit, rationi experientia mox ſuffragante.

V.

Mederi aut ſanare non eſt remedium miniſtrare vel non, ſed ſic affecto hæc præſtare: quod profecto eſt tam difficile quam eſſe medicum. Non ſat eſt medenti calluiſſe an agendum & qua re, ni quando ſit agendum & quantum, probe noverit. Uno quidem kinækinæ robore *ſubintrans mitis* aut *pernicioſa* protelatur, *nulla adeo fera quin miteſcere poſſit*, ſed diverſis eadem intentio medendi continetur momentis. Si *ſubintrans benigna* & ab intermittente parum abhorrens, & in continuæ remittentis confinio ſedens, nonniſi e longinquo *pernicioſæ* acutiem præmonſtret, non

(*i*) Septalius Animadv. lib. 1.

(*k*) Vid. Sebaſt. Badus, qui inventionis & translationis hiſtoriam enarrat a primordio. In *Anaſtaſi corticis*.

non conſilii quidem ambiguus eſt medicus. Phlebotomia, (1) ut plethoræ obeatur, & purgatione, qua *cacochylia* everretur *bilioſa*, (2) præmiſſis, ut caſus ferre videtur, kinamkinam, declinante (3) paroxiſmo, exemptoque dierum criticorum ſcrupulo (4), uſurpandam proponit ad Torti [*l*] normam; eandem poſtea, ſingulis diebus, ad doſim dimidiam, ſemel aut bis, prout opus ſatagit iterare, ea proportione ut ſit ſatis abſumpſiſſe duas circiter uncias: quippe quod non hæc præſtat quantitas, non præſtat major. De eleganti kinækinæ præparatione parum ſumus ſolliciti, ea enim eo fortior quo ſimplicior; diuturnaque experientia fretus, hanc in pollinem redactam compendioſius finem optatum attingere, quam ſi multa arte torqueatur, inculcat Morto [*m*]. Sed ſi in promptu adſtiterit *ſubintrans* cum ea accidentium ſyndrome quæ *pernicioſæ* præſentiam accuſet, ſive ſigno *demonſtrativo*, quantumvis unico (5) ſive *anamneſtico*, quod peritum nuſpiam latet, ſui generis indicium præbeat, nulla tibi ſit difficultas, Torti, Ferrarii, Mortonis, &c. experientiis edocto, kinamkinam fidenter propinare, primo hauſtu ad largiorem doſim (6) ut ea ſit potis febrem valido ictu plectere, tranſiens poſtea ad refractiorem, pari methodo quæ ad *benignam*. Sed ut poſtea *ſaburræ bilioſæ*, de novo ſuccreſcentis, labes inhibeatur, & noxa (7) quævis inde emerſura, purgatio lenis, febre penitus depulſa, [*n*] inſtituitur pluries repetenda, ſin conſopito [*o*] duntaxat morbo, kinamkinam catharticis conſociatam exhibere malueris. Nullum tamen abeſt ſi adſit in *ſubintrante* kinakina, non a vehementis prædictæ ſolum periculo vindicans, ſed ab ipſiſmet erebi faucibus. Omnibus ſed enim in pejus ruentibus, jaceat

(1) Nobilis vir febre tertiana laborabat, medicus qui illi medebatur, ut erat αἱμοφοβος, ſanguinis detractionem neglexit. Quarto paroxiſmo tanta excretio ſanguinis ſecuta eſt ut eo ipſo die, illi obeundum fuerit. Ballonius. ephem. lib. 2.

(2) Periodicis ineuntibus propalatur, ſponte ſua vel leni emetico *ſaburra bilioſa*, a colore cutis ſubfl veſcente, ab urina flavo-rubra & ab anxietate in præcordiis, prius indicata, excuſſa. Van Sweit. comm. tom. 2. de feb. interm.

(3) Ubi acceſſiones continuantur, protinus inclinata priore dandus cibus eſt. Celſ. lib. 3. c. 5. tutius nos ad remedium confugimus.

(4) Hujuſmodi febres vim criticorum dierum ſpernunt. *Cruditas* morbi in vehementia ſymptomatum, *coctio* in remiſſione eorumdem. Baglivi de feb. meſenter.

(*l*) Therapeut. ſpecial.

(*m*) De Kinækinæ virt.

(5) Solo urinæ icteriæ indicio affectum intermittentis ſoporoſum ab apoplexia genuina ſagaciter diſcriminavit Sydenhamus. epiſt. 1.

(6) Kinakina validius ſemel adminiſtrata, ſi nil profit, febris ergo a periodicis haud ſumit natalia. Torti therap. ſpec. p. 20.

(7) Si hæc purgantia negligerentur, vidi tunc ſimul urinam rubicundam magis, adnatam oculorum tunicam ſubflaveſcere, linguam fieri ſordidam, appetitum deleri. &c. quæ omnia tollebantur cathartico per quod expellebatur ingens copia *bilioſæ ſaburræ*, quæ febris tempore à ſanitatis legibus degeneravit. Van Swieten. com. de feb. interm. tom. 2 p. 793.

(*n*) Pro Sydenhami legibus.

(*o*) Acceptiſſimo Medicorum Pariſienſium ritu.

jaceat æger ad lecti pedes labans, jactans brachia quaſi quippiam velit prehendere per aerem, ſed tremulis manibus nil præter floccos linteorum carpens, vel plicas cum eorum fimbriis modo conficiens, modo iterum explicans; æger ſic a *ſubintrantis* paroxiſmis atrocia jactatus, tanquam miſer aquis immerſus, etſi pluries conatu ſuo ſurſum elatus jam fuerit, a nova ac ultima acceſſione certo certius mox erit ſuffocandus. Sed voſmet rebus ſervate ſecundis; huic ſi cortex a manu adjutrice porrigatur, a mortis Barathro ereptus, ad ſanitatis portum ſtatim remeabit, cortice ſecurus [*p*]; poſitis in tuto ægri rebus, acceſſioni leniori perfecta paulo poſt ſuccedet apurexia: & obliteratis ſenſim acceſſionibus ad optimam frugem febre reducta, redintegrabitur ſanitas. Primario, videlicet, kinækinæ conamine febris videtur quidem reſecta, ſed ex uſu, prophylaxeos cauſa, continuato, radicitus denique avellitur & ita extirpatur ut nullum poſſit amplius emittere ſurculum. Altera ipſa die, qua ingeritur, adeo ex voto operatur, pepaſmum [*q*] facit, vel ſaltem ut fiat efficit. Si uberioris nonnumquam excretionis promptioris aut tardioris [*r*], alvi interdum ſolutioris [*s*], modo ſudoris [*t*] aut urinæ, & perſpirationis vel halitu gravi [*u*] ut plurimum, auctor contigerit kinakina, neque ideo infert neceſſitatem criſeos [*x*] ullius, aut evacuationis ſolito uberioris. Qualis qualis ea fuerit, res vacat periculo, hujus jam fidem fecit oculatiſſima medicorum [*y*] experientia, & hoc bene novit qui noverit quam pauca ſint magnorum morborum ſemina. Si kinækinæ encomio inſuper addamus, quod in caſibus ambiguis, in ipſiſmet *continentibus*, quæ ſe ſubtrahunt illius actioni, ſine fructu & ſine noxia [*z*] cortex benignus propinetur.

Ergo febri ſubintranti kinakina.

[*p*] Teſtibus Torti & Ferrario.
[*q*] In urina præprime conſpicuum. Sydenha. Morton.
[*r*] Poſt 10 poſt 20 dies & poſt menſem contingit evacuatio critica Albertinus. in act. Bononienſ. t. 1.
[*s*] Sydenh Epiſt. 1.
[*t*] Reſtaurandus.
[*u*] Albertinus. in act. Bonon. t. 1. p. 410.
[*x*] Sydenhamus, Morto, Van Swieten &c.
[*y*] In criſi evacuationem confertim fieri oportet, ſi paulatim fiat morbus dicitur concoctione fieri non criſi, Gorreus. de defin. med Senner. de criſi.
[*z*] Id certi attulit praxis Mortonis feliciſſima, idque innuit Albertinus. loc. cit.

CLVIII.

HENR. WILHEL. ARNOLDI

DE

FEBRE STOMACHALI EPIDEMICA

DISSERTATIO.

Marburgi 1727.

PROOEMIUM.

Quantas hactenus in foro medico diſceptationes, quantamque explicationum varietatem excitari decantatiſſima illa doctrina de natura humana medicatrice, ejuſque uſu hygieinico & therapeutico, pervulgatum, imo vel illis non ignotum eſt, qui ſaltim præliminaria præceptorum medicorum intrarunt; nec tamen, quod maximopere conquerendum, ad finem talem exoptatum & firmiſſimum penitus perducta eſt, quali Medicus Junior, conſcientioſe & feliciter circa praxin clinicam, & illam quotidianam, proxime verſandus, tute acquieſcere & inniti poſſit.

Soli, quantum nobis quidem conſtat, & pauciores medici germaniæ noſtræ dilectæ, tramitem priſcorum & excellentiſſimorum practicorum incedentes, doctrinam hanc nobiliſſimam & maxime neceſſariam, ex horum monumentis & fragmentis denuo eruere & colligere, collectaque ſcriptis publicis communicare ſtrenue hactenus allaborarunt, & quidem cum feliciſſimo hocce ſucceſſu, ut praxin medicam nuperrime auſpicaturus & auſpicatus, illo nunc, tanquam ſatis firmo fundamento, & fini artis maxime conſentaneo, tutiſſime ſuperſtruere is poſſit, cui de meliori luto finxit præcordia Titan.

Huc pertinet inprimis doctrina de naturæ Medicatricis motibus ſecretoriis & excretoriis, depletoriis & expletoriis, vel ad minimum moliminibus illuc tendentibus, & inter hæc præcipue motus febriles, varii & multiplicis omnino generis. Et quamvis variarum hactenus febrium inſultibus variis, in praxi noſtra ſeptennii, multipliciter tentati fuerimus, maxime omnium tamen graſſata eſt ante duos, tres & quod excurrit annos, heic locorum & in vicinia, ſi non prorſus epidemice, ad minimum certe ſporadice, febris ſtomachalis, noſtris ein magen-fieber, *conjuncta interdum cum tam diris & giganteis quaſi ſymptomatibus, ut religioni nobis duxerimus, & juxta* Bohnium *Tractat.* de dupl. Medic. officio, ſuſpicionem aut timiditatis aut incertitudinis Medicæ incurrere rati ſimus, *ſi motus hos naturæ, aliquando efferos & excedentes, contemperare & ſecretionem intentatam, Pigmæis, & non potius cum* Hippocrate *noſtro, remediis vere magnis & præſentiſſimi effectus, ipſa ut plurimum natura indice & duce, conſequi auderemus.*

Annuit etiam numen benigniſſimum conatibus noſtris benigniſſime, ut non ſine plurium admiratione maxima, auxilium momentaneum, ſolis interdum evacuantibus rite & legitime adhibitis, ferre conceſſum fuerit.

Cum itaque per triennalem hujus febris decurſum epidemicum, caſus & obſervationes aliquot notatu omnino dignæ, nobis obtigerint, unde medelam naturæ medicatricis varie intentatam admirari, & poriſmata quædam practica, multumque utilia, colligere copia data ſit, & nunc quidem juſſu & aſſenſu gratioſæ facultatis medicæ, hujus Academiæ celeberrimæ, Diſſertationem inauguralem conſcribere intendamus, non abs re fore judicavimus, ſi

R 2 graſſan-

graſſantis hujus febris ſtomachalis hiſtoriam cum methodo medendi, qua illam; pro ſymptomatum urgentium neceſſitate, tractare inducti fuimus; dehinc poriſmata exinde collecta, ſuis quæque loculis interjecta & ſubordinata, ſpeciminis publici loco communicaremus.

Annue, benigniſſimum numen, uti hactenus, ita etiam nunc & in poſterum, conatibus noſtris, benigniſſime!

---

§. I.

Cum in omnibus de quibus quæritur, ad rationem maxime oporteat aſſumi ipſum nomen, juxta *Galen. lib.* 1. *cap.* 5. hinc pauciſſimis ſaltem, pro hac vice, attingemus prius denominationem verbalem febris noſtræ ſtomachalis, quam ad ipſam definitionem ſeu deſcriptionem, uberioremque illius tractationem deſcendemus. Derivatur autem febris vocabulum longe optime ab antiquo februare, quod idem eſt ac expurgare ſeu eliminare, vid. *Baſil. Fabri Lexic. magnum* ſub hoc verbo, quia febris revera, juxta perpetuum rationis & experientiæ medicæ conſenſum & aſſenſum, nil aliud eſt, quam ſalutare quoddam conamen, quo mediante, natura conſervatrix & morborum medicatrix, juxta *Hippocratem* & *Galenum*, motu maſſæ ſanguineæ ultra gradum naturalem imminuto & iterum aucto, partes ſuperfluas, heterogeneas & ut plurimum in ſtaſin & putredinem undecunque facile degenerantes, vel præoccupare, vel ipſo actu jam degeneratas, reſolvere, ſecernere & eliminare, imo & aliquando exturbare annititur. Epitheton ſtomachalis innuit maxime differentiam ſpecificam & partem affectam: viſcus ſcilicet internum nobiliſſimum ſtomachum, ſive ventriculum, commune alimentorum receptaculum, & concoctionis officinam, dictum; de cujus ſtructura & functione, cum inſtituimus tractationem omnino practicam, heic non agimus, videantur Anatomici & Phiſiologi, imprimis recentiores. Epidemicam autem vocavimus, eo quod indolem & morem reliquarum febrium epidemicarum, ratione communicationis contagii, præ ſe tulerit, non tamen pure epidemicam, quaſi omnibus domeſticis & adſtantibus contagioſa fuiſſet, ſed tantum in relatione ad ſubjecta jam antea diſpoſita & ad ſuſcipiendum morboſum fomitem proclivia, quod aliis, utut in ſenſu latiori, ſporadice graſſari audit.

§. II.

Quamvis autem difficillima res ſit definitionem realem dare, deſcribimus tamen febrim noſtram ſtomachalem, quod fuerit ſalutare tale naturæ mediatricis conamen, quo mediante partes & in tota maſſa ſanguinea

nea & imprimis in cavitate ventriculi ſuperfluas & præternaturaliter heterogeneas, motu ſanguinis & humorum ad ventriculum & viſcera adjacentia præprimis aucto, imminuere, depurare, ſecernere, imo & reſpective exturbare, imminentemque in vaſis gaſtricis ſtaſin vel præoccupare, vel re ipſa jam factam, diſſolvere, annitebatur.

§. III.

Differebat vero hæc febris multipliciter; ſiquidem ſæpiſſime concurrebat cum aliis morbis, ut ſic ſymptomatica ſaltem febris dici mereretur; quod maxime, in febribus catarrhalibus malignis & anginoideis ante biennium fiebat, interdum vero prorſus idiopathice progrediebatur. Ratione gradus & modi in aliis leniſſimos progreſſus agebat, ſub ſymptomatibus & ſignis febrium catarrhalium benignarum ordinariis & utplurimum ſalutifero cum eventu, contra in aliis degenerabat, imprimis per malum regimen, in ipſiſſimam & quidem plenam & conſummatam inflammationem ventriculi, cum deliriis & ut plurimum, poſt ſphaceloſam corruptionem, lethali exitu: exemplo ancillæ cujuſdam, ſanguineo-cholericæ, quæ ex obſtructis menſtruis patiebatur talem congeſtionem cum horrore & æſtu maximo, vomitu crebriori & perpetuo ſuffocationis metu; hæc, neglecta primo die venæ ſectione revulſoria, ſumme neceſſaria, ſecundo & tertio die jam delirabat, uſque dum quinto die morbi mors omnium miſeriarum finem, in ſummo ætatis flore, faceret. Tempus nullum certum ſervabat, ſed inordinate pro multivaria conſtitutione patientum, & materiæ diſpoſitione eveniebat.

§. IV.

Differebat etiam à pure epidemica febri, & ſic vidimus multoties, unicam ſaltem perſonam totius familiæ ex illa febri laboraſſe, reliquis domeſticis omnibus ſaniſſimis, per Dei gratiam, manentibus. Ab aliarum febrium generibus iterum differebat eo, quod natura ſecretionem & excretionem maxime per hoc viſcus ejuſque organa non ſolum intendebat, ſed & re vera peragebat. Denique etiam ratione Typi ſummopere differebat, modo enim typum continuæ aut quotidianæ duplicatæ, modo tertianæ febris, imo & aliquando typum octanarium ſimulabat, exemplo Ruricoli Weſtphalici, qui ſingulis diebus ſolis cum horrore & æſtu, vomitu, Diarrhœa & ſubſequente madore totius corporis, dehinc perpetuo dolore & inflatione ventriculi corripiebatur, noſtri dicebant *der Magen ſeye Ihme gar ſehr geſchwollen*: per reliquos hebdomadis dies, præter inſignem laſſitudinem, appetitum dejectum & decolorationem faciei ſatis vegetus erat.

Plures differentias ſpecificas addere tempus & chartæ brevitas non permittunt.

§. V.

Signa cum aliis febribus idiopathicis & ſympathicis pro ratione loci, temporis, modi, gradus & ſexus utplurimum communia erant: invadebat enim imprimis cum horrore paroxyſmante, interdum leni & tolerabili, interdum etiam inſigniori & concuſſatorio; cui extemplo ſubſequebatur æſtus, primo itidem tolerabilis per gradus vero plus minus acceleratos & auctos, ut patientes inde in delirium conjecti & amentes, doloris circumſtantias & locum certo definiri nequirent; his concurrebat vertigo tanta, ut erecto corpore lecto inſidere minime potuiſſet talis patiens, aliquando etiam ipſe vomitus enormis antecedenter & conſequenter accedebat: Dehinc maximopere urgebat tuſſis effera & cardialgia cum anguſtia præcordiorum, & difficillima, anxioſa anheloſaque reſpiratione, ad ſuffocationem uſque, *dem Patienten iſt ſo angſt, daß er erſticken möchte*, Superato vero tali paroxyſmo, ſequebatur ut plurimum madôr totius corporis, excepto cordis ſcrobiculo, cum laſſitudine tanta, ut ægrotum vix ſpiritum amplius trahere ſentires.

§. VI.

Optimum vero ſignum pathognomonicum præbebat dolor continuus & accurate circa ſcrobiculum cordis ejuſque latus ſiniſtrum, cum rubedine & inflammatione etiam externe viſenda, conſtans & adeo ſenſibilis, ut nequidem attactum tegumentorum admittere poſſent patientes. Ceterum de laſſitudine maxima ſemper, a primo incurſionis morbi momento, ad totalem illius ceſſationem uſque, conqueſti ſunt; & hactenus certe fundamentaliter exhauriri nondum potuimus, undenam maxima illa virium jactura ſtatim a primo morbi momento, præter inſignem malignitatem præſentem, ortum ducere potuerit? Urina a principio morbi ſemper maxime rubicunda & flammea fuit, ſine ſedimento & nubecula, ubi vero poſt quartum morbi diem illud turbabatur, ita, ut ſedimentum mucido-ſubroſeum demitteret, ibi ſpes maxima proximæ reſtitutionis affulgebat, & contra. Pulſus ſeſe ſemper pro ratione gradus & temporis ad genium morbi habebat.

§. VII.

Febris hæc nulli ſexui nec etiam ætati parcebat, ſed promiſcue & indeſinenter tam in infantes & adultos, quam in fœminas, gravidas, puerperas, mares ſeneſque ſub multiplici forma ſæviebat; imprimis vero eveniebat illis, qui temperamenti ſanguineo cholerici erant, dehinc ſucculenti, aut ingluviei ventris dediti; Sic in ſpecie Litteratis & Monachis inſidias ſtruebat: exemplo Clerici cujuſdam, plenioris conſtitutionis & vitæ lautæ aſſueti, qui antea ſingulis matutinis horis corripiebatur vomitu ſpon-

ſpontaneo & viſcido-bilioſo, (omnium ſpiritus vini vel etiam frumenti Bibulorum flagellum ordinarium & accommodatum) hic tamen vomitus nunc per duas integras dies atque noctes indeſinenter urgebat, tanta frequentia & vehementia, ut vix animam amplius ſupereſſe poſſe crederes: nos in conſilium vocati ſtatim congeſtiones, circa vaſa gaſtrica accuſavimus, hinc ſolis temperantibus, paregoricis & revellentibus reiteratis curam feliciter, Deo ſit laus, abſolvimus.

§. VIII.

Maxime omnium tamen illos affligebat, qui ſanguinis & Seri evacuationum ordinariarum, ſive naturalium ſive artificialium, ſuppreſſionem & ceſſationem præmaturam experiebantur, quarum tamen antea aſſuefacti erant: id quod multis exemplis comprobare poſſemus, modo brevitas paginarum noſtrarum non obſtaret; adducemus unicum ſaltem de evacuationibus alvinis ſeroſis conſuetis, de hæmorrhagicis enim plane ſilebimus: amicus quidam, liberrimo & ſpontaneo naturæ motu, ſingulis menſibus, per decem & plures abhinc annos, corripiebatur Diarrhœa quadam critica, non torminoſa, ad ſex ſedes & ultra per nycthemerum; anno 1724. per æſtatem calidiorem hæc evacuatio ſua ſponte ceſſabat, adſcribebatur hoc aëri calidiori humores vitales ultra euphoriam naturæ exhaurientis; quid fit? circa finem menſis Auguſti per tres integros dies vexatur teneſmo hæmorrhoidali, ſatis acerbo, cum oppletionibus pectoris, (uti vocabat, erat vero regio Gaſtrica) aſthmatis ad inſtar, tuſſi ſicca, dolore ſcrobiculi cordis & aliis ſymptomatibus, imprimis protuberantia venarum hæmorrhoidalium, quod nobis referens, præter externa, ut balnea & cataplaſmata emollientia pro inſeſſu, uſum quotidianum ſequentis compoſitionis præſcribebamus: ℞ Gumm. ammon. opt. ſcrup. un. Extr. Cathol. rhabarb. ana ſcrup. ſem. Magiſt. Jalapp. Mercur. dulc. opt. ana gr. XII. Ol. fœniculi gt. IV.

Miſc. f. c. q. ſ. Eſſ. abſinth. Pill. nro XL. Deaurentur D. ad Scat. S. *Befórderendte Pillen, allen Abend vorm Schlafen gehen* 10. *Stück, nebſt* Obſerv*irung guter* Diæt, *zugebradchen.* Effectus hujus compoſitionis ita exoptatus fuit, ut ſingulis ab hinc annis, circa idem tempus, liberiorem & ſpontaneam ſanguinis hæmorrhoidalis ſecretionem legitimam expertus fuerit, unde corpus antea ſatis macilentum, nunc ſucceſſive obeſitatem acquirit.

§. IX.

Cauſa materialis & immediata Febris hujus erat humor acris viſcidus & accido-corroſivus, imprimis in cavitate ventriculi hærens, productus ex confermentatione bilis præter naturam redundantis, & ex duodeno inteſtino ſurſum per pylorum in ventriculum effuſæ, acris & quaſi cauſticæ,

ticæ, cum liquore Gaſtrico, itidem paulo acriori, & ſtatim poſt aſſumtum cibum commixtæ. Cauſa formalis erat naturæ conamen illud ſalutare, humoris hujus acris & rodentis imprimis in cavo ventriculi collecti & confermentantis, correctioni aut ejectioni dehinc ſtaſeos factæ reſolutioni & diſcuſſioni apprime dicatum.

§. X.

Ex cauſis procatarcticis, ut vocant, obſervavimus præcipue huc feciſſe Temperamentum ſanguineocholericum, vid. §. VII. utpote ad præternaturales bilis effuſiones & regurgitationes, & ad progenerationem humorum acrium, præ ceteris, aptiſſimum. Ætati nulli etiam parcebat Febris noſtra, ſed promiſcue & in quemcunque, pro variatione circumſtantiarum externarum & diſpoſitione corporum ſæviebat. Ratione ſexus hoc imprimis animadvertendum erat, quod ſexus ſequior præ virili magis febris noſtræ patiens fuerit, præcipue vero illæ Mulierculæ, quæ, exemplo peſſimo & ſumme noxio, hactenus quotidianis ingurgitationibus aquarum ardentium indulſerant, & ante annum quinquageſimum adhuc conſtitutæ fuerant, ubi tum congeſtiones maxime efferæ erant, & facillime in Gangrænam inſuperabilem & ſphacelum mortiferum tranſmigrabant.

§. XI.

Ex cauſis non-naturalibus huc imprimis concurrebat aer humidior & pluvioſus annorum 22. & 23. ſiquidem in ſubjectis biliofis, ob impeditam recrementorum ſalino-ſulphureorum acrium tranſpirationem & evacuationem, facile talis diſpoſitio corporum fiebat, quæ poſtea concurrentibus ceteris cauſis occaſionalibus, noſtro morbo materiam præbebat. Cibus & potus quantitate & qualitate peccantes, præprimis ſymbolum ſuum addebant, ut cibi acres, acidi, ſaliti, fumo indurati, horæi & leguminoſi, dehinc potus frigidus, imprimis ſtomacho, ex prius hauſto ſpiritui vini vel frumenti, ferventi, affatim ſuperingeſtus, porro cereviſia recens cocta & nondum ſufficienter defæcata, aut etiam vapida & fæculenta, vulgo *ſtumpf Bier*; Exemplo Perilluſtris Cujuſdam perſonæ, quæ ruri recreationis gratia degens, ruraliter etiam ratione ſex rerum nonnaturalium vivebat, hinc ventriculus, poſt eſum triduum & ultra, variorum ciborum dyſpeptorum imprimis leguminoſorum, cum lardo infumato coctorum, ut vulgus alias ſolet, horum minus aſſuetus, ita obruebatur, ut per rejectionem ſuperfluorum & indigeſtorum ſibi conſulere vellet, & ideo per vomendi conatus reiteratos exonerare ventriculum conabatur quidem, ſed irritato ſucceſſu: nos accerſiti, ex relationibus & indicationibus judicavimus, cruditates primarum viarum, ex hoc modo valde neglecta diæta debita, collectas, quo citius eo melius

iterum

iterum educendas eſſe, & quidem ea via, qua natura moliebatur. Dato igitur Emetico leniſſimo ad operationes quatuor ἄνω & tres κάτω, eo momento horror, vertigo, inflatio & dolores colici ventriculi & infimi ventris, dehinc eſculentorum nauſea & inappetentia, atque metus ſuffocationis hypochondriacæ, imo & quietis impatiens, corporis jactigatio ipſa, cum omnibus reliquis ſymptomatibus ita ceſſarunt, ut miraculi ad inſtar, ſumpta ſaltim ſtomachica una atque altera doſi, poſtridie felici hac & cita, per Dei gratiam, reſtitutione, valde contentus, ad opera publica redire potuerit.

XII.

Quid animi etiam pathemata ad febrium præprimis bilioſarum productionem & progenerationem conferre poſſint, videndum apprime eſt in Practicorum expertiſſimorum libris & obſervationibus, quippe per hæc bilis inordinate & tumultuarie ad inteſtinum duodenum, & per hoc ad ipſum ſæpe ventriculum effunditur, ubi cum eduliis fermenteſcibilibus facile aceſcit, & ſic partes arrodit, hinc dolores ſpaſticos & vomibundos cauſat, vel cum chylo ad ipſiſſimum fontem vitalem tranſmigrat, & hinc pro varia diſpoſitione præcedanea corporum, varia etiam Febrium & Morborum Genera producit, quale quid etiam in Morbo noſtro obſervavimus, ita ut poſt iracundiam unam atque alteram prægreſſam, & pro modo & quantitate effuſionis, Febris noſtra etiam Gradu maxime differret.

Quid denique ratione excretorum & retentorum in noſtra febre obſervatum ſit, hoc jam ſupra §. VIII. de ſubjectis, & alibi indicatum eſt.

§. XIII.

Ex cauſis præternaturalibus maxime conſideranda veniebat prædiſpoſitio morboſa ad hanc febrim ſtomachalem, præprimis ubi quis jam dudum aſthmate ſtomachali vel pectorali laboraverat; ſic correptus hoc morbo puer Gibboſus, duodecim annorum, cum motu febris maximo & inflammatione œſophagi ad fauces uſque, nil proficiente omni Medicamentorum, optimorum etiam, uſu, poſt ſextum Morbi diem, ex ſphacelo interno, diem obiit ſupremum. Obſervatus etiam a nobis eſt Patiens tuſſi ſtomachali & habituali antea laborans, qui a Febri noſtra miſerrime decubuit, debitis tamen adhibitis remediis, & ejecta per tuſſim plurima materia viſcido-lenta, decimo tertio morbi die, morbi impetu ſenſim atque ſenſim remittente, eluctatus eſt. Sexus vero ſequior longe graviſſime, & periculoſiſſimo ut plurimum cum eventu hunc morbum patiebatur, imprimis ubi per nimiam & conſuetam (peſſimo hodierno more) ſpiritus frumenti ingurgitationem, viſcera quaſi excocta

erant, vulgus dicit: *die Därme ſind Ihnen gantz gahr gebremet*, vid. itidem ſupra §. X.

§. XIV.

Prognoſis febris noſtræ utplurimum valde ambigua erat, imprimis ſi notabilis labes circa viſcera interna, aut ratione Ventriculi ipſius, aut ratione proxime adjacentium, hærebat: ſemper ideo eventus eruendus erat & prognoſis formanda, ex loco maxime affecto, modo, gradu & tempore morbi, juxta Excellent. Joh. Adolph. Wedelium, in Collegio Manuſcripto de Febribus. Hinc cum locus primarius morbi noſtri admodum nobile viſcus, ventriculus eſſet, facile judicandum eſt, tanto majus periculum funeſti exitus, pro varietate reliquarum cauſarum & circumſtantiarum, imminuiſſe, quanto majore gradu, modo & diuturniore tempore, imprimis ſine uſu debitorum remediorum, morbus patientem afflixiſſet. Quod ſi vero, e contra, morbus gradu mitiori, & per medicamenta debita, tractabili, de hinc ſine concurſu variorum ſymptomatum peſſimorum, præcipue ſine inflammatione œſophagi & faucium, progrediebatur, & inſuper pulſus bonus & conſtans, quartoque vel etiam ſeptimo die ſecretio bona materiæ febrilis in urina aderant, tum de feliciori morbi eventu judicare & patientes conſolari poteramus.

§. XV.

Medendi methodum ſemper ſecundum quatuor indicationes primarias inſtituere debuimus, ita ſcilicet, ut primo cauſæ congeſtionis & inflammationis legitime removerentur, dein motus ſe- & excretorii placide, & ſecundum naturæ ductum, temperate, æquabiliter & conſtanter procederent, porro ut ſymptomata magis urgentia & vires vitales concutientia, provide & ex arte averterentur, & denique viſcera male affecta atque debilitata roborarentur, & recidivæ, in quantum poſſibile, præoccuparentur.

§. XVI.

Primum obtinuimus in ſubjectis plethoricis per venæ ſectionem, primis ſtatim diebus, large inſtitutam, etiam pro ratione neceſſitatis, aut in diſpoſitis, bis & ultra repetitam. In non plethoricis vero, curam inchoavimus per pulveres contemperantes ex C. C. uſt. ppt. Ocul. 69. ppt. ♁io diaphoret. Cryſtall. mont. ppt. nitr. cryſtalliſat. & crem. tartari, dehinc per tincturam temperantem ex Tinct. flor. roſ. r. bellid. hort. papav. erratici, quatuor. cordial. major. ſpirit. nitri dulc. rectif. in anatica proportione admixto, vel pro ſelectu patientum, per mixturas compoſi-

poſitas ex Aq. deſtillat. meliſſ. ſimpl. hyſſop. veronic. acetoſell. Ceraſ. nigr. flor. acac. C. C. citrat. remixtis cum pulveribus temperantibus & alterantibus, aliquando etiam elix. pectoral. Wed. & itidem Spirit. nitr. dulc. rectif., addito ut plurimum ſucc. citr. recent. expreſſ. & ſirup. de berber fragor. rub. id. &c.

Quibus adhibitis; ſi malum gravius urgens, adæquatum remedium poſceret, ſine ulteriori cunctatione, altero ſtatim die, his loco digeſtivi præmiſſis, dedimus emeticum, pro gradu mali urgentis, heroicum, ex tartar. Emetico mynſ. utplurimum commixtum, aut cum rad. Aron. pulveriſat. aut Magiſt. Jalappæ cum nuce pin. trit. & Crem. tartari. In ſubjectis vero Dyſemetis, & malo nihilominus maxime urgente, continuavimus ſaltim uſum temperantium & alterantium eo ſæpius, cum potu dilutiori, ad mitigationem ardoris uſque, & addidimus aliquando leniſſimum quoddam Laxans, pro lubitu patientum, vel ex pulvere Rhabarbarino vel ex Maſſ. Pillul. N. O. addito uno atque altero, pro variatione circumſtantiarum & neceſſitate rei, acuente & promovente.

§. XVII.

Tali methodo procedentes, fiebat aliquando, ut primis ſtatim diebus malum in herba ſuffocaretur, præcipue cum juxta Hippocratem *in tempeſtive applicandis remediis idoneis tota curationis vis conſiſtere ſciamus*, cujus rei exemplum jam ſupra §. 7. dedimus; adducamus adhuc aliud: Filia Præfecti cujuſdam civilis, in vicinia, annorum 18, maxime vegetæ conſtitutionis, & alias optime Menſtruata, proxime ante inſtans tempus menſtruationis, ex improviſo incidit in aquam fluviatilem, tempore æquinoctii vernalis anni 1724; hinc ob terrorem & iracundiam refrigerationemque totius corporis, corripitur horroribus vagis cum ſubſequente æſtu ſummo, & lipothymiis per paroxyſmos affligentibus, a ſanguinis regurgitatione ab utero verſus ſuperiora, cum dolore capitis, vertigine & perpetuo vomendi conatu: nos in conſilium vocati, dedimus primo die Mixturam quandam temperantem, & juſſimus venæ ſectionem largam in pede alterutro inſtituere, quibus peractis, & malo nondum ceſſante, altero die dedimus Emeticum ex tartar. emetici Mynſ. gr. uno & ſemi. Crem. tartar. Sachar. alb. ana drachma ſemi, pro una dorſi, quo ſumpto, lipothymia augebatur uſque ad operationem emetici, ea vero feliciſſime procedente; ſequentibus diebus ſolummodo ex vini Generoſioris uſu roborante, plenarie reſtituta eſt. In illis vero qui vel dyſemeti erant, vel in quibus, ob labem viſceris cujuſdam, neque emeticum; neque laxantia debita balſamica adhibere poteramus, in his eventus bonus aut valde ambiguus erat, aut paulo tardius cura progrediebatur, ita ut ſolis temperantibus, lenientibus & roborantibus ſeu tonicis, ad quintam & ſextam uſque ſeptimanam, continuare cogeremur.

Factum tamen quoque aliquando eſt, ut nonnulli paulatim ſanitati reſtituti fuerint, ſed decurſu morbi, ob tarditatem moleſtam, tædioſiori.

§. XVIII.

Et ſub methodo primæ hujus indicationis inſimul etiam, maximam partem, ſatisfecimus alteri; ſiquidem per temperantia, lenia evacuantia & blanda diaphoretica dicta, materia febrilis bilioſo acris & viſcido mucoſa in primis viis hærens, partim ἄνω καὶ κάτω evacuata, partim etiam per inſenſibilem tranſpirationem & ſubſequutos ſudores criticos, admodum amice reſoluta iterum, hinc diſſipata & ex Maſſa ſanguinea educta fuit.

§. XIX.

Quod tertiam indicationem, ſcilicet ſymptomatum urgentium placidam & providam medelam, attinet, animadvertendus imprimis venit conatus vomendi, durus interdum, &, accedente cardialgia anxia, fere ſuffocans: intendebatur hic motus ordinarie a natura in eum maxime finem, ut hoc breviſſimo modo & via, ab hoſpite in cavitate ventriculi maxime hoſpitante, ſubſtantiamque ejus Glanduloſo-nervoſam præprimis arrodente, ſeſe quantocyus liberaret & exoneraret, qua exoneratione facta ſtatim etiam conatus ceſſabat: Ubi itaque vires naturæ deficiebant, ibi juxta indicationem primam, artis auxilium in adjumento erat, cum exoptato effectu; Ubi vero vomitus & impetu & frequentia excedebat, & ſic lipothymias, aliaque peſſima inde metuenda ſymptomata inducere videbatur, ibi motibus illis enormibus frenum injiciendum erat ex leniſſimis anodynis, cum roborantibus in- & externis adpropriatis & aſſociatis, v. gr. Maſſ. Pillul. de cynogloſſ. Theriac. cœleſt. & Androm. vetuſt. Eſſ. carminat. Wed. Diaſcord. Fracaſt., dehinc externe, ſpirit. vin. camphor. & largiter crocat. Venæ Section. revulſoria, etiam repetita vice, Emplaſt. Stomach. pharm. Auguſt. aut Brandenburg. cum oleo Maſtichino & Menthæ deſtill. malaxato; itidem adhibuimus interdum Balſamum Stomach. Schrœderi, & alia domeſtica remedia pro vulgo.

§. XX.

Inflationi & metuendæ ſuffocationi, tamquam frequentiſſimo & immani Morbi noſtri ſymptomati, aliter ſuccurrere non potuimus, (etiam reſpectu aliarum indicationum, aliquando non ſine periculo,) quam per propinatum Emeticum Generoſum, quo, via proxima & ſine mora, magma flatulentum & ſuffocans expanſivum, ex ergaſtulo hocce ejiceretur; e. gr. Uxor piſtoris, ad ſextum uſque menſem gravida, optime alias conſtituta, ab eſu prunorum dulcium corripitur primo vertigine capitis,

pitis, horrore eriſipelaceo cum æſtu paroxyſmante, anxietatibus & preſſionibus cordis, ut dicebat: *Es wäre ihr ſo angſt umbs hertze, als wenn ſie etwas böſes gethan hätte*, ſubſequitur conatus fortis vomendi, ſed ſine effectu, hinc concidit tandem lipothymica, ut maritus firmiſſime crederet, ab apoplexia illam enecatam eſſe; nos accerſiti, adhibuimus primo pro reſuſcitatione & refocillatione, ſal. n. volatile uſitatum, quo applicato, redibat quidem ad ſe, metus tamen erat recidivæ, hinc certiores redditi a marito de eſu prunorum, in caſu hocce periculoſiſſimo *maluimus, juxta Celſum libr. 2. cap. 10. Anceps remedium, quam prorſus nullum experiri*, & intrepide, non tamen improvide, dedimus tart. emetic. gran. unum & ſemis cum potu calido, quo aſſumto, poſt dimidiam horæ quadrantem, evomebat ter, & alvum deponebat bis, ſic rejecta eſt multa materia viſcido bilioſa, acida, ſpumeſcens, & cum pavimento terreſtri etiam confermentans; & ſic abſque ullo alio remedio aut noxa futura, reſtituta eſt plenarie.

§. XXI.

Supereſt ut denique etiam indicemus, quo modo poſtea viſcera debilitata & a tono debito valde deſtructa, iterum roborata, & recidivæ præoccupatæ ſint: ſublata cauſa morboſa, tollebatur etiam utplurimum ipſe effectus morbi; hinc eveniebat, quod ſupra jam allegatum eſt, ut aliquando, educta prius cauſa morbifica, nullo adhibito roborante pharmaceùtico, per ſe & naturæ energia allevati, patientes ita denuo convaluerint, ut poſt paucos aliquot dies aeri liberiori ſeſe tuto iterum committere potuerint.

§. XXII.

In quibuſdam etiam, præprimis in aſſuetis, ſolius vini generoſioris uſu, tonus reſtitutus & vires ita refectæ ſunt, ut nullo prorſus alio artificiali & pharmaceutico remedio opus fuerit, id quod maxime valebat in illis, qui per naturam medicamentorum uſum penitus abhorrebant, vid. §. 17. In illis vero, in quibus roborantia & confortantia pro reſtitutione toni viſcerum valde neceſſaria videbantur, in his, ſummo ſemper cum fructu, ſequente compoſitione uſi ſumus:

℞. Eſſ. ſcordii ſaturat. millefol. ana drachmas duas ſtomac. Wedel. elix. pectoral. ejuſd. ana drachmam unam, ſpirit. ſalis ammoniac. aniſat. nitri dulc. rectificat. ana ſcrupulos 4. miſc. d. ad vitr. S. *Stärckeade bruſt-und magen-*eſſence, *täglich* 2 *biß* 3 *mahl* 56 *tropffen in beliebigem* vehiculo *zu nehmen.*

Hoc modo, addita diæta laudabili & conveniente, imprimis juxta ſex rex nonnaturales, viſcera paulatim novo vigore roborabantur, & diapnöe corporis legitime conſervabatur.

§. XXIII.

Ad præoccupandam recidivam nil magis proficuum invenimus, quam uſum moderatum pillularum polychreſtarum N. O. ut ſic natura magiſque in viam naturalem deducatur, & novæ congeſtiones circa viſcera ſuperna deriventur. In ſubjectis vero plethoricis, præſervationis gratia, circa annuum tempus & præprimis circa æquinoctia, ſolemnes nobis fuere novæ medicationes, ex vino medicato, vel etiam cereviſia medicata, vel ad minimum venæ ſectiones largiores, quibus effecimus, ut non facile, niſi in quam maxime ad tales congeſtiones diſpoſitis (exemplo Dn. Paſtoris cujuſdam) nova recidiva metuenda eſſet.

§. XXIV.

Quibus omnibus tamen, coronidis loco, in genere diæta bona & conveniens ſemper concurrere debebat, qua poſthabita & neglecta, de exoptatiori in poſterum eventu & ſanitatis conſervatione certiores eſſe vix potuimus.

FINIS.

ANDREÆ

CLIX.

J. ANDREÆ FISCHERI

ET

GODOFREDI KULBEL,

HEPATITIS PEGAVIÆ IN CIRCULO LIPSIENSI EPIDEMICE GRASSANS OBSERVATA ET CURATA.

Erfordiæ 13 Junii 1718.

PRÆMONENDA.

TEmpora mutantur, & nos mutamur cum illis : ita ſonat notiſſima, quin & veriſſima parœmia. Scilicet in medicina noſtra haud poſtremum eſt in morbis cognoſcendis & feliciter curandis conſideraſſe circumſtantias temporis hujuſque viciſſitudines, ſecundum quas ſæpenumero contingit morbos, priſtino quaſi ejurato genio, novos apparere, & in ſcenam medicam alia prodire facie, quam conſueverunt olim, ac priſtinis apparuere temporibus; licet communiter omnis denegetur quantitati efficacia, atque ſic tempori, diverſa, morborum antea ſic non viſorum, producendi ſchemata. Ringat hic logicus impendio ſeverus, dum medicis ſufficit, quod una experientia mille prævaleat rationibus. Etenim quis niſi in arte medica hoſpes ignorat, morbos cæteroquin benignos temporum injuria malignefcere; malignos contra benignitate eorundem haud raro evadere benigniores : imo ſymptomata morbo cuidam familiaria, poſt plurium annorum decurſum ſæpius mutata apparent novamque morbi ſpeciem mentiuntur : id quod medicis, præſertim incautioribus, & a ſola empiria pendentibus negotii in curando faceſſere ſolet quam plurimum. Hinc opere pretium erit conſideraſſe ſeduloque ſecum penſitaſſe, quanta ſit temporis in una eademque re varie ſignificanda efficacia. Gratiam exempli inſignem præbere poterit morborum inflammatoriorum ſpecies illa ſingularis, quæ noviſſime, a menſe Januario ad Martium & Lipſienſes & Pegavienſes vario ſub fato, & ambiguo prorſus eventu affligere deprehenſa fuit, nempe inflammatio hepatis, rara illa, & ſymptomatibus a conſueto alias more abludentibus ſtipata, unde & in curando mutare conſilium medici fuere coacti. Cum igitur mihi quoque in urbe Pegavienſi praxin medicam exercendi talibus cum ægrotis ſæpiſſime res fuit, quibus mutata hactenus conſueta methodo opem, divina velificante gratia, tuli exoptatiſſimam, conſultum duxi de hoc ipſo affectu & graviſſimo & rariſſimo diſputare inauguraliter. Quod ut L. B. æqui bonique conſulere velit, meiſque favere conatibus, ea qua par eſt obſervantia flagito.

HISTORIA

MALI EPIDEMICE GRASSANTIS.

SUb finem ſuperioris anni menſibuſque Januario, Februario & Martio præſentis, homines Pegaviæ quamplurimi indiſcriminatim citra tamen contagium nullo reſpectu ſexus, ætatis aut temperamenti habito, corripiebantur horrore levi, ſuperveniente mox calore magno ad inſtar ſynochi continuo & ſiti, aderant vomitus biliosi, quibus ſuccedebat dolor hypochondrii dextri acutus, pungitivus & ad ſcrobiculum cordis tenſivus cum tuſſicula crebra & arida; atque in gravidis puerperiſque eructationes & ſingultus fervidi moleſti obſervabantur, reſpiratio erat difficillima cum ſenſu magni ponderis ad diaphragma, quæ expectoratione procurata ſolvebatur, facies pallido-citrina ad inſtar mali granati apparebat, quamdiu morbus vigeret, urina tenuiſſima & intenſe rubra circa declinationem ſedimentum album glutinoſum parietibus vitri tenaciſſime adhærens, nec niſi cum fractura ejus ſeparabile, pulſus celer, plenus & mollis exiſtebat; alvi obſtructio per totum morbi curſum affligebat vehementer, venæ-ſectio & antifebrilia calida maximopere noxia deprehendebantur, a quibus ſuffocatio & delirium inſtabat, morbuſque ad tertiam ſeptimanam, ut plurimum cum ægrotantis interitu, protrahebatur, cum tamen alias reſolventibus moderate refrigerantibus diluentibuſque ſtatim in principio, & tuſſicula invaleſcente, expectorantibus temperatis unacum alvum apertam ſervantibus adhibitis; intra quatriduum, ſummum, ſeptiduum cum ſalute decumbentis cederet. Communiter autem hoc malum fere poſt graviores animi commotiones ira vel terrore inductas, ut & alios enormes corporis cum defatigatione motus oriri videbatur.

RESOLUTIO.

§. I.

LIcet ex recenſitis ſymptomatibus & inflammationis & orgaſmi febrilis præſentia clariſſime apparet, quando *Caloris præternaturalis cum ſiti aucta, pulſus celerioris, urinæ intenſius coloratæ tenuioris, doloriſque acuti pungitivi* mentio fit: eam vero occupaſſe hepar exinde dubium videri poterat, quod ſubito invaleſcere viſa eſt, quod tumor hypochondrii dextri, quod dolor obtuſus, quod urina paſſea ſive cœrulea abfuit, quodque venæ ſectio, magnum alias in tollenda hepatis inflammatione remedium,

dium, majorem intulit noxam. Verum ſalva res eſt, modo attendamus, homines iſtos dubio procul inter initia non curaſſe affectum doloremque gravativum, donec ad ſummum pervenerit; materiam obſtructionis inflammatoriæ in his ſubjectis autorem, non tam pituitoſam craſſam, quam bilioſo ſeroſam tenuem fuiſſe, potiſſimumque cavam hepatis obſediſſe partem; intemperiem hepatis calidiorem & ſicciorem venæ ſectionem vix ac ne vix ferre, monente Bonet *Labyrinth. med. extric. lib.* 4. §. 25. Etenim inflammationes partes corporis reſpective debiliores potiſſimum tentare experientia medica multiplici conſtat. Interim hepatis inflammati ſignum pathognomicum, nempe *dolorem hypochondrii dextri acutum & ad ſcrobiculum cordis tenſivum cum ſenſu ponderis ibidem gravantis, reſpiratione difficillima, facieque pallido citrina* hic adfuiſſe ſufficiat, vid. *Gülden Klee oper. med. pract. pag.* 134. *&* 622. Lindan. *Prax. med. h. t.* Quamvis non negaverim & ventriculum & diaphragma ob connexionem & vicinitatem condoluiſſe, id quod *dyſpnœa* & *vomitus bilioſi* loquuntur. Utrum vero gibbam hepatis partem, an cavam potius inflammatio iſta occupaverit, ob denegatam demortuorum ſectionem & inſpectionem haud liquet; etſi cavam magis afflictatam fuiſſe, *tumoris notabilis in regione hepatis abſentia eructationes & ſingultus fervidi & evacuatio per alvum cum euphoria inſtituta* docere videantur, vid. Bonet *l. c. lib.* 8. §. 228.

§. II.

Ex hoc ipſo morbi præſentis ſubjecto ratio redditur, qui contigerit, febrem hanc inflammatoriam nunc terminum ſtatutum reliquarum inflammatoriarum febrium tranſſiliiſſe, nunc vero intra illum ſubſtitiſſe. Etenim ex pathologia conſtat febres ejuſmodi ad cenſum morborum peracutorum referri, qui ſeptem vel. novem diebus fere circumſcribuntur, quem dierum numerum aut reſtringere, aut extendere velle periculo non vacat, imo quandoque impoſſibile prorſus exiſtit, quatenus natura, optima morborum medicatrix ſucceſſivæ materiæ obſtruentis coctioni invigilat, quam non niſi coctam medicus prudens ſucceſſive pariter ex corpore eliminare ſtudeat. Videlicet quemadmodum in partibus membraneo-nerveis & ſanguine ſulphureo-oleoſo perfuſis inflammationes acrius, & in partibus glanduloſis & ſanguine chyloſo gaudentibus moderatius inſurgunt: ita & hepatitis jam magis lento ad ſtatum progreditur gradu, cumprimis perverſa medendi ratione tractata, jam brevius terminabitur, materia obſtructionem moliente per vias debitas, & medicamentis apprime convenientibus mature ex corpore eliminata: quippe nullum eſt dubium, quod medicus ſciens & expertus inflammationes fientes feliciſſime antevertere queat.

§. III.

Nec minus conſideratu dignum eſt, aliam plane rationem eſſe inflammationis veræ ac ſpuriæ, exemplo pleuritidis & nephritidis nothæ dictæ, quippe quæ intemperiem ſcorbuticam præſupponentes antiquis temporibus ignorabantur. Unde fit, inflammationes ejuſmodi pro humoris ſcorbutici conditione & motu, nunc prolongari, nunc abbreviari, atque ſymptomata nunc magis nunc minus exacerbari. Videmus hoc in eryſipelacea inflammatione, ad quam præſentem quoque affectum referimus, quæ jam cito diſſipatur, jam longius durat, intenſius remiſſiuſve affligit, prout bilis aut pituita prædominantur. Tales vero inflammationes viſcerum alieno ſub ſchemate ludentes & ſymptomatibus plane diſcrepantibus ſtipatas frequentius hodie affligere mirandum non eſt, quando noſtris temporibus majore cum licentia contra ſanioris diætæ leges peccatur, quam olim, ubi ſeveriori vitæ generi indulgebant homines, hinc corpora ſenſim ſenſimque infirmata ad varias motuum anomalias edendas, ipſo noſtri nunc ævi aëre atmoſphærico obſtetricante, quam maxime diſponuntur.

§. IV.

Atque ex his ratio illius phænomeni petenda eſt, quod & medicamenta calidiora, & venæſectio in hoc affectu male ceſſerint, temperate reſolventia vero alvumque lubricam ſervantia quam optime. Siquidem principiis pathologico-therapeuticis conſentaneum eſt & experientia clinica confirmatur, ſanguinem, cacochymia urgente, non tam ſubtractione, quam correctione indigere, imo quantocyus a ſero acriore per convenientia emunctoria, qualia in præſenti caſu inteſtina cum veſica fuerunt, liberandum eſſe; alias metuendum, ne vel exitioſa metaſtaſis, vel plurium viſcerum inflammatio vera ſubſequatur. Quippe affectus ſeroſi, cum primis acrimoniam notabilem conjunctam habentes, calidioribus adhibitis efferantur, planeque incurabiles evadunt.

§. V.

Cauſam immediatam hepatitidis noſtræ quod concernit, ea in obſtructione inflammatoria tubulorum hepaticorum interiorum, partis cavæ cum primis, quærenda, dum ſcilicet ſanguis chyloſo ſeroſus per arteriæ cæliacæ ramum & venæ portæ radices ad ſinus hepaticos motu enormiore adactus ad venam cavam movetur ſegnius, ſtagnando fermentat, atque particulis bilioſis, quarum ſeparationem debitam glandulæ collapſæ negligunt, cum ſanguine venoſo in majore copia ad cor delatis, calor febrilis exardeſcit, totique communicatur corpori, quo pacto febris inflammatoria præſto eſt.

§. VI.

§. VI.

Prædictæ obſtructionis inflammatoriæ comes individuus eſt dolor, iſque communiter obtuſus & gravativus, cumprimis morbo in parte cava latente, ob defectum nervorum ibidem loci, quorum rami tantum duo ab octavo pari, ſtomachico & intercoſtali, per tunicam hepar cingentem diſperſi cernuntur. Cum vero in hiſtoria præfixa *doloris acuti pungitivi* mentio fit, dicendum eſt, vel partem hepatis gibbam ſimul laboraſſe, vel in his ſubjectis illam Riolani obſervationem locum invenire, quas duos nervos inſignes venam portæ comitari, ipſamque hepatis ſubſtantiam ſubire vidit, conf. Barth. *Anatom. Reform. lib.* 1. *cap.* 14. *p.* 145.

§. VII.

Et quoniam hepar animantibus ad perficiendum & purificandum a particulis ſalino-oleoſis ſanguinem, perinde ac lien a particulis acidis, renes a particulis ſeroſis ſuperfluis, inſervit, facile intelligitur, quomodo in malo præſenti *tuſſicula crebra & arida eructationes & ſingultus fervidi facies pallido citrina urina tenuiſſima & intenſe rubra* apparuerint. Poſtquam enim ſanguis particulis bilioſis copioſioribus inquinatus per truncum venæ cavæ aſcendentem ad cordis ventriculum dextrum, & inde per arteriam pulmonalem ad pulmones, ut & vaporetenus ad organa pneumonica reliqua, ipſumque ſuperius ventriculi orificium appulit, quin & poſtmodum per venam pulmonalem ad cordis ventriculum ſiniſtrum, & ex hoc per arteriæ magnæ truncum as & deſcendentem horumque ramificationes ad omnes corporis partes, ipſa etiam ſpatiola ſubcutanea delatus fuit, ſuam ibidem præſentiam per recenſita ſymptomata declaravit, juxta vulgatum illud: facies eſt teſtis quales in corpore eſtis. Quod vero *reſpirationem difficillimam cum ſenſu magni ponderis ad diaphragma vomitum bilioſum & alvi obſtructionem perpetuam* concernit, id a conſenſu diaphragmatis, ventriculi & inteſtinorum derivandum videtur, quatenus hepar mediante ligamento ſuſpenſorio robuſto atque tendinoſo cum ventriculo & diaphragmate connectitur, & cum inteſtinis tenuibus ductus biliarii cum inteſtino recto venarum hæmorrhoidalium interventu conſpirat, ita, ut ſive a defectu, ſive a nimia intemperiem calidiorem hepatis ſubſequente inſpiſſatione bilis, ſtimulus ille naturalis ad exonerandam alvum deficiat, quid, quod & ipſius hepatis in & ſuccumbentis inflammatio inteſtina aridiora, & ad feces promovendas ſegniora reddere valeat. *Sedimentum* denique *album glutinoſum parietibus vitri tenaciſſime adhærens* a lymphæ ardore bilis coagulatæ circa declinationem fluidioris redditæ ad vaſa urinaria præcipitatione, ad abſceſſum præcavendum, ortum traxit, quandoquidem hoc viſcus minus ac reliqua putridini, propter inhærentiam parti-

 tica-

ticularum balſamicarum bilis, obnoxium eſſe ſolet, experimento Riolani, qui hepar exſectum per integrum annum incorruptum obſervavit, niſi præpoſtera & inconcinna medendi methodo ad corruptionem diſponatur.

§. VIII.

Cauſam mediatam antecedentem conſtituit maſſæ ſanguineæ diatheſis ſcorbutica ſive acrimonia ſeroſa cum lentore quodam conjuncta, experientia ſuffragante, ad excitandas inflammationes ſpurias admodum proclivis, & in morbis epidemice graſſantibus tantum non omne ferens punctum, ea enim facillime in motus enormes exſurgit, & cum impetu per viſcera ſecretoria acta tranſitum ſibimet ipſi præcludens coacervatur, obſtructiones, ardores, dolores, tumores pro conditione loci majores minoreſve, tranſitorios, vel ſtabiles in apoſtemata degenerantes, efficit, Carolo Piſone in elegantiſſimo de *colluvie ſeroſa tractatu* fuſius exponente. Quippe ſerum velut generale omnium humorum corporis noſtri vehiculum varie modificat fluidorum per viſcera parteſque fibroſas motum, eorumque craſin naturalem nunc conſervat nunc deſtruit, & ſymptomatum mirificorum a more communi maxime abludentium autor exiſtit, adeo ut veriſſimum ſit illud Liſteri Batavi effatum, quod in morbis præter modum refractariis & inſolitis ſymptomatibus ſtipatis ſemper ad ſcorbutum latentem ſit reſpiciendum. Quod vero in præſentia ſerum hoc veniat culpandum, inde concludimus, quia *homines quamplurimi indiſcriminatim nullo reſpectu ſexus, ætatis aut temperamenti habito* hepatitide fuere correpti, & quia in decumbentibus *pulſus celer & mollis*, atque *urina tenuiſſima* extitit.

§. IX.

Quemadmodum vero nullum eſt dubium, depravatam hancce M. S. diatheſin ex prava chylificatione & ſanguificatione ortum traxiſſe, & poſtmodum cauſa occaſionali ſubminiſtrata præſentem effectum produxiſſe, eo magis, cum haud levis ſit ſuſpicio, incolas Pegavienſes fructuum horariorum eſui antea tempore autumnali nimium quantum indulſiſſe, quibus terra iſta abundat, unde copia ſeri acrioris fuit generata: ita & nemo inficias ibit, materiam iſtam præexiſtentem a gravioribus animi corporiſve motibus, tanquam cauſis antecedentibus remotis, fuiſſe exagitatam, ut inflammatoriam obſtructionem in hepate moliri ceperit. Et quidem in hac claſſe, juxta hiſtoriam præfixam, *ira terror & enormes corporis cum defatigatione motus* eminent, quæ partim tonum fibrarum laxare, partim M. S. acriorem reddere, partim ſerum nimium commovere, partim ad ſtaſin intra glandulas hepaticas ſuſcipiendam diſponere potuerunt. Quod cum omnibus ibidem degentibus contingere potuit, ratio in promptu eſt, quare *hoc malum epidemice graſſari* obſervatum fuerit.

§. X.

§. X.

Ut igitur dicta hactenus pluribus in pauca contrahamus, brevibus definienda reſtat hepatitis noſtra, quæ nihil aliud eſt, quam *febris ardens continua ab inflammatione hepatis ſpuria atque diatheſi M. S. ſeroſa acri, ira, terrore & enormi corporis motu anſam ſuppeditantibus, producta.*

CURATIO.

§. I.

IN morbo hocce abigendo ſequens methodus optime profuit. Nempe pro M. S. ventilatione ſumme neceſſaria, V. S. loco per moderatam diaphoreſin revulſio inſtituebatur in principio polychreſtam mixturam ſimpl. mane & veſperi ad 28. gutt. exhibendo, interpoſita hora 2. pomeridiana hac mixtura:

℞. ⏜ Θl. dulc.
Eſſ. C. B. ana ʒj.
M. D. S.

Gegen die Hitze 20 *Tropffen mit kalten Bier zu nehmen.*

Quæ mixtura quamdiu calor urgebat, continuabatur, niſi, quod tuſſi magis affligente ſequens ſubſtituebatur:

℞. Eſſ. Enul.
Veron. ana ʒij.
o°o Aniſ. ℈ß.
M. D. S.

Ablöſende Mixtur, *von welcher* 50 *Tropffen zu nehmen.*

§. II.

Altero die pro acrimonia ſeri infringenda, & muco viſcido per metaſtaſin pectori impacto reſolvendo ſequens potio per totum morbi decurſum, calore febrili urgente, inſerviebat, licet eam ultra duos dies continuare raro fuerim coactus:

℞. ▽. fl. Til.
Ceraſ. nigr. ana ℥*iiß.*
⊕ ♁t. ℈*ij.*
Cinnabar. nativ. ſubtiliſſ. pulveriſ.
C. C. uſt. ppt. ana ʒ*iß.*
ſach. albiſſ. q. s. pro grat.
M. F. Potio. D. S.

Von 10 *Uhr biß um* 6 *ſtündlich wohl gerüttelt* 2 *Löffel zu nehmen.*

§. III.

§. III.

Pro reſeranda alvo hæc mixtura adhibebatur :

℞. Eſſ. Polypod.
Rhabarb. ana ℨij.
M. D. S.
Laxier Tropffen 80 *auf einmahl.*

§. IV.

In declinatione materia morbifica probe cocta per medicamentum purgans cum euphoria eliminabatur, quoniam vitia partis cavæ hepatis partim per vaſa lymphatica ejus ad meſenterium & hinc ad inteſtina craſſa, partim per vaſa hæmorrhoidalia immediate ad inteſtinum rectum quam optime derivantur & curantur, pars gibba vero per urinam materiam morbi mediante trunco venæ cavæ aſcendente ad cor, poſtmodumque ad arteriæ magnæ truncum deſcendentem & hinc ortas arterias emulgentes ad renes delata, propitia magis natura, deponit, & critice a morbis liberatur. Formula erat talis.

℞. Flor. acac. Mp. j.
Fol. S. S. S. ℨij.
Rhabarb. or. ʒj.
Cinam. El. ℈j.
Crem. tart. ʒß.
Inciſ. & contuſ. infund. cum vin. alb. ℔ij. ſtent. per noct. in loc. tepid. colat. fortiter expreſſ.
D. S.
Täglich 3 Thee-*Schälchen*, 1 *morgens laulicht*, *die andern beym Mittags Eſſen zu nehmen*, *und damit etliche Tage anzuhalten.*

§. V.

Et quia durante morbo appetitus erat proſtratus, nec ullius cibi deſiderio tangebantur ægrotantes, diætæ regulas proſcribere ſupervacaneum videbatur, niſi quod pro ſiti fallenda, loco cereviſiæ, ſequens decoctum in uſum cederet continuum :

℞. Decoct. hord. cum rad. ſcorzon.
& Raſ. C. C. Menſ. ij.
Succ. Citr. rec. expreſſ. ℥j.
Syrup. Ceraſ. nigr. c. fl. tunic. q. ſ. pro grat.
D. S.
Ordentlicher Tranck nach Belieben zu gebrauchen.

TANTUM.

GEORG.

CLX.

GEORG. ERNESTI STAHL,

DE

FEBRIBUS BILIOSIS,

DISPUTATIO.

Reſpondens

ERNESTO PETRO MEUDER

Halæ 1701.

PROOEMIUM.

Veritas, cum facilitatem & convictionem pro comite habeat, & abjectis præjudiciis, a quocunque ſe inveniri patiatur; ſane mirum eſt, quod plerorumque morborum pathologia, non modo multorum medicorum ingenia exercuerit, ſed & propemodum meris theorematibus ficta conſpiciatur, ut inde farrago veluti, multarum circa hanc rem prolatarum opinionum, proſtet; cum tamen nonniſi facilis cujuſdam rei neglectio, in cauſa ſit, puta morborum attente obſervata hiſtoria: hæc enim in quolibet patiente attendenda ſeſe offert, dummodo circumſpecte perquiſitas & ita vere obſervatas circumſtantias, cum cauſis ſimili modo perveſtigatis, prudenter connectere elaboremus. Putamus certe præcipuum hujus rei exemplar exhibere poſſe ipſas febres. Quarum licet hiſtoria, in pleriſque ſic ſatis exquiſita, proſtet apud veteres, multiplicis & ſatis ſollicitæ experientiæ laude, ſane ſine inſigni injuria non defraudandos: apparet tamen, receptam generalem philoſophandi rationem, ex ſolis primis qualitatibus, & quidem nudæ materiæ conſiderationibus, ſine habito reſpectu ad motus, ipſos veteres abſolute impediviſſe, quo minus accuratam effectuum cum veris cauſis comparationem aſſequerentur. Recentiores vero, cum præter varias ſuppoſititias opiniones, & puri mechaniſmi cum organiſmo inextricabiles confuſiones, inſuper ipſam veram febrium hiſtoriam ſuſque deque haberent, non potuerunt non ab ipſo ſcopo veritatis adhuc multo longius aberrare. Sicut vero rei odioſæ prolixe immorari, noſtra non fert intentio; ita placuit nobis potius ſpecimen aliquod, pro Themate Diſputationis Inauguralis *edere, quo* ſpeciem *aliquam febrium, nempe* Bilioſam *ſic dictam, aut potius dici vere promeritam, tam quoad genuinam ejus hiſtoriam, quam pathologiam & therapiam, ob oculos ponere confidimus, eoque ipſo in hac parte comprobare, quod Theoriæ & praxeos medicæ, modo veritatis circa facta in morbis & curis habeatur ratio, evidens utique, & tanto quidem verior, quo ſimplicior, dari poſſit connexio; Deum oramus O. M. ut ſpiritus veritatis gratia nos beet, & feliciciter omnia cedant.*

§. I.

Cum de *Febre Bilioſa* agere aggredior, *febris* in genere nomen & derivationem præmittere ſuperfluum foret, cum præſertim illud ex mente Magn. D. D. Præſidis, quam ego quoque ſequor, in variis ſub ipſo habitis diſſertationibus, & quidem quantum ad *nomen* attinet, in nupera *de febris rationali ratione;* rem vero quod ſpectat, in diſſertatione de *Autocratia naturæ*, ſatis factum eſſe judicem: unde ſuffecerit, ſpecificæ determinationis, qua nempe *bilioſa* dicitur, rationem reddere,

ſed id ipſum quoque brevibus, ſiquidem *blioſa* dicitur a *bile*, liquore corporis animalis nemini ignoto, niſi quod vocabulum hoc, *duplici* adhuc ſenſu antiquitus accipiatur.

§. II.

Sumitur nempe vel *latiore* ſenſu, vel *ſtricto*. *Latiore*, antiquioribus præcipue denotavit, ſubſtantiam in ſanguine reperiundam, *pinguem teneram*, *ſubtilem penetrantem*, quæque & ſua natura valde *calida* & *mobilis* exiſtat, & hanc qualitatem, *caliditatis* & *agilitatis*, aliis quoque rebus affricet.

§. III.

Non inepte etiam hodieque ita ad ſanum ſenſum reducitur hæc aſſertio, ut per *bilem* ſic intellectam agnoſcatur denotari, non plane fictitium quiddam, ut imperiti perſuadere voluerunt; ſed vera quædam in ſanguine præſens materia, quæ principium *mixtionis* ejus conſtituat, nempe ſubſtantia ſulphurea ſeu pinguis ejuſdem. Quæ ex ſua propria indole, & quamdiu ſanguinis *mixta* adhuc ita inhæret, tenera quidem benigna & temperata agnoſci poteſt: quando vero ſanguis diuturno continuo motu denique è mixtione ſua reſolvitur, ibi hæc ipſa quoque ſubſtantia, cum *ſalinis* particulis, è ſubtili terreo muco, hoc ipſo motu formatis, intimius coagmentata, conſtituit *bilem* excrementitiam.

§. IV.

Hæc *ſtricto* ſenſu *bilis* vulgo appellari ſolita, deſignat *peculiarem* in corpore noſtro humorem, qui per glanduloſam *hepatis* ſubſtantiam ſeparatur, & dein vel in *cyſtidem felleam* ſecretus colligitur; vel immediate per *ductum hepaticum*, cum cyſtico communem cholodochum conſtituentem, in *inteſtinum* duodenum excernitur: quod ipſum in ſtatu naturali, moderata quantitate & placido ſucceſſu fit, ibidemque inſervit tum probabiliter acidi abſorbtioni, pinguedinisve reſolutioni, tum fœcum alvi, inſtar clyſteris naturalis, promotioni.

§. V.

Deprehendimus ab antiquis medecinæ myſtis, ab utralibet hac bile deduci febres, quas propterea *bilioſas* appellant. Sed ſi ad rationes ſuppoſitionis atque deductionis, paulo preſſius attendamus, occurret nobis facile inſignis differentia inter deductionis & demonſtrationis circa utrumque hoc genus bilis, ad excitandas illas febres, quæ ipſis adſcribuntur,

tur, evidentiorem energiam. Ita enim de illis quidem febribus, in quibus ſtricto ſenſu dicta, magis ſincera, & *excrementitia bilis*, arguitur, quia demonſtratio petitur tam ab antecedentibus, quam conſequentibus, quam minimum ſane dubii ſupereſſe poterit, quin jure merito que talis effectus tali cauſæ adſcribendus veniat. In aliis vero, ubi non æque ex his argumentorum fontibus, ſed potius a longinquiore quadam ſuppoſitione bili *lato* ſenſu ſumptæ, culpa tribuitur, multo magis dubium & incertum merito habetur aſſertum. Quod ut clarius pateat, atque innoteſcat, proponemus breviter & *hiſtorice* tantum antiquiorum de *febribus bilioſis* aſſertiones.

§. VI.

Tradunt videlicet, dari *febres bilioſas*, *trium* generum, *tertianas continuas*, tertianas *intermittentes* & febrem *cauſum*. Audacius hæc fere determinant *Arabes*; timidius *Græci* & *Latini*: unde *Galeno* τριταιοφυής, quaſi de *natura* & *indole* tertianæ, in tertianam tendens, appellatur illa bilioſa, reliquis *tertiana continua*. Et notum eſt harum rerum curioſis, quomodo ſcrupuloſiorem lectorem fatiget, & ſatagentes rerum ſuarum interpretes exerceat, hujus, & *Hemitritæi*, delineatio: præcipue, quando magis ad veritatem experientiæ, quam ad traditionem aſſertorum examinantur. At vero, inter proximorum temporum pyretographos, faſtidium fuerit harum rerum volam aut veſtigium, niſi lubricum prorſus, quærere, excepto operoſiſſimo *Petro Michaële de Heredia*, ſed quia totus antiquos ſequitur, recentioribus hoc nomine non accenſendo.

§. VII.

Jam, ſi flexuoſas illas febrium jam dictarum aſſignationes, quibus *bili* tribuuntur, operoſiſſime penſitemus, aliud nihil, *hiſtorice* primo, de ipſis reperimus, quam quod partim ex circumſtantiis *æſtus ingentis*, *aridi*, & *penetrantis* in univerſo corpore, & non modo in externis, peripheriæ ejuſdem, ſed in internis quoque partibus, ſupponatur, quod qualis effectus, talis etiam ſit cauſa nempe materia illa, cui has qualitates aſſignant, nimirum *bilis ſanguinis*. Quando vero jam ſub ejuſmodi febribus, actuales etiam *excretiones*, colore *flaveſcente bilem*, ex hypotheſi, præ ſe ferentes, aut ſtricte dictam bilem, ex *flavo* - *vireſcentem*, & ipſa amaritie dignoſcendam, imitantes eveniunt; ibi concludunt tanto confidentius, *bilem* ipſam cauſam illarum materialem, veluti *continentem* conſtituiſſe.

§. VIII.

Quemadmodum vero ſubſumptio illa, de effectuum qualitatibus, quæ

efficientis *materialibus* (non vero *formalibus*, quatenus efficientis,) *qualitatibus*, reſpondeant, philoſophis vix ſatisfecerit: ita inſuper de *modo* efficiendi undique impeditus labor, intricat tanto magis totam probationis evidentiam. Laborant enim optimi viri anxie, in adumbranda ratione, qua *bilis* illa hos effectus producat. Nominant vero plerique, & antiquiſſimus quiſque, *putrefactionem.* Supponunt fieri hanc, modo *in vaſis*, & quidem nominatim, *venis*, modo extra vaſa, in *ſubſtantia* partium. Pauci, & plurimum juniores, *putredini* ſubordinant & contra diſtinguunt *uſtionem*, ut vocant; nempe *paſſivam accenſionem*, & conceptum ardorem, quem deinde etiam active in partes tum fluidas, tum ſolidas, diffundi contingat.

§. IX.

Si rem majori ſtudio perveſtigamus, deprehendimus, quod etiam a conditione *ſubjecti* argumentum ducere non obliviſcantur, & illas præcipue febres pro *bilioſis* interpretentur, quam ſubjectis *bilioſæ* dictæ *temperiei* obnoxiis, cum dictis circumſtantiis evenire conſueverunt.

§. X.

Cum vero ex omnibus his circumſtantiis, nobis quidem nihil quidquam ſagaciori conſiderationi ſatisfacere videatur, præter ſolam illam primam rationem, quæ tam ab *antecedentibus* quam *conſequentibus* evidentioribus, & nulla fictione aut nuda ſuppoſitione ſubnixis, peti poſſit: nempe a veræ, & ab omnibus ſtricto ſenſu dictæ, bilis concurſu: propterea abſtrahimus ab iſtis variis, præcipue *ſegnioribus*, chronicoteris, febribus, ita ut illas *bilioſarum* appellatione minime dignemur; ſed iſtas tantum, quæ evidentiore & manifeſtiore concurſu *bilis*, & explicatu promptiore ejus effectu, febres cum talibus ſymptomatibus, quæ bilis acrimoniam propriam, aut aſcititiam, certius conſequi poſſe, comparebunt.

§. XI.

Seponimus itaque febres *tertianas intermittentes*; imo *continuas* quoque tertianas: neque ipſas directe & eſſentialiter pro bilioſis admittimus aut agnoſcimus. Quamvis enim *accidentaliter* fieri poſſit, ut cauſa bilioſa aliquando etiam *tertianam* febrem poſt ſe trahat: negamus tamen quod hoc fiat directe a primaria bilis efficacia, ſed magis tantum remota & occaſionali cauſandi ratione, quæ plurimum abſit a perpetua illa, & eſſentialiter *converſiva* efficiendi ratione, ut ubicunque fiat febris *tertiana* ibi hæc ſubſit *bilioſa* cauſa.

§. XII.

§. XII.

Agnoſcimus itaque pro febribus *bilioſis* non niſi *febrem cholericam* & *cholerioden*, *ſtrictiore* choleræ acceptione pro *fluxibus* cholericis, ita dictas; & febrem revera *ardentem*, græcis *καῦσον* aut *καυσώδην*, quæ à prægreſſa cauſa manifeſtius *bilioſa* coorta ſint. Quamvis enim hæ ipſæ poſteriores, præſertim jam prævalidæ factæ, omnino *inflammatoriæ* ſint: differunt tamen revera haud perſunctorie ab illis, quæ aliis nudis *ventriculi*, *duodeni* aut *ilei inflammationibus*, magis è nuda & tenui ſtagnatione ſanguinis prognatis, ſuperveniunt: ſiquidem tales fere promptius, & citra adeo grande diſcrimen rurſus ſolvuntur: è contra vero illæ, de quibus nos loquimur ab *ardente*, *urente*, *rodente*, *corrumpente*, *copioſa* materia jugiter ſuſtentatæ, hoc ipſo non modo, niſi remota illa materia, conquieſcere non poſſunt: ſed etiam, ſi illam forte tardius ſubduci contigerit, eo ipſo tamen peſſimus *eroſionis*, *ulcerationis*, *gangrænæ*, *ſphaceli*, reſiduus *effectus*, non ſimul abit, ſed potius ægrum communiſſime jugulat & peſſundat.

§. XIII.

Ex his facile liquere putamus, quod nos quidem bilioſam febrem appellemus, a bile *ſtricte* ſic dicta nempe §. quarto deſignata, & quidem ab ejus per *occaſionales* certas cauſas ultra conſuetum *modum*, & certis præcipue *temporibus*, in inteſtinum duodenum effuſæ, *corruptione*, non tam propria, quam *ſocia* atque mutua, & ſubnaſcentibus hinc variis aliis, partim corruptionibus, ventriculo & inteſtinis imminentibus aut evenientibus: partim *motibus* horum viſcerum, extraordinariis quidem, ſed tamen ad *excuſſionem* & *exonerationem* noxiæ talis materiæ deſtinatis, & ſi ſatis *mature* & *vegete* fiant, communiter etiam ſufficientibus.

§. XIV.

Hoc itaque ſenſu *febris bilioſa* eſt febris *ſymptomatica*, *acuta*, *continua*, cum notabili *anxietate* & plus minus diſtinctis *cardialgicis* pathematibus, *intimioris ardoris atque æſtus* ſenſu, peripheria corporis facillimis *horipilationibus* obnoxia; modo in *conatus* & actus *vomendi*, & excretiones valde irritativas *alvi*, mox ipſis primis diebus, prorumpens: modo nihil quidem horum concitans, ſed ſolum æſtu & ardore circa præcordia ſenſibiliſſimo, *perfrigerationibus* vero extremorum promptiſſimis, *faucium* & *lingua ariditate* enormi, & *ſiti* velut *inextinguibili* & inſatiabili, ægrum excrucians, & haud ſane raro ſuperans atque jugulans: ſuborta à prægreſſa *commotione* manifeſtiore *bilis*, *effuſoria* præcipue, & frequen-

quentiſſime atque efficaciſſime omnium, ab *iracundia* effera: & quidem *tempore*, quo *cibi* in ventriculo aut inteſtinis *fermenteſcentes* præſto ſunt: imo vero tanto magis, quo magis hi ad ejuſmodi *fermentativam* corruptelam, imprimis acido-acrem, deduci poſſunt: adeo quidem, ut etiam, quamvis pauci, tales cibi dentur, qui nimia ſui ingurgitatione, in corpore quod bile alias quoque abundet, etiam citra valde inſignem hujus commotionem, febres tales producere poſſint, quod experientia præcipue in *melle* & *fructibus horæis*, docet.

§. XV.

Antequam vero ad explicationem hujus deſcriptionis progrediamur, ſubjungemus mox ipſam *hiſtoriam* utriuſque hujus, nempe tam *cholericæ* & *choleriodis*, quam καύσȣ ſ. *ardentis* & καυσώδεος febris. Contingit videlicet, ut homo, habitus corporis præcipue *cholerici*, aut *ſanguineo-cholerici*, diætæ etiam *calidiori* magis deditus, vehementi *iracundia* commoveatur vel paulo *ante alimentorum* aſſumptionem, vel haud ita multo *poſt*. Aut etiam iracundiæ huic, præcipue tamen poſt ciborum reliquias, aut novam ingeſtionem, coortæ, ubi jam inde male habere incipit, *frigidum* potum, *fermenteſcentem* præcipue, cereviſiarium (imo *feculentum*) avide ſuperingerat: vel admodum dulcia *fermenteſcentia*, nimia quantitate ingurgitet:

§. XVI.

Ibi ſuccedit mox inſignis *languor* univerſalis, per univerſum habitum corporis; circa præcordia vero, *anguſtia*, imo *anxietas*, *faſtidium* & nauſea, quod vernacula vulgo exprimunt, *es ſey ihnen ſo gewaltig übel umbs hertze*, *daß ihnen immer eine ohnmacht zu ziehen möchte:* concurrit, tum mox ab initio, tum invaleſcente magis magiſque *ſitis* immodica: comitatur hanc ſatis familiariter, ſenſus inſignis *ardoris* circa eandem præcordiorum regionem. Præcedit hæc pathemata, aut ſuccedit iiſdem proxime, notabilis, imo communiſſime vehemens una *horrida refrigeratio* totius externi habitus corporis. Hanc excipit velut immediate, graviſſimus *æſtus*, *dolor capitis*, ſecundum individua tamen gradu varians, niſi quod communiter plane vehemens & eximius ſit.

§. XVII.

Pathemata hæc circa præcordia vel diſſolvuntur iterum uno vel altero die; quod tamen poſt factum concurſum inſignis *frigoris*, rariſſime certe obtingit: vel confirmantur, & augeſcunt in gradu doloris & ardoris, ut inde patiens de tempore in tempus majorem *anxietatem* & *faſtidium*

ſtidium percipiat: imo erumpunt denique in *conatum*, & actum tandem, *vomendi*: ubi multa, ad omnem ſenſum nimis quam acria, e ventriculo vomitu excutiuntur.

§. XVIII.

Neque hoc tantum; niſi vomitus hic admodum *mature* cooriatur, & *copioſam* ſaburram blioſi coloris, actu educat; ſi quidem ſi hoc fiat, in natura ut vocant, alias vegetiore, qualis fere apud bilioſos (*temperamenti cholerici*) obſervatur, non raro eo ipſo totus impetus febrilis retunditur atque ceſſat: ſin autem neque admodum *mature* evacuatio hæc contingit, neque mox primis vomitibus *larga* exoneratio ſequitur, concurrit communiter cum his vomitibus & vomendi conatibus, *Diarrhœa* quoque bilioſa & teneſmodes atque irritativa: qui affectus vulgo choleræ appellatione notari conſuevit.

§. XIX.

Quando vero iracundia illa obtigit, quo tempore cibi non amplius ita crudi ventriculo præſto fuerunt, ſed magis concocti, imo maximam partem diſtributi; ita ut nihil niſi *reliquiæ* veluti, aut minor quantitas ipſorum in *ventriculo* aut inteſtino *duodeno* hæreat; habitus etiam corporis & animi non ſit adeo æque exquiſite *cholericus*, neque tam facilis propenſio ad *vomendum*, *alvi* quoque potius *ſiccitas* quam lubricitas conſueta: ibi evenit haud ita raro, ut *anxietas* quidem illa, *anguſtia*, *ardor* circa præcordia, cum *horrore* inſigni incipiant, & cum *æſtu vehemente* jugiter pergant, accedente *ſiccitate oris* & *faucium* moleſtiſſima, *ſiti* vero intolerabili & velut inſuperabili, cui ſi largioribus hauſtibus patientes ſuccurrere conentur, graves *exſolutiones virium* cardialgico-lypothymicæ, imo *ſyncopes*, ſuperveniunt. Concurrit interdum etiam actualis graviſſimus *dolor*, regionem hanc præcordiorum ita ſenſibiliſſime obſidens, ut patientes ne leviſſimum quidem loci hujus attactum perferre queant: interdum ſentitur ardor ille intimius, & veluti *verſus dorſum* extenſus. *Alvus* fere eſt omnino adſtricta: *urina* vero ſatis colorata, *ſubruffa*, imo interdum plane *flammea*, pauca tamen fere & craſſa, diuturniore mora, præſertim in loco frigido, *turbida* evadens, & colorem veluti *roſeum* contrahens, & ſedimentum tandem hujus coloris ad fundum dimittens: revera tamen apparet haut ita raro etiam hæc turbida quaſi roſea rubedo, notabili *flavedine* remixta, quæ tamen, quando ſedimentum aliquod inde recedit in ſuperſtante liquida urinæ ſubſtantia remanet.

§. XX.

Quemadmodum vero ita deſcriptæ noſtræ tractationis febres, utique

 circa

circa *excretionem* illam *bilioſam*, dicta ratione plurimum differunt; ita habent reliqua ſymptomata veluti communia, quod de *anxietate*, *anguſtia* & *ardore* circa præcordia, *æſtu maximo*, præcipue *oris interni* & *faucium*, *ſiccitate* quoque harum partium quaſi perpetua, hactenus notatum eſt. Addendum vero, quod utræque hæ febres, quo magis inſoleſcunt, eo frequentiores habeant ad leviſſimam quamlibet refrigerationem, *horripilationes*, *madores* quoque roridos, quaſi perpetuos, anxios, & ubicunque membrum aliquod ad pauca momenta denudant, mox tactui *frigidos*. Præterea vero ſunt etiam ad *prunellodes* faucium & linguæ ardores & *ſiccitatem* harum partium, ad *fiſſuras* uſque increbeſcentem valde proclives: ſuperveniunt ipſis interdum *icterodes*, oculorum, vel totius quoque cutis decolorationes, & ultimæ hæ *univerſales*, admodum frequentes valde *præcipites*. *Agrypnia* cum morbis his concurrit fere continua, aut ſub levi ſomno ſubſultationes, & *pavidi* artuum *motus*, veluti *ſemi convulſivi*, ſe exſerentes: ſunt tamen communiter *taciturni*, *faſtidioſi* & velut *indignabundi*, *impatientes*, & ad *deliria* valde proclives, & impetuoſa illa quidem, & quaſi *furioſa*, eruptionem tamen ex aliqua *anguſtia*, etiam cum vi adverſus reſiſtentes, præ ſe ferentia, imo concurrit non raro in graviore morbi impetu aliquid plus minus *convulſivi*.

§. XXI.

Quæ hujuſmodi poſterioribus febribus interdum tarde, *quinto*, *ſexto* die ſuperveniunt, vehementes, tetræ atque fœdæ *dejectiones*, raro ſublevant morbum, ſed potius ſubſequentem *virium* adhuc majorem, & promptam quidem *proſtrationem* poſt ſeſe trahunt. Sunt vero utræque hæ febres, præcipue tamen *poſterior*, *periculoſæ* penitus, & valde acutæ: & quæ ſine remediis, & illis quidem admodum convenientibus, *temperatis* atque *temperantibus*, cum provido ægri regimine, ſatis difficulter bonum finem aſſequantur.

§. XXII.

Evenit autem ſatis frequenter, ut febres ejuſmodi, præcipue *choleriodes mitior*, medicamentis *ſtomachicis*, & *præcipitantibus*, vel etiam *acidis*, aliquantum mitigata, in *lentam* tranſeat, cum *appetitu* pertinaciter dejecto, *ſiticuloſitate*, *ſomno* pauco aut inquieto, *virium* conſtante magna *fatigatione*, *aſpectu* etiam inter *audacem* & *meticuloſum* veluti fluctuante: quæ vel in *hecticam* tandem tranſeunt, vel intempeſtive pro *phthiſi* declaratæ, & traumaticis medicamentis tractatæ, in *hecticam* immedicabilem tranſmigrant in *ſiccioribus*: in *humidioribus* vero in *œdemata* & *aſciticos* tumores inferne, *tabem* vero ſuperne.

§. XXIII.

§. XXIII.

Placet ſpecimen coorientis ejuſmodi febris, exempli loco adponere, quod mihi haud ita pridem hic obvenit in juvene quodam aliquot ſupra 20 annorum habitus corporis & temperamenti ſanguinei prædominantis, qui tempore hyberno hora ſexta pomeridiana graviſſima iracundia & ſimul terrore per accidens aliquod percitus, ad æſtum quem inde interne percipit, largum potus frigidi hauſtum avide ingerit, unde non multo poſt inſigni corporis fatigatione, faciei manuumve frigore, oris tremore & artuum veluti convulſivo motu, cum graviſſima præcordiorum anxietate afficitur, de qua ipſa non niſi ſummiſſa voce inſtar moribundi ſemper conquerebatur, ita ut ſe morti proximum putaret; accedebat inſuper æſtus, qui una cum reliquis ſymptomatibus poſt multas horas ſaltim remittebat. Redibant hæc omnia hora ſexta matutina, & eadem hora pomeridiana, ingraveſcente præcipue tum æſtu & oris ſiccitate, tum ſummo cardialgico dolore. Alvus erat adſtricta, & patiens ſub hoc tempore proprio auſu aliquot doſes tincturæ bezoardicæ aſſumſerat, ſine ullo tamen levamine, ut tandem die tertio conſilium efflagitare cogeretur; ordinabantur ipſi aliquot pulveres contemperantes & leniter abſtergentes, paulo poſt vero clyſter demulcens & parum ſtimulans ipſi injici curabatur; quibus continuatis, non modo alvus reſpondere pergebat, ſed ſaburra bilioſa excrementis admixta una excernebatur, ut inde die quarto omnia ſymptomata velut evaneſcere viderentur & patiens negotiis iterum domi conſtanter vacare poſſet.

§. XXIV.

His ita præmiſſis, progredimur ad nexum *cauſalem*, inter hanc *materiam*, & *effectus* ipſam ſequentes, evolvendum, ubi recepto more, ſed paucis, res has in ordinem ſuum ita redigimus. Cauſa *procatarctica* eſt, quicquid vel expreſſionem atque excuſſionem, vel ſimplicem affluxum ſeu affuſionem *bilis* in inteſtino duodeno, concitare poteſt; inter quæ prioris effectus cauſa præcipua fere eſt *iracundia* vehemens: poſterioris, *edulia fermenteſcentia*, & *potus* ejuſdem indolis, & præter conſuetudinem copioſus vinoſus: imo aliquando etiam, in tali conſtitutione materiali corporis, repentina immodeſta *refrigeratio*, corpore immodice calente.

§. XXV.

Cauſa *antecedens*; eſt tum qualiſcunque bilis excrementitiæ *copia*, tum *tempus* ejuſmodi, quo bilem cibis in inteſtinis affundere magis ſolenne

eſſe conſuevit : aut ſi mavis ſemicoctorum, aut coctionem expectantium ciborum, in ventriculo præſentia.

§. XXVI.

Cauſa *mediata proximior*, eſt impetuoſius & copioſius *effuſa* bilis, præcipue tempore ciborum fermenteſcentium in ventriculo & inteſtino duodeno præſentium : cauſa, nempe *materialis*, *proxima* & immediata, eſt acrimonia penetrantiſſima, *acido corroſiva*, ex ejuſmodi bilis copioſæ confermentatione cum cibis aceſcentibus pronata, quæ ventriculum & inteſtina *arrodendo* & inflammando : *humores* vero lymphales & ſalivales circa hæc loca in tenacem ſpiſſitudinem *coagulando*, provocat utique & humorum reliquorum directionem & affuſionem, ad loca ita periclitantia, ad materiam rebellem reſolvendam : & viſcerum horum varias *motitationes*, ad *excutiendam* atque exprimendam illam.

§. XXVII.

Formaliter vero conſideranda cauſa *proxima* & immediata eſt *motus humorum & partium* modo dictus, partim ad reſolvendam, partim ad elidendam & ejiciendam dictam talem materiam inſtitutus ; utpote a quo, & quidem motu humorum auctiore, *pulſus celerior & frequentior*, *calor* auctior, *color*, & *habitus* corporis diverſimode quaſi fluctuans & varians, reſultat & dependet : ab ipſarum vero *partium* illarum motibus, ad amolitionem, excuſſionem, expreſſionem, ſpectantibus, naſcuntur atque pullulant varii illi *arctatorii*, *tenſorii*, *preſſorii*, *palpitatorii*, *ſpaſtici* affectus & effectus, tum immediate intus in corpore, circa ipſa præcordia imo ventriculum & inteſtina : tum mediate & quaſi magis per conſenſum externe, circa peripheriam corporis, qui partim magis ad *directionem humorum* ad interiora loca affecta, reſpiciunt : partim etiam *erronee*, generali commotionis impetu & anxia intentione, ad *pavidos*, *tumultuarios*, *convulſivos* motus evagantur.

§. XXVIII.

Quæ velut in *abſtracto* prolata, ut in concreto, & applicatione ad rem ipſam veluti hiſtorica, proponamus atque explanemus, eloquemur hæc omnia in *hypotheſi*, ut allatarum in hiſtoria noſtræ febris circumſtantiarum rationem ex hiſce cauſis deducamus. Quando videlicet in corpore *bilis excrementitia* in copia præſto eſt (quod tam *ſanguineis*, præcipue acriore diæta utentibus, quam *cholericis*, ſatis familiare eſt ;) & inſuper animi etiam indoles ad excutiendas cum impetu quaslibet moleſtias promptior (quod in *cholerica* indole uſitatum eſt) quando hæc, in-

inquàm, præſto ſunt, aut plane inter ſe concurrunt, ibi fit facile; ut coorta alicunde *præcipiti* & inſigni *iracundia* (id eſt intenſa & acri intentione, moleſtum & nociturum quidvis, mature, imo vi quadam, depellendi,) ſi hanc intentionem præcipue in directum ſuum objectum exercere non liceat, in hanc ſuam quaſi domeſticam moleſtam ſaburram intentionis talis exſecutionem ſuſcipere aggrediatur. Sicut enim iracundia, proprie non æque a rebus *ſegnibus* & magis *otioſis* atque pure *paſſivis* concitatur & provocatur; ſed magis rebus *activis*, & *efficaci* quadam noxa corpus aut animum afficientibus, aut afficere paratis, indignatur & contra inſurgit: ita cum in corpore humano excrementitia *bilis*, ſi utique humor omnium reliquorum maxime *activus* & ad activa incommoda magis directe concitanda, maxime habilis: mirum propterea non eſt, ſi natura ad aliquid *moleſtum* in corpore ſuo exagitandum concitata, huic maxime materiæ inſurgat, eamque, ut inter omnes domeſticas merito plurimum ſuſpectam exturbare connitatur.

§. XXIX.

Prolixius paulo hæc monuimus, ut etiam conceptui ratio pateat, quamobrem *iracundia* bilis copioſiorem præcipitem exonerationem ſuſcipi contingat. Ipſo facto vero hæc ita fieri teſtatur profecto experientia, ipſo quoque crebro eventu tanto magis irrefragabilis, quod nimirum, poſt repentinam enormem iracundiam, hominibus tanta bilis exundatio in ventriculum contingat, ut inde non tam ſimpliciter male affecto aut obtuſo appetitu, quam potius *actuali nauſea ſeu vomendi intentione* ſuccedente, non prius ad ſe redeant, quam ſaburra illa bilioſa (mox primis excretionibus talem ſe exhibens) *vomitu*, aut *diarrhœa*, aut lentiore tandem ſubactione, ſuperata ſit: ita ut revera, quantum nos colligere poſſumus, longe minus aberret vulgus, redundantiam bilis in ventriculum: *es ſey ihnen die Galle in dem Magen getreten.* arguens, quam medici, ex neſcio quibus cerebrinis obſtaculis, potentiam & actum talis motus bilis abnegantes.

§. XXX.

Quando vero effuſio talis repentina copioſæ & ſinceræ bilis, illo maxime *tempore* contingit, quo vel deſuper aſſumpti, vel adhuc e nuperrima aſſumptione reſidui, *fermenteſcentes* cibi, cum ipſa concurrunt; naſcitur inde ex *acetoſa* ciborum, & tenui *ſulphurea*, bilis, ſubſtantia, concurrente, media quædam penetrans *acrimonia.* Sicut notum utique eſt, quod e materiis multa ſubtili pinguedine abundantibus, & ſalino-mucidam ſubſtantiam concurrentem habentibus, per fermentationem pronaſcantur producta maxime tenuia, penetrantia, & acria; uti non modo

 de

de muſto, ſed tanto evidentius de *ſpirituoſo vino* notum eſt, quod generoſiſſimum *acetum*: *auſterum* vero contra vinum, vappidam ſolum & evanidam aciditatem, præbeat, atque exhibeat.

§. XXXI.

Coaleſcens itaque cum cibis *acido fermenteſcentibus* copioſior bilis, iiſque hoc ipſo *cauſticam* acrimoniam imprimens, trahit poſt ſe arroſionem inteſtini duodeni, & dextri orificii ventriculi, ſenſibiliſſimam. Exhibet ſeſe etiam ſæpenumero hæc efficacia hujuſmodi colluviei, in evacuationibus inde natis, tam *vomitoriis*, quam *dejectoriis*; ubi videlicet & *fauces* cito & graviter hinc ita arroduntur, ut ſenſum quaſi excoriationis ibi percipiant patientes: & raucedo inſuper cooriatur præceps & inſignis: *dentes* etiam ſtupefiant: imo *labia* labem ulceroſam inde contrahant: quin in pavimento calcario, vel inſigniter pulverulento, aut nuda terra, ſpumida *effervescentia* inde ſequatur: & craſſius longe, & acrioribus fæcibus alioquin par, *inteſtinum rectum*, ab hujus generis dejectionibus, partim ita irritatur, ut veluti continuum *teneſmodem* deſidendi & excernendi conatum inferat; vel omnino exitus inteſtini ita arroditur, ut maximus *pruritus*, imo *excoriatio* & eroſio, & ſenſus ardoris & veluti uſtionis, ſubinde ſequatur.

§. XXXII.

Deprecamur certe ne quis nobis hic vitio vertat, quod contra quam triviali opinione receptum hodie eſt, concurſum bilis copioſioris; cum aceſcentibus cibis, *aciditatem* notum notabiliter, imo fortiſſime, intendere ſupponamus: cum vulgo hodie bili *alcalica* indoles tribuatur. Sed cum hujuſmodi *theoriis* tempus terere jam non liceat, jubemus potius ad *experientiam* reſpicere, ſine dubio omnibus medicis, *nutricibus* certe omnibus, notam, quod *lactentibus* infantibus; poſt iracundiam nutricis, vel propriam efferam, excrementa non modo valde *bilioſa*; colore; ſed valde omino *acria* ſecedant: e quibus præcipue *porracea*, aut *æruginoſa*, non modo graviſſima *tormina* puſionibus incutiunt; podicem & nates rubefaciunt, *excoriant*, *inflammant*: ſed etiam integra conclavia *acetoſo* nidore complent: lintea vero ita præſentiſſime *corrodunt*; ut non aliter, quam a corroſivo quodam ſpiritu penetrata; levi attritu inter manus concerpantur. Ubi quidem experimentum eſt non contemnendum, quod *acida* bilis colorem in *viridem* convertere obſerventur: ſed mihi, fateor, non ſatis ſerium videtur, experimentum hoc ad præſens negotium applicare, ubi nempe juſtiſſima primaria quæſtio eſt, undenam poſt iracundiam, *lactis* caſeoſa ſubſtantia, vel *pultis* quoque, tam cito, & certe ita ἀπὸ μηχανῆς, tam immanem aciditatem contrahat, qua bilem, (nempe

ex

ex hac hypotheſi;) qualitate non niſi naturalem, ita eminenter in viridem colorem mutet. Ubi ſane longe proclivius eſt credere, quod potius inſolitus ille concurſus *abundantior* bilis, alimento ordinario & benignis confermentando, *acorem* penetrantiorem conciliet, quam ut ille neſcio unde, immediate, pauciſſimo tempore, naſcatur.

§. XXXIII.

Quando vero hac ratione *ventriculi* ſiniſtro *orificio* imo ſenſim etiam reliquæ viciniæ, & *duodeno* inteſtino, hujuſmodi *arroſio*, *ardor*, *inflammatio*, ingruit, a materia hujuſmodi ſatis copioſa, & proinde ad evacuationem non inepta; quid conſultius ibi fuerit, quam actualem ejus excuſſionem inſtituere. Suſcipitur hæc itaque actu, & exturbatur materia ita *corrupta* & *corruptiva*, ſurſum atque deorſum. Imo vero, a vegetioribus naturis interdum quoque unice *ſurſum*, ſed tanto maturius, aut ubi *pauciorem* materiam, e ciborum concurſu, conjunctam habent : vel contra, quando horum admodum inſignem *copiam*, conſecuta eſt hæc perturbatio; adeoque in præſentiore & urgentiore, imo *turgentiore* materiæ univerſæ conditione, tanto maturior evacuatio fieri debebat.

§. XXXIV.

Facile vero eſt conceptu, quo magis tempeſtive excretio hæc perpetratur, antequam imminens illa & ſenſibiliſſima *irritatio*, & texturæ viſcerum *perverſio*, in actum deducta aut admodum progreſſa ſit, quod tunc etiam, ſublata ita cauſa, omnes illi mali effectus, qui alioquin ſucceſſive inde pullulaſſent eo ipſo ſublati & intercepti, evaneſcant, adeoque totum hoc malum, velut in herba ſuffocatum, conquieſcat. Quando vero excretio illa tardius demum fit, ubi nocumentum aliquod, excuſſa licet maligna illa materia, adhuc reſiduum manet : ibi utique aliqua etiam pathemata nocumento illi illato proportionata tantiſper durare, nihil mirum eſt : ſiquidem proinde ad unum vel alterum diem *febrilis æſtus*, & pathemata *cardialgica*, in tali caſu ſatis ſæpe adhuc perſiſtunt.

§. XXXV.

Quando vero materia ejuſmodi non ita expellitur, ſed potius *concluſa* intus detinetur, ibi tum perficit utique graviſſimum illum *inflammatório-ulceroſum* ſuum effectum; unde *ardor* vehementiſſimus, *anxietas* graviſſima, ſitis præſentiſſima, *diffuſio* infectionis illius per totum ventriculum & œſophagum ad ipſas fauces uſque, ſerius ocyus ſubſequuntur. Imo prævalente tandem hoc inflammationis & corruptionis impetu, ſuccedunt communiter cardialgiæ graviſſimæ, *ſyncopticæ*, *deliria*, *motus convulſivi*,

vulſivi, mors. Et licet nonnunquam, verſus dies criticos, aliqua exoneratio tetræ ſaburræ per *diarrhœam* ſupervenientem contingat, nihil inde levatur æger, ſed cooritur communiter mox ingens *debilitatio*, & omnibus in pejus ruentibus, uno vel altero, rarius *tertio* aut *quarto* die poſt, moritur æger.

§. XXXVI.

Proxima quæſtio & veluti difficultas in eo ſine dubio verſabitur, quanam ratione materia ita noxia in ventriculo aut inteſtino duodeno retineri poſſit; præcipue ex noſtra hypotheſi, dum omnes hos motus non pure a *mechanica* ſtimulatione deducere conſuevimus, ſed potius moralem, & quaſi rationalem agendi & *intentionem* & directionem in his rebus agnoſcimus: ubi videlicet prompta objicitur inſtantia: ſi motus illi in febre cholerica inſtituuntur cum *intentione* præcipue & *præſentem* & proxime *imminentem* læſionem ita veluti præoccupandi; cur illa & juſta utique, & hic non minus neceſſaria *intentio*, in tali *cauſode* conſtitutione non ſuſcipiatur? & curnam hic illa a nobis ſuppoſita rationalis intentio faceſſat? Sed nihil me movet hæc objectio, qui diſtinguendum eſſe memini, inter rationem ſenſu *ſcholaſtico*, & ſenſu magis *urbano*, acceptam: priore, quia in ἀκριβείᾳ abſtractiva, pro abſolute perfecta & inconcuſſa accipitur, nos talem rationem in humano genere dari negamus: poſteriore vero ſenſu, ubi variis in horas ὑπερορώμασι, dubitationibus, fluctuationibus, titubationibus, ceſpitationibus, verbo, in *diſcernendo* & *exequendo erroribus*, fœcundiſſima eſt, nihil adeo mirum utique eſt, ſi in caſu maxime *inſolito*, & *ancipitis* ſucceſſus atque eventus, anxia hæreat, an hoſtilem materiam commovere expediat, liceat, & ſpei boni eventus reſpondeat: an vero expectare, diſſimulare, tolerare, ſperare, magis e re ſit.

§. XXXVII.

Ubi quidem hæc ipſa noſtra interpretatio, tanto magis confirmari apparet, ex *indole* veluti communiſſima hujus generis individuorum, quæ hanc ſpeciem febris communiter incurrere ſolent; quæ ſunt *cholerico-melancholica*, aut *ſanguineo-melancholica*, ad *iracundiam* ſatis prompta ſed per concurrentem modo *pudorem*, modo *meticuloſitatem*, cohibendi & diſſimulandi impetus, cum cura ſtudioſi: unde ipſos in hac quoque materiali periclitatione, animi pendere, dubitare, & in dubia re, minus audaciæ compotes eſſe, quid quæſo a perpetuis illorum *moribus* alienum eſt? Tanto magis, cum etiam *quantitas* materiæ, ſub activa ſatis *qualitate*, ita *parva*, *dilatata*, atque diffuſa & *extenſa* eſſe poſſit, ut etiam impetuoſæ exonerationis conſilium rationalem locum non inveniat. Quæ præ-

præcipua fuit antiquiorum theoria, qui in ejuſmodi caſibus *tenuitatem* & corpoream *paucitatem acris* bilis in talibus caſibus ſubeſſe conſtanter ſuſpicati ſunt.

§. XXXVIII.

Accedit etiam ejuſmodi ſubjectis de reliquo velut in genere magis *conſueta* & ſolennis *ſegnities alvi*, propter majorem *ſiccitatem*; unde quidem huic evacuationis ſpeciei, ut alias minus promptæ, in tali quoque caſu non æque fidere, natura hujus indolis, & ab ipſa ſolatium in rebus ita impeditis expectare, audet.

§. XXXIX.

Quin imo hæc ipſa perturbata naturæ *deliberatio* & impotentia, primaria propemodum cauſa eſt, cur ejuſmodi febris adeo periculoſe communiter decurrat: dum videlicet nihil *ordinatum*, *proportionatum* & circumſtantiis conveniens ac reſpondens, univerſo morbi ſucceſſu, vel ſatis opportune & *tempeſtive* ſuſcipit, vel juſta *conſtantia*, decenti *moderamine*, & conveniente ſubordinatione, proſequitur. Sed in univerſum, varie tergiverſando, trepidando, deſultando, intempeſtive properando, aut præpoſtere & nimis tarde in feroces impetus conſurgendo, nihil recte & ordine agit: imo *intentionis* omnino ſuæ perturbationem, animi ipſius deſponſione, virium deſertione, inſolita taciturnitate, metu, pavoribus, deliriis, pavidis motuum tumultibus, velut in horas varie prodit & exſerit: adeoque ſub tam periculoſa conſtitutione *materiali*, & hujuſmodi turbulentis & trepidis *motuum* anomaliis, difficilem, imo ſiniſtrum eventum ſubſequi, extra omnem admirationem poſitum eſſe debeat.

§. XL.

His ita ſe habentibus, putamus ſane reliqua omnia febrium harum phænomena utpote magis *communia*, ſpeciali deductione non indigere; vehementiam vero illorum, & præcipue quidem *ſitis* in *cauſo* enormis, ſatis dilucide pendere, ab ardore illo, magis immediate ſuperiores partes inteſtinorum, *duodenum* nempe & *ventriculum*, imo proportionate ipſum *œſophagum*, afficiente.

§. XLI.

De *prognoſi* quoque prolixis eſſe non placet, cum illam jam hinc inde brevibus quidem, ſed ſufficienter & ſine dubio evidenter interpoſuerimus; quod nempe febres hæ, & præſertim *cauſus*, periculoſæ ſemper

ſint : tanto magis vero, quo *diutius* invaleſcunt, & ſine materiæ evacuatione viſcera ita afficiunt.

§. XLII.

Facimus itaque potius tranſitum ad ipſam tractationem medicam, & primo quidem *therapeuticam* generalem agendi atque tractandi *methodum* aggredimur, quæ cum ſeſe referat ad ipſius morbi ejuſque circumſtantiarum rationem, & hinc indicationes ut vocant, formet : non quidem prolixi erimus circa tritam illam ſeriem *indicantis*, *indicationis* & *indicati* nominetenus explicandam & applicandam, ſed potius rem ipſam exequemur.

§. XLIII.

Ita videlicet cum materia, quæ morbos noſtros, ut *cauſa continens* ſic dicta (paulo latiore tamen ſenſu) infert & fovet, vel *correctionem* ſui, vel *amotionem* ſeu evacuationem, poſtulet; cogitandum utique eſt, *an*, & quo uſque *correctio* illa ſperari poſſit : qua votis minus reſpondente, ſola utique *evacuatio* cauſam mali amovere poterit. Quamvis etiam conſiderationem non magis mereatur quam poſtulet, comparatio illa, *utrum* horum *promptius* & *certius* fieri poſſit, ſi vel maxime utrumlibet aliquem uſum & ſucceſſum habere appareat.

§. XLIV.

Quod itaque *correctionem*, ſive ut recepta medica phraſi loquamur, alterationem, attinet, in *cholericis* quidem febribus, agnoverunt hanc & conſuluerunt jam pridem medici practici, dum *acrem bilem* partim *incraſſandam*, partim leniter *abſtergendam*, vel ad levem *motum* aptam reddendam cenſuerunt : cui quidem ſcopo, etiam lenem inteſtinorum ſeu *partis affectæ* veluti *mitigationem* junxerunt : neque certe nos hodieque ab hac illorum intentione recedendi juſtam cauſam agnoſcimus.

§. XLV.

In *cauſo* vero, ubi nihil ita conſtans, neque in aſſignanda ejus *cauſa* materiali aut *continente*, neque in applicanda proportionatorum remediorum ſerie, apud practicos reperimus, ut noſtram conſiderationem interponamus utique neceſſe eſt. Tendit vero illa in hac ipſa quoque febre, ad *correctionem* materiæ, quantum poſſibile *maturam* & *aſſiduam*; *abſterſionem* ejus *lenem* & placidam, *excretionem* vero, in morbo jam *vigente* non niſi placidiſſimam, imo ſi priores ſcopi debite reſponderint

ſecure

ſecure ipſi naturæ relinquendam, aut leniſſima omnium invitatione, clyſteribus emollientibus facile perficiendam.

§. XLVI.

At vero per communem abuſum tumultuariæ, trivialis, empiricæ, febrium curæ hinc inde familiaris, non ſufficit nobis poſitive *facienda* proponere; ſed neceſſarium omnino videtur, privative, *omittenda* & nequaquam facienda, denotare: quamvis hæc proprie ad *modum evacuationis* pertineant. Ubi videlicet evacuatio illa quæ materiæ in his febribus peccanti debetur, nulla utique alia eſſe poteſt quam *emetico-catharctica*; aut ad ſummum, ſi rem magis theoretico voto, quam practica experientia æſtimemus, *diuretica*: nullo vero tolerabili, aut ſecure utili modo, *diaphoretica* aut diapnoica.

§. XLVII.

Unde, cum vulgus perſuaſum ſit, *ſudationem* abſolute ad *febres in genere*, adeoque quaslibet earundem ſpecies indifferenter, utiliſſimam eſſe; neque hoc tantum, ſed fere *quolibet* febris, & paroxyſmi febrilis *tempore*, (quis enim hodie aliquid ſolidum de *paroxyſmis* febrium affert?) *indifferenter* adhiberi poſſe, imo debere: properant haud raro in his quoque febribus præcipiti impetu ad *ſudores*, & medicamentis activioribus provocandos, & regimine anxio ad peripheriam corporis impellendos.

§. XLVIII.

Cum vero hoc ipſo non modo *alienus motus* violenter provocatus, alterum juſtiorem & *debitum* motum præoccupet & avertat: ſed etiam ſudori non obedientis, quamvis tenuioris, *acerrimæque materiæ*, motum ad peripheriam corporis, adeoque diffuſionem in totam maſſam humorum, incitet: imo *trepidationes* illas motus veluti in genere, (ne dicamus in abſtracto) in totum corpus diffundat: peſſimo ſane conſilio & eventu ſuſcipienda hæc intentio, ut ab his noſtris febribus intempeſtivo & veluti directo ſcopo, plane abſit, ſpeciali hac deductione monendum eſſe duximus.

§. XLIX.

Cum ita formati ſint *ſcopi*, quibus *remediis* illi in actum deduci poſſint, diſpiciendum eſt. *Correctioni* itaque materiæ, veteres quidem deſtinaverunt ita dicta *refrigerantia*, & leniſſime *temperantia*, *mollientia*,

lubricantia, imo moderate *diluentia*. *Aquas* refrigerantes & *ſemina* hoc effectu apud ipſos celebria, *frigida* majora & minora, decoctum *hordei*, tum minus ſpiſſum, tum paulo magis ſaturatum &c. Ingerebant hæc *poſteriora* præſertim in *cholericis* commotionibus, quemadmodum in *cauſo*, *ptiſanam*, *alicam*, *aquas* deſtillatas refrigerantes, *emulſiones* ex ſeminibus frigidis.

§. L.

Minime vero prætereundus ſilentio hic eſt *Sydenham*, qui ut in aliis paſſim, ita hic quoque *intentionem* potius, quam univerſam inventionem anteceſſorum reſpiciens, modum, cujus beneficio ſcopos præfixos felicius exequi ſperavit, proprio arbitrio invenire ſolerter ſuſcepit. Uſus proinde eſt tenui decocto, veluti tenuiſſimo juſculo pullorum gallinaceorum, affatim illud ingerendo, ut ita & vehiculum, & materiæ acris aliquod veluti contemperans remedium exiſtat: imo ventriculi & inteſtinorum, non prorſus vacuum (qui ſemper vehementior eſſe ſolet,) motum eſſe ſinat.

§. LI.

Aliquibus, & quantum nobis videtur peritioribus in praxi, recentioribus, videntur hic uſum habere *abſorbentia*: quod quidem jam dum *Crato* notavit, quando pro affectibus infantum graviter *torminoſis*, cum acribus dejectionibus *bilioſis*, *criſtallum montanam* præparatam commendavit. Ubi contra revera experientiæ quidem minus compotes, theoriæ vero, & certe valde ſingularium, & ſæpe inter ſpectatores diſſidentibus plane votis adhuc differentium experimentorum, nimio plus juſto ſectatores, incaſſum plane ex hypotheſi definiunt, quod *abſorbentia* ad affectus *bili* vulgo adſcriptos, inutiliter adhibeantur: quia bilis eſt indolis alcalinæ: quod uti ne quidem ita poſitive verum eſt, ita neque quiſquam ad *bilem naturaliter* conſtitutam immediate, remedia vel *abſorbentia*, vel quæcunque alia, præſcripſerit.

§. LII.

Nos quidem hæc ipſa *abſorbentia* minime damnamus, ſed aſſerimus potius, quod uſus eorundem, & rationi & experientiæ omni modo conveniat; illud ſolum monemus, quod materiæ quidem corrigendæ, ita ex parte conducant, ut acrimoniam ejus quadantenus temperent; viſciditatem vero & tenacitatem potius augeant: neque inſuper nocumento, partibus ipſis jam illato, ullum moderamen afferant. Unde ſolis ad minimum illis non fidimus, aut præcipuam efficaciam in illis quærimus. Illud vero cui principem locum, & ſine omni vaniloquentia certiſſimam effica-

efficaciam, non tam tribuimus quam è frequenti experientia Magnif. D. Præſidis & propria noſtra confidentius aſſignamus, eſt *nitrum* (& quidem ſpeciali modo vulgari longe penetrantius redditum, nempe *regeneratum*) de cujus ad hos etiam affectus efficacia prolixum hic eſſe tanto minus neceſſarium videtur, cum quæ in hanc rem dici poſſunt, pleraque in ſcripto menſtruo menſis *Martii* anni 1698. a D. Dn. Præſide jam allata videantur. Hoc interim breviter, ſed non perfunctorie, aſſevero, quod ſi remedio hoc talia præſtare intendamus, illius adminiſtrationem ratione *temporis*, *quantitatis*, & *repetitionis* ſolerter hic ſuſcipiendam eſſe.

§. LIII.

In *cholerica* quidem *bilioſa* febre, velut indifferens, ratione temporis, eſt *nitri* illius uſus; in *ardente* vero ſ. *cauſo*, *repetitus* vicibus, *parcioribus* ſingulis *doſibus*, exhibendum eſt: ſi quidem in tali caſu, jugi & *continuata* alteratione atque temperatione opus eſt, ubi & materia tenuius expanſa, latius diffuſa & altius poris partis affectæ immerſa, uno impetu, ſimul & ſemel inverti, & penitior ardor partis læſæ, craſſo quodam ſimultaneo aditu atque actu medicamenti ſtatim auferri nequaquam poteſt.

§. LIV.

Poſſunt interim inter ſe conſociari *abſorbentia* cum *nitroſis*; imo debent conjungi, quo magis affectus, *citra evacuationem* plus minus ſinceram, invaleſcit: quod præcipue de febre *cauſo*, & *decurſu* ulteriore febrium *cholericarum*, intelligendum eſt. Siquidem hac ratione omnibus modis, materia, quantum modo fieri poteſt, & contemperatur, & ad excretionem, ipſam quoque *diureticam*, diſponitur: cui quidem ſcopo præ aliis *abſorbentibus* præcipue conducunt *oſtracodermata*, & quæ de illorum ſunt indole, ut ita dicti *oculi cancri*, *chelæ* & univerſæ *exuviæ cancrorum*, & variæ *conchæ*, tam fluviatiles & lacuſtres, quam marinæ. Imo non contemnenda hic eſt *criſtallus montana* præparata.

§. LV.

Evacuatio magis immediata & directa, in primo quidem principio non inutiliter adhibetur, & tunc quidem *emetica*; habet tamen duplicem difficultatem, quæ circumſpectionem requirat: nempe ne nimia *incitatione* excedat: neque præterea nimis *tarde* hoc faciat.

§. LVI.

Antiqui practici, experientia edocti, adeo ſane circumſpecte hic agen-

 dum

dum cenſuerunt, ut incipientibus *cholericis commotionibus*, leviſſimum quemlibet *ſtimulum* adhibere, ſcrupuloſe caverent, & veluti religioni ducerent: prudenter nimirum memores, materiam jam ad *commotionem* non tam ſpectantem, quam tendentem, imo motibus concitandis ſuapte indole aptiſſimam, freno potius egere, quam ſtimulo, & proinde hic ſufficere, ut materia ipſa tantum ita alteretur, ut commodo motui obediat, nullum vero inſignem ipſamet provocet aut inducat.

§. L V I I.

Quod quidem tanto magis locum habet, ſi perpendamus, quod omnia *vomitoria poſitive* atque directe talia, etiam propria ſua indole & efficacia lædendo, *arrodendo*, & ſubtili quadam σήπσει afficiendo ventriculum vomitoriam excluſionem prorItent. Unde in talibus caſibus, ubi jam acris cauſtica materia per ſe hoc viſcus obſidet, conſideratione dignum videtur dubium, an ibi aliquid ulterius addere rationi conſentaneum videatur? ſed valet ſane hic quoque commendatio rei ad *judicium*, & circumſpectionem medici, qui & *tempus* morbi, & *diſpoſitionem* materiæ propriam, & *alterationem* ejus, & *vires*, atque robur patientis, ita inter ſe comparabit, ut nihil temere audeat & ſuſcipiat, neque tamen etiam timide ſe gerat, ubi circumſtantias tolerabiles deprehendit.

§. L V I I I.

Interim revera hic quoque experientia docebit, quod juſta materiæ *alteratio*, per talia *nitroſa* cum *abſorbentibus*, etiam parca horum doſi, juncta, materiam ipſam alterando & bene diſponendo, frequentiſſime tantum emolumenti præſtet, ut ita *mitigatam*, & *motui* idoneam redditam materiam, natura deinceps abſque ullo ſtimulo, imo vel abſque ulla præcipitantia, ſponte ejiciat. Unde hic neque feſtinare, neque tardando opportunitatem prætermittere, neque trepidare, experientia medicum docere poteſt, ſed & ſincerum conſilium, ad hanc ipſum manuducere atque inſtruere.

§. L I X.

Catharctica evacuatio, ſine conjuncta notabili materiæ *correctione*, & medicamenti inſuper plane ſpecialiſſima benignitate, in *cholerica* conſtitutione vix locum habet, ubi jam ſponte fluxus alvi urget; unde ibi ſola abſterſio & contemperatio tam materiæ quam factæ irritationis, ſufficit. In *cauſo* vero, ſi pauca ſit materia, evacuatione ut ſic, non æque opus eſſe apparet. Unde quidem veteres in ejuſmodi caſibus magna circumſpectione utendum cenſuerunt, adeo ut vix *roſacea* ſolutiva ſatis audacter offerrent, nedum acriora: & *rhabarbarum* communiter pro purgante leniſſimo

niſſimo haberent, & quod tota ſua natura omni venenoſa qualitate, quam in aliis purgantibus agnoſcunt, careat, non tamen niſi admodum circumſpecte uſui illius conſiſi ſunt.

§. LX.

Quantum ad nos attinet, non placet nobis qualitercunque *directa* provocatio *catharſeos*; ſed ſi ad expediendam ſolum alvum, non modo inutiliter, ſed revera non ſine damno clauſam, remedio opus ſit, ſatisfaciet ibi abundantiſſime *clyſter* nullo alio ſtimulo, quam ſufficiente quantitate *ſalis* inſtructus, ſed & *olei* unius vel alterius debita portione non deſtitutus. Commode quoque, prout è re viſum fuerit, *repetendus*.

§. LXI.

Mitigationi factæ læſionis ſatisfacit revera etiam remedium *nitro* prudenter contemperatum, ita videlicet, ne ulla vera *acrimonia* partem affectam ulterius feriat, quo magis illa jamdum læſa eſſe apparet.

§. LXII.

Et hæc quidem pro ſpecifica febrium harum indole, ſi recte in uſum trahantur, inſtar plurimorum eſſe poterunt. Minime vero ſub his negligenda eſt conſideratio quoque illarum magis *generalis*, id eſt tractatio quæ *febribus ſic* conveniat. Ubi omnino, quæcunque *ſanguinis*, propter hæc imminentium & fientium inflammatoriarum irritationum pericula, fortius *agitati*, *contemperationem*, & *ſecretiones* atque *excretiones* poſt tantam commotionem debitas, moderari & in ordinem redigere valent, omnibus modis utiliter adhibentur, imo neceſſaria ſunt.

LXIII.

Redigimus vero illa in *tres* circiter claſſes, nempe acrimoniæ ſeroſo-bilioſæ, quæ tam exagitatione vehementi ſanguinis ſubnaſcitur, quam ex parte ex ipſa hac ſaburra primarum viarum illi forte inſinuata eſt, *correctionem & contemperationem*; ſecundo debitam & ſufficientem *dilutionem*: tertio juſtam quoque tam *diapnoicam*, quam *diureticam* exonerationem atque ventilationem.

§. LXIV.

Primum obtinetur quidem jam ex bona parte per ipſa remedia *nitroſo-abſorbentia*; poteſt tamen etiam promoveri per potiones temperantes ad gratiam *acidulatas* imo vero efficaciter etiam per *emulſiones*: è quibus tamen *ſemina* ſic dicta *frigida* propter viſcoſitatem quam facile concipiunt,

cipiunt, & ventriculo impingunt, omittere ſolemus, ſolis *amygdalis* & pineis contenti: tribuimus tamen etiam aliquid magis ſpeciali commendatione dignum ſeminibus *cardui mariæ*, quorum in affectibus inflammatoriis pectoris, non contemnendus certe eſt uſus, modo methodice (quæ eſt veterum ad ravim uſque inclamatio de *ſpecificorum* efficacia) exhibeantur, quo intuitu etiam aliis febribus *inflammatoriis* hoc remedium quadrare ſperantes, non inutiliter illud adhibuimus.

§. LXV.

Dilutionem ſufficientem quod attinet abſolvitur illa inprimis *largiore* proportionata tamen ad tolerantiam, quantitate *potus*; qui tamen in qualitate ita quoque temperatus eſſe debet; ne nimis frigidus, fermenteſcens, fœculentus, nauſeoſus, neque grandibus hauſtibus ingurgitatus ventriculum prægravet, motus modo flatulentos, modo ſpaſticos cauſetur, imo nauſeam & faſtidium adverſus hoc genus potus, quanquam de reliquo forte utilius, & cui aliud non commode ſubſtitui poſſit, inducat.

§. LXVI.

Tertio ſcopo favent & ſatisfaciunt *alexipharmaca temperata*, ubi tam eſſentiæ & tincturæ ſic dictæ, tum bene præparata *mixtura ſimplex*, operæ pretium faciunt, parcioribus, ſed repetitis conveniente tempore doſibus, ſine *regimine* tamen exquiſite *diaphoretico*, præcipue prioribus adhuc morbi diebus: ſi enim ad *criticos* uſque progrediatur malum, ubi *cauſodes* febres interdum criticum *ſudorem* emittunt, non ita fugiendum eſt quicquid ſudoris emanationem promovere poteſt, ut inde fluxus ſudoris impediri poſſit: quod etiam de toto morbi decurſu intelligendum, quod videlicet ibi quoque *tranſpirationi* nihil omnino obſiſtendum ſit, ſed ſolum ab *incitamentis vehementis ſudationis* abſtinendum.

§. LXVII.

Typum exquiſitum cum hæ febres nullum conſtanter habeant, niſi quod *tertianarium* quid ſequi videantur, diſpiciendum proinde erit medico, ut ubi aliqualis typus apparet, medicationem *febri ut ſic* debitam, ſecundum ductum & intentionem *proxyſmorum* ordinet, neque *calidiora* circa initia paroxyſmorum improvide offerat. Quibus undique ita circumſpecte conſideratis & adminiſtratis, bene dicente altiſſimo, his affectibus optatam medicationem & curationem eventuram, ſpondemus.

FINIS.

ALBER-

CLXI.

ALBERTI v. HALLER

ET AUCTORIS

G. C. PAPPELBAUM,

DE

FEBRE MALIGNA
PER GANGRENAM PEDIS DEXTRI IN REGIONE MALLEOLI EXTERNI CRITICE SOLUTA.

Gottingæ 1743.

PROOEMIUM.

Praxi clinicæ per multorum annorum ſpatium incumbens, ſemper id egi, ut caſus oppido raros litteris conſignarem, quorum unum præſens diſſertatio ſiſtit. In cauſam morbi, ejuſque ſymptomatum, pro modulo ingenii mei inquirere ſtudui, monui varia circa ejus curationem, & generalia quædam circa curationem febrium malignarum cogitata hinc inde interſperſi, quæ, utut forte non penitus nova, conſideratione tamen ingenio judicioque valentium & præjudiciis haud occupatorum practicorum non indigna eſſe cenſeo. Saltem ſpeciminis ſtudiorum meorum locum ſuſtinere poſſe confido. Similes caſus in practicorum libris occurrentes evolvere aut recenſere, nec otium eſt, nec ſcopus diſſertationis requirit. Utinam practici cordati & doctrina imbuti, caſus ancipites, ſibi in praxi obvenientes ſæpius cum publico communicarent & diſcuterent! Sæpe quidem & optimi viri in confeſſionem errorum, quos aut lubrica theoria aut male fundata experientia generat, ſponte ducerentur: at erranti confeſſio medicina erit.

CAPUT PRIMUM.

Hiſtoria morbi & curationis.

§. I.

Vir ſexageſimum nonum annum agens, anno 1735 ſexto Februarii menſis, debilitatem naturali majorem, & gravitatis preſſioniſque ſenſum in regione ſiniſtri ventriculi orificii ſentire cœpit, quæ ſymptomata paulatim invaluerunt.

§. II.

Hiſce nono ejuſdem menſis ſeſe adſociarunt horripilatio & ardor, alternatim ſe excipientes, capitis dolores, dorſi artuumque lancinationes, anguſtia pectoris, anxietates, nauſea, vomitus & diarrhœa.

§. III.

Mane ſequentis diei vocatus, cum ex ægroto perciperem, propter jejuniorum tempus magnam ciborum indigeſtibilium vim ſe aſſumſiſſe, omnia hæc ſymptomata ventriculi nimium oppleti & digeſtionis læſæ ef-

fectus cognoſcens, vomitorium ex tempore exhibui, ex cujus effectu ægrotus quater vomuit, & toties alvum dejecit. Omnia morbi ſymptomata ipſo eo die ceſſabant. In majorem tamen fibrarum ventriculi confirmationem & irritatorum nervorum placationem veſperi paregoricum ex ſyrup. papav. aqua cinamomi ſine vino & ceraſorum diluto exhibui, ejuſmodi cum ſucceſſu, ut noctem ægrotus placidiſſime tranſigeret, & ſequenti mane tam bene haberet, ut nec ſibi nec adſtantibus ullus de ſede morbi ſublata ſcrupulus remaneret; ſcilicet virium eximium augmentum ægrotus ſentiebat, & appetentia ciborum exoptatiſſima gaudebat.

§. IV.

Eo ipſo die, qui quintus erat morbi, aliam morbus faciem induebat; aut ſaltem ingraveſcebat. Circa nonam nempe veſpertinam vomitus & diarrhœa, ardor corporis, dolores capitis, angores & inquietudo majori impetu redibant, quæ miſerum in alterum uſque mane continuo cruciabant. Pulſus fortis, durus & celer, lingua aridiſſima, ſitis vix extinguenda, urina flammea, & ingens calor, cum ſenſu ardoris in regione ventriculi, incipientis in ventriculo inflammationis ſuſpicionem facile movebant, quare ſine mora ſanguinis libram unam miſi, quo remedio ſubitaneum prope auxilium tuli; omnia enim morbi ſymptomata derepente remiſerunt, placidiſſimoque ſomno & leni tranſpiratione ſubſequentibus ægrotus mirum quantum levari videbatur. Cruor intra aliquot temporis minuta cruſta aut pelle inflammatoria, tenaci, albente, obductus, facile indicabat, finem calamitatum nondum fore.

§. V.

Id quidem intra tres a detractione ſanguinis horas clare patuit. Multo enim pravitatis gradu aucta in ſcenam redierunt priora morbi ſymptomata, ſi excipias ardoris in regione ventriculi ſenſum, qui partim imminutæ ſanguinis copiæ, partim fomentationibus calidis intra breve tempus ceſſit. Interea deflagratio hujus ſymptomatis & ingens corporis debilitas ſæpiuſque oborta animi deliquia ab ulteriori ſanguinis miſſione ut abſtinerem, omnino ſuaſerunt.

§. VI.

Septima morbi die vomitus & diarrhœa inducias agebant, dum interea ardor totius corporis & angores, ſummæ virium dejectioni conjuncti, ægrotum eo gravius detinebant. Urina fere rubra, abſque ullo ſedimine, lingua arida, pulſus celer, mollis. Ipſa hac die delirium non leve acceſſit, ad quod compeſcendum præter camphoræ uſum internum mox veſica-

ſicatoria utriſque ſuris adplicavi, unde etiam ægrotus poſt octodecim horarum intervallum penitus ad ſe rediit.

§. VII.

Animum pacatum corpus luebat, dum vomitus & diarrhœà debiliſſimum corpus frequentia ſua tantum non concutiebant & exinanibant. Lingua in eodem ſtatu. Urina aliquantulum pallidior & pulſus remiſſior, unde & ardor internus tantillum levior.

§. VIII.

Hic morbi ſtatus in undecimum uſque diem perſtitit, quo novum ſymptoma prioribus acceſſit, ſingultus, nulla arte compeſcendus, & vix minutum unum aut alterum remittens, donec denique trigeſimo ſecundo die ſponte ceſſaret.

§. XI.

Tandem reliqua ſymptomata (§. 7.) ſub initium ſingultus ſæpe remittebant, ſed & per intervalla recurſabant. Generaliter obſervavi, ægrotum gravius decubuiſſe alvo obſtructa; & multo melius habuiſſe, eadem libera, utut frequentiſſime ſoluta. Interea vires quovis fere die imminutæ, noctes & dies ſine ſomno ductæ, urina pauca, rubicunda, abſque ſedimento, lingua perpetua arida.

§. X.

Decimo ſeptimo denique die omnia ſymptomata præter ſingultum penitus evanuerunt, urina naturali colore ſimilis, & poſt miſſionem aliquantum turbida, lingua madens, ſomnus ægrotum per intervalla mulcens aderant, quin appetitum ciborum ægrotus prædicabat, quem tamen nonniſi juſculis ſedare permiſi.

§. XI.

Cum jam ſolus ſingultus ægrotum vexaret, & ſpes ſanitatis proxime recuperandæ adfulgeret, vigeſimo die omnia priora morbi ſymptomata, quæ jam inter profligata collocabantur, de improviſo miſerum corpus denuo oppugnant, ſed & ſubito poſt aliquot horarum intervallum denuo ſe ſubducunt.

 §. XII.

§. XII.

Ecce miram morbi cataſtrophen & magis mirandam materiæ morbificæ metaſtaſin! Veſpera ejuſdem diei ſummus ardor ægrotum invadebat, & ſimul in pede ejus dextro in regione malleoli externi levis inflammatio comparebat, eryſipelatis ſpecie imponens, quam fomentationibus ex herbis aromaticis, ſale ammoniaco, camphora, aceto vini, aqua calcis &c. diſcutere conatus ſum.

§. XIII.

Die vigeſimo primo ardor totius corporis, lingua arida, urina flammea, limpida, virium ſumma proſtratio, inflammatio pedis cum tumore aucta, doloroſa, cui eadem, quæ ante remedia oppoſui. Nec ſequenti die ulla in ſymptomatis morbi mutatio. Inflammatio tantum latius repſit, tumor magis elevatur, qui totus perdolebat.

§. XIV.

Adeo quævis antiphlogiſtica in caſſum adhibita fuerunt, ut effectum penitus contractum produxiſſe non ſine admiratione agnoverim. Die vigeſimo tertio ardor internus remiſit, tumor durus & rubens, & exquiſite calidus cum molli, laxo, preſſioni cedente, pallido & paulatim in fuſcum colorem vergente, veſiculiſque ſanie flaveſcente plenis ſcatente, & penitus indolente inflatione commutabatur. Natura ſcilicet, arte valentior, gangrænam produxit.

§. XV.

Omnes jam vires eo intendendæ erant, ut gangræna corruptæ partes ſeparari & ſane a contagio liberæ conſervari poſſent. Nam omnem fere malitiam morbus hic depoſuiſſe videbatur, quod cum ipſa gangræna omnia reliqua ſymptomata præter ſingultum diſparuerint, qui forte propter longam durationem & virium magnam dejectionem jam aliquantum habitualis evaſerat. Corticem igitur peruvianum ex ſuaſu Anglorum ſæpe ſub electuarii forma interne exhibui. Externe opem tuli, ſcarificando gangræna adfectam regionem in vivorum uſque exordia, ſcarificatam partem cum ſpiritu theriacali, cui dimidia elixirii proprietatis pars immixta erat, lavando, eamque herbis aromaticis, & aliis putredini reſiſtentibus ſimplicibus fomentando. Hiſceque remediis id effeci, ut ſequenti die ardoris interni nullæ reliquiæ ſupereſſent urinaque naturalem imiteretur. Pulſus debilis reſtitabat, nox inſomnis erat, & vires eximi

mi deficiebant. Igitur adhuc quædam partes ſcarificatæ, internorum remediorum uſus continuatus & ſpecies traumaticæ loco theæ præſcriptæ ſunt.

§. XVI.

Hic morbi ſtatus perduravit ad trigeſimum uſque diem, quo ſuppuratio & mortuæ carnis ſeparatio, cujus jam per duos dies levia ſigna aderant, largius, ac ante ſucceſſerunt; donec denique die trigeſimo ſecundo ſuppuratio omnium gangræna affectarum partium contingeret, quo eventus ſingultus; pertinaciſſimum morbi ſymptoma, ſimul ſublatus eſt. Ex eo tempore aviditas ciborum exquiſita, vires paulatim redeuntes; ſeparatio corruptæ carnis exoptatiſſima; ſic igitur poſt menſis a ſuppuratione ſpatium ægrotus ita revaluit, ut niſi pede nondum penitus conſolidato detentus, libera aëris uſura ſine diſcrimine frui potuiſſet. Cum denique poſt tredecim ſeptimanarum a morbo intervallum pedibus etiam valeret, in ſignum optimæ ſanitatis ungues digitorum manuum & pedum deciderunt; & capilli capitis defluxerunt, atque cum novis commutati ſunt. Nec hic vir poſtea ullo morbo correptus fuit, quin athletice & pancreatice in hunc uſque diem vivit.

§. XVII.

De remediis durante curatione adhibitis præter ea, quæ jam dixi, multa commentari ſuper ſedeo. Pleraque diapnoica fuerunt. Tempore anguſtiarum pectoris ſubinde camphoram addidi. Singultui ope laudani liquidi S. præcipue opem ferre ſtudui; cum vero ſine fructu adhiberi viderem, abſtinui. Pulſu duro regnante nitroſa reliquis immiſcui. Decocta & infuſa hordei & rad. ſcorzoner. cichor. potui ordinario inſervierunt.

§. XVIII.

Temperies viri, cujus morbum & convaleſcentiam hactenus retuli, eſt ſanguineo-phlegmatica, vita fere a pueritia laborioſa; & a perpetuis militiæ incommodis & laboribus dura. Sanitas bis tantum per totam vitam febre ardente infracta. Nullus unquam pedum tumor, aut ulcus, aut vulnus.

CAPUT

CAPUT II.

Conſideratio morbi ejuſque phænomenorum.

§. XIX.

Totius morbi decurſus febrim indicat continuam intermittentem, pravitas autem ſymptomatum eorumque ſæpe reiterata ſubdola diſparitio abunde denotant, eam e malignarum claſſe fuiſſe. Licet enim in medendi methodo aliqua naturæ hujus febris accommodatiora adornari potuiſſent, de quo inferius, ſymptomatum tamen anomaliam & ſævitiam ab indole potius materiæ febrilis maligna, quam a temeraria medendi ratione proveniſſe, ſucceſſionem ſymptomatum ſecum probe reputanti non difficulter patet.

§. XX.

Gravitatis preſſioniſque ſenſus in ventriculi regione ſub morbi initium, (n. 1.) nauſea, vomitus & diarrhœa ad ἀκμην uſque morbi ſæpe redeuntes & perdurantes, indicio ſunt, id, quod febrem produxit, in regione portarum venæ per omne id tempus ut plurimum hæſiſſe.

§. XXI.

A materia febrili intra venam portarum ſubſiſtente, neceſſario ſequuntur retardatio fluxus ſanguinis per venas gaſtricas, vaſa brevia, venas epiploicas & gaſtro-epiploicas & pancreaticas, & hinc plethora horum vaſorum & arteriarum, unde ſanguinem accipiunt, cœliacarum & meſentericarum, ſecretio ſuccorum pancreatici & bilioſi perturbatur, bilis denique a materia febrili, qua ſanguis venæ portarum ſcatet, indolem etiam pravam induat neceſſe eſt. Hinc nauſea, vomitus & diarrhœa. Hæc explicatio naturæ magis reſpondere videtur, quam auctorum quorundam, halitus inflammatorios e ſanguinis maſſa per arterias meſentericas in inteſtina excretos eademque vellicantes accuſantium. Halitus enim, ſi qui ſint, illi potius in peripheriam corporis tendunt, quam verſus centrum, uti ex phyſicis notum eſt, aut vaſis abſorbentibus reſorbentur, ſanguini poſtea commiſcendi.

§. XXII.

Cum anguſtias pectoris & anxietates ex impedito aut ſaltim retardato ſanguinis per venam portarum trajectu ſæpe obortas eſſe, obſervationum

fide

ſide conſtet, is autem in præſenti caſu claris indiciis ſe prodiderit: (n. 20.) merito anguſtiæ illæ (n. 2. 4. &c.) ex eodem fonte repetuntur. Capitis, dorſi & artuum dolores (n. 2.) a plethora & orgaſmo ſanguinis originem trahere, ſæpe ſolent: igitur tam impeditus per venam portarum ſanguinis tranſitus, aliis corporis locis plethoram efficiens, quam orgaſmus, impeditum circulum ſanguinis preſſo pede ſequens, eorum cauſſæ eſſe poſſunt.

§. XXIII.

Materia febrilis in vena portarum ſtagnans aut tardiſſime mota, a tranſmiſſis paulatim ope venarum in cavam hiantium quibuſdam ſui particulis in ſanguinem tandem allecta, & toti humorum maſſæ communicata, in extremorum minutiſſimis vaſis ſtagnationem aut tardiſſimum motum produxit; inde frigus & a reſiſtentia exinde cordi facta calor, poſt ſuperatam autem reſiſtentiam iterum ſtagnatio ejuſdem materiæ, & frigus, & calor, inde viciſſitudines frigoris & caloris, & capitis dorſique dolores, (§. 2.) donec intra venæ portarum confinia rurſus ſubſiſtens plurima materiæ febrilis pars ſtagnationem in extremis amplius efficere non potuit, cui intra venam portarum ſtagnationi eximie faverunt diſpoſitio a morbi principio inducta, tum & vomitorium.

§. XXIV.

A retroceſſione materiæ, febrilis orgaſmus, a vomitorii virtute nauſea, vomitus & diarrhœa ceſſarunt. Cum enim acris & vellicans bilis, odore materiæ febrilis imbuta, evacuaretur, cauſſa eorum ſymptomatum ceſſavit. Ideo nec mirum eſt, ægrotum poſt vomitorii effectum tam bene habuiſſe (§. 3.); ut & ſibi & adſtantibus tantum non ſanus viſus fuerit.

§. XXV.

Quando quidem vero in vomitu convulſio fibrarum muſcularium totius fere abdominis contingit; neceſſe eſt, ut humores alicubi hærentes dum modo mobiles ſint; in motum cieantur. Materia itaque febrilis maſſæ ſanguinis rurſus paulatim immixta, acredine ſua, tam ſolidas partes vellicando, quam fluidas agitando, orgaſmum ſanguini poſt aliquam moram rurſus intulit, interea temporis etiam cum bile, & mediante illa cum inteſtinis & ventriculo communicata, nauſeæ, vomitui & diarrhœæ novam dedit materiem (§. 4.). Nec anodyna maſſam humorum corrigere, aut materiam febrilem expellere valebant.

§. XXVI.

Maſſa humorum in orgaſmum concitata, in ſolidas vaſorum partes attritum eo majorem efficit, quo impeditior ejus per vaſa tranſitus eſt. Cum igitur venæ portarum ſanguis conſueto lentius moveretur, arteriarum, ut cæliacarum, ita, quod huc maxime facit, gaſtricarum ſanguis in motu pariter retardatus fuit: hinc attritus magnus arteriarum gaſtricarum earumque elater imminutus, id quod una cum jugi novi ſanguinis adfluxu, tranſitu in venas multum celeriore, non potuit non magnam ibi plethoram efficere, & poſt plethoram ſtagnationem, obſtructionem ergo in vaſis minimis, accedente inprimis convulſione fibrarum muſcularium, tanquam cauſa determinante, quæ noſtro in caſu revera adfuit. Sic tandem propter acrimoniam ſtagnantis humoris, odore febrilis materiæ ſcatentis, aut forte propter ſolam moram, inflammatio accidit in aliquo ventriculi loco, quam ingens ardor in regione ejus & pulſus durus (qui inter ſigna inflammationis pathognomonica ſæpiſſime haberi poteſt) reliquaque ſymptomata ſatis manifeſte prodiderunt. Quin & cruoris inſpectio, uti generaliter maximum totius corporis vaſorum attritum docuit, ita & inflammationem alicubi præſentem confirmavit (§. 4.).

§. XXVII.

Inflammationem ventriculi poſt venæ ſectionem ſublatam fuiſſe, pulſus mollis & ardoris in regione ventriculi abolitio clare indicant, quod retropulſu, an reſolutione frenato ſanguinis in arterias gaſtricas adfluxu contigerit, hic diſcutere non opus eſſe cenſeo. Forte & robuſta fibrarum hominis conſtitutio, & vaſa ampliuſcula, temperiei ſanguineo-phlegmaticæ conjuncta, ſymbolum ſuum contulerunt.

§. XXVIII.

Sopitus ab imminuta ſanguinis copia orgaſmus effecit, ut ſymptomata ejus aliquamdiu remitterent, quare tunc ægrotus melius habuit. Interim ſubſiſtens adhuc intra venæ portarum confinia materies febrilis, non potuit non priora ſymptomata, poſt levem moram revocare (§. 5.) quæ tamdiu perdurare debebant, quam diu materies locum non mutavit.

§. XXIX.

Cum igitur in reliquam ſanguinis maſſam rediret, vomitus quidem & diarrhœa ceſſare, at reliquæ corporis partes hoc adparens beneficium eo gravius luere debuerunt, hinc ab orgaſmo ſanguini inducto ardor totius

cor-

corporis, urina rubra, lingua arida, & tam ab illo, quam ab acri materie, medulloſas cerebri partes vellicante, delirium (§. 6.) ſtagnationi enim id non deberi, pulſus mollis indicavit, & ſatis cita ejus ſublatio, dum materies morbifica in venam portæ rurſus revocata eſt, ubi a nono in decimum ſeptimum uſque diem fere perpetuo hæſit, indicantibus id morbi ſymptomatis & ſingultu (§. 8. 9.): ſaltem a tempore delirii raro ſanguinis totius maſſæ communicata fuit; ſi autem id accidit, corpus utut ægre, at non tam graviter ac ante affecit, aut quod in inteſtina bonam jam partem depoſuerit, adeoque minori copia minus nocere potuerit, aut quod inſigni orgaſmo durante aliqualiter immutata & mitior facta fuerit.

§. XXX.

Sane provectæ jam coctionis ſigna lotium indicabat (§. 10.), unde ſimul niſus materiæ febrilis ad renes dijudicari poterat, ex quo niſu etiam factum eſt, ut eo ipſo tempore vomitus & diarrhœa evanuerint. At huic excretioni obicem die vigeſimo poſitum fuiſſe, redeuntia morbi ſymptomata declarant (§. 11.).

§. XXXI.

Interim cocta materies, ſubſiſtere nequiens, viribus corporis juvatur, ut tandem e corpore eliminetur. Miſcetur ſanguini, quem in ſummum orgaſmum jam ciet; & paulatim in pede ſubſiſtit (§. 13.). Cauſſam determinantem indicare, id vero mihi nequaquam ſumo. Forte veſicatoria (§. 6.) tempore delirii ſuris adplicata, uſum hac in re præſtiterunt. Malo autem beneficio divino, hoc quicquid eſt, tribuere, eo magis, cum nulla mea arte materiam illam retropellere valuerim. Subſiſtens in pede febrilis materies ſanguini niſum verſus partem adfectam maximum conciliat, hinc inflammatio ibi contingit, diſtenſio vaſorum, tumor, dolor, rubor, dum interim materies vaſcula exedit, qua ſubito rupta & una cum liquidis in putredinem acta, gangrænam producunt (§. 14.); mortuæ a vivis partibus ſeparantur, materia febrilis ſimul ex corpore eliminatur, redit ſanitas, ſpaſmi fibrarum muſcularium infimi ventris ſolvuntur, ſingultus ceſſat (§. 15. 16.).

CAPUT III.

Conſideratio Curationis.

§. XXXII.

Clarum eſt, in febre ante deſcripta vomitum & diarrhœam ab acrimonia bilis, materia febrili imbutæ, contigiſſe (§. 21.). Merito igitur ſymptomatica habentur. Eorum tamen ratio in curatione neutiquam haberi debuerat, quoniam iis præſentibus reliquum corpus melius habuit, quam iis abſentibus. Nullum omnino damnum ab illis metuendum erat, niſi quod humorum acrimonia, cui natales debent, inferre potuiſſet. Ideoque in ſimili caſu ſola diluentia, copioſius ori ingeſta, & clyſmata aquoſa cum pauxillo mellis, noxas acrimoniæ avertendo, convenirent.

§. XXXIII.

Forte etiam eadem remediorum genera materiem febrilem in ventre magis retinerent, quæ ſæpiuſcule toti ſanguinis maſſæ confuſa orgaſmos diſcriminis plenos excitat. Multoties in hujus farinæ febribus vidi orgaſmum, a communicata cum ſanguine febrili materie ortum, per clyſma quaſi e veſtigio tolli, cujus nimirum effectu alvus ſimul laxa inducitur, qua durante omnium ſymptomatum mitigatio ſuccedit. Igitur veriſimile eſt, hoc in caſu clyſma agere, non ſolum acrimoniam temperando, ſed & materiam febrilem in ventrem revocando. Ergo & retinendæ ibi materiæ inſervire poterit. Hunc in finem clyſmata ab initio morbi eouſque continuanda eſſent, donec coctionem materiæ febrilis inchoatam manifeſtis indiciis conſtaret; Tum vero ab eorum uſu abſtinendum, ne via, qua peccans materies exitum ſibi parat, aliena derivatione intercludatur, & itaque naturæ opus impediatur, & interturbetur. Nec tunc ex acrimonia grave malum amplius metuendum eſt. Cum enim pleraque pars per aliam viam e corpore eliminatur, multo minor ac ante copia inteſtina & ventriculum ingreditur, ergo & minus nocebit, quodque forte ad revaleſcentiam uſque remanebit, laxante remedio facile expelli poterit. Et hæc quidem experientiæ optimi Sydenhamii, diſſimili licet ratiocinio utentis, apprime conveniunt, qua conſtat, clyſmata ab initio ſimilis fere febris ad duodecimum aut decimum quartum uſque diem cum fructu adhiberi, minus poſtea, cum criſis ante fores eſt. De tempore nimirum criſeos inſtantis & præſentis puto, eundem experientiſſimum virum adſerere, quod clyſmata ſanguinis robur ac vim atque tonum relaxent. Ea tamen differentia inter adſerta Sydenhamii & noſtra

noſtra eſt, ut ille abſente diarrhœa & urgente ſanguinis effervefcentia clyſmata præcipiat, nos vero præſente etiam diarrhœa cum fructu adhiberi poſſe ſentiamus. Quidni enim eadem fidelia duos dealbare parietes liceat? Eodem clyſmate in ventrem revellimus materiem febrilem, aut ibidem retinemus, & ſimul acrimoniam humorum diluimus. Si autem diarrhœa a ſola vaſorum relaxatione contingit, tunc emollientibus clyſmatibus non tantum non provocanda, ſed potius, præcepto Sydenhamii convenienter, adſtringentibus ſiſtenda eſt.

§. XXXIV.

Ad determinationem materiæ morbificæ verſus abdomen fotus calidi, inprimis in regione hepatis adplicati, multum juvare potuiſſent. Sed quoniam illa determinatio eo uſque tantum utilis eſt, donec coctio incipiat, haud ulterius protrahendi ſunt.

§. XXXV.

Vomitorium, uti eventus docuit, in noſtro caſu omnino exulare debuiſſet, quoniam vero admodum ſimile eſt, inflammationem ventriculi ab ejus uſu contigiſſe. Hocque exemplum manifeſto commonſtrat, quam cautus vomitoriorum uſus in quibuſcunque febribus inflammatoriis, præcipue autem in iis, quæ ſedem materiæ febrilis in abdomine tenent, eſſe debeat. Beneficium a vomitoriis redundans Sydenhamius multique eum ſecuti in eo ponunt, quod diarrhœam, decurſu morbi ſæpe contingentem, avertat. Id quidem in noſtro caſu non contigiſſe, ſuperius relata evincunt, & ipſe Sydenhamius aliquo in loco dicit, in febre vere maligna aliquando accidere, *ut vomitorium diarrhœam non ſolum non impediat, verum creet:* Porro libri multorum practicorum curationibus malignarum, ſine vomitoriis ſuccedentibus, pleni ſunt. Igitur meo judicio præſtat hos ſequi, quam cum ejectione ſaburræ ventriculi & ſollicitatione glandularum ejus ad excernendam pituitam aliiſque vomitoriorum emolumentis, vulgo prolatis, ægrotum in diſcrimen conjicere. Nec culpa in noſtro caſu, ſuccedente inflammationis curatione avertitur. Salſe in ſimili caſu practico Sydenhamius: *Præſtiterat plagam non infligi, quam ſanari.*

§. XXXVI.

Succeſſus curati delirii per veſicantia & camphoram confirmat poriſma practicum, ab aliquo tempore ſtabilitum, utrumque remedium nobilem ſuam efficaciam certo edere, dummodo inflammatio in corpore non adſit. Interea non diffiteor, melius cum ægroto agi, ſi delirium averti poſſit, ſancte tamen adfirmo, nulla omnino inſtantis delirii ſigna in

noſtro ægroto adfuiſſe. Igitur judico, hæc ſigna non expectanda, ſed in morbis inflammatoriis quibuſcunque ab initio morbi ad criſeos uſque tempus remedio, avertendis deliriis idoneo, utendum eſſe. Sinapiſmos plantis pedum adplicatos & quotidie renovatos, huic ſcopo obtinendo pares eſſe, poſtliminio longa experientia edoctus ſum, unde & damna, a veſicantibus ex Baglivi recenſione contingentia, magis quidem in aere fervido, qualis italicus eſt, ac in temperatiori metuenda, facillime avertuntur. Juſta fere conſequentia inde etiam fluit, veſicantia & ſinapiſmos, quicquid agunt, ſola nervoſi generis vellicatione agere, nec in lymphæ excretione, a veſicantibus inducta, cauſſam ſalutis quærendam eſſe.

§. XXXVII.

Camphoræ laudes canere ſuper ſedeo, ne inter ſapientes accenſeri velle videar. Id tantum propono, me a longo tempore hoc remedii genus in uſu habere, & in ejus effectus, quos in corpore vivo exercet, attendere, & exinde tandem concludere, quod his duobus modis præcipue agat. 1. Quod tenuiſſima quæque corporis vaſa, dummodo permeabilia ſunt, penetret. 2. Quod acrimoniam humorum, illam præcipue & ſpecifice, quæ in febribus inflammatoriis obtinet, infringat, aut forte balſamo ſuo involvat. Stagnanti & ſimul ſpiſſo coagulo fluiditatem reddere nequit, quare in inflammatione jam præſente effectus ejus aut nullus aut ſaltim maxime dubius erit. Et huic quidem theoriæ & autorum & tenues meas experientias adhuc adplicari potuiſſe animadverti. Duæ obſervationes, in comm. litter. Nor. 1734. p. 260. cas. II. & III. recenſitæ, crucem ei figere videntur, quarum fide acutiſſimus Werlhofius & veſicatoriorum & camphoræ uſum, vigente pulſu duro, mirifice proficuum deprehendit. Si in utraque obſervatione cruorem denſum valde & compactum ſolam pulſus duri cauſſam agnoſcamus, theoria adhuc in ſalvo erit, in quam ſententiam eo magis proclivis ſum, quo ſæpius obſervatum eſt, & veſicatoria & camphoram nullam vigente pulſu duro opem præſtitiſſe, ſed potius commotiones, ſanguinis & deliria vehementer auxiſſe, manifeſto fere indicio, cruorem jam in vaſis minimis ſtagnantem a virtute camphoræ penetrari, ejuſque ſtaſin a vellicatione generis nervoſi, quam veſicatoria concitarunt, tolli non potuiſſe.

§. XXXVIII.

Signum coctionis in lotio adparens (§. 10.) forte majorem diluentium copiam & lenium diureticorum uſum requiſiviſſet. Cum tamen nec contraria hiſce indicantibus remedia adhibita fuerint, vero ſimile eſt, materiam febrilem nimis ſpiſſam fuiſſe, quam ut arteriolæ, urinam ſeparantes, eam tranſmittere & in fiſtulas laterales devehere potuerint. Igitur

gitur præter diluentia ſola demulcentia & lenientia, uti oleum amygdalarum, ſyrupo violarum permixtum, conveniſſent, quæ, ut eventu deſiderato fruſtrata fuiſſent, maſſam humorum præter naturam haud commovere, neç motus naturæ alio vergentes turbare potuiſſent.

§. XXXIX.

Denique inflammata pedis pars præter ea, quæ ad conſervationem aut condituram liquidorum adhibita fuere, cataplaſmatibus calidis cum calore continuo ſuſtentato agentibus, ex mollientibus, diaphoreticis, anodynis, fovenda fuiſſet, quæ remedia etiam, gangræna jam facta, ad citiorem putrefactæ a ſana carne ſeparationem eximie facere potuiſſent. Sed & quivis cordatus agnoſcet, gangrænam prævideri non potuiſſe.

CAPUT IV.

De materie febrili ejuſque coctione & variis excretionibus.

§. XL.

Quod ſtimulo & coagulo ſuo febrem producit, materiam febrilem voco, quæ diverſa eſt pro diverſa febrium indole, humorum cuidam depravationi, ſæpe lente & rerum non naturalium miniſterio, ſine ulla alia cauſſa manifeſta in corpore generatæ, ſæpe etiam ſubito aut per manifeſtam quandam aut & occultam malignamque aëris qualitatem corpori inductæ, originem debens. Cautum volo, me hic non agere de febribus a morbo partis cujuſdam particularis, aut ab aliquo humore in corpore alicubi congeſto aut extravaſato, aut a debilitate nimia, aut ab affectibus animi &c. productis, ſed de iis ſolum, quæ in ſanguine primordia capiunt.

§. XLI.

Depravantes particulæ ab initio aut toti humorum maſſæ, aut eorum cuidam regioni, ſine noxa confuſæ, quando eo uſque augentur, ut notabilem in humoribus mutationem efficiant, ſpiſſitudinem, acrimoniam, aut utramque, jugi cordis motu arteriarumque elatere tanquam heterogenea corpuſcula paulatim colliguntur, quæ tunc ad vaſa extremorum corporis appellentes propter molem auctam tranſire nequeunt; inde circulatio ibidem impedita, & rigor febrilis, qui eo uſque durat, donec vi cordis omnis reſiſtentia ſuperetur, quæ denique cum impetu contingit, adeoque commotionem fluidorum ſummam, nec minorum ſolidorum irritationem efficit. Qua vigente attritus tam particularum illarum, quam vaſo-

vaſorum corporis, ingens, illarum major tenuitas & collectio copioſior, unde poſt aliquam moram vaſis extremorum iterum obviæ eadem ſymptomata creant, quæ omnia tamdiu continuantur, donec particulæ illæ ſufficienter attritæ & collectæ una cum ramentis vaſorum attritis e ſanguine penitus ſecernantur, & e corpore qua data porta ejiciantur.

§. XLII.

Interdum hæ particulæ poſt primam ſanguinis commotionem ita attritæ & collectæ ſunt, ut mox excernantur, uti in febre ephemera contingit. Si pluribus commotionibus opus eſt, febris erit intermittens. Si poſt unam aut alteram ſanguinis commotionem, particulæ quidem ita attritæ ſunt, ut minima quævis vaſa pervadere poſſint, at nondum collectæ adeoque ſecretioni e corpore nondum aptæ ſint, una cum ſanguine jugiter per corpus circulabunt, cum vero heterogeneæ ſint, ſanguinem perpetuo commovebunt, gravius quidem, quo cordi reſiſtentiam majorem creant, aut partes ſolidas magis irritant. Hæcque commotio eo uſque vigebit, donec tandem lædentes partes collectæ e corpore excernantur. Sic peſtis, & febrium continuarum, acutarum, inflammatoriarum, idea habetur. Si poſt unam aut alteram ſanguinis commotionem particulæ febriles, ſatis quidem attritæ, ut minima vaſa tranſire poſſint, at excretioni e corpore nondum aptæ aliquam corporis regionem potiſſimum occupent, e qua non niſi ſubinde cum reliqua humorum maſſa communicantur, febris continua intermittens oritur.

§. XLIII.

Pro varia febrilis materiæ indole varia etiam excitatur febris, tam ratione ſymptomatum, quam ratione durationis. Eæ febres omnium peſſimæ & vere malignæ ſunt, quarum materies febrilis ſpecie acrimoniæ gaudet, quæ humores corporis inſpiſſat, & coctioni atque ſub actioni adeoque ſecretioni pertinaciter reſiſtit. Talis enim acrimonia effectu, tam in humores quam in vaſa, diſcriminis pleno, ſi non exitialis eſt. Sapienter pro more ſuo Sydenhamius, de febre peſtilentiali agens: febris vere maligna cum ipſiſſima peſte ſpecie convenit, nec ab ea niſi ob gradum remiſſiorem diſcriminatur.

§. XLIV.

Hanc materiem in febre, quam Cap. I. propoſuimus, acrem & acerrimam fuiſſe, probant vomitus & diarrhœa, perpetuo fere conjuncta, delirium, ſummæ ſanguinis effervefcentiæ, exitus in gangrænam. Si diarrhœa relaxationi vaſorum cauſam deberet, non ceſſiſſet profecto in

emolu-

emolumentum ægroti, quod tamen durante cruditate morbi perpetuo obſervatum eſt. Gangrænam a quiete ſenili, a diuturna clauſi & calidi humoris ſtagnatione, ab ingentibus magnorum nervorum contuſionibus, produci ſæpius deprehenſum eſt: In noſtro autem caſu nulla memoratarum cauſſarum accuſanda venit, dum gangræna contigit intra tres dies, nulla cauſſa externa accedente. (§. §. 12. 13. 14.)

§. XLV.

Unde vero ejuſmodi materia acris? Vix credibile eſt, in ſano corpore ex humoribus talem depromi poſſe. Ergo aliunde advectam eſſe oportet, per alimenta, potulenta, aut aërem. Venena nimirum, nimis longe me ductura ſilentio premo. Per alimenta & potulenta ſola, in vita communi recepta, id fieri non ſolere certum eſt. Nam quare hoc anno potius, quam omnibus reliquis, hunc effectum in humores corporis noſtri ederent? Dum alimenta & potulenta extra culpam pono, non inficias eo, illa pro diverſa ſua indole humoribus qualitatem inducere poſſe, qua promtior & aptior ſit, a cauſſa quadam externa alterationem accipiendi. Reſtat ergo aër. Calidus, qua calidus, an frigidus, qua frigidus? Ejuſdem vero generis morbi tam æſtate quam hieme dantur. Nec levis aut gravis, denſus aut rarus, ſiccus aut humidus, materiem febrilem ſuggerere poſſunt, uti eodem ratiocinio patet. Eſt ergo aliquid, quod aëris eſſentiam non ingreditur, in ipſo autem aëre occultatur, adventitium, non quovis anno aërem contaminans, miaſma, cujus exiſtentiam & peſtis & morbi epidemici dudum evicerunt.

§. XLVI.

In meum igitur uſum verto febrem epidemicam, quæ a menſe novembris anni CIƆIƆCCCXXXIV. in Junium uſque ſequentis anni tum urbis Petropolis quam reliquæ Ruſſiæ incolas, quin & Sibiriam detinuit. Petropolitanæ ipſe teſtis ſum oculatus, reliquarum a peritis hominibus fide dignas relationes accepi. Hujus autem febris initia fere ſimilia erant febri a me deſcriptæ, niſi quod ſæpiſſime etiam gravedine ſtipata erant. Augmentum Petropoli, in ulteriori Ruſſia & in Sibiria occidentali petechias aut purpuram albam rubramve, in Sibiria orientali ad Lenam fluvium ſimilia noſtro caſui produxit, cum acerbiſſimis deliriis. Status in Sibiria orientali bubones, in reliquis locis ptyaliſmum incipientem excitavit. Declinatio in illis bubones ſuppuratos & ruptos, in his ptyaliſmum, ad ſanitatem uſque durantem, exhibuit. Morituris bubones retroceſſerunt, aut ptyaliſmus ſubito ſufflaminatus eſt. Diarrhœa ſæpe per totum morbi decurſum in ſtatum uſque obſervata eſt, nullibi tamen cum infauſto eventu, quin ægroti ea præſente minus laborare videbantur,

plane ut in noſtro caſu. Nullibi tamen adeo copioſa & vomitibus perpetuis conjuncta obſervata fuit. Morbus in Sibiria orientali citius decurrebat, ac reliquis in locis. Status enim raro ultra nonum aut undecimum diem protractus eſt.

§. XLVII.

Convenientia febrium harum epidemicarum inter ſe & cum noſtra abunde patet. Initia ſimilia ſunt, aut ſaltim pro ſimilibus haberi poſſunt. Nam diſpoſitio aeris humida & frigidiuſcula facile potuit gravedinem, tanquam ſymptoma accidentale, generare. Augmentum præter cutis efflorеſcentiam ſimile. Diarrhœa denique, fere in ſingulis individuis, ejuſmodi febre laborantibus, aut continuo, aut per intervalla, præſens, ſemper ſalutaris, magnam ipſarum febrium adfinitatem prodit.

§. XLVIII.

Differebant igitur cutis efflorеſcentiis, non in quavis ſpecie contingentibus, & criſi. Petropolitana, & quæ Ruſſiam ulteriorem Siberiamque occidentalem infeſtavit, criſin per ptyaliſmum affectabat. Sed & individua fuerunt, in quibus morbus per urinas, alia in quibus per ſudores ſolutus fuit, alia, in quibus ſolutio morbi ſine ullis criſeos manifeſtis indiciis facta eſt. Quin inſpectio cadaverum, hoc morbo demortuorum, docuit, funeſtum ejus eventum a gangræna internarum partium plerumque comitatum fuiſſe. In caſu a nobis propoſito per gangrænam pedis dextri ſolutionem factam ſupra retulimus.

§. XLIX.

Jam hæ differentiæ, an tantæ ſint, quales primo intuitu videntur, diſpiciendum eſt. Et quoniam petechiæ & purpura criſeos quaſi initia quædam ſunt, ab iis ordiemur. Si materies febrilis intra vaſa circulans, nondum cocta, ad vaſcula cutanea adpellit, eaque tranſire nequit, ſtaſis ejus fit, quæ tamdiu viget, donec exiguum mole coagulum, aut cum deſquamatione epidermidis ſecedat, aut intra vaſcula reſorbeatur. Accidit etiam, quod in tranſitu tantum dico, ut eadem materies, in vaſis cutis, non cuticulæ, hærens, multorum dierum ſpatio & vel in mortem uſque immobilis hæreat, cujus lugubre exemplum eodem anno, quo hæc febris regnavit, in adoleſcente octodecim annorum vidi, petechias profunde latentes, at diſtincte conſpicuas, in funere adhuc ferente. In omnibus igitur iis individuis, quorum materia febrilis ab initio morbi, dum adhuc cruda exiſtit, in cutem fertur, exanthemata erunt. Quorum autem materia certæ cuidam corporis regioni magis inhæret, intra majora ejus vaſa potiſſimum verſatur, iis exanthemata produci nequeunt.

§. L.

§. L.

Si materia febrilis cocta, ejuſque particulæ collectæ ad peripheriam corporis determinantur criſis per ſudores fiet, ſi ad fontes ſalivales per ſalivam; ſi ad inguinales glandulas per bubones, ſi ad renes, per urinas, ſi ad partes tendineas & nerveas, per inflammationem, gangrænam, ſphacelum.

§. L I.

Cocta materies, cujus vero particulæ nondum collectæ, ſed in humoribus corporis adhuc diſperſæ fluitant, per ſudores, ſalivam aut urinam paulatim quidem ab humorum maſſa ſegregabitur, ſed lentiſſime, nec hujus excretionis ſigna manifeſta adeſſe poterunt, quia propter paucitatem materiæ, ſimul appellentis, nec vaſis exhalantibus nec ductibus ſalivalibus ſtimulus additur, quo in ſudores aut ſalivæ fluxum ſolvantur, nec urinæ ſufficiens ſediminis materia adducitur.

§. L I I.

Si materies febrilis in ſtatu morbi aut propter cruditatem ſuam, aut propter nativam vaſorum anguſtiam, vaſa cutis exhalantia aut vaſcula urinam ſecernentia tranſire nequit, in ſanguinem redibit. Eadem ſub iiſdem conditionibus in ſalivales aut inguinales glandulas adfluens irritabit vaſcula, magnum humorum adfluxum, vaſorum diſtenſionem, tumorem efficiet, unde novus a reſiſtentia cordi facta ſanguinis fervor, ex quo ſequetur aut ſuppuratio glandularum, aut retroceſſus materiæ febrilis in ſanguinem.

§. L I I I.

Viribus vitæ vigentibus, regreſſa in ſanguinem materia, ſi id contigit propter nativam viarum, queis excretionem tentavit, anguſtiam, aliam viam patentiorem tentabit; ſi autem altera conditio obtinet: ut propter cruditatem retroceſſerit, cordis impetu & arteriarum elatere ab heterogenea materia auctis, excoquetur tandem, & aut eaſdem, quas ante, aut alias vias repetet, quibus tandem e corpore eliminetur.

§. L I V.

Viribus vitæ deficientibus materies regreſſa viſcerum & membranearum, internarum partium vaſis minutis impingetur, unde inflammatio, gangræna, ſphacelus, mors.

§. LV.

Hæc omnia (§§. 49-54.) docent, cutis efflorefcentias, variofque crifeos modos, quibus natura utitur, eſſentiam alicujus febris non ſpecifice conſtituere, utpote quæ rationem ſui habent aut in nativa corporis ægroti conſtitutione, aut in mutationibus, quas alimenta & potulenta, aut varium vitæ genus in humores aut & ſolidas corporis partes, in vaſa præcipue excretoria, ante ingruentem morbum induxerunt, aut & in iis, quas ars durante curatione excitavit. Eſſentia autem febris in ſpecifica materiæ febrilis indole conſiſtit, quæ noxas corpori certo & determinato modo infert, varie tantum modificata & directa a cauſſis jam recenſitis. Nihil ergo impedit, quo minus febres epidemicas illius anni (§. 46.), & febrem, cujus hiſtoria cap. I. deſcripta eſt, ab eodem omnes miaſmate proveniſſe aſſeramus.

§. LVI.

Si remedium cognitum eſſet, quod materiam febrilem ita alterare valeret, ut a ſanguine ſive lympha non amplius differret, ejus ope curationem certiſſimam fore nullum dubium eſt. Cognitio autem talis remedii inter maxime deſiderata habetur, & forte humanum captum tranſcendit. Cognitionem enim remedii cognitio materiæ febrilis præcedat neceſſe eſt. Itaque ratio antea excogitanda erit, qua indoles & ſpecifica materiæ febrilis acrimonia exploretur. Hic nodus quam difficulter expediatur, vel ſola venena, quæ manibus palpare poſſumus, demonſtrare poſſunt. Quanta quanta jam cum iis tam exquiſito ſtudio, quam fortuito caſu in corporibus vivis experimenta capta! Quantum in iis indagandis deſudarunt chymici! At nec in hunc uſque diem conſtat, qua virtute agant, multo minus, quo remedio in ſuccum & ſanguinem verti poſſint.

§. LVII.

Exemplum modi, infringendæ venenorum virtuti adhiberi ſoliti, modum forte ſuggeret, qui in materiæ febrilis tractatione cum fructu adplicari poteſt. Materies febrilis plerarumque epidemicarum, & omnium, quæ malignarum nomine veniunt, ſingulari quadam acrimoniæ ſpecie gaudet (§. 43 44.), quæ quamdiu propter coctionem in corpore retinenda eſt, metum funeſtorum effectuum perpetuo injicit. Ut igitur venenorum aſſumptorum virtutem eo interdum avertimus, ut venenorum particulas, donec e corpore eliminari poſſint, quaſi oblinamus & involvamus, ne nerveas tunicas acrimonia ſua irritare poſſint: ita omnino cum materie febrili agendum erit. Corpus igitur tale requiritur, quod

vel

vel in minutiſſima vaſorum oſcula febrilem materiam comitare poſſit, & quod ſimul adverſus acrimoniæ noxas præſidio ſit. Tale camphoram ſupra pronunciavi (§. 37.)

§. LVIII.

Revera Chirurgi, febris bubonaceæ ſanandæ cauſſa (§. 46.) ad Lenam miſſi, uti ex eorum relationibus patet, divinam camphoræ virtutem in ipſa illa febre experti ſunt. Quibus nimirum ægrotantibus, aut ab initio morbi aut ſub augmentum ab tempus uſque criſeos camphora ad quantitatem ſcrupuli unius bis in die data eſt, ii ad unum omnes non per bubones, ſed per ſudores aut urinas undecimo aut decimo tertio die feliciſſime judicati ſunt.

§. LIX.

Cum vero in hujus generis febribus ſæpe obſervetur; præter acrimoniam materiæ febrilis vix ſuperanda ſæpe incommoda a pertinaci ejus reliquæ ſanguinis maſſæ adhæſione, difficilique ab ea ſecretione oriri, qua ſcilicet criſeos tempus nimis longe differtur & cum temporis jactura virium etiam, materiæ e corpore eliminationi impendendarum, jactura cum ſummo ægroti diſcrimine contingit: Ideo alterum adhuc remedium exoptandum eſſet, quo ſecretio materiæ febrilis a reliqua ſanguinis maſſa accelerari poſſet. Quoniam lege obſervationum conſtat, materiam febrilem omnium optime & tutiſſime per ſudores, ſalivam aut urinas excerni, natura digito quaſi monſtrare videtur, connubium cum ſeroſa ſanguinis parte facilius illam inire, quam cum fibroſa.

§. LX.

Quodſi igitur corpus datur, nimium ſeroſæ ſanguinis partis cum fibroſa nexum aliquantum ſolvens, idem illud corpus ſimul etiam materiæ febrilis cum fibroſa ſanguinis parte nexum ſolvet; eo igitur adhibito ſecretio materiæ febrilis a reliqua ſanguinis maſſa accelerari poterit. Tale corpus mercurium eſſe, docet ſalivatio.

§. LXI.

Diu eſt, quod in hanc theoriam incidi, cujus tamen fructus haurire nunquam, niſi ad incitas fere redactus, tentare auſus ſum, quod metuerim vel judicii mei fallaciam, vel hominum contra res inuſitatas conſueta murmura. Nec una & altera excellentiſſimorum practicorum autoritas me contra ſycophantias hominum, quibus in conſuetudinem abiit; de aliis male ſentire, obfirmare poterat; quas igitur nonniſi

re conclamata, deſpexi & pro nihilo habui, valetudini hominum, meæ curæ concreditorum plus, quam aliorum malitiæ tribuens. Quando igitur criſis nullo modo procedere voluerat, dedi mercurii dulcis quatuor aut quinque grana in die partitis vicibus, idque repetii ad alterum etiam & tertium diem, donec criſin fieri obſervarem. Sæpe criſi jam inchoata & poſtea ſufflaminata idem remedium exhibui, cum exoptatiſſimo ſemper ſucceſſu. Semel in malignæ febris ſpecie, pectus potiſſimum infeſtante, poſt ſufflaminatam materiæ febris per renes excretionem, & novam ejus in parotidem derivationem & ſequentem retroceſſum in ſanguinem, idem feliciſſimo eventu exhibui, cujus poſterioris curationis, quia rara & ulteriori tentamine digna eſt, ſuccinctam hiſtoriam coronidis loco hic adpono.

§. LXII.

Puer adultus quatuordecim annorum nono ætatis ſuæ anno febre intermittente laborans, præterea autem, nec morbillorum, nec variolarum, nec ullius morbi inſidiis infeſtatus, ſeptimo Julii anni præſentis artuum, capitis & pectoris dolores experitur, cum alvo obſtructa rigoreque, & ardore febrili, alternantibus. Clyſma ex æqualibus aquæ & lactis partibus pauxilloque ſachari compoſitum adplicatur, interne diaphoreticum partitis vicibus exhibetur. Alvus ſemel ſolvitur, lenis tranſpiratio per totum corpus ſuccedit, & ægrotus melius habet. Die ſecundo morbi priora morbi ſymptomata redeunt. Diaphoreticorum uſus continuatur, abſque ſperato effectu: tertio die e dextra nare guttæ aliquot cruoris ſtillant, pulſus debilis & celer. Urina pallidiſſima, ſine nubecula aut ſedimine, lingua arida. Poſt aliquot a ſtillante ex nare cruore horas delirium. Capilli capitis reſecantur, epiſpaſtica quovis trihorio renovata, plantis pedum adplicantur, mixtura diaphoretica camphorata ſemi unciæ quantitate ſingulis bihoriis exhibetur. Delirium ſequenti ſive quarto die morbi recedit, & ægrotus in ſextum uſque diem melius habet. Septimo die eadem, quæ ante, naris, iterum aliquot cruoris guttas ſtillat; delirium revertitur, pulſus debilis, lingua arida, urina pallida, nullus ardoris interni aut externi, ſenſus, tuſſis ſicca, dies noctesque crucians, inquietudo animi & corporis. Utriſque ſuris veſicatoria adplicantur, emulſio anodyna camphorata, & eclegma pectorale præſcribuntur, alternatim aſſumenda. Die nono morbi levis expectoratio, animus pacatus, urina pallida, cum ſedimine luteo, veſicæ a cantharidibus excitatæ, pus fundere incipiunt. Sediminis urinalis ſecretio in decimum tertium uſque diem continuo procedit, & ægrotus præter virium decrementum, ſatis bene interea habet. Die decimo quarto circa quartam verſpertinam rigor febrilis, per duas horas durans, cum inſequente ardore, in octavam uſque matutinam ſequentis diei ſummo impetu protracto, quo ipſo tempore ſub dextra aure levis rubor, dolore modico ſtipatus, in

conſ-

conſpectum prodit, urina fere rubra abſque ſedimine. Ardor ab efferveſcentia priori reliquus ſub ſecundam poſt meridiem horam penitus deflagrat. Loco rubenti cataplaſma ex ſpeciebus emollientibus & cepis toſtis, lacti incoctis, continuo calore ſervandis, nocte ob metum incuriæ adſtantium empl. diachyl. cum gummis adplicatur; interne decoctum ex aperientibus, diaphoreticis, bezoardicis, exhibetur, calidiſſime hauriendum, & quovis trihorio repetendum. Die decimo ſexto una cum decocto eſſentia alexipharmaca, camphora ſaturata, præcipitur. Rubor parotidis augetur, dolor increſcit, in tumorem elevatur, ægrotus paulatim melius habet. Hæc in vigeſimum uſque diem ex voto ita ſuccedunt, ut tumor eo uſque notanter excreverit, & ſuppurationis inſtantis ſpem maximam fecerit. Nocte autem vigeſimum & vigeſimum primum intercedente idem tumor, attactu licet duriſſimus & paulo ante calidiſſimus, ſubito depreſſus & indolens fit, accedentibus ſimul preſſione gravitateque pectoris magna, anxietatibus, reſpirationiſque difficultate, inquietudinibus, ſummo virium decremento. Lingua arida, oculi turbidi, palpebræ quaſi viſcoſæ, in manibus pedibuſque frequentes tendinum ſubſultus, animi tamen præſentia. Mane diei vigeſimi primi purgans ex pulv. jalapp. gr. 28. mercur. dulc. ſach. albiſſ. ana gr. 8. exhibetur, unde alvus poſt breve tempus quinquies copioſe ſolvitur, ejuſmodi cum ſucceſſu, ut quoties ægrotus alvum dejiceret, ipſe de ſe talem ſenſum profiteretur, quaſi cum fœcibus onus grave ex pectore receſſiſſet. Poſt effectum autem purgantis virium quidem decrementum majus, ac ante, at reſpiratio libera, nullius preſſionis gravitatiſve in pectore ſenſus, & abolitio omnium gravium morbi ſymptomatum. Octo horis poſt aſſumptum purgans remedium corroborans & ſimul anodynum datur. Nox quieta & ſomnus mulcens. Die vigeſimo ſecundo morbi ægrotus præter vires fractas de nullo ſymptomate queritur. Continuatur uſus roborantium & confortantium. Vires paulatim at manifeſte redeunt. Vigeſimo ſeptimo morbi die tuſſis ſicca denuo vexat, cui herbæ pectorales & electuaria ſimilis uſus, & diæta ex æqualibus aquæ & lactis partibus, pane biſcocto & ſaccharo ſaturatis ex oryza lacti incocta, ex pomis toſtis &c. opponuntur. In faciliorem materiæ febrilis excretionem ſimul præcipitur mercurii dulcis unum granum, quovis mane & veſperi per ſex dies ſumendum. Poſt tres dies ab inchoato mercurii dulcis uſu excreatio materiæ flaveſcentis contigit, duorum dierum intervallo cum muco albo bene cocto commutata, cujus excretio per aliquot dies continuata ægrotum conſummatæ valetudini reſtituit.

FINIS.

CLXII.

GUIDONIS FANOIS

DISSERTATIO MEDICA

DE MORBO EPIDEMIO HACTENUS INAUDITO, PRÆTERITA ÆSTATE ANNI MDCLXIX. LUGDUNI-BATAVORUM VICINISQUE LOCIS, GRASSANTE.

Leidæ 1671.

CAPUT PRIMUM.

De Natura Morbi.

I.

AFfectum hunc, etſi extra ordinem cæterorum, qui hactenus noſtratibus innotuere, poſitum, febris tamen nomine diffamare, nemo eſt qui ambigat; cum, vel ex ipſo ſigno febris pathognomonico, pulſu ſcilicet naturali frequentiore, æſtu ſanguinis, & vitioſa ejuſdem effervescentia, (quorum primum indicis, alterum cauſæ materialis, tertium formalis nomine venit) libuerit conjicere.

II.

Prodidit ſe, fervente jam canicula, anni proxime elapſi, dira mali pernicies, triennium fere poſt febrem epidemiam, de qua clariſſimus vir, & cariſſimus condiſcipulus Dn. Doctor *Joannes vander Marck* luculenter, & pro gradu, diſputavit. At ſub finem Auguſti virus ſuum longe lateque exſeruit.

III.

Morbus fuit partim *endemius*, partim *epidemius*, imo *pandemius*. Aër enim, tum à cauſis inferioribus, tum a ſuperioribus vitiatus, civium læſit partem maximam, paucis pepercit, & ſextuplo plures, quam prior, è medio ſuſtulit.

IV.

Nec ſoli huic Batavorum Lugduno, ſed & aliis Hollandiæ ac Weſtfriſiæ civitatibus, morbus hic popularis cladem attulit non mediocrem, vicinæ nominatim Harlemo; quæ tali civium ſtrage, afflicta eſt; ut etiam nonaginta hebdomadatim cadavera ſepelienda fuerint: hic vero trecenta, imo quadringenta per hebdomades ſingulas, toto fere quadrimeſtri. Adeo ut vix ullam familiam reperias, quibus febrilis pepercerit furor, cives pauciſſimos, quos dira hæc non læſerit contagio; quod, ne graſſante quidem acerbiori peſtilentia contigiſſe, memoriæ proditum eſt.

V.

Febris fuit putrida & maligna, in pluribus continua, in paucis, quaſi intermittens. Quibus enim ſanguinis, in majoribus arteriis contenti, putredo tanta fuit, ut ſua pravitate perpetuo cor irritaret; ii continuam paſſi ſunt. Aliis, in quibus maſſa ſanguinis non uſque adeo corrupta eſt, remiſit febrilis paroxyſmus, raro tamen ex toto abſceſſit. Quare neque idem morbi ſtatus, non eadem incrementa, & declinatio; ſed adeo confuſæ fuere febres, ut experientiſſimorum judicia medicorum confunderent. Compoſitam autem fuiſſe ex multis confuſis, & implicitis morbis, vel exinde conjicio; quod promiſcua ſæpe ſymptomata ſimul in aliquibus ſævire cæperint, ſimulque remiſerint; nunquam plane ſimul intermiſerint omnia; in aliis vero diverſis furebant temporibus, diverſis pariter, ſed velut alternatim, abſcedebant. Adeo ut, ſi quis acutiſſimus licet phyſiologus, audeat talibus tricis, nodiſque gorgoniis expediendis, parem oſtentare ſeſe, eum ego pro homine vaniſſimo reputaverim; ac vice verſa, ſtupiditatis aut ignaviæ nomine is apud me venerit, qui quod exploratum indagatione ſedula, certoque experimento, in caſu tam inſolenti, compertum habeat; ad Dei gloriam, ac Reipubl. commoda, palam facere negligeret.

VI.

Pergo ad ſymptomata: hæc quidem velut multa fuere, ſic graviſſima, & ſi confertim accumulentur, ad hæc uſque tempora forte inaudita. Sed præcipua, miſſis minutioribus, commemoro. Præcordiorum anxietas ſumma; ventriculi gravamen, (a quo tanquam a faſciculo aliquo, quod ſua lingua *paket*, vocabant, premi ſe querebantur) ſed adeo moleſtum & atrox; ut non modo nauſeam perpetuam, & alimentorum faſtidium, ſed & vomendi excitarit impetus nunc irritos, nunc cum effectu; non eo tamen qui levando, aut tollendo ſymptomati ſufficeret, ſed ex virium defectu, irrito facto. Humores porro per ejuſmodi vomitiones excreti, partim bilioſi, at majori ex parte pituitoſi: bilis nonnumquam ſincera, ſæpius tamen æruginoſa, quæque auſteritatem referret.

VII.

Ex hoc ſymptomate gravi, non miraberis alia longe graviora ortum habuiſſe: nam vapores atque halitus, ex vitiatis ejuſmodi, ne dicam venenatis humoribus, & magna vi ejectis, emanantes, ventriculi orificium ſuperius exaſperando, præterquam anxietati, de qua ſupra, dedere locum, totam inſuper œſophagi fiſtulam ita ſua infeſtarunt malignitate,

gnitate, ut tantæ perniciei notas faucibus, palato, & linguæ inſperſas prodiderint ægri. Nec proinde mirum, quod hi de faucium dolore ardenti, cruciante, ſimulque angente; illi de rigore fiſtulæ, atque aſperitate, quaſi de infixo pectori baculo, quererentur: alii denique linguam atram ac ſæpe, ex ſumma ariditate, aſperam: alii nigram pariter, ſed ſine puſtulis, & aſperitate, alii denique puſtulatam portexerint, & inſidentes palato retexerint aphtas.

VIII.

Quietas noctes, dieſque, furentibus ejuſmodi ſymptomatibus, quis expectaſſet? Somnus, ſi quis concedebatur, inquietus plane fuit. Ciborum non modo proſtrata appetitio, ſed faſtidium. Sitis vero aucta multis in immenſum; aliis adeo depravata, ut cum nullus ſaperet potus, noxius tamen expeteretur, ſalubrioribus rejectis.

IX.

Et hæc ſymptomata morbi, præter modum ſævientis, pars fuerit non infima; attamen, ægrorum ſaluti, major imminebat clades ex vaporibus, ex tenui inteſtino per venas lacteas, ductumque thoracicum aſcendentibus: ab his enim, & corrupto ſanguine, cordis talamum dextrum ſubeunte, noxia ſubito, & lethalis quandoque effervefcentia excitari; unde pulſus, ex ſumma cordis anxietate, non ſolum frequentior, uti omnibus contingit febribus, ſed inæqualis, & ex prolapſu virium, ſenſim deficiens ad tempus, ſæpiuſcule à me deprehenſus eſt.

X.

Ac velut ex halitibus illis, ventriculi orificium irritare natis, cardialgia, & vomendi impetus fere perpetuus originem duxit; ita, ex his vaporibus, ex eá parte inteſtini tenuis, qui a pyloro exporrigitur, (in qua nempe bilis acrior, humori pancreatico obviam facta, effervefcentiæ perquam violentæ, & œconomiæ naturali infenſiſſimæ, cauſam dedit) ab his inquam ſimul compoſitis, ingens illa cordis exagitatio, anxietas, & quandoque deliquium; quod pulſus etiam inæqualis, & languens, non reciprocante diaſtole, ſæpius indicavit.

XI.

Verbo dicam, peſtilentialis morbi formam induiſſet genuinam maligna hæc febris; niſi defuiſſent exanthemata, bubones, Anthraces, lapſus virium ſubitaneus, aliaque, peſti familiaria. Si inquam ſanguis, ſpiriti-

ſpiritibus animalibus exhauſtis, non modo corruptus, ſed ſumme putreſcens; ac proinde, extrema furens malignitate, è vena cava erumpens, ſeſe effudiſſet in partes: ſicque comitatam ejuſmodi echtimatibus febrem generaſſet. Nam cætero contages ea fuit, ut ab uno ſemel correpto, ad ſeptimum, imo ad noviſſimum domeſticum extenderit ſeſe dira hæc lues. Sed vires nec tam ſubito dejecit, neque bilis adeo fuit volatilis facta, ut per vicinum aërem, tanto & tam atroci cum impetu, virus diffunderet ſuum. Sicque vim inficiendi parem, ſibi arrogaret; nec tam acris evaſit humor pancreaticus, ut una cum ſanguine ad partes, cum noxa conflueret tam manifeſta.

XII.

Placet itaque affectum hunc, non *peſtilentis*, ſed *lentæ peſtis* nomine, inſignire. Quo ſæviente ſeptem, circiter, millia cecidere florentiſſimæ hujus Reipubl. cives; ſed cum ne centeſima quidem pars civitatis illæſa manſerit, auſim ego affirmare longe pauciores fore ſervatos, niſi in afflictæ gentis ſubſidium, viros, non medica ſolum ſagacitate, ſed & zelo pietatis conſpicuos, provida æterni conditoris, ac miſerentis Dei ſapientia deſtinaſſet, quibus nec defuit inter curandum ſolertia, neque animus ad laborem.

XIII.

Plura non adderem de natura febris hujus, de ſubjecto morbi, de partibus affectis, & ſymptomatis multorum captum ſuperantibus, & ſtuporem moventibus: niſi de ſexu fæmineo aliquid ſuccurreret annotandum: huic enim menſtrua purgatio ſuppreſſa, propter ſanguinem in uteri vaſis ſtagnantem, ac proinde corruptum, maſſamque ſanguineam ſua infeſtantem pernicie, univerſam. Hinc ſuffocationes hypochondriacæ, hinc, ut ipſemet ſæpius obſervavi, anxietates intolerabiles, faucium dolores, inflammationes, anginæ, (ſed plerumque imperfectæ) hinc denique aphtæ, dolores capitis perturbantes, tum a vaporibus ſupra memoratis, tum ab impuro ejuſmodi ſanguine, per carotides aſcendente. Sed ne cauſam cum ipſo morbo confundere videamur, diſtincta hæc faciet ab invicem.

CAPUT II.

CAPUT II.

De Morbi Cauſa.

I.

MOnui, ſub initium, aliquod monſtri aluiſſe morbum hunc, non modo pernicioſum, ſed uſque adeo cæcum & abſtruſum, ut ipſum detegere, nedum debellare aut indagare, vix oculatiſſimi valuerint medici. At, ubi de inveſtigatione cauſarum fit quæſtio; creſcit eundo difficultas; nam quocumque te vertas, ambigua & incerta dices omnia. Æſtivos calores poſt hujus loci & ætatis memoriam, ferventiores; aquas ſtagnantes, quarum alveis tota paſſim diſterminatur hæc civitas, & tum perſolares ejuſmodi ardores, tum ex lanicio infectas, & vapores teterrimos exhalantes, cereviſiam ab incautis inde paratam, & ſimilia tecum incuſarem, niſi me ratio officii, ipſaque rei obſcuritas, à nimia, in judicio ferendo, ſecuritate averteret.

II.

Quamvis enim Hippocrates libris de locis, aëre, & aquis, item libris epidemiorum, & aphoriſmorum tertio, ſtatuerit vulgares morbos, puta *dyſenterias*, *lienterias*, *pleuritides*, *febreſque acutas* temporum perverſitate, ac vi tempeſtatum formari, bona tamen cum divi ſenis venia dixero, (poſtquam ſubſequentium ætatum ipſimet notarunt archiatri, tempeſtates non paucas, iis quas Cous commemorat, non abſimiles, criminibus caruiſſe ejuſmodi; multas vero temperatas, & æquales, cum morbis popularibus, iiſque ſæviſſimis, eſſe conjunctas;) præter habitudinem aëris noxiam, & caloris, frigoriſque intenſiſſimi viciſſitudinem, licitum eſſe ſuſpicari, latere quoddam pernicioſius, quam quod humana poſſit ſcrutari, naturali indagatione ſolertia, & primam mali hujus labem, non ab ſolis elementis, non ab alimentis, non a corrupto cæli ſolique tractu, ſed a noſtris ducendam piaculis, cordis pravitate, indurata, & aſſueta vitiorum ſervituti cervice; quodque paginam abſolvit, extincta fere Chriſtianorum animis, Dei & proximi dilectione, huicque ſuccedente odio, invidia, fraudibus, atque flagrante & furente (malorum compendio) avaritia; divino cultui & timori, veræque pietati exitioſa. Sicque, meo judicio, ille magis ſapiet, qui ad altiſſimas cauſas, caſus referet conſimiles.

III.

III.

Et hæc quidem docent Theologi; ſed quoniam hic Phyſicos agimus ex profeſſo; à ſupremis, & quæ captum fugiunt hominis carnalis, deſcendo ad infimas cauſas (quibus velut inſtrumentis armari ſolet ultor ſcelerum Deus:) eaſque facio bipartitas, nempe remotas, & proximas. Illæ, quas non naturales vocamus, aëris affectionibus, aliorumque elementorum; hæ vero, quæ & præternaturales, humorum vitio & perverſitati imputantur. Utraque ut breviter, ſic & graphice exponere,

Quanquam animus meminiſſe horret, luctuque refugit,
Incipiam.

IV.

Lugenda ſane, afflictæ civitatis hujus, calamitas, cui non cœlum modo, ſed omnia fere elementa bella hæc inteſtina intuliſſe, & ad extrema perpetienda adegiſſe, viſa ſunt. Nam ſtagnantium, quibus aſſuevimus, aquarum fætori, imo, per æſtivos ardores, aucto præter modum putori acceſſit, ex locis vicinis, nova colluvies fæcium ſalinarum, nova noſtros canales inficientium labe. Huic ſucceſſit canicula præteritæ æſtatis, qua ferventiorem velut nemo (ut dixi) expertus eſt indigena, ſic neque inficiendis aquis ſtagnantibus aptiorem: regnante ſemper Borea; ac ne vix quidem flante, ſed ſilentibus adeo ventis, ut aëris ſerenitati, atque immodico æſtui, plenam facerent copiam.

V.

Mirari ergo deſinat quis, alveos noſtros concepta hac, per extraneum calorem, fatali putredine, teterrimos exhalaſſe vapores; quibus (ſcilicet dum nullo abiguntur aut diſſipantur ſpiritu) cervicibus noſtris perpetuo imminentibus imprægnatus aër, quem ſpiramus, ſenſim corrupit humores, ipſumque ſanguinem, ſpiritibus animalibus, per calorem extraneum exhauſtis, quibus ſcilicet nativa ipſorum fovetur temperies. Hinc nauſea deinde præcordiorum orta eſt anxietas, denique febris.

VI.

Sed impuro ejuſmodi aëri, putridas has febres accendendi vim addidere poſtmodum alimenta, ſeu qualitate quæ in uſu ſunt, ſeu quantitate, per abuſum, noxia facta. Neque vero una eſt cenſorum ſententia, dum incuſant hi tabacum, cereviſiam alii, (etſi vix perpauci fuerint, quibus hæc tribui culpa debuit, cereviſiarii.) Sed nec inde ſumma

ma periculi petenda, origoque malorum. Nam & Harlemenſes, Emdanoſque ipſos, (quibus ſalubriores non deſunt aquæ) febres his non abſimiles *epidemiæ* infeſtarunt. Alii potum vini aduſti largiorem, aut etiam vini Gallici damnant, ex quo nempe bilis volatilior & ſanguis (ſpiritibus animalibus per ipſius avolationem exhauſtis) putridus factus, febri materiam ſuppeditavit. Sed ſi hos audiamus, mulieres quæ his abſtinent, illæſæ quoque evaſiſſent. His accedunt fumatæ carnes, & diſpepta ejuſmodi edulia; atque, ut verum fatear, ordinem claudunt cauſarum non naturalium curæ graviores, mœrores animi, protractæ vigiliæ, labores improbi.

VII.

Ex his enim, & ſimilibus bilis irritatio, & hanc ſubſequens volatilitas, imo, ſi ita loqui fas eſt, ſubtilis avolatio inertiam induxit, tum ſanguini, tum ipſimet bili reſiduæ, tum cæteris humoribus, ſpiritibus animalibus ſic deſtitutis.

VIII.

Hinc nata eſt humorum collectio, & putrefactio, hinc pituita inſipida, & viſcida facta; hinc naturalis ipſorum motus perturbatio, hinc nativæ & periodicæ circulationis ſanguinis præcipitatio, hinc ejuſdem ſegnities, dum fit in diverſa mutatio. Nam, ſicut calor, qui ſecundum naturam eſt, & primigenius, ſpiritibus animalibus, (per quos ipſa habitudo corporis & humorum ſervatur temperies,) generandis & fovendis deſtinatur; ita calor non naturalis, qui & extraneus, iiſdem exhauriendis & in auras effundendis aptus, in pervertendis quoque humoribus ſuas exſerit vires.

IX.

Sed ſenſim venimus ad cauſas præternaturales. Has juxta naturæ ordinem, ac temporis diſtribuo. Et quoniam ex ſymptomatis velut ex effectis, cauſas morbi arguimus; præcipuumque ſymptomata in vomitus pertinacia ſitum fuiſſe, atque adeo motum periſtalticum penitus inverſum agnovimus: inde læſi ventriculi ſignum apparuit non obſcurum. Ejuſmodi vero læſionis cauſam, quis aliunde certius, quam ex nativi fermenti, (quo, velut inſtrumento, natura ciborum coctionem perficit) vitio deprehendat? Eſt autem fermentum ejuſmodi humor quidam ſubacris & acidiuſculus, in tunicæ interioris ventriculi membranulis & papillulis ſcatens, uti per anatomicas diſſectiones autopſia, & excreti per vomitum humoris demonſtravit ſapor, nunc ſalivam, nunc bilem inertem referens.

X.

Fuit autem enervatum, imo plane vitiatum fermentum hoc reſpiratione aëris calidioris, uti ex oppoſitorum ratione manifeſtum eſt. Nam ſi in aëre frigidiori multum acidi ineſſe conſtat experimento tartari, quod humore acido, (quo fuerat per artem Chymicam ſpoliatum) rurſus impraegnatur, ſi ſcilicet fuerit in loco frigidiori repoſitum & aſſervatum; quidni diverſam concedemus aëri calidiori habitudinem infringendi vim acidi, multumque oleoſi humoris, quod aciditatem omnem propellendi retineat facultatem.

X I.

Aërem vero, fermentum laudabile, & quod ſecundum naturam eſt, ita corrumpentem, juvarunt dicta Cacochyma & diſpepta edulia, piſces marini, fumatæ carnes, cæteraque id genus oleoſa ſua ſubſtantia fermenti aciditatem retundentia.

X I I.

Quibus ex alimentis male fermentatis, prima & præcipua coctione carentibus, ac ut fiant vitalia ac ſpirituoſa minime aptis, quis chylum exſpectaret laudabilem? quis ſanguinem bene conditionatum, & carnis generationi idoneum? quis denique functionum naturalium & animalium incitamentum? quin potius ventriculum ad nauſeam, cor ad febrilia ſymptomata provocatum iri, nullus vel mediocris animalis œconomiæ obſervator, dubitarit; ſed illud ipſum, ex affecto ſic pravis moribus ſtomacho, accidiſſe microcoſmo ſtatuet, quod ex aëris intemperie macrocoſmo: vapores ſcilicet ex tenui inteſtino & ventriculo exſurgentes, orificium hujus ſuperius (cardialgiæ ſedem) ſenſu ſubtiliſſimo, ob nervulorum concurſum multiplicem, præditum, læſiſſe; & ſummam peperiſſe præcordiorum anxietatem; quæ nec per vomendi conatus irritos, nec per efficaces ſedari ſæpe potuerint. Siquidem ſaliva, ex glandulis male affectis elixa, ſuperne affluens, & pituitæ ex tenui inteſtino per motum epiſtalticum aſcendenti, occurrens, ac ipſum chylum male afficiens, una cum hoc inferne erumpendo, nauſeæ pertinaciſſimæ, ſimulque vomitioni materiam perpetuam ſuppeditavit.

X I I I.

Hinc autem febris putridæ ac continuæ principium, atque fomes. Nam ex chylo tam informi, & ad laudabilem ſanguificationem inepto,

cum

cum totam ſenſim alterari, deinde corrumpi omnino neceſſum fuerit maſſam ſanguinis; imo ipſum humorem ex pancreate excretum; ejuſmodi ſanguine ventriculum cordis ſubeunte, & una cum vaporibus ex tenui inteſtino per venas lacteas ductumque thoracicum aſcendentibus, idipſum irritante, & ad ſui contractionem, & motum naturali crebriorem & vehementiorem cogente; vitioſam ibi effervescentiam, adeoque febrem ipſam accendi, atque continuo foveri oportuit.

XIV.

Quare continuam voco, quam in omnibus fere ægris (quorum duo circiter millia curanda, &, Deo ſit laus, cum ſucceſſu feliciſſimo ſortitus ſum) deprehendi. Cauſa vero febrilis pertinaciæ ex allegatis ſymptomatis, non obſcura manet. Nam pituita per aſſiduos vomitus exhauſta, tantum abeſt ut obſtruendi vim habuerit ductum pancreaticum, & ſic febris intermiſſioni copiam faciendi, (quamdiu ſcilicet humor ille pancreaticus, acrior per omnia factus, & gravioris ſymptomatis incitamentum coërceretur;) ut vix, ac ne vix quidem ſanguini refrigerando, ſicque paroxyſmum mitigando par fuerit. Adeoque febris non ſolum continua in omnibus fere, ſed ardens in pleriſque evaſit; & bilis acrimonia pancreatico humori, etiam auſteriori opem ferens, velut cordis exacerbationem, ſic faucium ardores, anginas, & palato aphtas induxit.

XV.

Conſequentes affectus, & occaſione tam atrocis, quam obſtinati morbi natos, quid commemorem? domeſtica habemus ejuſmodi exempla languentium; & recidiva, poſt curas palliatas, per ſe ſatis ſuperque loquuntur. Nam collecta, defectu emeticorum lympha, dum ſtagnando facta eſt ſeroſior, vaſa corroſit ſua, & qua data porra ruit in pectus, deinde in abdomen, cui occurrens pituita ex vomitione non ſatis expurgata, cava occupavit abdominis ſicque multifariæ hydropis rudimenta fecit. Appetitus in aliis proſtratus & vix per diætam, aut per acidiuſcula medicamenta revocari ſe paſſus, non niſi arte & euchymorum eſu reſtitui potuit; ſed ſenſim labimur ad

---

CAPUT III.

De Cura Morbi.

I.

QUis autem modus medendi morbo ſupra modum ſævienti? quis tricis ejuſmodi, & nodis gordiis, cæciſque malorum anfractibus inveſti-

veſtigandis, atque ſolvendis ſat dexter adfuit? ſi, *ad manifeſta naturæ*, ut ait Philoſophus, *humanus ſe habet intellectus*, *velut oculus noctuæ ad lumen ſolis*; quidni caligare, aut etiam cæcutire omnino oportuit, ubi abſtruſa, & cum horrore confuſa ſunt omnia? Quare, quod in hominis Chriſtiani moribus poſitum, ſanctеque ſervatum manet, ut minus ſibi fidens, divinam expetat & imploret, in agendis, æterni conditoris & ſervatoris, opem, hoc præcipue in affectu iſto explorando, debellandove exſequi, ſane oportuit. Nam uti vindicis Dei flagellum experta eſt ægrorum pars maxima, ita parcentis & miſerentis pietatem agnoſcere debuit, tum is qui in curando felix, tum qui liber a morbo evaſit.

I I.

Nec ideo ad miracula aut portenta confugiendum fuiſſe credas, (quod improbe cavillando ſuggillavit invidia) iis qui rem præclare geſſerunt. Nam ſicut diſerte ait Boëtius

non defuit ulli
autorem natura docens.

Ita hujus munitis præſidio, cordatioribus inquam practicis, lux affulſiſſe ſat copioſa viſa eſt,

Natura monſtrante viam.

Prudens quippe monet Hippocrates, *Naturæ indici obtemperandum*; quare, qua via expedire ſeſe, à corrumpentibus, hæc nixa eſt: eadem tuto, cito, & jucundiſſime quam potuit, deducenda.

I I I.

Quia vero perpetuus vomendi niſus, indicium fuit naturæ ſibi proſpicientis, & hac quærentis malorum exitum, ita meo judicio, per emetica primo, velut Ariadnæ filo, ex cæco hoc labyrintho fuit emergendum. Sed ordine ſingula expediamus. Nam, quemadmodum, probe monet Auguſtinus, *ordo dux ad Deum*, ita eſt ad ſanitatem reſtaurandam. Tribus autem, inter curandum, ſervatur, & abſolvitur, *prædictione*, *præcautione*, & ipſamet *curatione*.

I V.

Prædictio, (quæ morbi ad ſalutem aut mortem tendentis denunciat eventum;) ex virium collapſarum, vel ſenſim ita collabentium, ut adverſus urgentia ſymptomata, nec ope alimentorum, nec medicamentorum ſtare valuerint, exploratione, omnem præſcidit ſpem ſalutis. Præcipue cum aſſumpta quævis reſpuere, & angi potius, & male affici ex ipſis, quam refici deprehenſus eſt æger; pulſus vero languere, & ſiſti nonnunquam,

quam, (non reciprocante myuro) ſæpiuſque intermittere. Quod certo exitio eſſe ſolet perfectam ætatem aſſecutis, juxta illud Fernelii; *ex unius pulſus intermiſſione multi ſenes pariter & pueri evaſerunt; at juvenum ne unus quidem:* ſed quandiu, quo levari minimum æger, ſenſimque recreari, tam per pharmaca, quam per ſana conſilia, (quibus ut bono animo, & ab anxietatibus & mœroribus libero eſſet, ſuadebam) paſſus eſt. Tamdiu ſpem concepi non irriti laboris, & felicem inveni malorum exitum: uti multorum probare exemplo civium, imo eorum, qui civitati glorioſiſſime præfuerunt & hactenus præſunt, confeſſione poſſem, ſi me gloriolæ cupido, æque ac veritatis & Reipubl. ſtudium, ſtimularet.

V.

Præcautione tamen opus fuit maxima, ne aut in deteriora degeneraret febris, aut fieret recidiva; illud quidem per emetica, diaphoretica, & phlebotomiam præſtitum (omiſſis enim ejuſmodi, cæteris etiam adhibitis pars ægrorum mature periit, pars in hydropem cecidit aut atrophiam.) Hoc vero ex cardiacis, alexipharmacis, & ventriculum viſceraque omnia corroborare natis, exſpectandum fuit.

V I.

Curatio denique, dictorum uſu & ſequentium remediorum abſoluta eſt feliciter; quæ priuſquam attingamus, & ut, quam ſecure fuerint à me uſurpata, liqueat, ad cordatorum ſatisfactionem, & confuſionem invidorum, ſtatuam me in exemplum, & ab horum dicteriis ad tribunal conſcientiæ tum meæ, tum reſtituti ægri appellabo, in me ſuſcipiens vulgatum hoc,

Medice Cura teipſum.

V I I.

Neque enim, ut prius monui, mihi plane pepercit qui morbus ferme invaſit univerſos. Sed paulo poſtquam divulgari cæpit urbis calamitas, ipſe etiam conſimili correptus febre, & ex anxietate præcordiorum atque nauſea, ad ſpontaneam provocatus vomitionem; cum ſine effectu tales edidiſſem conatus, ſumpſi emeticum, ſed blandum, & eo cum ſucceſſu, ut, ne diem quidem integrum lecto detentus, curam pauperculorum hujus civitatis, ab Ampliſſ. Magiſtratu mihi demandatam, prætermiſerim. Cumque nihilominus recurreret poſtridie febris, juſſi venam ſecari. Inde quoque levamen; ſed quod abſque iterata phlebotomia foret inefficax. Quare hac denuo admiſſa, deinceps per roborantia ſtomachica & alexipharmaca, factus ſum liber & alacris ad officia.

VIII.

Ordo itaque ſecurior ſervandus mihi viſus eſt, *natura monſtrante viam.* Jam ſi rationes quæras inſtituti, eas ut breviter expono, ſic placide accipias. Humores omnes 1°. volatiliores, ex æſtu ferventioris aëris effecti; 2°. poſt avolationem ſpirituum animalium inertiores facti; 3°. horum inquam ſubſtantia per vapores & exalationes fœtidas, quas una cum aëre vitiato reſpiravimus, infecta: 4°. fermentum ipſum nativum, quod ventriculo colligitur, (condimentum dicamne melius naturæ ad ciborum concoctionem, an inſtrumentum?) blanda ſua aciditate, propter inſipidos illos humores illuc confluentes ipſumque vitio ſuo labefactantes, ſpoliatum, hæc inquam omnia cum nihil niſi gravamen primo, deinde nauſeam parere, ac poſtremo, toti maſſæ ſanguineæ confuſa, cor una cum dicto ſanguine à ſe corrupto, invadere, irritare, & vitioſam in ipſius ventriculis effervefcentiam, febremque ſic malignam excitare apta fuerint: non miraberis quod diram intentaverint ægrorum ſaluti perniciem. Nec procul dubio hæſitabis, aſſentiendo, evacuandos quamprimum, fuiſſe ejuſmodi humores noxios, antequam vitalis ignis quo fovemur, per eos tantum non extinctus, denuo excitaretur. Idque primum ac præcipuum fuiſſe indicatum. Neque enim juvari, per aliam viam natura, potuit, nec viciſſim ab hac, quidquam roboris mutui & virtutis, in uſu remediorum fuit exſpectandum, donec ipſa tanto onere, & tam exitiali, liberata reſurgeret.

IX.

Atque hoc ſi placet liceat, ex oppoſitorum regula, firmare judicium, Quotquot, his neglectis *emeticis*, per ſola ſudorifera tentarunt practici ægros curare, omnes fere vi malorum oppreſſos, cum dolore mirati ſunt; non advertentes adverſari ſuo propoſito humorum tum humorum tum conſiſtentiam: nempe craſſior hæc fuit, & poſt avolationem, ut monui, ſpirituum animalium (quorum ope ſubtilior, & ad motum aptior efficitur) viſcidior facta, quam ut per poros diſcuti poſſet & exſpiari. Idcirco naturam, (cum alioquin non valeret) per vomitionem exonerari & levari neceſſum fuit.

X.

Porro cum ſanguis ipſe, tum bilis & humoris pancreatici, tum cæterorum vitio depravatus, per eadem diaphoretica, (ſiquidem cauſa ejuſmodi corruptionis non amovebatur) à ſuis exſpiari non potuerit noxis, quid putas, inter indicata præcipuum ac magis urgens, poſt ipſa emetica fuerit, quam ſanguinem ipſum calore accenſum præternaturali, per phle-

phlebotomiam eventilare, ne ſcilicet e venis in partes nobiliores irrumpens cruor, illic periculoſas inflammationes excitaret. En itaque alterum indicatum.

X I.

Reſiduos vero humores noxios, ſuam adhuc malignitatem retinentes, per alterantia & diaphoretica oportuit mundari; ac ſi quantitate peccarent nihilominus, per diuretica, aut catartica evacuari.

X I I.

Cætera quibus obruebantur ægri ſymptomata, Anginæ, Aphtæ, deliria, &c. poſt venæ ſectionem, per remedia his adhiberi ſolita, mitigari potuere. Talia fuere anodina, emollientia, leniter adſtringentia, vulneraria, v. g. Aquæ ſtill. Cichor. Equiſet. Plantag. Scordii. Roſar. Spir. ſal. commun. Ammoniac. Opiata. Balſamus ſulph. terebint. vel aniſat. Coral. rubr. præp. Ol. hyperic. &c. Syrup. de moris, limon. &c.

X I I I.

Ac ne tum quidem certa, neque abſoluta curatio; Tametſi enim intolerabile languentium humeris onus, allevatum per ejuſmodi emetica, diaphoretica, diuretica, anodina, & alexipharmaca fuerit, adhuc tamen vires proſtratæ, ne dicam infractæ jacebant. Idcirco confugiendum ad cardiaca, aromatica, imo rurſus ad alexipharmatica fuit, quibus tum a noxiis ſervarentur aëris injuriis, qui periculo erepti vix fuerant, tum quibus ſpiritus reficerentur animales, horumque ope damna reſarciri virium collapſarum, & œconomia naturalis reſtitui poſſet, homoque ſibi. Ideo præſcripſi coronidis inſtar, confectiones varias, (præcipue Alkermes, Hyacinth. Diaſcord. una cum oleis cinamom. macis, Garyophillor. Aquis ſtillat. Menthæ, Fænic. Petroſel. Scord. &c.) dilutas.

X I V.

Sed quis finis curationis malorum, quæ cum vita ipſa, non aliter, finiri viſa ſunt. Sitis aucta, qua proportione imminutus appetitus. Illa quidem per julapia ex aquis roſarum Hordei, Cichorii, Card. ben. &c. Syrupis de ſucco limon. violar. &c. cum guttulis, aliquot ſpir. vitriol. ſedari & reprimi potuit; hic vero nullus fere, ſed quod mireris, ad hæc uſque tempora, in aliquibus ita proſtratus jacuit; ut vel ſuſcitari per varias artes, vel reſtitui per tentata remedia vix potuerit. Fermentum itaque, de quo ſuperius, acidiuſculis revocandum, & ut ita dicam, ineſcandum, fuit: ſed interim per aromatica & cardiaca fovendus ventri-

triculus, & recreanda viſcera. Mira autem in hoc opere præſtitere confectiones variæ, iiſdem aromaticis, una cum ſalibus volatilibus, admixtæ. Quibus, velut agmine facto, debellari tandem potuit ſymptomatum furor, & pertinaciſſima placari humorum ſeditio.

X V.

Adeo ut ex duorum circiter millium numero, quos curandos, exceptis pauperculis, per quadrimeſtre ſuſcepi, vix hodie duodecim deſiderentur; ex iis vero, qui me mature vocatum habuere, quinque quos ſciam, perierint ægri.

X V I.

Deum vero teſtor, me non alio animo hæc edidiſſe, quam ut, præſentiſſimum expertus ipſius D. op. M. auxilium, publicas agerem pro tanto beneficio, quas privatas reddidi gratias: & ereptos ab ingenti periculo, ad divinam agnoſcendam clementiam pariter exhortarer.

X V I I.

Te interim erectam gratulabundus, ſuſpicio *Auguſta Leydenſis Civitas*, quam lamentabili caſu dejectam acerbiſſime tuli & dolui. Tuis, ex ſingulari Dei munere, excitata es rurſum funeribus. Tibi hodie benignius cœlum affulget, aura ſpirat ſerenior, & jacturam tuam ſeu prompta compenſabit induſtria, ſeu invicta fortitudo. Addidit enim (hoc anno ſalutis tuæ) mares animos, *ſplendidiſſimus* quem hactenus ſortita fuiſti Magiſtratus; iis quippe Præfectis, iis Conſulibus, iis Scabinis, Quæſtoribus, Secretariis gaudes atque gloriaris, queis etſi æquales poſſet univerſum Belgium, majores certe, aut Reipubl. gerendæ peritiores concedere non poſſet. Nam non eo ſolo nomine celebrandi hi viri apud cæteros veniunt Batavos, quod primas occupent in urbe famoſiſſima ſedes: ſed quod potiores ipſis, & ſeu pietate, ſeu juſtitia, prudentia, fide, ac moribus, inſigniores ipſa vix habeat Batavia.

X V I I I.

Quare ſi cauſas abſtuleris malorum, tum quæ Deum ſuperne provocant, (*ne quid tibi deterius accidat*) tum quæ aëri ſuam detrahunt ſalubritatem, ut hic vivas beatior: hoſtibus invidiam, amicis gaudium & gratulationem, æmulationem ſociis, tibi ipſi gloriam comparabis.

F I N I S.

JOAN-

CLXIII.

JOANNIS DE KOKER,

DE

MORBO EPIDEMICO

ANNI MDCCXIX.

I.

DUm ad gradum Doctoratus adſpirans lege Academica antiqua aliquid publici juris facere cogor, diuque quaquaverſum circumſpiciebam, quamnam ex tanta rerum medicarum ſylva mihi materiem ſeligerem; cum vix ulla tironibus ſupereſſe videatur, quæ non dudum veteribus Neotericiſve enucleata ſit, placuit demum paucis de *morbo hoc epidemico*, qui tanta inclementia per multas inferioris Belgii, Hollandiæ inprimis & Zelandiæ, plagas elapſa æſtate in infinitos miſeros debacchatus eſt, neque adhuc dum penitus ſedatus & debellatus videtur, agere. Quod ut rite procedat, primo ſinceram, nec minus accuratam, omnium *phænomenorum* collectionem ex diurnis nocturniſque verſatiſſimorum, atque in arte principum virorum, lucubrationibus depromtam, dabimus; ut ea ratione, ſingula ſcorſim penſiculando, & ad exactam ſubacti, quantum in nobis eſt, ratiocinii trutinam revocando, conferendo denique cum iis, quæ in aliis morbis occurrunt, veras *hujus morbi epidemici* cauſas, qua proëgumenas, qua procatarcticas eruere & manifeſtare, ſicque in verum ejus intellectum aſſurgere queamus; nihil interim pro vero admittentes, quod non multiplici *Archiatrorum* obſervatione, confirmatum, alibive certo demonſtratum ſit.

II.

Priuſquam vero gravem, & arduam hanc rem aggrediamur, haud inutile, imo ſummopere neceſſarium erit, ad exquiſitam morbi ἀπιολογίας cognitionem acquirendam, cœli aëriſque conſtitutionem, ſive potius varietatem; ſimul & pluviæ eo anno delapſæ quantitatem, præmittere; quatenus ex accuratiſſimo Clariſſimi Viri *H. Boerhaavii*, cui, quicquid boni in hiſce, unice debeo, *diario* conſtitit. Quantum vero interſit *medico* hæcce noſſe; quantumque lucis in tenebroſa hac caligine adferat, poſtea, ubi de his agemus, clarius eluceſcet; quod *veteres* etiam non latuit, qui ſumma cum accuratione in pleriſque morbis, inprimis *epidemicis*, deſcribendis, hæc omnia annotarunt. Hinc jure merito magnus *Hippocrates* ſedulo ſuis inculcat medicis [a] *Aëris conditiones, quænam ſint, quibuſque temporibus magis aut minus contingant, conſiderandas eſſe.* & alibi: [b] *Anni quoque tempeſtas conſideranda eſt, quæ maturior aut ſerior contingit, & quæ aſſiduis imbribus madens; aut impenſe ſicca exſtitit, frigida aut calida, ventis carens aut quibus ventis perflata &c.*

[a] Lib. 4. de morb. epid. ſect. 7.
[b] Ibid. p. m. 1200.

Aër enim non ſolum ut corpus grave, fluidum, mobile, claſticum, in frigore denſius in calore rarius, omnia ambiens, premens, coërcens &c. qualis vulgo a *philoſophis* definiri ſolet, explorandus eſt *medico*; ſed tanquam *Chaos* (ut ſcite a quibuſdam depingitur) infinitorum corporum ipſi innatantium & volitantium; quorum reſpectu variis temporibus in eadem objecta agens, longe diverſos, atque a prioribus penitus alienos effectus edit, quum autem aër omnem vim & motum, quem in noſtram tellurem exercet, primario igni debeat, ut jam ad oculum demonſtravit vir in experimentis exercitatiſſimus & accuratiſſimus *H. Boerhaaven*, ejus differentia, quoad calorem & frigus, inprimis in conſiderationem venire debet. Quibus ſi addamus *ventorum* & *pluviæ* diſcrepantiam, eo anno obſervatam, anſam forte nobis præbebunt mirabilis hujus *morbi* ortum, progreſſum, fata, prophylacticam denique, indagandi, cognoſcendique. Quod ſi pro tenuitate noſtra aliquomodo præſtiterimus, aliis peritioribus, & in praxi exercitatioribus hanc materiem pro ſua dignitate & gravitate tractandam relinquemus.

III.

Poſtquam anno 1719 toto menſe *Januario*; vix ullum alicujus momenti gelu Thermoſcopio tantum ter ad gradus 30 depreſſo; ventus tantum biduo fortiter ſpirans; cæterum lenis tranquillitas; Baroſcopio fere ſemper circa 29 pollic. raro infra; vix nix, pluvia, vel grando. In anteceſſum L. B. monendum, quod thermoſcopium hæſit in cubiculo, cujus lumina ſeptemtrionem ſpectabant, ante feneſtras ibi vitreas, non in aëre externo. Si vero nocte intempeſtiva aut interdiu ab aliis quædam differentia notata fuerit, non ægre ii ferant, quod tantum illas viciſſitudines, quæ mane & veſperi notabat thermoſcopium, hic recenſeo; ſic & quando pluviam cecidiſſe aliquoties narro, velim id intellectum de pluvia alicujus momenti.

Februario: tantum ſex diebus gelu, nec magnum thermoſcopio nunquam infra 35 gradus depreſſo; ventus tantum ſex diebus fortior ſpiraverat, cæterum tranquillitas, baroſcopium fere altius 29 pollic. niſi quod decem diebus magis ſubſederit ſemel modo nix magna; ter modo pluvia alicujus momenti.

Martio: tantum tribus diebus gelu, nec magnum valde, thermoſcopio nunquam infra 33 gradus depreſſo, ſemel tantum huc delato, ſemper longe altiore; ventus tantum ſex diebus fortius flans, cætera lenis; baroſcopium ſemper ultra 29 pollic. elatum ſatis, tantum ter ſub his parum depreſſum; tantum ter pluvia.

Aprili: Aër temperatus, uno tantum die ad 57 gradus, ſemel tantum ad 36; toto menſe lenis ventus; baroſcopium tantum ſex diebus infra 29 pol-

pollices, cæteros ſemper altius; ter tantum nix pauca; ſemel grando; ſexies modo pluvia parca.

Majo: Thermoſcopium ſemel 45, ſemel 65; reliquo tempore inter hos varie; ventus quinque tantum diebus fortis, cæteros lenis; baroſcopium ſemper altum, tantum ſeptem diebus infra 29 poll. reliquis longe altius, ſemel grando; quater tantum pluvia.

Junio: Thermoſcopium ſemel ad 82, ſemel ad 59, cæterum inter hos varie; bis modo ventus fortis; baroſcopium modo ter ſub 29 poll. cæterum longe altius; bis modo pluvia.

Julio: Thermoſcopium ſemel ad 89, bis ad 60 ſemel ventus magnus; baroſcopium ſemper ſupra 29 poll. valde altum; quinquies modo pluvia notabilis.

Auguſto: Thermoſcopium ſemel ad 76 ſemel 61; ſemel ventus fortis; baroſcopium ſemel infra 29 poll. cæterum altius; tantum ter pluvia; venti toto tempore varii, ſemper lenes, ſemper fere ſicci.

Septembri: Thermoſcopium nunquam infra 55 ſemel ad 66, ter modo ventus alicujus momenti; baroſcopium modo ter ſub poll. 25; cæterum altius, octies pluvia, ſed ſemel modo alicujus momenti.

Octobri: Thermoſcopium ſemel 43, ſemel 57; cætera fere medius inter hos calor; ſemel ventus fortis baroſcopium ſemper valde altum ſupra 29 poll. tantum quater pluvia.

Novembri: Thermoſcopium bis 40 ſemel 49; ventus quater fortis; baroſcopium ſæpe depreſſum; decies pluvia.

IV.

Pluviæ, quæ eo anno cecidit, differentia a reliquis maxime animadvertenda venit; utque tanto manifeſtior illa cuique appareat, ejus quantitatem quatuor prioribus annis ex adverſariis ſummi, & profundæ ſapientiæ geometræ *Nicolaï Cruquii Delphis* habitis hic inſerere libuit; pluvia delapſa

Anno 1715.	attigit altitudinem	33.	poll.	4.	lin.		Rhenoland.
Anno 1716.	———	26.	—	1.	—		
Anno 1717.	———	27.	—	9.	—		
Anno 1718.	———	23.	—	.	—		
Anno 1719.	———	20.	—	$\frac{2}{3}$.	—		

quæ ultima *Leydæ* a celeb. *H. Boerhaave* obſervata fere illi *N. Cruquii Delphis* reſpondet.

V.

Ex his (§. 4.) evidenter patet, quam ingens fuerit in his omnibus hoc anno diſcrimen a reliquis, inprimis æſtatibus, quod pro baſi ſequentium demonſtrationum quam maxime inſerviet & ad hæc tria potiſſimum reducitur.

α. Ingens, atque hiſce Borealibus plagis penitus inauditus, tota æſtate aëris fervor, quo thermoſcopia ad 82, 87, imo ad 89. grad. adſcendiſſe vidimus, ideoque 7, vel 8, grad. ſolummodo infra grad. caloris hominis ſani & vegeti thermoſcopii bulbo per aliquot tempus in ore clauſo retento, quem calorem nullus animalium per quadrantem horæ ferre poteſt, quin in acutiſſimos morbos incidat, & ſi paulo diutius remanſerit, illico tatiſcens moriatur.

β. Inſignis illa ſiccitas ex ſumma, inprimis media æſtate & æſtu, pluviæ paucitate, nunquam ſimilis obſervata. Ex quibus binis aquæ in incilibus, colliciis, & foſſis, craſſæ, olidæ, emarcidæ, imo in ipſis majoribus fluviis totæ virides, algaque fluitante capillacea ad fundum uſque plenæ fuerunt.

γ. Silentia ventorum, & cœli tranquillitas nunquam tam diuturna.

VI.

Quinam, qualeſque inde effectus ſequantur poſt præmiſſam morbi hiſtoriam examinabimus.

VII.

Incepit infeſtiſſimus hic *morbus* exeunte Julio vix Auguſto; quo vix unquam quis fuit.

1. *Magis epidemicus* ſive populariter graſſans.
2. *Minus lethalis*; ex millenis enim, licet graviſſime afflictis, pauciſſimi extincti ſunt. Solis fere ſenibus lethalis evaſit.
3. *Magis anomalus & varians*; tam diſcolor enim ejus facies fuit, ut vix deſcribi, multo minus ad certam quandam morborum claſſem, ſpeciemve reduci queat.
4. *Sæpius redeuns*; poſtquam jam penitus fugatus videbatur ægrique ad priſtinam ſanitatem fere reſtituti.
5. *Magis univerſalis*; invaſit enim omnem ætatem, ſexum, ſtatum, temperiem, abſque ullo fere diſcrimine.

VIII.

VIII.

Incipere ſolebat leni primo inſultu, neglecto prima vice, ſolo frigoris, nauſeæ, doloris capitis, defatigationis ſubitæ, debilitationis ſenſu, poſtridie bene valebat æger; tertia anticipans acrior, vomitu, anxietate præcordiorum, frigore, dolore capitis intolerabili, hinc æſtu ſummo. Die ſequenti ſumma corporis defatigatio, cephalalgia ſumma, ſitis major, quam in ipſa febre; tertius paroxyſmus acerbiſſimus, nauſea horrenda, vomitus enecans, calor poſt frigus oſſa ipſa concutiens, æſtuans, dolor per artus, oſſa, & perioſtea excrucians, ſudor ingens; tum fere vertebatur in tertianam duplicem & continuatam brevi dejicientem vires eo uſque, ut fortiſſimus quiſque deficeret; jamque non a cibis tantum, ſed & ab omni abhorreret potu prius ſuaviſſimo; poſtquam jam ita videbatur peſſima, ſponte deſinebat acerbitas, ſequebatur remiſſio, paroxiſmi leviſſimi; ſed languor, ſudor, pallor, viriditas, flavedo, ſudor nocturnus, tumor abdominis; lingua ſordida: ſitis, nauſea, oppreſſio ad præcordia, anxietas perpetua fere. Toto hoc morbi decurſu materies vomitu rejecta ſæpe amariſſima, quandoque acida, colore flava vel viridis, copia ingens omnino. Urina inconſtans, jam flammea, alias turbida ſine ſedimento, ſpumæ tenax. Multis diarrhœa, vel dyſenteria, unde ſumma debilitas brevi, & ſub finem aphthæ; ſenibus fere lethales; aliis ſatis graves, eluctabiles tamen. Poſtquam jam videbantur ſenſim paululum convaleſcere, abſque cauſa manifeſta vel a minimo frigore, recidiva ſimilis mali; ſimilibus cum ſymptomatibus; &, quod maxime mirum; rurſus cum vomitu æque copioſo bilioſæ materiæ in enormem uſque affluentiam. Ita hæc recidivæ & imperfectæ ſanationes in pleriſque uſque in præſens obtinent; plurimis in ſextam; octavam & ultra, vicem per orbem decurrentem, ſuccedente tandem hydrope anaſarca in his, in illis ictero; rheumatiſmo acerrimo in aliis.

IX.

Nonnullis incepit morbus terribili cum cholera; quæ brevi deſinebat, redibat ut prius.

X.

Plurimis quartana primo tergemina; duplex mox; tandem ſimplex, varietatum periodicarum permutatione inconſtantiſſima; ſymptomata recidiva erant eadem; in hac ſub calore febrili dolores oſſium acerrimi; ſanatio poſt ingentem diarrhœam ſubitaneam ut plurimum fiebat.

XI.

XI.

Simulac *Septembris* finis pluviam dabat, minui cœpit frequentia, remiſit multum *Octobri*; ad *Novembris* finem fere deſiit; niſi quod languores, recidivæ, febres &c. adhuc ſuperſint in iis, qui prius laboraverant.

XII.

Hiſce hucuſque obſervatis ſingula ſeorſum conſideranda ſunt. Primum in hiſce ſingulare eſt *aëris conſtitutio*. Quæ ut rite excutiatur, paulo altius deducenda eſt. Cuilibet conſtat toto illo hyemali tempore gelu longe mitius, & quod inprimis notandum, brevioribus intervallis ſæpius remiſſum, mox iterum exacerbatum fuiſſe; adeoque terræ cruſtam vix inde induratam, nec nive tectam; contra frequentioribus illis congelationibus & regelationibus maxime reſolutam, in oleoſa ſalina & terreſtri parte attenuatam, exaltatam, exhalationes alias gelu, niveque toto fere hyemali tempore intra ejus gremium coercitas, multo majori copia emiſiſſe, noſtramque atmoſphæram, his partibus volatilioribus redditis, imprægnaſſe; dum interim nix, grando, pluvia, procellæ ſolito longe rariores, aërem his infectum vix depurarunt, aut renovarunt. Quibus dein ſuccedens tantus calor (5) grumos terreſtres magis magiſque attenuavit, reſolvit, mobiliora evexit ſalina & oleoſa exacuit. Quorum effectus ſiccitas; putredo. Docet chemia.

XIII.

Neque minus obſervabiles idem (5. *α*) calor in ſtagnis colliciis, aquarum ductibus &c. produxit mutationes, ubique limpidiſſima exhalans, reliqua figens, compingens, inſpiſſans; cujus effectus (12.) ſimiles. Hinc in pleriſque pagis, urbibus, pomœriis & ſuburbanis locis, magnis fluviis haud irroratis, aut æſtu marino non refectis, aquæ ſpurcæ, turbidæ, fœtidæ, in pleriſque ægris penitus exſiccatæ deprehenſæ ſunt. confer. (5. *β*).

XIV.

Quæ omnia ſi rite perpendamus, atque una cum ſequentibus ad noſtra corpora, in quorum finem hæc adducta ſunt, applicemus, haud difficile nobis erit ex phyſicis & chemicis *morbi* hujus *epidemici* ortum, cauſaſque perſpectas reddere. Talis quippe aëris æſtus (4. *α*) hiſce regionibus plane inſuetus ſummas mutationes in ſolidis & fluidis noſtri corporis efficere; & quidem primario omnia ſolida exſiccare, humores exagitare,

gitare, liquidiſſimis & ſubtiliſſimis ſpoliare, reſidua excoquere, inſpiſſare, adunare, cogere, debuit; dum interim miſeri homines aridi, ſicci, ſudore quotidie diffluentes, damnum illud & diſpendium aſſiduis aquæ (13) poculis alteriuſve potus inde compoſiti, ſe ingurgitando, reſarcire conati, totam ſanguinis craſin, crudis & heterogeneis liquoribus depravarunt, inquinarunt, ſuoque muneri obeundo plane ineptum reddiderunt.

X V.

Hæc primigenia noſtri *morbi* ſemina videntur fuiſſe; & vera ratio, quare omnium primo ſe levi horripilationis, frigoris, debilitationis, & delaſſationis ſenſu manifeſtare cœperit. Humores quippe vappidi, lenti & inertiores redditi, vi cordis & arteriarum in minora lateralia vaſcula præ ariditate contracta & coarctata, pulſi, in ſuo motu & circuitu retardari, ſiſti, accumulari neceſſe fuit; enimvero quum omnis inde calor, nutritio, ſecretio, excretio &c. dependeat; ut tota œconomia animalium aperte demonſtrat; ergo labefactatis vel turbatis hiſce, frigus, infirmitas, obſtructiones variæ, inprimis in vaſculis tenuiſſimis, debitis tenuioribus humoribus orbis, craſſioribus obſtipatis, collapſis, ſecutæ ſunt, hinc tranſpiratio inſenſibilis ſanctoriana læſa, impedita; laſſitudo & torpor.

X V I.

Quæ tamen a natura, quæ ſemper eſt conſervans ſui, ut recte *Hippocrates*, omni molimine ſe ab imminente malo expedire conante, in initio facile ſuperata, & functiones jam labaſcentes aliquomodo reſtitutæ ſunt; aſt poſtridie morbus redintegratis viribus, ægrum, nil mali ſuſpicantem, adortus, longe graviora ſymptomata produxit.

X V I I.

Quæ, ut ordine quodam proſequamur, expendemus.

1. *Quoſnam effectus* (5. *α β γ*) *præter* (14. 15.) *in humano corpore præſtare debeant.*
2. *In quoſnam præcipue humores id fiat, oporteat.*
3. *Quænam vaſa & viſcera maxime his expoſita ſint.*

X V I I I.

Primum ut pateat, natura noſtrorum humorum, & quidem arterioſi ſanguinis, ex quo omnia; paulo accuratius examinanda erit, (licet hæc alibi fuſius demonſtrata ſint.) Hunc non unum ſimplex homogeneum li-

quidum eſſe, anatome, microſcopia, ipſa corporis œconomia, ſeceſſus in quiete ſpontaneus, incubatio, omnium vero evidentiſſime chemia demonſtrat. Cruor enim arterioſus e ſano corpore eductus; vaſi puro vitreo exceptus, leni igne exploratus, poſtquam magnam copiam limpidiſſimi laticis inſulſi, parum fœtidi exhalavit, in fundo vaſis multum ſalis, olei & terræ ſibi invicem permiſtorum relinquit. Quæ in ſtatu ſano nec acida nec alcalina, ſed adiaphora, blanda, & ſaponacea deprehenduntur. Si vero diutius continuetur deſtillatio, majorve calor adhibeatur longe aliena, & a priori natura remotiſſima prodeunt, loco enim illius aquæ, ſpiritus & ſal; qui ante blandus inodorus, & ſemivolatilis erat; jam acris, volatilis, alcaleſcens evadit; tum oleum, quod antea inſipidum, inſulſum, inodorum, ſali & terræ intime intricatum, nunc attenuatum, exacerbatum, fœtidum, nidoroſum, alcalinum factum, a ſalibus & terra ſeparatum; remanente tandem oleo craſſo, piceo, terræ tenacius permiſto.

XIX.

Ex quibus (18) conſtat: α. arterioſum ſanguinem ſaniſſimorum hominum præter aquam & ſpiritum ſubtiliſſimum, multum ſalinæ, oleoſæ terreſtris materiæ in ſe continere. (β) Hæc leni calore facillime a ſe invicem ſeparari. γ. Majori & diuturniori calore in longe diverſam naturam converti. δ. Hæc (α β γ) eo magis vera & conſpicua eſſe, quo ignis fortior & deſtillatio diuturnior.

XX.

Multum tamen abeſt hæc (18 19) in noſtro corpore, licet ibidem tantus calor, ita fieri. Aëris quippe externi cum noſtris humoribus communicatio nulla ſenſibilis; perpetuum ejus in pulmonibus refrigerium; novi chyli ex alimentis & potulentis aſſidua refectio; partium volatiliorum huic mutationi (18) proximarum per tranſpirationis inſenſibilis & urinæ ſecretionem, eliminatio &c. in cauſa ſunt, quo minus hæc in nobis contingant, alias certiſſime futura. Id tamen inde docemur; has mutationes neceſſario ſequi, ſi cauſæ jam memoratæ integre, vel partim deficere incipiant, quod ipſa natura ſanguinis & infiniti *morbi* tam *acuti*, quam *chronici* quotidie confirmant.

XXI.

Ergo ſi attento animo in compendium revocemus; ſqualentem aëris (5 α 14) diatheſin; ejus ſummum fervorem, toto æſtatis tempore uſque in autumnum æque perdurantem, pleraque vegetantia arida, exſucca, lan-

languida reddentem; pluviæ paucitatem incredibilem; aquas hinc adeo infectas, olidas, alga fucoque capillaceo & animalculis ſcatentes, nec minus avide a pleriſque enormi copia, forma ſimplici, alteriuſve potulenti abſorptas. Hæcque omnia ſi conferamus ad humores noſtros, ſola quiete ſua ſponte, cauſis his longe citius & velocius in naturam alcalinam putridam (18.) degenerantes, facile prævidebimus mirabiles effectus mox inde deducendos.

XXII.

Si tamen exactius rem conſideremus, patebit, non quemlibet noſtri corporis humorem, iiſdem actionibus expoſitum, æque mutari debere; ſed imprimis ejuſmodi, qui præ cæteris omnibus ſummas actiones & mutationes a natura paſſus, ad magnam acerbitatem evectus, facillime a cauſis (21) in naturam (18) degenerando eſt. Sed qualis hic? Sola certe *bilis* (*urinam* excrementitiam, inter humores noſtro corpori peregrinos ſupputo.) *Hæc* enim, mirabili & admirando *Creatoris* inſtituto, ex cœliaco & meſenterico ſanguine in ventriculi, ſplenis, omenti, pancreatis, meſeræi, meſocoli, inteſtinorum &c vaſa adacto, ibidem varia paſſo, diverſimode mutato, inſpiſſato, diluto, in truncum venæ portarum delato, ibidem ſubacto, permiſto, iterumque de novo vi reſpirationis & muſculoſa venæ portarum fabrica in vaſtum hepar propulſo, in glandulis hepaticis ſecreta, demum apta evadit, quæ per ductus hepaticos in communes & per hepati cyſticos in veſicam felleam delata, illic mora, humoreve a glandulis cyſticis ſecreto, vel potius utriſque acrior, ſpiſſior, amarior facta, una cum hepatica chylo admiſceatur ad effectus ipſi a natura deſtinatos præſtandos. quæ omnia hic latius exponere materiæ ubertas & diſſertatiunculæ limes nequaquam permittit; imprimis cum hæc tanta accuratione, tantaque ἀκριβείᾳ a ſummo Viro *H. Boerhaave* [a] excuſſa ſint. Sufficit nobis tot argumentis, demonſtrationibuſque tanti *Viri* ſuffulti dixiſſe: *Bilem omnium humorum noſtri corporis eſſe acerrimam, elaboratiſſimam, & naturæ alcaleſcenti quam proximam.*

XXIII.

Adeoque, ſi quis bene ponderat, bilem e tali (14) cruore natam, tanto (22) molimine productam, duplicem circuitum paſſam, & maximam partem oleo conſtantem; facile ſibi perſuadebit, cauſas (21) in eam agentes, omnium peſſimas mutationes producere debere; aquoſas nempe ejus partes magis magiſque diſſipare, olea & ſales evehere, exacuere, atque in naturam (18) diſponere; omni modo terribilia phænomena producere. Sive enim ſpectes ſummam ejus neceſſitatem, efficaciam

[a] Inſtitut. Medic. lib.

caciam atque utilitatem, quam corpori præſtat, ſive frequentiam morborum tam acutorum, quam Chronicorum ex ejus depravatione quotidie obſervatam; ſive denique horrendam, quam inde concipit, acrimoniam, non acidam, auſteram, ſpirituoſam, ſalinam; ſed nidoroſam fraceſcentem; veritas argumenti a priori æque ac a poſteriori conſtabit.

XXIV.

Talis ergo *bilis* (23) tali modo degenerans, ex hepate & veſicula fellea in inteſtina dimiſſa, diriſſima ibidem patrabit acrimonia ſua, tenellos inteſtinorum nervos vellicando, motum eorum periſtalticum invertendo, in ventriculum ſurſum adigetur, tunicam ejus nervoſam ſimili modo afficiet, unde nauſea; & irritatis magis magiſque nervis inteſtinalibus & ſtomachicis, reliqui diaphragmatis, muſculorum abdominalium &c: per gangliones & plexus varios inter ſe communicantes in conſenſum rapientur; hinc ſpaſmodice contractis muſculis abdominalibus, convulſo i. e. ad inferiora fortiter detruſo diaphragmate, ventriculo & inteſtinis arctiſſime inde preſſis & a propriis nervis in ſpaſmum actis, vomitus eo violentior, quo ſtimulus irritans acrior: quæ omnia in hoc morbo manifeſtiſſime apparuere: hæcque ſolam cauſam cenſemus perpetuæ & deteſtabilis illius nauſeæ terribiliſque vomitus, quibuſcum omnes fere ægri in initio & in ipſis recidivis miſerrime conflictati ſunt, quum enim ventriculus noſter teſte egregio *Wepfero*, [b], in ſummis convulſionibus nunquam integre ſe contrahere, omnemque materiem perfecte explodere valeat, fomes mali, totus evacuari impos, ibidem hærebit, motu, calore, copia, auctus, ſimilem tragœdiam ludit, ſimileſque effectus habet. Hinc etiam deducendæ illæ anxietates intolerabiles & oppreſſiones circa præcordia, (quarum alias rationes poſtea enucleabimus,) in quibus ægri quaſi agonizare & cum ipſa morte decertare videbantur. Ex iiſdem ſimiliter patet, (ut hoc obiter notemus, quod poſtea uſui veniet,) omnia viſcera abdominalia, imprimis hepar, una cum cyſti fellea firmiſſime diaphragmati annexum, ejuſque motui exacte obſecundans, in ſummis his motibus & convulſionibus maxime premi, reprimi, agitari & conquaſſari. Quod Doctiſſ. *Wepferus* [c] optime etiam animadvertit, ſeque ipſa hepatis vaſa inde rupta vidiſſe aſſerit.

XXV.

Conſtitit itaque firmis & invictis argumentis: a ſola *bilis* corruptione ejuſque nidoroſa fracedine ſæviſſima illa ſymptomata paſſim in hoc morbo obſervata, poſſe, imo neceſſario debuiſſe provenire. Quam ſententiam ad-

[b] Lib. de Cicut. Aquatic.
[c] Ibid. pag. 250.

adhuc magis confirmat illa materies, quæ enormi copia ſummis cum anxietatibus vomitu reddebatur. Hanc enim ſapore amariſſimam, calore flavam plerumque deprehendimus, quæ bina unico tantum totius corporis humani humori, (aurium cerumen forte exceperis) *bili*, imprimis cyſticæ competunt. Sed facile hic objectionem mihi fieri prævideo, materiem vomitu rejectam, quandoque acidulam, ſæpius viridem viſam eſſe; enim vero tantum abeſt, hancce aliquomodo noſtram ſententiam evertere, ut potius maxime comprobet. Ex phyſiologicis enim conſtat: bilis actionem inter alias primariam eſſe, ſua oleoſitate & amaritie acidis reſiſtere, eaque obtundere: atqui turbata ejus confectione & ſecretione, (ut poſtea explorabimus) depravata ſimul ejus natura, facultas ejus & vis in Chylum, deficere & labefactari debet; unde alimenta & potulenta, quæ ſola ex acidis vel aceſcentibus vegetantibus ab ægris adhuc appetebantur, reliqua abhorrentibus, ſuam naturam in debili, flaccido & calido ventriculo ſequentia, neque a bile multum domita, acere & bilis amarorem ſuperare debuere. Quod omnes morbi Chronici, ubi bilis quantitate vel qualitate peccat, uno ore teſtantur. Viriditatis ratio, licet bilioſo vomitui ſolum propria, non adeo manifeſta eſt; acidumne ſucci pancreatici ejuſque fermentum cum bile alcalica depravatum, in cauſa erit? Sic *Sylviani* & plerique *Chemici*. Sed reclamant omnia experimenta tam anatomica, quam Chemica, docentia lympham pancreaticam nec acidam, bilem alcalinam nunquam, multo minus harum efferveſcentiam, utcunque inter ſe permiſceantur & moveantur, obſervari. Ideoque totum hocce ſyſtema in ſe ipſum ſponte ruit: ergone potius viridis ille color ſummæ bilis acrimoniæ aſſignandus? Veroſimillima ſane hæc videtur ſententia, binis validiſſimis argumentis præter alia; ſuffulta. 1. Omnium veterum & hodiernorum obſervatio eſt, in omnibus capitis concuſſionibus bilis viridis vomitum, certum & pathognomicum ſignum eſſe cerebri læſi. Quare? Quia læſis vel compreſſis cerebri vaſis, ejus actio magnam partem impeditur; hinc ſanguis tanto majori copia in cerebellum deferri debet, atqui ſecretio ſemper eſt, ut applicatio; ergo cerebellum tanto majori copia ſpiritus ſecernit & in nervos dimittit; hinc aucta & turbata ſucci nervoſi cerebelloſi ſecretione, motuque ejus aucto, omnes actiones inde pendentes mire turbantur; dum reliquæ animales & voluntariæ ſilent; ideoque in ſumma cerebri læſione & perturbatione nervi paris vagi & intercoſtalis ad omnia viſcera & vaſa interna non tantum, ſed & ad æſophagum, ventriculum, diaphragma, & muſculos abdominales diſtributi convelluntur; docet manifeſto ſtertor, pulſus fortis, & inæqualis in hiſce; ſimulque omnia illa (24.) ex inæquali & citato ſpirituum vitalium fluxu fieri debent, unde omnia viſcera Chylopoëa maxime agitata & turbata, contentos ſuos humores valide atterunt, diſſolvunt, attenuant, in hepar expellunt, quo æque ex multitu-

tudine nervorum, quos ex plexu meſenterico ſuperiori [*a*] accipit, ac ex iiſdem (24), fortiter concuſſum in contenta pari ratione agit, ex quibus ſumma acrimonia bilis oriri neceſſario debet. Alterum argumentum, quod adhuc magis urget, deſumitur a vulgari experimento illorum hominum, qui inſueti cœlo tempeſtuoſo in navibus, validis procellis jactati & agitati, ſtatim, utcunque ſani & vegeti antea, in nauſeas, paulo poſt horrendos vomitus coguntur. Hi primo chylum & reliquos humores e ventriculo evomunt, dein bilem flavam, poſt hanc vitellinam, ultimo tandem ſummis cum anxietatibus & concuſſubus œruginoſam & iſatodem; qua expulſa nihil amplius quicquid agant, evomere poſſunt. Hiſce ad oculum eadem mox memorata evenire videntur. Cui ſententiæ etiam omnia ſymptomata ægrorum noſtrorum favent, & reſpondent. Credimus itaque, virorem illum a ſummis illis actionibus & motubus ſpaſmodicis in bile adeo inde attenuata & ſoliditate ſua orbata, natum, ut radios lucis minus reflexerit, & plus in ſe attraxerit, vel ſuffocaverit: unde color viridis, qui eo obſcurior, quo omnes hæ cauſæ in bilem agentes velociores & diuturniores exſtiterint. Demonſtrat tota optica Newtoniana.

X X V I.

Nihil autem hic moramur omnia illa Helmontii argumenta, quibus tanto molimine contra hanc ſententiam inſurgit; dum enim egregius hic vir optime Galenicorum & Scholarum errores *de Excremento bilis* convellit, in contrarios penitus lapſus eſt; circulationis Harvejanæ adhuc dum neſcius, ut & omnium illorum, quæ Anatome, Injectio, Microſcopia &c: poſtea detexerunt, quare hic error tanto viro facile condonandus.

X X V I I.

Concludimus ergo, idque, ut putamus, jure merito, bilis corruptionem & depravationem hujus *Morbi Epidemici* cauſam, plurimorumque diriſſimorum ſymptomatum ſcaturiginem fuiſſe. Hinc veteres ſapientiſſime, licet a poſterioribus deriſi, bilem in tali tempeſtate ſemper accuſabant; quod Hippocrates in iis, qui per montana arida loca, æſtuante cœlo, ſimul inopia aquæ preſſi, diurna nocturnaque itinera faciebant, egregie animadvertit. Imo & ipſe Ariſtoteles inter Problemata [*b*] jam propoſuit. *Quare æſtas ſicca, & autumnus ſiccus maxime bilioſos infeſtet?* licet ſummus ille Philoſophus ejus rationem parum attigerit. Idem Cl. Sylvius ex annoſa ſua praxi plurimis in locis confirmat. Egregium etiam & ſummi momenti in hiſce eſt experimentum illud Bellinianum, qui

(*a*) Willis. nervor. deſcript. Tab. XI. litt. oo. Vieuſſens Neurolog. Tab. XXIII. n°. 60. 61.

(*b*) Sect. I.

qui dato tantillo putridæ vel corruptæ bilis homini voraciſſimo, illico ipſi horrorem, nauſeas & ſummos vomitus excitabat.

XXVIII.

Memorabilis porro in hoc morbo nobis occurrit ingens illa ſitis, ægris in inſultu febrili non tantum, ſed & extra omnem paroxyſmum, intolerabilis; utcunque eam ingenti copia aquæ ſimiliſve potus ſedare conabantur. Hanc iiſdem penitus cauſis (14.), imprimis vero (23.) imputamus. Ex phyſiologicis enim conſtat, ſitim ſemper in noſtro corpore agnoſcere, vel liquidiſſimi diſſipationem ejuſque penuriam, vel acre quoddam nervos ſtimulans & vellicans, naturamque cœco quaſi impetu ad perditi ſupplementum, acriſve dilutionem obtuſionemque impellens. Utraque in hoc morbo obtinuiſſe, ſupra ſatis oſtendimus; id ſolummodo obſervandum, tenuiſſimi defectum facile quidem adhuc aquoſis farinoſis diluentibus ſuppleri; ſic & omne acre aromaticum, muriaticum, volatile ſuperari & domari, aſt alcaleſcens bilioſum fracidum difficillimè, ſi unquam. Quid luculentius? Sit homo ſaniſſimus, parum tantummodò comedens de pinguedine, lardo, vel bili cujuſcunque animalis, nimis exaſſatis vel corruptis, ilicò (ut mox innuimus) nauſeas, ructus nidoroſos, vomitus enormes &c: concipiet, ſitimque per multos dies vix exſtinguendam. Quid manifeſtius in hydropicis, cachecticis; ſimilibuſve? Quando ichoroſa acris materies alcaleſcere & ruptis aut exeſis vaſculis in ſanguinem abſorberi incipit; hos licet ab omni antea abhorrentes potu, ſtatim inexplebili ſiti torqueri videbis. Non mirum ergô tantam ſitim hos ægros vexaſſe, poſitis enim iiſdem cauſis, iidem ſequuntur effectus.

XXIX.

Viciſſitudinibus frigoris & caloris ſe invicem excipientibus, in paroxyſmis febrilibus adeo exorbitantibus, non eſt quod multum immoremur; cum hæc lippis & tonſoribus nota ſint; atque ex (14.) ſponte intelligantur. Humores enim tanto calore exaſſati quaſi, tot crudis & heterogeneis depravati, tot motubus & concuſſubus ſoluti, vappidi, lenti, ſummas obſtructiones in capillaribus excitarunt. Natura vero ſemper actuoſa ut has ſuperaret, & labaſcentes functiones reſtauraret, nervoſos ſpiritus cievit, humores inerte exagitavit, in loca obſtructa vel jamjam obſtruenda impegit, vaſa arctiora dilatavit, extendit, impacta revulſit, attenuavit, ſi reſolvendo eſſent, reſolvit, omni modo aditus & vias impervias deobſtruxit, reſeravit, tranſitum obſtructæ & liberæ materiæ conciliavit. Hinc illi horrores, tremores, concuſſus, &c, quia in pulmone celerrima humorum agitatio, vaſa anguſtiſſima, ſummæ ideoque reſiſtentiæ, anxietates ſummæ. A quo conflictu & colliſu ſoli- [illegible] do-

dorum in fluida & contra, ſolutis tandem repagulis, ex frigore calor natus; eo quidem vehementior, quo præcedens algor & obſtructio majorem concitationem & impetum requirebant; quod alias minus in hæc attento paradoxon apparet. Liquet præterea, quare humores hiſce omnibus maxime attriti, diviſi, a calore ſubſequente magis agitati, in vaſcula ſudorifera expanſa, laxata, propulſi, miſeris his ægris in ſudores adeo enormiter reſoluti ſint.

X X X.

Jacto hoc fundamento (24.) mirabile illud ſymptoma ægrotantibus adeo infeſtum, ac tædioſum, toto morbi decurſu & in omnibus recidivis perſeverans, in febrili exarcerbatione longe atrocior, *Cephalalgia*, facile explicatur. Cujus cauſas remotas iiſdem (29.), proximas vero immeabilitati per duræ, & forte etiam, (ſi Vieuſſenio [*a*] credamus, quod tamen ob æquabilem circuitum, teneritudinem vaſculorum, & pulſum vix obſervabilem, non ita veroſimile videtur) piæ meningis vaſcula; quæ ſpiſſiori, lentiori humore infarcta, impulſu liberæ materiæ in retardatam vi cordis & arteriarum ruentis, dilatata & tenſa, immanem hunc dolorem excitarunt, eo quidem acriorem, quod obſtructio major, motus citatior, impacta vel impingens materies acutior, tenellas vaſorum membranas plus extenderit & vellicaverit; ut ex phyſiologicis innoteſcit; ſimul, etiam intelligitur ratio ſæviſſimorum illorum dolorum ad omnes artus, tendines, ligamenta, juncturas &c: quibus ægri miſeris modis excruciabantur; imo in ipſum Rheumatiſmum, Arthritidem &c: ut poſtea videbimus, inciderunt.

X X X I.

Quæ omnia (14. 25. 28. 29. 30.) magis probantur urinis in hoc morbo obſervatis, variis quidem; plerumque tamen craſſis, turbidis, ſubrubris, vel ſubruffis, nullum ſedimentum ad fundum ouroſcopii fere deponentibus; quandoque flammeis, tandem jumentoſis, ſpumam tenaciter retinentibus; clariſſima ſane indicia, humorum velocitatis & craſſamenti, horum & ſolidorum attritus & detritus, materiæ ſalinæ, oleoſæ, terreſtris attenuationis, & abundantiæ &c: quod inter alia argumenta illud experimentum magni Bellini [*b*] maxime probat; ubi egregio ſpectaculo demonſtrat, urinam ſani cujuſcunque hominis leni ebullitionis igni expoſitam juxta tenuiſſimarum partium diſſipationem, reſidui inſpiſſationem & exaltationem, odorem, colorem, ſaporem, ſpiſſitudinem mire variare, increſcere, omniumque morborum ſpeciem tam acutorum quam Chronicorum pro deſtillationis & temporis gradu, referre; &, quod

[*a*] Neurograph. Lib. 1. p. 30.
[*b*] Lib. de urinis.

quod ſtupendum, ſuperadditis iterum omnibus iiſdem, quæ avolarunt, ſenſim omnia redire & in priſtinum naturalem ſtatum reduci. Quæ ſi conferamus cum iis, quæ (14. 18. 19.) præmiſimus, omnia exquiſite inter ſe quadrabunt; ſimulque patebit ſummam partium ſalinarum, oleoſarum & terreſtrium attenuationem in cauſa fuiſſe, cur urinæ ſpumæ tenaciſſimæ, abſque ulla fere hypoſtaſi evaſerint.

§. XXXII.

Omnibus his anxietatibus & cruciatibus corpora ægrotantium maxime enervata fuiſſe quis non videt? Intentus in morbi cauſas, ſummam ejus pertinaciam, diuturnitatem, ſymptomatum atrocitatem, humorum optimorum degenerationem peſſimam, vaſorum labefactationem maximam, functionum denique inde turbatarum, impeditarum, & deſtructarum multitudinem, earumque nobilitatem, neceſſitatem; fieri enim non potuit, quin natura, dum tot hoſtes debellare, tot mala ſuperare, tot vitia corrigere, tot functiones reſtituere debuit, omnes vires ſuas impenderit, omne robur ad ſui conſervationem profligaverit; hinc pleroſque vidimus ægros, ut ut herculeos, athleticos atque robuſtos antea, mirifice hoc morbo exhauſtos & omnibus viribus deſtitutos, ita ut ſe ſuſtinendo non amplius viderentur, omnem cibum potumque, quem prius avidiſſime appetierant, repudiantes, & adhorrentes, jamjam defecturi & ſuccubituri.

XXXIII.

Quando morbus hoc modo ad ſummum apicem & ἀκμήν evectus jam de vita triumphare videretur, omniaque ſymptomata graviſſima eſſent; tandem ſponte, vel ope bonæ medelæ deceſſiſſe, victaſque dediſſe manus pleriſque compertum; ſenſimque quum ægri, imminenti paroxyſmo haud ferendo eſſent, magno D. O. M. beneficio morbi vires decreſcere, vitæ increſcere, ægrique citius tardius reſtitui cœperunt; varia tamen & ſingulari admodum criſi.

XXXIV.

Antequam vero judicationem hujus morbi abſolvamus; priora paululum retexenda; ut hanc telam ad colophonem uſque pertexere poſſemus; & ſequentia eo clarius dilucidentur. Vidimus, quid bilis (22) ex hepate in inteſtina delata, in ventriculum furſum acta, molita fuerit; & quænam diriſſima ſymptomata ibidem patraverit, nunc ordo nos ducit, ut exploremus, quidnam labis vaſa & viſcera eam conficientia & ſecernentia inde contraxerint: hæc gemina obſervata fuit; altera ex ipſa vaſorum & viſcerum ſtructura, ſitu, nexu, & actione; altera ex humorum, quos hæc recipiunt, mutant, ſecernunt, genio, retentione, ſta-

gnatione, corruptione profluxit. Conſtat ex legibus hydraulicis & hygroſtaticis, quod ſi diverſa corpora æquali vi & velocitate in eoſdem canales ad eaſdem reſiſtentias moveantur: ea, quæ cæteris paribus leviora, tardiora & inæqualia ſunt, ſemper ad latera deflectere; e contra ſolidiora & mobiliora rectam viam continuare; ergo ſi hæc ad noſtrum corpus adplicemus, patebit; arterioſum ſanguinem variis partibus, ut ſupra vidimus, conflatum, ex corde in arteriam magnam expulſum, omne, quod craſſius, lentius & minus mobile eſt, quod melius rectam viam ſive caput petere poſſet, ad latera i. e. in aortam deſcendentem deviare, quæ iterum ſimiles partes in laterales ramos i. e. in cœliacam & meſentericas, quibus omnia hæc viſcera Chylopœa irrorantur, deponet. Ergo ſi conſideremus 1. naturam ſanguinis in hæc viſcera derivati. 2. ejus degenerationem 14. 15.) in ſimilem, ſed longe pejorem diatheſin. 3. enormes illos ſpaſmos & motus convulſivos ventriculi, diaphragmatis, muſculorum abdominalium, in hæcce viſcera, inprimis hepar, nudiſſime his expoſitum agentes, ea concutientes, mirifice turbantes. 4. hinc craſſum, lentum & oleoſum ſanguinem in anguſtias horum vaſculorum maxima vi impulſum & agitatum. 5. ſummum inde virium decrementum & infirmationem, impactos humores vix propellere & expedire, potentium. 6. Hepatis fabricam laxam, & maxime in homine friabilem, facillime extendendam, vix contrahendam. 7. geminatam in eo reſiſtentiam & retardationem venoſo ſanguini ſuperandam, hinc tardiſſimum & lentiſſimum motum; evidenter apparebit nullibi in toto corpore facilius obſtructiones naſci, natas ſemel difficilius reſolvi poſſe.

XXXV.

Talis ſanguis (34. 1. 2.) ad viſcera (34. 3. 6.) apulſus, ægre adhuc primam reſiſtentiam in ventriculo, ſplene, pancreate, omento, meſenterio &c ſuperare potuit; verum in anguſtias venæ portarum delatus, ob cauſas (39. 4. 5. 6. 7.) retardatus, ibidem hæſit, ſtagnavit, ſe accumulavit, flaccida vaſcula extendit, vicina compreſſit, omni modo vaſti viſceris functionem interpellavit; enim vero obſtipato hepate reliqua viſcera Chylopœa, inprimis lien, omnem præparatum arterioſum ſanguinem in hepar exonerans, infarciuntur, & ſimilia patiuntur, ut clare omnia defunctorum & apertorum corpora his malis exſtincta, teſtantur: [a] ſic tota χηλοποίησις turbata, depravata. Cruor ex viſceribus Chylopœis venoſus ad hepar delatus bilioſo ſucco prægnans, ſe ab eo liberare & depurare in multis hepatis locis impos, venæ cavæ redditur, unde ſanguis ſpiſſior, lentior, viſcoſior, acrior factus peſſimas illas obſtructiones (29. 30.) peperit, vel multum auxit; ut & ſitim (28.). Hinc illæ febres mirabiles, admodum in hoc morbo ſingulares & ano-

[a] Videatur imprimis Boneti ſepulcret. Anat. lib. 2. ſect. XVI. & ſeq.

anomalæ, neque minus frequentiſſimæ, in eodem ægro ſæpius permutantes & variam formam induentes; omnigenas febrium vulgarium ſpecies mentientes, licet ab iis diverſiſſimæ, nec in ullo ægrotante certum typum, ordinem, periodum &c obſervantes, optima quæque antipyretica reſpuentes; imo ſæpius inde exacerbatæ, vel per aliquot dies ſeptimanaſve intercalatæ, nunquam fere integre curatæ, jam ſponte decedentes, ægrumque per aliquot tempus longius, brevius, derelinquentes, mox abſque ulla cauſa manifeſta recrudeſcentes, in hunc uſque diem perdurantes.

XXXVI.

Retenta & accumulata hæc (35) materies hepar magis obſeſſit, & diverſas penitus criſes habuit. Iis, quibus motus humorum velox ſatis, obſtructio magna, impacta materia acrior, pejus ceſſit. Fæculenta enim hæc materies inerti ſuo pondere hepar aggravans, motu viſcerum, reſpirationis & calore corporis, acrimoniam (18. 23.) penitus concipere incepit; tenella portarum vaſcula & glandulas hepatis corroſit, humores aſſiduo alluentes infecit, tranſitum denegavit, in vaſculis ſe accumulavit, vicina magis compreſſit; donec tandem increſcente malo, aucta acrimonia, & mole corruptæ materiæ, aliiſque cauſis irritata, dilatatis vel exeſis vaſculis & glandulis magna vi, qua data porta, ruit, totamque amurcam in ductus hepaticos, veſicam felleam, ductum communem, inteſtina exoneravit; ubi detruſa rancida ſua acrimonia villoſam tunicam eroſit, mucum abraſit, nervos tenellos vellicavit, ſimilia (24), ſed adhuc longe pejora creavit; unde horrenda cholera (9); quæ enormis ſaburra ſummis cum anxietatibus, ſpaſmis, convulſionibus, ſurſum deorſum expulſa; quæ, fomite nondum depurato, ex iiſdem cauſis ſæpius recidiva fuit. Quibus vero hæc amurcoſa materies acerrima, putreſcens, alcaleſcens jam evaſerat, omnia vaſa, membranas, canales, quos lambit, penitus eroſit, deſtruxit, gangræna affecit, totam inteſtinorum tunicam interiorem deglubit, hinc dyſenteria colliquativa, & mors ſubitanea. Hic fuit primus, & quidem geminus exitus hujus morbi, quo ægri paulo ante, excepto languore, debilitate & hypochondriorum tenſione, ſatis bene valentes in terribilem Choleram inciderunt, incredibilemque materiæ, colore, odore, ſapore, omni effectu (25) ſimillimæ, copiam per ſuperiora & inferiora ex corpore eliminarunt. Alii, ſtupentibus adſtantibus vicinis, amicis, & medicis ignaris, ſubito exſtincti ſunt; priores mire exhauſti & infirmati, ægre reſtituti.

XXXVII.

Aliis eadem materies (35) intra hepar coërcita longe alia ſymptomata produxit. Extremis quippe venæ portarum anguſtiis inhærens, motu

ſanguinis perpetuo in impacta arietantis, actione diaphragmatis & muſculorum abdominalium, concuſſa, attenuata, laxos portarum fines dilatavit, omni dimenſione amplificavit & inſalutatis glandulis & ductibus bilioſis in laxos fines radiceſve venæ cavæ omni hepatis puncto per anaſtomoſes extremis venæ portarum ramulis continuas, expulſa, exin in latiores ramos propulſa, mox venoſo ſanguini in vena cava deſcendente vel potius adſcendente admiſta, cum eo in cor, & pulmones delata, una cum reliquo totius corporis ſanguine ad omnes corporis plagas translata fuit. Hic ſecundus fuit hujus morbi exitus.

XXXVIII.

Compreſſis & obſeratis glandulis & vaſculis bilioſis, ſimul omnis confectio, ſecretio, excretio bilis utriuſque maximam partem impedita & ſublata fuit. Folliculi & emiſſaria glandularum a reſidua materie inhærente, vel forte adhuc parva copia delata, per moram inſpiſſata & tenuiſſima parte orbata, referti fuere; hinc ab allabente, nec transmeare potente, ſimili materie extenſi, mire aucti lapides, calculos, ſcirrhos & ſimilia in hepate crearunt; unde ejus moles maximè adaucta & indurata. Hinc infinita mala ex Hepatis & bilis functione, uſu, naturâ, efficaciâ &c petenda. Verus icterus; hypochondriorum tenſio, gravitas, tumor; ſcirrhus hepatis; oppreſſiones & anxietates circa præcordia, exacerbantes ad minimam ventriculi a cibis, potibuſve repletionem, molem hepatis, cui adjacet, plus prementis; vera cachexia bilioſa, veteribus atrabiliaria dicta; hinc flavedo, vel ſi plus attenuata & diſperſa fuerit bilioſa materies, viriditas; obſtructiones variæ; febres mirabiles; diuturnæ, nulli remedio cedentes; & plura alia ſuperius jam propoſita, vel ex his facile deducenda: quæ in infinitis ægris poſt morbi remiſſam vehementiam obſervata fuerunt; & adhuc hodie obſervantur.

XXXIX.

Ex iiſdem (35.) profluxerunt ſummi illi dolores rheumatici & arthritici; licet enim nulla phlegmone, ſeu inflammatione primi vel ſecundi generis, hic morbus infeſtus fuerit; nihilominus tamen obſtructionibus & inflammationibus in vaſculis minoribus lateralibus, formidabilis evaſit. Sanguis enim piceo, oleoſo, & acri bilioſo ſucco gravatus & iners, in hiſce Vaſculis omne obſtructionum genus produxit; & expandendo, ac rodendo tenuiſſimas fibrillas tendinum, ligamentorum, juncturarum, oſſium &c. acerbiſſimos dolores excitavit, qui ad minimum motum, ob majorem inde compreſſionem & arctationem, ac proinde craſſiori acri materiæ transfluxuræ majorem reſiſtentiam, exacerbati ſunt; imo fuerunt ægri, qui podagricorum inſtar ſe in ſumma corporis quiete retinere cogeban-

gebantur; ni id facerent, ad minimi articuli motum immani dolore torquebantur, qui tamen ſenſim ope bonæ medelæ penitus deceſſit.

X L.

Ultima tandem atque perfectior reſtat examinanda *criſis*. Qua craſſa, tenax, oleoſa materies (35.) viſcerum ope ſatis valida adhuc ſuperſtite, attenuata, ſubacta, novo perpetuo alluente cruore ſoluta, diluta, expanſis parum venæ portarum finibus, glandularum folliculis, emiſſariis & ductubus bilioſis per patulum hoc iter, in inteſtina expulſa, hepar & reliqua viſcera penitus liberavit & expurgavit, ſua copia & acrimonia, licet mitiori, inteſtina ad diarrhœam bilioſam ſtimulavit: qua morbus integre ſolutus & judicatus fuit. Alii vero quibus materies paulo acrior, ſymptomata graviora, leniora tamen (36.), ingenti diarrhœa & dyſenteria judicabantur, qua ſimul cum fæculenta materie, multum de bonis humoribus per inteſtina dejectum. Unde omnes vires brevi debilitatæ atque exhauſtæ fuerunt. Huic diarrhœæ & dyſenteriæ ad finem aphthæ ſuccedebant; colore, denſitate, mollitie, aliæ aliis graviores; pleriſque ſatis malignæ, verſicolores & ſæpiſſime deciduæ, mox renaſcentes ad plurimas vices uſque; ægros ad ſummam debilitatem perducentes: ſimiliter & in Cholera (36. 9.) pauciſſimis ægris, (quod mirum) niſi jam decrepitæ ætatis, his omnibus plus enectis, lethales. Harum ulteriorem, ſi quis deſiderat explicationem, ea, quæ de his incredibili induſtria & ſagacitate detexit ſæpius laudatus vir πολυμαθέστατος H. Boerhaaven, [a] adeat.

X L I.

Jecur, aliaque viſcera hiſce (40.) liberata, & defæcata, ad priſtinum robur & vigorem vix, niſi longo tempore pleriſque reſtitui potuerunt. Sed dilatatis, exinanitis, & collapſis vaſis & glandulis, bilis rite præparari, ſecerni, excerni; neque effectus a natura ipſi præſcriptos præſtare potuit. Hinc ægris pleriſque remanſerunt bilis inertia; pituitæ lentæ in prima officina aggeſtio; appetitus projectus; ingeſtorum cruditas; alvus adſtrictior; ructus acidi, dolores iliaci; languor; pallor; frigus; debilitas; leucophlegmatia; obſtructiones variæ; &c: quibuſcum plerique ægri adhuc dum colluctantur. Nullis autem felicior & integrior ſanitas reſtituta, quam illis, quibus morbus in initio, vel poſtea ingenti diarrhœa ſolvebatur.

X L I I.

Supereſt jam exploratis omnibus, ſumma, qua potuimus, accurratione, *Morbi Epidemici* cauſis & effectibus; & criſi varia expoſita, ut

 pau-

[a] Aphoriſmor. lib.

paucis, quæ ad mirabilem hunc morbum debellandum, probata fuerunt, perſtringamus, ſimul noxia pharmaca ab imperitis peſſime adminiſtrata, oſtenſuri.

XLIII.

Prophylaxis in *Morbi* primordiis, recidivis, & deceſſu, penitus alia, imo poſterior priori oppoſita fuit; quod multos aliter peritiſſimos & feliciſſimos practicos in ſummos errores deduxit. In initio indicatio erat: corpora arida, exſucca, ac exuſta quaſi, idoneis, cauſis & acrimoniæ (23) contrariis, humoribus opplere & reficere. Hunc in finem ſummo cum ſucceſſu proderant omnia aquoſa, humectantia, diluentia, refrigerantia, diluentia, acidula. Huic ſcopo ſatisfaciebant α. Omnia aquoſa farinoſa aceſcentia vel jam acida: titulo infuſi, decocti, ptiſanæ &c. quorum primum locum tenebant avena, ſecale, hordeum, in aqua ad crepaturam cocta, filtrata, ſuperadditis gratis acidulis, mellitis, ſaponaceis. β. Omnia lacticinia, imprimis ſerum lactis, lac defloratum & cremore ſuo butyraceo orbum, oxygala, hydrogala. Quæ pro cibo, potuque ſerviebant; & diluendo, refocillando, ſitim & acrimoniam bilioſam obtundendo, ſimulque alvum leniter laxando, probatiſſima fuerunt. γ. Omnes fructus horæi bene maturi, eorumque ſucci, decocta, defruta, rob, ſapæ, conſervæ: quo etiam pertinent mel, acetum, oxymel, oxyſaccharum, oxycraton veterum; vinum rhenanum, quod ſummum arcanum in hoc morbo fuit, ſi multa aqua farinoſa dilutum & mellitis, ſaponaceiſque emollitum exhibebatur; aliter ſtimulo ſuo ſalino motum nimis augebat. δ. Acida ſalina refrigerantia: ut tartarus crudus, cremor tartari, nitrum, ſal ammoniacus. Reliqua vero ſalia foſſilia nocebant. Ex his quatuor claſſibus infinitæ formulæ pro artificis lubitu componebantur, & quidem eventu in initio morbi feliciſſimo, habita ſemper ratione ad ætatem, temperiem, vires ægrotantium, tempus morbi, & ſymptomata. Sic debiliſſimis ſolum decoctum panis toſti, vel biſcocti cum tantillo ſyrup. violar. paulo fortioribus ptiſana cum pauxillo ſucci citri, vini rhenani, pulp. tamarind. melle, aut ſaccharo ad gratum acorem edulcorata, conveniebat: & ſic de cæteris. Et dolendum ſane hæc a multis medicis parum ad morbi cauſas & ſymptomata attentis, tam ſæpe neglecta fuiſſe. Ipſemet enim ſæpius vidi, cum ægri omnia medicamenta & alimenta penitus abhorrerent; quod ſolo uſu horum ingenti quotidie copia, perfecte ſanati, nec ullam recidivam poſtea paſſi fuere, ſi ſc. in initio & in primis recidivis dabantur.

XLIV.

Si hæc omnia (43) non, fruſtra, vel ſero adhibebantur; ad nauſeas & vomitus illos horrendos, morbumque radicitus exſtirpandum, pro-

de,

derant emetica & purgantia; omnium optime, quæ utraque vi pollebant; natura has vias ſponte affectante, medicumque verum τῆς Φύσεως θεραπεύτην, quaſi manuducente, quo ſibi deficienti ſuccurrat. Unde Hippocrat. [b] bene monet *vomitus iis perquam utiles eſſe, qui bilem pituitæ permiſtam habent*: ejuſque exactiſſimus imitator Sydenhamus [c] egregie animadvertit in febribus illis Epidemicis, quæ multa cum noſtro morbo communia habuerunt, Emetica hic omnium pulcherrima eſſe, ſeque ſæpe miratum fuiſſe felicem eorum ſucceſſum, & ſæviſſimorum ſymptomatum integram ſublationem; licet materies vomitu rejecta haud magni momenti videbatur &c. Vomitoria commodiſſima in hoc morbo erant Oxymel ſcillitic. Oxyſaccharum vomitivum illuſtris Angeli Salæ, Tartar. Emetic. Rad. Ypecacuanh. omnibus palmam præripiens. præparatio ad vomitum optima erat, ſi Emeticum tempore matutino vacuo ventriculo aſſumebant; jubebatur æger aſſumtum tam diu, quam poſſet, retinere; præſto erat ahenum caldarium aqua tepida, prius cocta cum pauxillo ſalviæ, rutæ, ſimiliſve herbæ, percolata & melle parum edulcorata, repletum. Poſt primum vomitum ſorbebat æger aliquot libras de hac aqua ad ſummam nauſeam uſque, vomebat, iterum ſorbebat, vomebat, idque tam diu repetendo, donec aqua tepida hauſta non amplius vomitu reddebatur; ſi vero ante primum vomitum daretur aqua, commodius quidem vomebat æger, enim vero minus feliciter peccans materies eliciebatur: ut multis conſtitit experimentis. Si tum magnam copiam ſeri lactis, lactis ebutyrati, vel ſimile quid ſuperbibebat æger, vi emetica ſedata & ſublata, in optimum purgans vel laxans vertebatur: ſicque omnium commodiſſime & feliciſſime cedebat emeticum. Quibus vero natura minus in vomitum proclivis erat, purgantia magis conveniebant: probatiſſimum hic erat quicquid ex Fruct. Tamarindor. Cremore Tartar. Prunis acido-dulcibus, Electuar. Diaprun. Syrup. Roſar. ſolut. cum ſenn. dabatur; quæ leni ſtimulo nervos irritando, humores leniter ſolvendo, acrimoniæ oppoſita, amurcoſam materiem per inferiora eliminabant. Omnia Cathartica acriora, calidiora, inflammantia hic ſummopere nocebant, ut & talia, quæ humores nimis diſſolvebant; qualia Scammon. Jalapp. Mercurialia & ſimilia.

XLV.

Poſt exhibitum vomitorium, aut purgans, ſedato jam impetu, quies animo & corpori concilianda erat. Veſperi divinum remedium erat paucis bene obſervatum, anodynon paregoricum cardiacum, gratum & reficiens, ex myv. cydon. Rob ſambuci, junip., ribeſ. cum emulſione quadam ex ſeminibus farinoſis oleoſis. v. g.

℞ Am-

[b] Coac. prænot. ſect. 11.
[c] Lib. de morb. Epidem. c. 11.

℞ Amygd. Dulc. N°. 6.
Sem. Papav. Alb. unc. ß.
Cum Aq. Stillat. Flor. Rhœad.
F. S. A. Emulſio, cujus unc. vj. admiſce
Rob. Moror. dragm. ij.
Laudan. Opiat. gr. j.
Aq. Cinnamom. dragm. ij.
Syrup. Papav. Alb. unc. ß.
F. Hauſtus.

XLVI.

Hiſce (44. 45.) rite adminiſtratis, & ſi ſymptomata urgerent, vires ægri & reliquæ circumſtantiæ permitterent, bis, terve repetitis; morbus ſæpiſſime integre debellatus fuit. Victus optimus erat ex (43. α. β.) permiſtis (43. γ.); olera molliſſima, acetoſa, quæ pappeſcentia & lacteſcentia Botanicis audiunt, ſimiliave blanda demulcentia, reficientia, oleoſa, acre lenientia. An M. S. in initio morbi proderat? ſic multis placuit, aliis contra. Sed facile videmus an, quando, quonamque ſucceſſu hæc operatio felix fuerit, & ſimul quam parum prodeſſe potuerit; 1°. Quia nulla ſigna phlegmones in initio morbi & in ipſis recidivis in pleriſque apparuerunt. 2°. Quod humores non quantitate i. e. copia & abundantia, ſed qualitate & ſubtiliſſimi defectu peccaverint. 3°. Quia primaria labes in initio corrigenda in ſanguine, ejuſve ſero, & lympha adeo hærebat, ſed in bile primas vias, & viſcera chylopœa, imprimis hepar afficiente. Ergo V. S. mobiliores & fluidiſſimas ſanguinis partes educendo, reliquas craſſiores & inertiores relinquendo, vireſque ſimul imminuendo, non potuit non morbum ejuſque effectus ſc. obſtructiones adaugere, & variis morbis Chronicis originem dare, ut in multis etiam apparuit. His aliiſque rationibus, eventu pariter, in plurimis, quibus inſtituta fuit, ſiniſtro, adducti, negativam tuemur. Attamen non penitus expungendam cenſemus: etenim in corporibus plethoricis, calidis, ſanguinolentis; ſimilibuſve hoc morbo laborantibus, *ſanguinis miſſio* optime ceſſit, imprimis ſi poſt ejus operationem illa (43. 44. 45.) inſtituebantur.

XLVII.

Nocebant in initio omnia ſudorifera, calefacientia, exſiccantia, ſpirituoſa, ſalina, acria alcaleſcentia, adſtringentia; quocunque titulo, forma, aut copia data; ut pote corpora, æſtu & calore exuſta, macerata, infirmata, ſudoribus diffluentia; magis magiſque arefacientia; humores exagitantia, exaltantia; cogentia; diaphoreſin nimiam jam, & noxiam ſummopere, promoventia; obſtructiones varias difficillime vel nulla-

nullatenus reſolvendas producentia, vel accelerantia; &c: nec minus exitioſus, quod ſicco pede tranſire nefas eſſet, fuit intempeſtivus in initio corticis Peruviani uſus. Dolendum ſane! nobile imo divinum medicamentum tam præpoſtere ab Empiricis, Agyrtis, Mulierculis, & neſcio quibus, in quacunque febre, aut morbo uſurpari. Imo vidi ruſticos homines, omnium rerum rudiſſimos, eo veſaniæ, ſacri turpiſque lucri gratia, perductos, ut hunc corticem infinitis miſeris febricitantibus æque veſanis, quod ſibi a talibus verba dari paſſi ſunt, in initio morbi promiſcue abſque ulla norma vel canone exhibuerint.

. . . . Sed quæ reverentia legum?
Quis meus aut pudor eſt unquam properantis avari?

Sed redeat, unde digreſſus eſt ſermo nimio orgaſmo in ſordidum hominum genus abreptus. Si nobis liceat poſt accuratam omni ſenſu hujus corticis explorationem, de ejus mirabili vi febrifuga, cum aliis medicamentis collata, a priori concludere, quod a poſteriori quotidiana experientia docemur, haud obſcure latebit cauſa, quo minus famoſiſſimus hic cortex, ut ut in aliis morbis & febribus ſaluberrimus in hujus *Morbi Epidemici* initio & primis recidivis convenire potuerit. Quod ut bene fiat ipſas febrium cauſas penſiculatius, breviſſime tamen, perſcrutemur. Supponamus ergo ſtimulum quendam in corpore hærere febrim excitantem, non hic opus eſt fingere *Ignem*, *Calidum innatum* vel ut Avicenna [*a*] loquitur, *Extraneum, accenſum in corde & per reliquum corpus diſtributum;* ex veterum ſententia, aut cum Helmontio; [*b*] *Archæum quendam iracundum & furibundum ad peregrinum hoſtem ex corpore expellendum &c*: vel cum acutiſſimo Williſio [*c*], & aliis egregiis viris; *immodicam ſanguinis & humorum effervescentiam*, multo minus, ut Clariſſ. Sylvius [*d*], Grafius [*e*], eorumque ſequaces Chemici; *depravatam bilis alcalicæ & ſucci pancreatici* vel *lymphæ acidæ temperiem, indeque turbatam effervescentiam*. Quoniam hæc omnia (ſalvo honore tantorum virorum) fictis & omni experientiæ contrariis hypotheſibus innituntur. Neque multo magis plauſibilis videtur ſagaciſſimi Borelli ſententia [*f*]; ſtatuens *ſuccum quendam lentum viſcidum & acrem meatus & oſcula nervorum in glandulas hiantium obſtruentem*, tanquam omnium febrium cauſam proximam quum multi morbi, in quibus glandulæ penitus interne obſtructæ, induratæ, ſcirrhoſæ, lapideſcentes, omnes nervos & vaſa allabentia comprimunt & obſtruunt; abſque ulla fere febre, niſi forte lenta ob deſtructum glandularum uſum; ob-

[*a*] Lib. IV. ſect. I. de Febrib.
[*b*] Lib. de Febrib. c. 13. & paſſim.
[*c*] Pharmac. rat. pag. 45.
[*d*] Diſputat. Med. X. §. LV.
[*e*] De ſucco pancreat p. m. 477.
[*f*] Lib. 2. de mot. animal. prop. CCXXVII. & ſeq.

obſerventur. Simpliciter ergo abſque ulla fingendi licentia ſupponamus ſtimulum quemcunque, a qualibet cauſa, ſive id fiat ab acri qualicunque aſſumpto, vel in corpore nato & humoribus permiſto, aut alicubi firmiter affixo; ſive ab ipſa mala vaſorum diſpoſitione; ςενοχωρία; θλίψει; &c: aliave cauſa, (nil refert, cum infinitæ dentur) in corpore natum, febrem excitantem. Hoc ſemper hic fieri nemo unquam negavit, ſed quomodo febris producatur, omnes fere diſcrepant. Conceptus ergo in corpore ſtimulus, ſi is moveatur cum humoribus noſtris globoſis [*g*] & proinde omnium figurarum mobiliſſimis, omnibuſque canalium poris, (modo minimus eorum diameter globi diametro major ſit) adaptatis, ſtatim reſiſtentiam majorem offendet, tardius movebitur, lateribus vaſorum adhærebit, impedimentum transfluxuræ materiæ excitabit, ab ea agitabitur, arteriarum tunicas ſollicitabit: ſed hæ irritatæ tanto fortius ſe contrahunt, & validius in contenta agunt: hinc motus humorum concitatior, eoque velocior, quo ſtimulus ille acrior, durior, difficilius ſubigendus, copia major &c: erit; hinc cordis ſyſtole & diaſtole citatior; vel, quod inde plus humorum accipiat; hinc plus dilatetur & proinde plus ſe iterum contrahat; vel quod idem ſtimulus per omnes humores diſperſus, in fibris muſcularibus cordis eadem patrat, vel utraque de cauſa; hinc crebrior & velocior pulſus; unicum pathognomicon febris ſignum. Si vero ille ſtimulus alicubi affixus hæreat, vel mala vaſorum configuratio febrim produeat, eodem modo penitus hæc efficiet. Quæ omnia hic loci ex Mechanicis & Phyſiologicis latius deducere; & ad reliqua phœnomena facile inde explicanda adplicare, ne nimis excurrat oratio, & a propoſito aberremus, non eſt animus; confer (29. 30). Quid ergo erit antipyreticum? triplex; quartum me conſcio nullum datur. 1mum. Quod vi quadam occulta & nemini hactenus cognita ſtimulum illum qualemcunque in ſe trahit, atque abſorbet. Talia pauciſſima, utinam plura! caſu & arte innotuere. 2dum. Quod viribus vitæ ad heterogeneum & peregrinum illud, (ſtimulum vocamus) ſubigendum, attenuandum, diluendum, aſſimulandum, vel e corpore eliminandum, deficientibus & fatiſcentibus ſuccurrat & robur addat; ſimulque vi oppoſita illi acri vel peregrino gaudeat; ut & functiones impeditas vel deſtructas aliquomodo ſuppleat, earumve vices agat. 3um Denique a binis prioribus longe differens, quod virtute quadam polleat, qua nervos aut ſpiritus vel potius utroſque ita diſponat, ut ab illo ſtimulo, quocunque, non ita afficiantur vel irritentur. Tali forte vi corticem kinæ kinæ gaudere, ſi locus conjecturæ detur, maxime veroſimile mihi videtur. Etenim ſi verum & genuinum corticem omni ſenſu exploremus, patebit, eam Opio, ſive Meconio veterum ſimillimam eſſe. Eſt enim ſapore amariſſimus, penetrantiſſimus, & adſtringens perfecte ac opium; an forte in eo diſcrepet, quod cortex peruvianus ſolum in *Cerebellum*, quemadmodum

[*g*] Leeuwenhoek Epiſt. 28 Novemb. 1687. p. 152. & paſſim in operib.

modum opium in *Cerebrum*, agat, eique quandam ἀναισθησίας ſpeciem non facile explicabilem conciliet? Duo validiſſima argumenta ſunt, quæ id mihi perſuadeant. 1. Experimentum omnium illorum, qui imperite & intempeſtive admodum corticem in ipſo frigoris febrilis paroxyſmo aſſumſerunt; hos miſeros, neſciis ipſis undenam id proveniret, ſtatim ſummis anxietatibus (ſi febris ſatis valida fuerit) & oppreſſionibus ad præcordia preſſos, imo in ſyncopen & ipſam mortem ſæpe incidiſſe, videre licuit; cur? quia, natura febre i. e. Majori actione & motu vaſorum & humorum egebat, ut heterogeneum illud domaret, ſubigeret, liberum cum reliquis humoribus per omnia vaſa transfluxum conciliaret, vel e corpore excerneret. Verum ſi nunc nervi a cauſa quadam hebetante, vel ſtupefaciente, (aptius vocabulum neſcio) ita diſponantur, ut non irritando ſint, nec fibras fortius moveant; cauſa morbi interim manente & increſcente, humores lenti ad extrema lateralia vaſcula hærentes, imprimis ad pulmonalium arteriarum anguſtias, ob rationes ſupra jam expoſitas, ulterius propelli & permanare impotes, diriſſima illa ſymptomata, imo tandem peripneumoniam lethalem procreabunt; niſi natura omni molimine ope reſpiratoriorum voluntariorum organorum, aliarumque partium, quæ a cerebro ſuos nervos accipiunt, obſtructiones jamjam ſuffocaturas ſuperet, humores propellat & ex anguſtiis expediat, ſicque ægre ſe reſtituat. 2. Eſt experimentum mei ipſius admodum avidi notitiæ virtutis hujus corticis; de qua ut certior fierem; ipſe perfecte ſanus ultra dimidiam unciam genuini & ſelectiſſimi ejus in pulverem tenuiſſimum redacti accepi; ne vero me falleret experimentum, ſumſi matutino tempore, vacuo ventriculo, cum pauxillo aquæ tepidæ, omni bihorio circiter unam dragm. Toto die a cibo potuque abſtinens; & in modico calore motuque corporis in muſeo me retinui; nec ullam omnino inde perturbationem, licet a leviſſimis medicamentis commovear, in ulla functione ſenſi, niſi quod pulſus, quos pridie & mane accurate ad horologium exploraveram, numero ſenſibiliter minores & debiliores reperierim, quod tamen ab inedia exigui illius ſpatii minime fieri potuit, cum vegetiſſimus manſerim. Urina ſapiebat perfecte ſaporem illum amarum & penetrantiſſimum corticis ipſius. Cæterum nullam, ut dixi differentiam in ulla functione animadverti. Quo experimento in priori ſententia maxime confirmatus ſum: ſc. totam vim febrifugam Cort. Kinæ kinæ in eo tantum conſiſtere, ut talem diſpoſitionem *Cerebello* & nervis inde productis conciliet, quo minus a ſtimulo illo febrili ſollicitentur & perturbentur. Si quis me urgeat, ut explicem quomodo hoc fiat; is mihi prius mirabilis ipſius opii, ſolani, cicutæ aquaticæ, hyoſchyami, & plurimorum pharmacorum & venenorum actionem enodet. Utinam aliquis hanc rem per omnia experimentorum genera explorare, certaſque regulas & canones, quibus tuto confidere poſſemus, de illo cortice ejuſque uſu, dare vellet. Quæcunque vero illa vis ſit; id certiſſime quotidiana experientia conſtat:

Corticem Peruvian. Nunquam in materiales cauſas ipſius febris adeo, quam quidem in earum excitantem cauſam, vel effectum i. e. ſtimulum ipſum agere. Ideoque ſi vires tantæ ſuperſint, ut illas facile ſuperare valeant, vel nervi adeo debiles & ſenſibiles, ut a quovis leviſſimo ſtimulo irritentur, vel utrumque locum habeat, ſtupendo ſucceſſu una cum effectu ipſas cauſas i. e. febrim integre profligat. Enimvero ſi contra vires ſuperſtites tam debiles & infirmatæ, ut abſque febre i. e. Majori actione ſolidorum & fluidorum cauſas illas debellare, aut ex corpore eliminare queant; vel, licet vires adhuc ſatis validæ, hoſtes in corpore tam pertinaces, tamque multiplices exſtiterint, ut non ſine majori molimine devinci poſſint; nobile & divinum medicamentum in peſſimum vertetur, atque originem peſſimis obſtructionibus & infinitis morbis tam acutis, quam præcipue Chronicis dabit. Quod in millenis morbo hoc Epidemico laborantibus obſervare licuit & adhuc dum licet, qui ſumto in initio cortice Peruviano & in primis recidivis adhuc ejus pœnas diriſſimas luunt. Quorum alii quotidiana, tertiana ſimplici, duplici; quartana ſimplici, geminata, tergemina, conflictantur; alii in hydropem anaſarcam inciderunt; alii icterici evaſerunt, perpetuo torpidi & languidi. Similes effectus ſudorifera, calefacientia & adſtringentia medicamenta in initio data, habuerunt.

L V I I.

In recidivis nauſea, vomitu &c: ſtipatis, eadem (43. 44. 45.) proderant. Sed poſt uſum horum egregia fuerunt Epithemata aromatica, cardiaca, epigaſtrio & abdomini applicata, ut ſic robur & tonus inteſtinis, viſceribuſque flaccidis & debilibus reſtitueretur. Interne, contra ac in initio, conveniebant calefacientia, ſtimulantia, aperientia, deobſtruentia, antiſcorbutica. Diæta ex aromaticis, reficientibus, reſtaurantibus juſculis, alimentis & potulentis. Motus, vectio, ambulatio modica; ſenſim pro viribus ægri adaugenda. Nocebant jam omnia diluentia, refrigerantia, acida, quæ in initio optima; ob vaſorum & viſcerum infirmitatem & flacciditatem, biliſque functionem depravatam.

L V I I I.

Ad hypochondriorum tumores emolliendos, reſolvendos, diſſipandos; proderant linimenta laxantia, ſtimulantia, penetrantia & diſcutientia de ol. Infuſ. Chamæmel. Rutæ, Abſynth. Emplaſtra de gummi Galbano, Ammoniaco, Labdano; Oxycroceo, Melitoto, Cumino, Ranis ſine mercurio & ſimilia. Imprimis ſi partes prius oleo Ceræ, Hyperici, vel lini diu, ſæpius & fortius paululum fricabantur, quibus pertinaciſſimi tumores penitus evanuerunt. Interne proderant ſumma antiſcorbutica, aperien-

perientia, ſtimulantia, ſpirituoſa medicamenta. Nocebant omnia (43. 44. 35.) imprimis debilitantia, & evacuantia.

LIX

Ordo jam exigeret, ut curationem *febrium* (35) (reliqua enim vel jam explicata, vel alibi affatim docentur) coronidis loco ſubnecteremus, verum quum ipſi artis Apollineæ Coriphæi ſe optimis medicamentis antipyreticis eas nondum ſuperare, & debellare potuiſſe faſſi ſunt; & nihil ſingulare, præter vulgarium febrium prophylaxin hactenus inventum ſit, his ſuperſedebimus.

FINIS.

COROLLARIA.

I.

IN omni morbo epidemico nunquam ad occultas quaſdam cauſas; aeris effluvia, qualitates, ſimiliave confugiendum Medico; ſed ad ſolam omnium ſenſibilium Phænomenon, *quà extra, quà intra corpus, accuratam & circumſpectam obſervationem.*

II.

Ut in omni morbo, ſic imprimis Epidemico, veriſſimum eſt Medicorum Principis effatum. Qui morbi cauſam cognoverit, is utique ex his, quæ in corpore inſunt, adepta per contraria morborum cognitione, facile poterit, quæ conferunt, offerre. & contra.

III.

Bilis qualitate vel quantitate peccans plurimorum morborum Acutorum, plerorumque Chronicorum auctor princeps.

IV.

Ergo qui in plurimis morbis acutis & Chronicis bilis qualitatem corrigere, aut quantitatem moderare poterit, is omnium perfectiſſimus medicus habendus.

FINIS.

CLXIV.

GEORGII DETHARDING

ET

GEORGII HANNÆI

DISPUTATIO.

DE

FEBRIBUS EYDEROSTADIENSIBUS EPIDEMICIS

vulgo *Stoppelfiebern.*

Haffniæ 1735.

PROEMIUM.

PRouti non ſufficit ad incrementum Scientiæ Medicæ, ut huic addictus Magiſtri, quem habuit, verbis & præceptis, tamquam ſaxo adhæreat; ſed ſuffultus, quæ Medicinæ dicuntur fulcra, ratione & experientia, plus ultra nobilis illius Doctrinæ limites extendere hoſve ampliare ſedulus ſit, opus eſt; ita ad uſum illius, ex quo ars dicitur, magis magiſque intelligendum, quo praxis clinica indies in majus robur increſcat, requiritur, artis filii omnem impendant operam, ut conſignando morborum Hiſtorias, circumſtantias quaſvis probe notent & obſervent, quid cauſæ externæ ratione aëris, temporum anni, ſolis diverſitatis, &c. utilitatis vel noxæ incolis & hoſpitibus afferant; quo ſalus ægrotantium, quo clinicorum ſumma lex, cito, tuto & jucunde obtineat. Præivit Hippocrates, & ex hac cura imprimis cognomen Magni meruit, ut nulla ætas viderit parem, vix viſura ſit futura, tam ingenue tam decenter quaſvis in morbis & his proprias & cum aliis communes ægritudinum conſignavit notas, quo diſcerni à ſe invicem poſſint. Habuit quoque uno plures, qui veſtigia ejus ſecuti, ſi non pari paſſu, æquali tamen ardore morbos deſignarunt quoad phænomena in illis vel conſtanter vel incidenter familiaria. Catalogum horum ſcriptorum ſecundum nationes conſtructum habent notæ Schelhammeri ad Conringii Introduct. cap. 5. §. 12. quibus omni jure ex antiquioribus Cœlius Aurelianus; ex recentioribus Baglivus, qui abhinc Romanus Hippocrates audit Hoffmannus, & Stahlius, vivi in doctrina & obſervationibus clinicis viri æmuli, aliique plures ſeduli valde, quo quantum præſidii in iſtius modi laboribus ad praxin ſolidam pertinentibus ſit repoſitum, poſteritati commendent. Huc quoque pertinet fida & arcana methodus hiſtorias morborum conſcribendi, quam Profeſſor in Alma Roſea Georgius Chriſtophorus Detharding, Cl. Præſidis filius, pronuper choro Medico in diſſertatione ſpeciali commendavit. Quæ conſilia, prouti ad omnes & ſingulos morbos attinent, quia nullus datur, cujus hiſtoria ab omni parte conſtat, reſpiciunt quoque morbos graſſantes Epidemicos dictos; eo magis, quod hi ſtragem, quando ſurgunt, non parvam faciant, ſed ſimul faciem quotannis ferre mutant, & ſi ſæpius in una regione redeant, pro familiaribus Endemiis habentur. Hæc omnia me quoque permoverunt, ut ab illo tempore, quo praxin clinicam in terris Holſatiæ exercui, ſpeciatim per tractum Eyderoſtadenſem, ut febrium, quæ hic præ aliis obviæ ſunt, obſervaverim typum, ac quaſvis ſub decurſu illarundem notabiles circumſtantias probe notaverim, quo genium apprime intelligerem & in medendo eſſem eo certior. Quantos vero fecerim progreſſus exponere jam volui, dum thema pro Diſputatione inaugurali fuit elaborandum, & hoc eo audentius, quod præter quæ B:

Walſchmidius *Profeſſor quondam Kilonienſis in Diſſertatione* de morbo Epidemio convulſivo per Holſatiam graſſante a. 1717. *ſed per tranſennam attulit, & quæ ſtrictim monuit jam Conſiliarius Juſtitiæ & illuſtris hujus Almæ Profeſſor Juris*, Andreas Höierus *in Diſput* de febre petechizante Epidemica a. 1712. *hic Reſpondènte Joachimo Crondal habita; non noverim quendam, qui ad illas attenderit, ut calamo notabiliora circa illas excepiſſet. Edidit equidem* D: Theohilus Mullerus, *hujus quondam Provinciæ Phyſicus, Schediaſma germanico idiomate ſcriptum, cui titulum fecit: Kurtzer Bericht von etlichen Winter-Kranckheiten*, *id quod Francofurti anno* 1687. *typis impreſſum eſt, ſed amplum reliquit ſucceſſoribus ſuis meſſem, ut abhinc me deterreri non paſſus ſim. Aſſolet quoque dies docere diem, quo tandem de febribus Eideroſtadenſibus major affulgeat Medicis & incolis lux.*

CAPUT PRIMUM.

Phyſicum Tractus Eyderoſtadenſis ſtatum refert.

§. I.

REctè monuit Celſus *præfat. libr. de Medicina*, quia iidem morbi aliter Romæ, aliter in Ægypto, in aliter Gallia ſe habent, ut medicinam exercentes ad naturam loci probe attendant; nam, hac cautela ſpreta, ſi vel omnes reliquæ ad morbum pertinentes circumſtantiæ ritè ſe habuerint, manca non modo ſed & fallax eſt, quæ traditur, morborum hiſtoria, ut ſeducat magis, quam conducat. Ne vero in me negligentia iſtæc cadat, dum febrium Eyderoſtadenſium typum delineare tam aptè, quam potero, contendo, præmittere æquum judico, *quæ ſitus loci, qualitas aquarum, aëris conditio, victus genus*, quod incolæ deamant, ad meliorem conceptum de illis formandum ſuggerunt.

§. II.

Locum quod attinet, in quo memoratæ febres valde ſunt familiares, hic venit nomine germano *das Eyderſtädtſche Land*, & pertinet generatim ad terras Holſatiæ, ſpeciatim hujus Ducatum Schleſvicenſem, cum quo orientem verſus continens terra. An fluvius *die Eyder* tractui huic, an tractus fluvio nomen primo dederit? determinent alii; alluit vero meridiem verſus; pariter ac alter fluvius *die Häver* Septentrionalia littora cingit, ſed ab occidente mari cimbrico vulgo *die Weſt-See*, clauditur. Longitudo provinciæ ad tria, latitudo autem, ad duo ferè miliaria ſeſe extendit.

§. III.

§. III.

Totus ille terræ tractus æquus & planus eſt, ut montes deſint & ſylvæ, hinc ventis undique patet, quâ plagâ venerint, aditus & tranſitus terræ ſtratum eſt compactum undique argillaceum, niſi quod particula ejus in meditullio ſita, prope oppidum Garding, arenoſa & acclivior. Ex argillacea hac ejus conditione eſt, quod per æſtatem radiis ſolaribus agros citra omnem à ſylvis vel montibus defenſionem ferientibus, tellus adeo indureſcat, ut lapideam fermè duritiem induat, nec ſine magnis niſibus ſe perfringi patiatur; pariter quod aquæ vel ſub forma pluviarum vel roris decidentes in ſuperficie ſtrati ſubſiſtant, & à ſole meridiano iterum lambantur; id quod itidem ſub crebris aquarum inundationibus obtinet. Colore nigreſcit, ſapore aliquid auſteri & ſtyptici fovere intelligitur.

§. IV.

Ratione *fertilitatis* ſolum hoc nulli cedit, tanta graminis & ſegetum terræ commiſſarum luxuries; has inter fabæ & rapa, quorum ſemen valde abundat, ut ad oleum per expreſſionem eliciendum pluribus navibus in alias devehatur terras. Eadem fertilitas eſt, ex qua armenta & greges adeo pingueſcunt, ut caro ſit & incolis & accolis in deliciis, præter quod mole corporis ſe facilè ab aliis diſtinguant.

§. V.

Aquarum non itidem tanta hic excellentia. Dulcis ſcaturigo nulla, nec quidam fons; nulli torrentes vel rivuli, omnis quæ adeſt aqua & in uſum quotidianum venit, vel *paludoſa* eſt, quæ in foſſis campeſtribus ſtagnat, vel *putealis* ſubſalſa, vel *pluvialis*, quæ per canales ligneos è tectis in ſubterranea defluit & aſſervatur receptacula. Differunt ergo inter ſe, tam ratione contentorum, quam bonitatis, id, quò eò melius intelligerem, varia, jam memoranda feci tentamina.

§. VI.

Librando in vitro, quod Spiritus vini ſemel rectificati ratione ponderis capiebat drachmas decem & grana triginta quatuor, primò *aquam*, ex unaquaque harum *deſtillatam*, (quamcunque enim aſſumſimus, poſt deſtillationem ad eundem levitatis accedebat gradum) hæc æquabat pondus drachmarum duodecim & granorum undecim; abhinc *pluvialem*, quæ è tectis defluxerat, inque ſubterraneo hæſerat receptaculo, hæc erat ponderis drachmarum duodecim & granorum tredecim; tum quoque *pluvialem*, quam ſub dio in patina ſtannea collegeram, quæ æquabat pon-

dus aquæ deſtillatæ; denique *putealem* hujus pondus drachmarum duodecim & granorum viginti; & tandem *paludoſam*, ſed quam à puteali differre non reperi. Differunt ergo inter ſe, ut *pluvialis* è cœlo delabens & libero aëre excepta ſit leviſſima, ab hac, quæ per canales colligitur; *paludoſa* autem & *putealis* immixtas habeant impuritates unà cum illis, quando bibuntur, abſorbendas, nam ab his pondus majus.

§. VII.

Per *inſtillationem* pariter reperi differre illas inter ſe. Liquor Salis Tartari æquali portione *aquæ deſtillatæ* affuſus, nullam nec ratione fluoris, nec ratione pelluciditatis attulit mutationem; neque aqua *pluvialis* inde fuit immutata; *putealis* verò luteſcebat, poſtque ſemihorulæ ſpatium ſpiſſum dimittebat ſedimentum; & quamvis *paludoſa* ex inſtillatione nec quoad fluorem nec quoad pelluciditatem videbatur mutari, poſtridie tamen turbata fuit, albumque dimiſit ſedimentum, non verò in tanta copia quàm *putealis*. Ex quibus comparet *pluvialem* puritate antecellere reliquas, haſque ex admixtis ſalino-terreis particulis illâ eſſe impuriores.

§. VIII.

Confirmantur hæc experimentis, quæ *evaporando* inſtitui, quatuor quippe patinis ſtanneis fornaci calenti impoſitis & ſingulatim *aquæ deſtillatæ*, *pluvialis*, *putealis* & *paludoſæ* menſurâ unâ repletis; quæ omnium primò in auram evolabat, erat *deſtillata*, abhinc *pluvialis*, porro tandem *reliquæ duæ* ſimul. Accedebat quod *pluvialis* nihil reliquiſſet ſedimenti, quod hoc nomen mereretur, *putealis* autem dimiſiſſet terram calcaream ſale communi mixtam ex albo flaveſcentem ponderis quatuor ſcrupulorum & granorum quindecim; aquâ forti inſtillatâ efferveſcebat hæc maſſa, magis vero adhuc ab admixtione olei vitrioli, fumô albô, nares feriente, (uti in deſtillatione ſpiritus ſalis communis) ſimul prodeunte; *paludoſa* autem depoſuerat quidem ſedimentum nec adeo ſiccum (ſponte enim in aëre, ſalis alcali ad inſtar, diffluebat) nec adeo grave (quia ultra ſcrupulos duos & grana ſex non ponderavit,) quod ex miſcela tam aquæ fortis, quàm olei vitrioli priori magis efferveſcebat, citra tamen fumum notabilem; hinc conſtans manet mens mea, *pluvialem* reliquis eſſe præferendam; his enim ineſſe terrea calcareæ & alcalinæ indolis, ex qua habeant ratione bonitatis illi cedendum.

§. IX.

Pergo ad examen *Atmoſphæræ*, quæ generatim dicendo non poteſt eſſe alia, quam humida; quia tot aquæ ac flumina vapores in aërem mi-

mittunt, & radii ſolares, quia nec montes nec ſylvæ adſunt, undique humida in terræ ſuperficie lambunt aërique commendant. Ex quo etiam venit, quòd nebulæ aërem vix non ſemper ſtipent, eundemque reddant craſſum. Augetur hæc aëris ſpiſſitudo ab aquis in ſuperficie terræ hærentibus, quas per autumnum & hyemem auſter & favonius eò cogunt, ut diluvia hinc inde ſint ſatis familiaria. Quantumvis etiam ſi venti vertant, ut Eurus & Boreas aërem vapores diſſipando reddant tenuiorem, vix tamen perit dies, quin mane & veſperi totus tractus hoc anni tempore nebulis ſit contectus. Vernante denique anno, quando aura fit calidior, per omnem autumnum & hyemem collectæ in agris aquæ liberè magis iterum aſcendunt, unde Atmoſphæra denſa, vapida minuſque ſalubris redditur.

§. X.

Quoad victum, qui incolis magis familiaris, allicit ad largum carnium eſum harum ſapor gratiſſimus, quia pinguedo eaſdem interſtinguit, ut palato valdè arrideant, tum quoque oblectant farinacea lacticinia & legumina. Vinum à paucioribus in potum cedit ordinarium, aqua verò vel cruda vel in cereviſiam per coctionem, leviorem ſaltem, ob penuriam lignorum parata, uti & ſerum lactis aceſcentis magis familiares ſunt. Impingunt verò ex incolis & advenis, qui tempore æſtivo, quando meſſis ex copia frumentorum laborioſa admodum, ut incaleſcant, inſimul ardor ſolis cutem ferit & ſitim accendit, ex paludibus aquas hauriunt, ut ſe reficiant, ſpontanea porro alimentorum copia arcet quoque labores, qui cœteroquin, quod ſal cibis, eſſe poſſent ſalutares ad putredinem ex potu imminentem vel arcendam vel corrigendam; nec adeo ſe defendunt inhabitantes ab injuriis aëris, quin ex conſuetudine illas ſpernant, & nauci habeant, facies paſſim pallida & habitus corporis ſubtumidus.

CAPUT II.

Hiſtoriam Febrium Eyderoſtadenſium exponit.

§. I.

Eſt jam, ut me accingam ad febres, de quibus ſermo, quod in tractu memorato ſint vernaculæ, & harum faciem, qua licet perſpicuitate, referam. Quantum hactenus obſervavi, poſſunt referri vel ad *tertianas* modò *continuas*, modò *duplices*, modò *anomalas*, vel ad *catarrhales*, quæ iterum vel *benignæ*, vel *malignæ*, de quibus ſingulatim.

§. II.

Quæ illarum ad *tertianas continuas* ſpectant, hæ, quando graſſantur, invadunt cum horrore, ad dimidium horæ circiter, aliquando longius; cujus comites, anxietas præcordiorum, nauſea, vomendi conatus, in vomitus bilioſorum aliquando increſcentes; Dolor circa vertebras ſuperiores lumbares, qui per totum dorſum nonnunquam ſe extendit. Qui inſequitur æſtus ſtipatus eſt doloribus capitis, alienatione mentis, ſiti intenſa, inquietudine & præſertim ſumma virium proſtratione. Perdurat idem per viginti & ultra non raro horas, ſub quo tempore cutis arida, pulſus frequens ſed durus, urina pauca ſed flammea abſque contentis; ut plurimum alvus conſtricta, quandoque fluida ſatis. Altero die remittit quidem ſymptomatum memoratorum caterva, ſed virium debilitas & pulſus frequens, ſub calore ordinariò majori continuant; ſub novo paroxyſmo, qui altero die repetit initium iterum fit inhorreſcentiâ quadam per totum corpus, & ſcena, ut pridie, luditur eadem.

§. III.

Tertianæ duplices, quoad ſymptomatum qualitatem & pravitatem vix à tertiana continua diſtant; typus vero differt. Nam quando in tertiana continua exacerbatio alternis contingit diebus, in his paroxyſmus quotidie, modò ſemel, modo bis, repetit; ſunt quoque repetitiones hæ inæquales, quò minus quovis die in eundem temporis incidant articulum, ſed altero tantum die ſibi reſpondent, i. e. paroxyſmus, qui primo die invaſit, congruit cum tertii diei paroxyſmo, paroxyſmus autem ſecundi diei, cum tempore diei quarti & ſ. p. ſingulis tamen novis inſultibus inhorreſcentia facit initium, quam calor intenſus excipit in ſudorem fatiſcens, nec per tot horas una ſerie continuant hi paroxyſmi.

§. IV.

Ad *Tertianas anomalas*; has febres refero, quæ genium tertianarum quidem ſervant, ſed pro diverſitate tempeſtatum & variantis conſtitutionis aëris annuatim ab illis recedunt, quæ illarum anno 1732 hic graſſabantur ad modò deſcriptas tertianas in tantum accedebant, ſed mitioris paulò indolis, ut ſymptomata eſſent remitiora; paroxyſmi tam ratione invaſionis quam ſolutionis inæquales; modo longius modo brevius inſultando; nunc ante nunc poſt meridiem, nunc circa veſperam, imo circa mediam noctem accedendo; ſed tertio quovis die omnia acerbiora. Quidam illa decumbentium ſe ipſa in febre & algere & calere ſimul conquerebantur; juniores tempore paroxyſmi utplurimum: delirabant; ſenes vexabat

xebat ſomnolentia; omnes vero male habebant ex anxietate & tenſiva epigaſtrii ſtrictura, dolore item contuſorio lumborum & à cephalalgia. Paroxyſmus vix ultra 12 vel 14 horas protrahebatur, ſed hoc ſoluto perſiſtebat ſpinæ dolor valde moleſtus. Quæ ſpatio ſive intermiſſionis ſive remiſſionis reddebatur urina, nihil monſtrabat contentorum; ſudor aut pacior juſto, aut largior; languor ſemper conſtans. Erant, qui nunc ἄνω nunc κάτω mucidaublioſa affatim rejiciebant, ut pro diverſitate indolis ægrotantium, item ætatis, firmioris vel tenerioris texturæ corporeæ & ſenſibilitatis animi ſymptomata admodum variaverint.

§. V.

De *Febribus Catarrhalibus benignis*, quas interdum tempore autumnali & hyemali, interdum verno infeſtare incolas, notavi, hæc erunt referenda. Quando ingruunt, præcedit ſub veſperam lene frigus, nec qui ſequitur calor eſt naturali multo intenſior; continuat per noctem ad diluculum uſque Pulſus celer; caput grave dolorem ſentit obtuſum; corpus languet; nauſea, ſitis, deglutitio ſueto difficilior, ſternutatio frequens, pectus oppreſſum, tuſſis ferina primo ſicca, ut ſuffocationis ſit metus, noctu adhucdum moleſta magis, ſomnus turbulentus, matutinis horis ſudor, alvus obſtructa, urina pauca. Quarto tandem die ſi nulli commiſſi fuerint vel in diæta vel in pharmacia errores, tuſſis ſicca abit in humidam, ſtimulantur vero naſus & fauces ad rejectionem mucoſorum, à quibus ſub tranſitu ardor ac ſi foret Eryſipelaceus; hæc ergo harum Eccriſis.

§. VI.

Econtra *catarrhales malignæ febres*, quæ circa finem anni 1732, & initium anni ſubſequentis familiares in hoc tractu fuerunt, ſub primo ſtatim acceſſu adeo vires proſtraverunt, & tantum dolorem oſteocopum intulerunt, ut nec extra lectum ſe tenere, nec erectum ſtare citra ſcotomiam illis correpti valuerint. Summa inſuper inappetentia & faſtidium ciborum ad nauſeam uſque, capitis dolor, agrypnia; pulſus debilis frequens, non raro inæqualis; circa veſperam horripilationes, à quibus calor ſed mitis; ſymptomata memorata omnia acerbiora; Quoſdam cruciabat dorſi dolor, alios præcordiorum anguſtia, nonnullis intercipiebatur reſpiratio, & dolores aderant laterum punctorii valde acuti, tuſſis ſicca admodum moleſta; in nonnullis oriebantur inflammationes Eryſipelaceæ nunc in collo, nunc in pectore, nunc in interaneis abdominis circa morbi ſtatum erumpebant maculæ puncticulares rutilantis coloris, in dorſo potiſſimum pectore & brachiis ſudor ſubfrigidus prodromus mortis; lenis econtra mador ſolutionis criticæ bonum ſignum: alvus per totum morbi decurſum adſtricta, urina vero ſanorum ſimilis.

CAP.

CAPUT III.

Febres Eyderoſtadenſes ad morbos epidemios, non vero Endemios pertinere probat.

§. I.

Conſtare quidem poſſet ex his, quæ de indole febrium harundem attuli, quam injuria referantur ad claſſem morborum vernaculorum, & appellentur *die Eyderſtädtſche Kranckeiten*, ut inde tractus hic penes exteros male audiat; ſed quo magis error ille omnibus pateat & ex mentibus malevolorum exſtirpetur, prolixior eſſe volui in allegandis rationibus errorem illum refutantibus.

§. II.

Siquidem lites hodie non leves ſurgunt, quinam morborum ad endemios jure pertineant, & quinam ad epidemios? dum, in exemplum ad *Scorbutum* provocem, vix ulla natio eſt, quæ ſibi endemnium illum eſſe concedere vult, etſi maris Balthici incolis paſſim & à multis ſeculis fuerit ſub compellatione iſta familiaris, operæ pretium erit in diſcrimen ante inquirere, quam de febribus memoratis, ad quam claſſem vel endemiorum vel epidemiorum pertineant? decernere.

§. III.

Sunt equidem ponderoſa ſatis & huc facientia verba *Sennerti inſtit. medic. lib. 2. p. 1. cap. 2.* „Si febris aliqua, inquit, unius Regionis „ac urbis incolas corripiat ac interficiat, & aliquis hanc endemiam ap„pellat, hac in re valde errat, nec verum diſcrimen morbi endemii „& epidemii agnoviſſe videtur. Siquidem endemius & epidemius mor„bus multitudine ac paucitate regionum vel urbium, quas invadunt, „non diſtinguuntur: ſed epidemius in una ſaltem civitate eſſe poteſt; „nec opus eſt, ut totam Regionem, multo minus ut plures Regiones „pervagetur. Contra endemius etiam in plurium Regionum incolas graſ„ſari poteſt. Ita Scorbutus Belgio, Daniæ, Norvegiæ, Sueciæ & pluri„ribus Saxoniæ locis endemius eſt; vera autem differentia inter mor„bum endemium & epidemium eſt, quod, cum uterque ſit morbus „communis; endemii vel ſemper vel ſtatis periodis civitatem aut Re-

„ gionem aliquam infeſtant, atque ita quaſi patrii & vernaculi ſunt: „ epidemii vero, qui à cauſa quidem communi, non tamen loco vernacula, originem habent, & per aliquod ſaltem temporis ſpatium in „ civitate vel Regione aliqua vagantur." H. L. Sed vereor omnem difficultatem tam paucis verbis tolli, quin exceptiones regulæ, regulam quam dat, diſtinguendi peſſundent, ut pluribus indiciis huc facientibus indigeat negotium præſens.

§. IV.

Vi vocis endemii audiunt morbi, qui inter populum regionis vel provinciæ alicujus ſunt familiares, i. e. hominibus illic natis, educatis & è plebe oriundis, Germanis *Einheimliſche Kranckheiten*, Latinis *vulgares* & *populares* morbi, morbi vernaculi. Aſt epidemii dicuntur, qui indiſtinctim incolas corripiunt, ſive ſint indigenæ ſive advenæ, & quamvis hi quoque vulgum magis adoriantur, quam nobiliores, eſt quod illius major numerus. Germanis *graſſirende Kranckheiten*, *anſteckende Fieber*, &c.

§. V.

Vi *typi* endemii morbi eundem ſervant in omnibus, quos aggrediuntur, genium: nec ſtruma, quæ Tyrolenſibus familiaris, a ſtruma eſſentialiter differt, nec ſcorbutus a ſcorbuto in regione illa, in qua regnat; epidemii vero typum vel annuatim, ſi quotannis redierint, mutant, ut nunc graviores nunc mitiores, nunc viros nunc pueros, nunc mares nunc fœminas aggrediantur, nunc hanc habeant nunc aliam criſin; prouti hoc de peſte citra omnem hæſitationem ad epidemicos morbos referenda, obſervationes medicorum cunctæ teſtantur.

§. VI.

Vi *frequentiæ*; endemii morbi de die in diem, de anno in annum ſe activos monſtrant, ut nunquam deſint in regione, in qua vernaculi ſunt, qui ab illis non infeſtentur; prouti in affectu plica polonica dicto, videre eſt: epidemii autem ſilent aliquando, per ſeſquianum, aliquando per annum & ultra, quod teſtantur, variolæ, morbilli, &c.

§. VII.

Ratione *medelæ*, endemii quia ſunt morbi ſtatarii, amant remedia unius generis & his auſcultant; quantum propellere illis conceditur, hinc medicamenta ad illos facientia ſua habent nomina ab illis deſumpta; ſed epidemii toties, quoties invadunt, mutatam volunt medendi metho-

dum,

dum, ex quo eſt, quod antea primi ægrotantium periculum incurrant graviſſimum, quam de hac clinici conſilia matura ceperint.

§. VIII.

Ratione *Contagii*, exulat hoc in plurimis morbis endemiis, ſed regnat valde in morbis epidemicis, ut abhinc illi a nonnullis ad morbos referantur ſporadicos; hi vero minime omnium.

§. IX.

Ratione *Solemnis eventus*, pertinent endemii plurimum ad morbos lentos, qui non confeſtim trucidant; verum epidemii ſtrages agunt repentinas, & dubiam habent prognoſin, ut longe plures ab illis correpti ſæpenumero pereant, quam reconvaleſcant; imprimis ſi levis error vel in diæta vel in pharmacia commiſſus fuerit, vel corpus admodum impurum deprehenditur.

§. X.

Quod ſi modo circa diſcrimen morbos endemios inter & epidemios allata, inque ratione & experientia fundata, probe perpendantur, & conferantur, quæ in capit. præced. quoad hiſtoriam morborum in tractu eyderoſtadenſi ſæpe obviorum ſunt memorata, nemini remanere poterit dubium, ad quam claſſem iſtæ referendæ ſint febres?

§. XI.

Quoad poſtulatum enim primum (§. 4.) corripiunt illæ non tantum incolas, verum etiam hoſpites & advenas, prouti cladem ab illis ſummam Exercitus Suecorum, anno 1713. huc ſe recipiens, paſſus eſt; quoad poſtulatum ſecundum (§. 5.) mutant typum, ut modo ad catarrhales tam benignas, quam malignas, modo ad tertianas continuas vel duplices vel anomalas pertineant; quoad poſtulatum tertium (§. 6.) non quovis anno ſe eaſdem vel æque graves ſiſtunt; quoad poſtulatum quartum (§. 7.) diverſam medendi volunt methodum, nec uno ſe modulo metiri patiuntur; quoad poſtulatum quintum (§. 8.) non abeſt ab his febribus contagium, etſi uno tempore ſit mortiferum magis, quam altero; quoad poſtulatum ſextum (§. 9.) multi ex illis occumbunt, & qui reconvaleſcunt, languorem inde contractum ſatis diu ſervant, priuſquam omnino ad ſe redierint.

§. XII.

§. XII.

Nec eſt ut abludant febres hæ à febribus tertianis continuis vel anomalis, vel catarrhalibus, alias provincias invadentibus, in quo ſecurus ad obſervationes medicorum clinicorum hinc inde typis impreſſas provocare poſſum. Speciatim huc faciunt quæ attulit *Irenæus* Vehr *de febre continua epidemia Marchiam anno* 1614. *infeſtante*; *Chriſtophorus* Tinctorius *de febre continua anno* 1640. *alumnos convictorii in alma Regiomontana corripiente & exſtinguente*; D. *Fridericus* Hoffmannus *de febre maligna epidedemica petechizante Halæ* 1599. *infeſta*, cujus hiſtoriam his verbis tradit: „ Pathemata, quæ fere omnibus ſubjectis fuerunt communia, & in quibus hujus morbi eſſentia ponenda eſſe videtur, fuerunt, inſignis & ſubita ſtatim inter initia morbi virium jactura atque proſtratio; unde laſſitudine ſumma & gravitate membra corporis affecta, ut præ nimia debilitate corpus nec movere, nec erecta ſtatura incedere potuerint; protinus enim vertigo vel leve animi deliquium, non ſine inſigni vitæ diſcrimine ſuboriebatur. Maxima hæc virium concuſſio permanſit & duravit per totum morbi curſum, & hoc certe ſymptoma fuit præcipuum & individuum fere omnibus, qui febri hac detenti fuerunt. Poſtea etiam in ſingulis ferme ſubjectis, deprehenſus fuit pulſus arteriarum imbecillis, parvus, debilis, frequens tamen, modo quod interdum major vel minor celeritas & inæqualitas conjuncta fuerit. Deinceps in omnibus ferme ægrotantibus minor & remiſſior calor, cum ſiti parva, urina ſanorum ſimillima fuit: in his itaque magna fuit communio & identitas, cum nullus ferme fuerit, qui non dictis, quæ pathognomica nobis inde audiunt, pathematibus fuerit divexatus. ": Quæ prolata ſi comparentur cum hiſtoria febrium Eyderoſtadenſium, quæ in præcedentibus à me allata, ovum ovo haud ſimile magis eſſe confitendum, aut febres Eyderoſtadenſes fuerint in Saxonia quoque endemiæ concludendum eſt.

§. XIII.

Optime ergo cenſuit laudatus *Höierus*, quando l. c. ſcibit „ morbos nomine *die Eyderſtädtſche Kranckheit*, aut *die Stoppel-Kranckheit* venientes eſſe contagioſos & pro diverſis anni temporibus vel febres catharrhales petechizantes, vel ſynochos putridas veterum cum ſummis cardialgiis, nauſea, ſubinde etiam vomitu, & graviſſimis capitis perturbationibus, aut pleuriticopneumonicis inflammationibus, vel intermittentes compoſitas anomalas mali moris, ſæpe deleterias, ſæpius in hectico-aſciticas, viſcerum obſtipationes exeuntes denotare.

 CAPUT IV.

CAPUT IV.

Pathologiam Febrium Eyderoſtadenſium tradit.

§. I.

Miſſa illa lite, quæ hodie agitur, an febris mereatur laudem? utpote in qua argumenta rhetorica & logomachiæ amplum habent locum, ac ego quidem ſentio, ætiologiam memoratarum febrium, & qualis ſit ſymptomatum nexus, evolvere, magis è re erit: viam enim ſternit ad cito, tuto, & jucunde magis medendum.

§. II.

Fundamentum præbet plethora cum cacochymia mixta, quam ſpuriam appellamus. Ad illam larga facit carnium præpinguium comeſtio, ad hanc farinaceorum, lacticiniorum & leguminum frequens eſus, potuſque valde impurus & fætulentus; ex humorum inde dyſcraſia, quoad motum fluidorum tam progreſſivum, quam inteſtinum oritur lentor, & quia ſanguis ex copia motui cordis elaſtico & arteriarum preſſioni obſiſtit, ex tardiori ejus circulo fit ſpiſſior, parit hinc inde in corpore infarctus, obſtructiones, ſtagnationes, ex quibus denuo morbi chronici varii generis; in ſenſibilioribus inſuper, & quoad loca nervis plurimis ſtipata, ſtricturæ fiunt ſpaſmodicæ; circulatio redditur inæqualis; ſurgunt congeſtiones ad has vel illas nobiles partes, quæ graviſſimos poſt ſe trahunt affectus. Accedit ex tardiori motu inteſtino ſanguinis, quod partes ſulphureæ & aquoſæ minus exacte inter ſe commiſceantur, ſed hærente in minimis vaſculis ſanguine ſpiſſiori, impurum ſecedat ſerum, id quod per organa ſecretoria non debite ſecretum, quia hæc obſtructa ſunt, ex mora corroſivam acquirit indolem, & ad partes nerveo-membranaceas delatum, eaſdem graviſſime afficit, tonum partium ſolidarum & fibrarum robur relaxat, ut humores omnes lente decurrant, cutaneæ excretiones ſupprimantur, ſerum ſalino-ſulphureum, quod excerni debuiſſet, retropellatur, & quivis in corpore ſucci ad putredinem diſponantur, vix aliter ac venenum aſſumtum ex penetrandi ſubtilitate per totum corpus ſemina mortifera ſpargit.

§. III.

Ad quas in corpore anomalias quod irregulares tempeſtatum viciſſitudines & ſubitæ cœli mutationes valde conferant, in confeſſo eſt. Speciatim

tim quando per æſtatem calidam in plethoricis celerior fit ſanguinis circulus, multæ ſalino-ſulphureæ bilioſæ acres accumulantur in humoribus particulæ, & tam ſecretiones, quam excretiones per cutem, univerſale illud corporis colatorium, copioſiores obtingunt. Appropinquante autem autumno, accedente ſubito frigidiori aura, fit, ut ſpiracula cutis illico occludantur, inhibeatur tranſpiratio, materia excrementitia retropellatur, ſicque æſtus ſanguinis increſcat: porro ob cutem à frigore externo ſpaſmodice contractam omnes humores uno veluti impetu à peripheria ad centrum propellantur, motus interni fiant inteñſiores, humores ſalino-ſulphureis corroſivis particulis magis imprægnentur, bilioſa in hepate copioſius ſecernantur. Quod vero febris inde ſurgat, hoc debetur acredini humorum, partes nervoſo-membranaceas ipſoſque nervos vellicanti, ut in toto ſyſtemate ſpaſtica fiat ſtrictura; pariter ſi ductus bilarii convelluntur, copioſe bilis in duodenum & ventriculum effunditur, quæ partes valde ſentientes ab acrimonia hac vellicantur, ut irregulares excretiones & motus febriles oriantur.

§. I V.

Quod vero febres ſuſcitatæ tam diverſæ indolis, hoc diverſitati temperamentorum, vario vitæ victuſque generi, primarum viarum conditioni &c. tribuendum eſſe judico.

§. V I.

Sententiam vero Celeberrimi Dn. Præſidis, quam nobis communicavit, breviter quoque annectam, ille enim breviorem invenit viam, quo nexus omnium ſymptomatum & motuum extraordinariorum ſub hiſce febribus unicuivis pateat, ſc. motus extraordinarios heic occurrentes in *binas* diſtribuit *claſſes*; vel ut per primas vias, canalem ſc. à faucibus ad anum tendentem, excludantur, quæ in illis vitioſa mucida forma hærent, vel ut per vias tranſpirationi dicatas, cutem ſc. & pulmones, relegentur quæ halituoſæ magis indolis; prouti vero in optime valentibus obtinet, ut certi fiant ad remotionem inutilium aut noxiorum è corpore niſus, tantum pro diverſitate removendorum ratione organorum diverſi, hoc in morbis, præſertim febribus, fieri ſibi habet perſuaſiſſimum, modo quod ex diverſa qualitate & imminente inde noxa vitioſorum intus hærentium, ratione modi, temporis, conſtantiæ, ſenſibilitatis individualis, ætatis, ſexus &c. varient. Refert ergo *anxietatem circa præcordia*, *nauſeam*, *vomendi conatus*, *excluſionem bilioſorum*, *dolorem in ſpina prope vertebras lumborum*, *ſitim intenſam*, *alvum deponendi ſtimulos*, *faucium vitia*, *horripilationes* vel præcedentes vel intercurrentes, ad *claſſis primæ* molimina, qualia occurrunt citra ſtatum febrilem, quan-

do in primis viis ab aſſumptis ſubactu & diluitione difficilioribus, noxiis tamen, fiant molimina excluſoria; ad *ſecundam* vero *claſſem æſtum*, *urinam paucam ſanorum ſimillimam*, *tuſſim*, *ſcreatum materiæ viſcidæ*, *ſternutationem*, *pectoris gravedinem*, *madorem*, *ſudorem*, quia cutis & pulmones in negotio tranſpirationis & halituoſorum ſymbolizant. Quæ præter has ſe in febribus iſtis exſerunt moleſtiæ v. g. *inflammationes Eryſipelacæ*, *cephalalgia*, *deliria*, *petechiales maculæ*, *inquietudo*, *ſomnus turbulentus*, *virium proſtratio*, *pulſus inæqualis &c.* ad anomalias Cl. Præſes rejicit, quæ in negotio vitali, graviſſime interitum minitantia, æque facile contingere ſolent, ac ſi homo, ad incendium domus extinguendum accurrens, aquaſve apportans, varia quæ in æquitatem impingunt, committat. *Primæ claſſis* ſymptomata Diætæ in victu & potu erroribus tribuit, qui exule labore & exercitiis corporis vitia pariunt, *ſecundæ* autem aëris humido-frigidæ conſtitutioni, & variationibus vix non ſemper vel ratione caloris aut frigoris excedentibus; tum quoque tertianas ex vitiis primæ claſſis, catharrales vero ex poſterioris claſſis anomaliis derivandas eſſe vult.

§. VI.

Conſtitueram equidem, quæ ad therapiam attinent, qua ſc. febres hæ ſe ſuaviter cicurari permittunt, & quæ ad methodum ſe ab illis præſervandi ſpectant, hiſce ſubjungere; ſed varia fuerunt impedimenta, ut in aliud tempus ſervare illa, & obſervationes practicas addere mecum conſtituerim, ſi Deus vitam vireſque conceſſerit,

Cui Soli Gloria in æternum.

FINIS.

FRAN-

CLXV.

FRANCISCI JOSEPHI MOLITORIS

ET

HENR. JOAN. ANDR. MAYR

DE ZINENAU,

DE

FEBRE CONTINUA MALIGNA

ET

INTERMITTENTE TERTIANA UTRAQUE AD RHENUM AN. MDCCXXXIV, ET MDCCXXXV, EPIDEMICA ET CASTRENSI.

Heidelberg 1736.

P R I M O.

Febris Catarrhalis continuæ malignæ.

ANno 1734. Prægreſſa tempeſtate pluvioſa humida, repetitis mutationibus obnoxia, ſubſecutaque crebriori inundatione Rheni, dum ejuſdem utroque in latere ampliſſimus Cæſareus ac Gallicus confluxerant exercitus, ibique ante & poſt Philippoburgi obſidionem in caſtris ſuis morati fuerant, prædominantibus ibi præcipue diarrhæis ac varii generis morbis (prout plurimis ex cauſis inter tantam hominum luxuriam neceſſario quaſi contingere debet,) ab ingruente æſtate variæ febres continuæ, benignæ, malignæque, petechiales & petechizantes, ſporadice graſſantes ad autumnum uſque deprehendebantur ſolertia tamen D. D. Medicorum Campeſtrium (virorum excellentiſſimorum) intra limites adhuc coerceri ſuſtentantes, curſu, ac methodo ordinaria profligatæ; uſque dum decurrente interim tempore & apropinquante hyeme ubi militaria diſſoluta erant caſtra atque uterque ex utroque Rheni latere Cæſareus & Gallicus in varias civitates, oppida, ac pagos diffuſus erat exercitus, Heydelberga quoque neceſſitate compulſa nec aliter potuit, quin hoſpites tot multos anguſtis ſuis cancellis reciperet continendos, ubi tandem anguis per autumnum in herba adhuc dum latitans, eodem finito virus ſuum largius evomens, non uno ſed multiplici ac variante modo homines aggrediebatur, larva diverſa illudens diverſis: percipientes enim quidam per aliquot dierum ſpatium inſolitam ſubitaneamque artuum laſſitudinem, quæ alios mox, ſimul & ſemel invadebat, per dimidium horæ, hora, & ultra, vel ante, vel poſt ingraveſcentem cephalalgiam circa frontem pulſatoriam, multis autem obtuſam & per tenſionem oculorum ſpaſticam, vertiginoſam quodammodo, ac ſenſationem gravativam narcoticam potius explicandam, hora queis catarrhalis hæc eveniebat maligna ac potiſſima (duplicis enim maligni & benigni obſervabatur moris quamvis poſterior rariſſime) juxta ſpecialem obſervationem noſtram Pomeridiana veſpertina, benigna quibus propullulabat tempore matutino rigeſcebant ante meridiano, conjuncto tam dorſi, lumborumque dolore punctorio, quam ſurarum tenſione: utrique malignæ ac benignæ crebrius ſe ſe aſſociabat tuſſis, aut ſicca, aut humida, imo ſæpe ſæpius iteratæ vomendi propenſiones, ac vomitus ipſi deprehendebantur, ubi res mitior ſalvo, pejor vero ubi, cum dejecto mox ciborum appetitu: præliminaria hæc pede preſſo calor inſequebatur urens, in multis ſuperficialiter quidem non admodum perceptibilis, ubi unus mox morbi principio ſudoribus vix non diſſolutus, ſiti cruciatus amara, nullum ex potu quamvis

vis largiſſime ingurgitato hauſerat levamen, ac lingua ejuſdem arida manebat aſſiduo; alter intenſe ut ut incaleſceret cutim tactui offerens ſiccam, duram, ſitim tamen conquerebatur nullam, lingua iſtius ſtatum naturalem fingente. Quidam mente conſtans integerrima, inter agrypnias ad nonum uſque diem noctes tardabat inquietas, cui ex poſt (uti aliis a quarta ſæpe ad undecimam uſque) ad 14tam accidebant deliria per ſubſequentem excretionem cutaneam petechialem, aut purpuram albam, vel utramque hanc invicem ſibi intertextam cum vita, vel maximo ſaltem ejus periculo ſoluta. Pulſus præterea in principio morbi & latitante adhuc angue clandeſtineque pugnante, unius deprehendebatur celer, frequens, & ad duritiem tendens, alterius a ſtatu naturali vix, ac ne vix abludens: permulti denique alii (quorum pulſus frequentes, celeres, ac molles,) decumbebant debiles, quieti, ac narcotici, ſicque per aliquot dies perſeverantes, in majus, e quo minus emergebant, inducebantur vitæ periculum. Plurimis aliis (& quidem ab initio epidemiæ) hæmorrhagiæ aut ſtillicidia narium (rariſſime critica, potius ſaltem ſuſpecta,) quemadmodum diarrhœæ hoc morbo correptis in principio frequentius ſymptomaticæ, ac rarius criticæ acciderant. [illegible]æ demum partim ſanarum ſimiles, partim ſine ſubſequente ſymptomatum remiſſione, 1°. 2°. 3°. aut 4°. etiam die ſedimentum farinaceum, & lutiforme deponentes, ſicut ſubſequentium paulo poſt graviorum ſymptomatum, anteſignanæ percipiebantur, iſtis ita diebus rubicundiores lixivioreſque, ſedimentum rubeo-pallidum præſentantes, per quatriduum & ultra ſic manentes, meliorem ſalutis promiſerunt fiduciam, turbidæ vero, jumentorum ſimiles, tales emiſſæ, ac in morbi curſu ita permanentes, tam periculoſam præ ſe ferebant faciem quam crudæ, quæ, niſi ex largiori potu ingurgitato tales redditæ, multas ſyſtemati nervoſo minitantes ſuggerebant noxas, & tandem, quod pro ſupplemento adhuc addendum: non paucis in morbi principio (ubi non tantum periculi haud immunes, ſed ſubſequentis gravioris mali ſuſpecti reddebantur) aliis vero in 3°. morbi tempore & cum fulgentiori quidem ſalutis ſpe obauditio incidebat, qualem tamen cum in reliquis ac ordinariis febribus petechialibus A. A. Practici jam dudum animadverterunt, ejuſdemque ſpecialem faciat mentionem Ettmullerus, pro nova hic inventa obſervatione, (prout plures tamen neſcio queis inducti motivis vane divulgarunt,) adducere noſtra eo minime collimat intentio, ſed hiſce enarratis tragædiam, illam quam ſupremi dominantium Domini permiſſu, indultuque, ab Autumno Anni 1734 uſque ad menſem Martium Anni 1735, ad nauſeam horroremque ſpectandam habuimus, pro ſcopo noſtro ſufficienter deſcriptam fuiſſe arbitramur. Ad ulteriora igitur progrediendum!

SECUNDO

SECUNDO.

Febris Tertiana Caſtrenſis anni 1735.

HUjus vero anni conſtitutio talis erat, ut poſt autumnum ultimum Anno 1734, hyems fuerit ſat æqualis & naturaliter conſtituta, ver autem proximum uſque ad medium Junii ſaniſſimum, & ſereniſſimum, ita, ut jam in Martio omnes viæ regiæ fuerint exſiccatæ, inde tempus medicis pro roſtro laborantibus valde grave, nulli enim tunc omnino fuerant ægri præter quod Aprili uſque ad Octobrim, febris intermittens tertiana caput oſtendere, & ſucceſſive magis erigere inceperit, a fine Junii autem uſque ad finem Julii poſt octo dies primos caniculares continua erat pluvia aërque humidus, ſatque frigidus, dein vero repentinus maximuſque æſtus uſque ad finem Septembris, moxque tertiana, quæ jam in Majo imo in Aprili etiam hinc & inde gliſcebat, erumpens primo inter gregarios, præcipue certa regimina tam pedeſtria, quam equeſtria eadem, quæ in autumno elapſo morbum caſtrenſem fuerint perpeſſa, aut quorum caſtrorum mutatio hoc anno valde humida fuerat. Velut P. P. C.

Dein vero etiam inter officiales majores regiminum non vero ſupremorum v. g. Generalium, maxime vero & peſſime inter regimina Franconica, quæ dum adhuc longe infra Philippiburgum & Spiram tranſrhenanam caſtra habuerant, in principio Auguſti ſat ſana, & præ noſtris multo ſaniora atque a febribus libera, in Auguſto autem quam primum caſtra Cæſareorum Pruxellis Rhenanis occupaverant, tam numeroſe afficiebantur hac febri, ut inter regimen G. H. centuria fuerit in Septembri, quæ tota quanta, præter unum unicum militem, ea laboraverat, inter aliud autem regimen P. Schiv omnes officiales tunc etiam præter tres, eadem ſimul laboraverint. Neque milites ſolum laboraverant, ſed omnes incolæ (reſpectu militum tamen parcius) circa caſtra Philippiburgenſia, Spiram, Francothal &c. cum ipſis Gallis, quorum magnus numerus ex ea interiit, & procul dubio ex perverſa eorum medendi methodo. Corripiebat etiam hæc febris abſque diſcrimine tam abſtemios quam vinum, cerevifiam, & aquam bibentes, fructus horræos comedentes, & non comedentes plerumque paroxyſmi invadebant ante meridiem inter 9 & 12mam, & deinde ſemper anticipantes.

Sic etiam nullum temperamentum ab illa fuerat liberum, neque ulla ætas, neque ratio, neque profeſſio, ſed ſine diſcrimine ullo omnes impetebat, hoc ſolo diſcrimine, quod aliquot ſeptimanis primo & citius invaſerit gregarios, & poſtea officiales; hique omnes non fuerint præſervati ab hac febri, neque curati per caſtrorum mutationem & eorum

Philippiburgo Heidelbergam translationem; contra populi & incolæ magis abhinc diſſiti, veluti Suevi ſuperiores Boii, Styrii, Auſtriaci, Boëmi, Francones, Huſſi, & Saxones hac febri ſunt, & fuerunt ita immunes, ut vix ſporadice inter illos graſſari dici poſſit, atque ideo circa Heilbrunenſem civitatem, & ſic reſpective in circulo ex centro Philippiburgi febris hujus jam finis fuerat. Sic etiam accurata obſervatio dedit, quod præ omnibus aliis ſtabulorum famuli, ſtabula præcipue humida inhabitantes, & deinde lotrices fuerint huic febri obnoxii magis præ aliis.

Certo etiam conſtat, quod in quibuſdam diſtrictibus, pagiſque ſpecialiter Mingelsheim, & Rothæ tam inter illorum incolas, quam ibi in domibus commorantes militares & propius caſtra habentia regimina hæc febris longe magis fuerit graſſata, quam alibi, in principio quidem, dum febris hæc adhuc gliſcebat, unus alterve ſenſibilior æger tempore pluvioſo non niſi unicum eumque ardentem ſentiebat paroxyſmum poſt 24 horas tempore iterum ſereno finitum, & non niſi poſt 8 dies recrudeſcentem, & in veram hanc tertianam terminantem; equites plures pro præſervatione a morbis in uſu habebant propriæ ⊡æ hauſtum jejuno ſtomacho potare, ſed fruſtra, & abſque effectu non minori quam contra ipſam peſtem, ex obſervatione ſæpius memorati D. D. *de Kramern* quondam in peſte ultima Auſtriæ collecta: id tamen inde reportarunt, quod M. S. inde tam ſalſa evaſerit, ut tartari emet. gr. V. vel VI. imo VIII. & maxima purgantia neque alvum neque vomitum moverint, & ideo febris iſta ipſis multo gravior pertinaciorque acciderit.

Inter regimina vero nova Cæſarea juxta mentem *Clariſſ. D. D. de Kramern*, unum erat B. H. W. & in ea centuria B. quæ ex conſilio ſui chirurgi, id a medico docti, propriis nummis ſuis ſpiritum vini amarum ex ſolo abſynthio ſibi conficiebat, & mane ac veſperi ejus hauſtulum ſumpſerat quotidie, & quidem tam felici effectu, ut loco 80. & 100. febricitantium, quo ſingulæ centuriæ illius regiminis habuerant, illa vix 8 vel 9 quotidie annotaret. Hujus occaſione aliud præſervativum idque multo efficacius, a me prætereundum non eſt ex fide digniſſima & illuſtriſſima acceptum, de Generali quodam Cæſareo, qui eſſentia Cort. peruv. quotidie ſic ſumpta, ſe omneſque ſuos domeſticos in Hungaria, ubi hæc febris quaſi nidum ſuum habet, ita præſervavit, ut ab illa una cum ſuis domeſticis toto longoque tempore, quo fuit in Hungaria, fuerit plane immunis, aliiſque ſuis commilitonibus dedit, illeque adhuc vivit valde ſeniculus, contra experientiam illorum, qui corticem hunc atro notant carbone.

Idem expertus eſt medicus Caſtrenſis quidam Cæſareus ad Rhenum ultra 8 dies in aulæ militaris cujuſdam famulis non ſine magno ſolamine, quoniam vero caſtrorum mutatio ad locos ſaniores ſpem faciebat

di-

diminuendæ epidemiæ, præſervativum hoc omiſſum fuit, vino & non ſpiritu vini factum, & quotidie circa veſperas ad uncias iij. hauſtum: unde non evenire non potuit, ut quidam, ſed præ aliis aulici longe pauciores, in hanc febrim epidemicam nihilominus inciderint. Sunt hæc de hac febri phænomena generalia, ſpecialia autem ipſum morbum componentia concomitantia, & ſequentia ſive ipſe curſus & decurſus morbi ſunt, quæ ſequuntur.

Invaſit igitur hæc febris ex improviſo & derepente ſuos abſque ullo horrore, multo minus vero frigore, ita, ut inter centum febrientes vix unus fuerit, qui in principio paroxyſmi horrorem, aut fremebundum frigus ſenſerat: aliqui tamen, aſt pauciſſimi, & plerumque laboribus aſſueti, in principio primi paroxyſmi horrorem aut etiam, ſed rarius, fremebundum frigus habuerant, aut ſaltem in ultimis paroxyſmis tali horrore aut etiam frigore ultra horam durante fuerunt correpti, atque inter eos fuerunt, habentes varium vitæ genus, varia temperamenta, atque tonum corporis ſtrictum & laxum, id eſt, tam pingues & obeſi quam macilenti, ſeniores & juvenes, fæminæ & viri, adoleſcentes & infantes. Neque hoc frigus aut horror diſcrimen dedit, quod febris facilior vel difficilior fuerit curatu, ſed ſemper habuit eandem pertinaciam; febris ſive inceperat cum vel ſine horrore vel frigore ſuos paroxyſmos: inquam itaque, quod febris hæc fere ſemper inceperit derepente abſque ullo horrore vel frigore prægreſſo, ſolo intenſiſſimo æſtu corporis, dolore capitis & lumborum, lancinationibuſque in utroque crure. Cephalalgia hæc dolorque lumborum, lancinationeſque in cruribus nunquam non adfuerant in omnium paroxyſmis.

Erat autem hæc cephalalgia dolor phrenitidi ſimilis, pulſatorius ſcilicet & lancinans non raro etiam in narium hæmorrhagias, morbum & cephalalgiam nihil alleviantes, excurrens. Lumborum autem dolor ſedem ſuam circa regionem renum habuit, & erat partim premens, partim etiam, ſed rarius, lancinatorius; de his tribus doloribus notatu dignum eſt, quod ante cephalalgiam doloremque lumborum rebus felicibus remiſerit dolor crurum, cephalalgia autem lumborumque dolor ſimul perſtiterint & evanuerint, & quidem ita, ut, ſicut paroxyſmi ipſaque febris ſucceſſive diminuta fuerat, ſic etiam hi dolores ſeſe diminuerint, ita, ut his doloribus diminutis vix ſecundus, rariſſime tertius rediverit paroxyſmus. Hæc tamen differentia fuit inter hos duos dolores, quod cephalalgia paroxyſmo plane finito ceſſaverit etiam, aut ſaltem primo valde remiſerit, dolor autem lumborum continuavit in eodem fere tenore etiam inter duos paroxyſmos.

Quanta autem fuerit hæc cephalalgia, lumborum dolor, ſequentia phænomena illuſtrant. Primo quod plurimi gregarii ſub ſuis tentis a radiis ſolis nimis æſtuoſis ab illa evaſerint plane ſtupidi, oblivioſi, &

quaſi caro tacti, nihil ſcilicet ſentientes, neque ad interrogata reſpondentes, donec paroxyſmus fuerit finitus. Secundo habuimus etiam ſed paucos, quorum paroxyſmus in reliquis ſanorum caligine oculorum incipiebat, paroxyſmum 3 vel 4 horas antegreſſa, & uſque ad eruptionem ſudoris in fine paroxyſmi durante. Tertio plures, imo plurimos etiam habuimus, quorum aures ſurdeſcebant inter & in ultimis paroxyſmis, atque etiam poſt febrim jam curatam, non ſecus, ac in illis evenit, qui febrim malignam erant perpeſſi continuam: quoties autem dicta ſtupiditas ſurditaſque aderat, nimiaque & continua cephalalgia, toties ex cauſis ſequentibus febris hæc fuerat continua tertiana, aut ſic finita, aut in fine ſuo in intermittentem mutata.

Lumborum dolor autem inde colligi poterat, quod duos febrientes juvenes jam ſæpius memoratus D. Proto-Medicus campeſtris noverit, qui ex vel cum hoc dolore ſimul in duobus cruribus ſuis ſtatim in primo paroxyſmi principio paralytici fiebant, quæ paralyſis tam in paroxyſmis, quam extra & inter eos durabat: unus pillulas antifebriles ex arſenico compoſitas tres, contra febrim ex empyrico datas devoraverat ſimul, cum tamen doſis harum pilularum tantum una fuerit, illeque tres has pilulas tribus partitis vicibus ſcilicet unam ante ſingulum paroxyſmum ſumendas, ſimul & ſemel devoraverit: inde pœnas etiam meritas torminibus tulit, mortuuſque eſt, cujus cadaver apertum interanea abdominalia eroſa abſque antegreſſis ullis torminibus. Hujus paralyſin medicus ordinarius ab aſſumpto hoc arſenico derivat, quoniam autem plures his pilulis in caſtris uſi noti ſunt, quorum tamen nullus in hanc paralyſin incidit, aliique ſunt, qui abſque ullis his pilulis inciderint in eam, probabilius aliunde hæc paralyſis deducenda eſt, pro cujus majore claritate ſecundi ſupra indicati paralytici hiſtoriam hic apponere lubet.

Eſt autem is vir triginta aliquot annorum, & quidem magni Domini auriga, temperamenti cholerico-melancholici, habitus corporis ſtricti & fuſci, bibulus, rixoſus, & natus Bavarus, inter frequentes rixas a commilitonibus, etiam ab equis multoties delumbatus & verberatus. Quatuor ſeptimanis ante primum paroxyſmum ſigna lumbricorum inteſtinalium conqueſtus, & ſem. cynæ bis vel quater contra eos uſus, ſed poſtea non purgatus: hic in primo ſtatim primi paroxyſmi principio præter cephalalgiam enormeſque lumborum dolores ſimul in amborum crurum paralyſin abſque omni horrore prægreſſo derepente incidit: vena tunc ſecta in brachio ſtatim, uſuſque 2 doſ. pulv. ex ſem. cynæ ad unc. I.

His duabus doſibus ſubjunctum eſt purgans ex auro fulmin. ſcrup. ſem. nitr. depurat. gr. vi., a quo quinque vel ſex habuit ſedes mucoſas, ſpermati ranarum ſimiles: externe veſicatorium fuit applicatum,

pedi

pedi paralytico magis præ altero, deinde crus & lumbi uncti ſunt: ▽ anod. Vien. aſt fruſtra, abhinc 9 doſes M. P. Beccheri Vienn. datæ ſunt, quarum ſingulum gr. j. ☿ dulcis ingrediebatur, decoctum lign. pro potu ordinario, cujus calefacti ℔. j. etiam ſingulis mane & veſperis poſt, & cum medicamentis reliquis ſumere debuerat, mane autem ſumebat 60 gt. ⊖ vol. ∘°∘ ſylv. & lign. C. C. ſuccin. quibus quotidie ter quaterve per alvum ſimilia depoſuerat, præterea autem nihil huc uſque; interim febris fiebat magis manifeſta, & incipiebat ſuos paroxyſmos maximo longoque cum frigore, & ab inunctione mire augebantur dolores in lumbis pedeque dextro, præ ſiniſtro magis paralytico, quo ad ſenſum & motum. Hinc omnia medicamenta mutata fuerant; dataque binis veſperis doſibus pulv. cort. peruv. ʒſ. cum ℈ſ. ſem. cynæ & binis mane ſequentibus doſis decoct. amar. laxantis batavi, a qua multoties, & quidem ab ultima doſi longum craſſumque dejecit lumbricum, cum plenaria reſtitutione crucis ſiniſtri redeunteque ſenſu exquiſito, non vero motu cruris dextri: licet hæc crurum melioratio, jam ante excretionem vermis aliqualiter ſeſe oſtenderit; hodie & hinc cort. peruv. ʒſ. cum tartar. tartr. ſol. ℈ſ. pro doſi ſingula quarta hora extra febrim continuat, & febris emanſit, continuabatur per 8 & plures dies doſis corticis dicti ante ſomnum veſpertinum, mane vero menſura una acidularum Swalbacenſium purgabatur bene quotidie, febris conſtanter emanet tota ſanitas fuit brevi curata. Ex qua hiſtoria alius fundus hujus paralyſeos ſapientioribus patebit, ſic etiam alius juvenis laborioſus nuper, hic Heidelbergæ indigena in ſimilem hemiplegiam totius lateris dextri, aſt abſque omni febri incidiſſe mihi narratur.

Celebris medicus pro illuſtranda hac paralyſis hiſtoria, ſequentes binas mihi communicavit hiſtorias. Prima eſt de viro 36 annorum febri continua lenta, cum purpura rubra doloribuſque rheumaticis artuum præcipue nocturnis quatuor ſeptimanis jam affecto, pharmacopæi cujuſdam tunc cura uſo, poſtea autem poſt quatuor ſeptimanas dicto medico commiſſo, hicdum ægrum de lue ♀ea ſuſpectum habuerat, ipſi ☿ dulcis ℈ſ. cum electuar. diaſcord. Fr. ante ſomnum veſpertinum propinat, a quibus ſequente mane abſque dolore puris & ſanguinis ℔ij. per alvum excrevit, cum ipſa anima poſt paucos dies: alter ſimilibus ſymptomatibus diu affectus & ad extrema poſt quatuor ſeptimanas redactus ex conſilio dicti medici gr. ij. ☿ cum ⊙ digeſt, ante ſomnum accepit, & inde derepente ſtimulum alvi ſenſit, ℔que 4. puris excrevit cum momentanea alleviatione totius morbi, aſt ambo crura paralytica inde facta ſunt: per thermas, longumque tempus v. g. novem menſes reparatam carnem, per abſceſſum internum abſumptam, optime, non tamen integre, reſtitutam percepit.

Inci-

Incipit itaque hæc febris, ſicuti ſupra, plerumque abſque ullo frigore & horrore, ſolo æſtu, cephalalgia, & lumborum dolore, lancinationibuſque in utroque crure, proſtratione ſumma virium, pulſu celere & frequente, urina rariſſime rubra, ſed plerumque vel jumentorum urinæ, vel cereviſiæ albæ ſimili, ante, intra, & poſt paroxyſmum; interdum etiam rutilabat, & aurantio colore erat, quælibet autem per ſe præcipitata copioſam deponebat materiam chyloſam, durabatque primus paroxyſmus plerumque ultra 24 horas, quod ægros id non advertentes, juſculum v. g. tantum carneum in ipſo paroxyſmo comedentes, eo præcipitabat, ut ex tertiana ſimplici ſtatim fieret tertiana duplex, ſive quotidiana, aut ut ſecundus paroxyſmus ſupervenerit, antequam primus fuerit finitus, febriſque continuam induerit indolem, & quidem, ut plebs credebat, malignam; taleſque non raro, præcipue in recidivis peſſimis ſtipati fuerint ſymptomatibus in principio ſequentis paroxyſmi veluti lipothymiis, deliriis, convulſionibus, in tribus gregariis lethalibus aliiſque moribundorum ſimilibus ſymptomatibus: dum autem methodo ſequenti tractati fuerant, nihilque ante plenarium finem paroxyſmi comederant, continua in intermittentem poſt 48 horas aut paulo tardius redibat, & more ordinario curabatur, ſinguluſque paroxyſmus in copioſiſſimum ſolvebatur ſudorem: interdum præcipue in principio epidemiæ, non vero poſtea in diarrhœam ſoluta critice eſt.

Plurimi quidem dolorem capitis & lumborum ſupra dictum continuaverant, paroxyſmi ſequentis principium plane neſciebant, niſi enim probe antea fuerint inſtructi, quod hæc febris nullos habeat horrores aut frigus, non crediderunt eſſe febrim intermittentem: bene informati tamen facile ſentiebant proximorum paroxyſmorum principium ex levi refrigeratione manuum digitorumque ad carpum uſque & doloris capitis, lumborum, æſtuſque febrilis celerrimo augmento. Plures poſt frigus & horrorem vomebant paroxyſmis ſingulis bilioſa, idque poſt 3 vel 4 paroxyſmorum principia, aſt abſque eo effectu, quod ſecundus vel tertius paroxyſmus ab eo emanſiſſet. Id etiam ad hiſtoriam hujus febris ſpectat, quod omnium hac febre affectorum cornea crocea fuerit tincta flavedine, & quod plures diætam debitam negligentes plane in icterum ex & cum febri hac inciderint. Antequam etiam hæc febris manifeſte eruperat, ægros per intervalla graves corripiebant dolores, prementes & fremebundi cardialgicis ſimiles in ſtomacho, ubi credebant, mihi potius in hepate.

Non raro etiam erant in eorum hac febri, qui diætam debitam neglexerant, diarrhœæ, imo ipſæ etiam dyſenteriæ: in fœminis vero gravidis etiam abortus. Nihil autem communius, quam pedum œdemata, ventriſque incipiens aſcites, etiam in iis, qui paucos antea ſuſtinuerant paroxyſmos, diætamque accuratam obſervaverant, aſt paulo adultiores

reli-

reliquis fuerant, præcipue autem, quibus vena a chirurgis gallicis fuerat ſecta: quibuſdam poſt febrem ſuperatam ſcabies evenit, reliqua ſymptomata hujus febris cum aliis tertianis erant communia præter ſitim, quæ in hac noſtra fere nulla, aut naturali ſaltem non major obſervabatur.

Prognoſin quod concernit, febris hæc per ſe periculoſa & lethalis non eſt, neque huc uſque fuit, ſed per accidens, ſcilicet ex mala diæta, facile vel in continuam tranſiens, lipothymias, deliria, convulſiones, dyſenteriaſque lethales cauſans, vel, ſicut ſæpius obſervatum eſt, in febrim lentam, in febrim intermittentem typicam iterum excitabilem, facile mutatur, aut in hydropem vel icterum tranſit. Ex recidivis autem frequentioribus convaleſcentes, habitumque corporis plane jam cachecticum habentes metuere certe habent, ne proximo vere in periculoſum ſcorbutum non niſi herbarum antiſcorbuticarum ſuccis curabilem incidant, utpote in Hungaria omnibus in hanc febrim ſæpius recidentibus familiarem. Nemini autem magis per accidens periculoſa fuit hæc febris, quam viſcerum præcipue pulmonum ſcirrhis aut ulceribus jam affectis, utpote in quibus febris hæc quidem typum continuum habuerat, quotidie vero præterea novum paroxyſmum præmiſſo maximo longoque frigore corporis afficiebat, corpuſque mire debilitabat, & per ſudores colliquabat, imo tres novi in talis intermittentis ſeu potius remittentis paroxyſmi principio mortuos, ſic etiam notatu dignum eſt de hac febri, quod raro imo rariſſime autocratia naturæ fuerit judicata, ſed quod pertinaciſſima fuerit, & non niſi a ſequentibus medicamentis ceſſaverit.

Cæterum illos, quotquot gonorrhœa vel major lues venerea afflixerat, hæc febris non juvit, contra Vercelloni obſervationem, ſed mala hæc perſtiterunt poſt febrim, aliiſque medicamentis eradicari debuerunt: ſimilem caſum etiam videbis in roſini Lentilii Jatromnemmatis, ubi quartana cum lue ♀ fuerat complicata.

F I N I S.

CLXVI.

SIMON. PAULI HILSCHER

ET

IMMAN. FRIDER. SCHAVER

DE

FEBRIBUS MALIGNIS

IN REGIONE ROEMHILDENSI A MENS. DECEMBRI ANNI MDCCXL. AD AUGUSTUM USQUE ANNI MDCCXLI. GRASSATIS.

Jenæ 1741. 2 Septemb.

PROOEMIUM.

Quamvis humanum corpus variis ac pernicioſis morborum generibus ſit obnoxium, eorum tamen nullum adeo anceps & periculoſum mihi quidem videtur, quam febres malignæ, quæ furore incredibili multas ſæpe pervadunt regiones, urbes & pagos. Noſtra in regione Roembildenſi a menſe Decembri anni præterlapſi 1740. ad Auguſtum uſque anni currentis febrium malignarum quoque vis permultos invaſit homines, cui in primis ignobiliores, florida in ætate conſtituti, ſuccubuerunt. Tanto magis autem vis atque indoles cujuſdam morborum generis ſcrutanda eſt, quanto magis id atrocitatem alit, & ſpem ſalutis confundit. Non igitur dubito tractationem de febribus malignis, in regione Roembildenſi dicto tempore graſſatis, meæ ſubjicere meditationi, atque ἐξεργασίαν loco diſſertationis inauguralis placidæ eruditorum diſquiſitioni ſubmittere. Hiſce meis conatibus ut ſummum in cœlis numen annuat clementiſſime, meis impetrabo precibus infimis ac ardentiſſimis.

I. N. I.

§. I.

Malignitas nobis eſt vis morbi gravior, partes corporis humani fluidas adeo deturpans, ut vel plane non, vel admodum difficulter ad ſtatum naturalem reduci queant. Malignitas alia eſt a priori talis, i. e. poſt invaſionem morbi gravibus ſe ſtatim prodens ſymptomatibus, alia vero a poſteriori, quæ ſcilicet effectum occultat. Qui hanc conjunctam habent morbi, dicuntur maligni κατ᾽ ἐξοχήν, propter veram ſimilitudinem cum hominibus malignis, qui ſaluti alterius inſidiantur, omnia tamen, ex quibus id deprehendi poſſit, occultant. Vid. Illuſtr. & Magnif. D. Præſ. Diſſ. de peſte, & programma eidem diſſertationi præmiſſum.

§. II.

Febris maligna eſt corporis humani intemperies calida univerſalis & inæqualis, ad deſtructionem ſpirituum & humorum vitalium tendens, a fermento acri, vaporoſo, deſtructivo, & valde inæquali producta.

§. III.

Licet febrim malignam quoque antecedat ſæpiſſime horripilatio major,

 vel

vel minor, adeoque intemperies aliqua frigida ſe exſerat, quid? quod in febri maligna, ſub intermittentis larva ludente, horror, ad unam alteramve horam durans, aliquando obſervetur, rectius tamen hic quoque a potiori eſt facienda denominatio, ut, quum febris maligna illa ſe calore totius intemperato, & ſubinde acriori, aut ſymptomatibus ab intemperie calida univerſali productis ſe magis manifeſtet, illa ipſa dicatur corporis humani intemperies calida univerſalis. Ut vero magis innuatur hujus intemperiei differentia ſpecifica, hanc adjeci determinationem, quod ſit inæqualis, nimirum ejuſmodi intemperies, quæ aut brevi tempore mutanda, aut ægri internecio expectanda eſt certiſſime. Differt igitur ab intemperie calida, comparate æquali & chronica, qualis occurrit in mania & ſcorbuto calido, ſed hac de re plura §. 5. Quemadmodum vero febris malignæ effectus ſpirituum & humorum vitalium deſtructionis, minimum intentatæ, teſtimonia dant evidentiſſima, ita febris maligna jure meritoque dicitur intemperies ad ſpirituum & humorum vitalium deſtructionem tendens.

§. IV.

Febris malignæ effectus, ſpirituum & humorum vitalium deſtructionem arguentes, præcipui ſunt virium ſubitanea, & ſine cauſa externa prægreſſa, facta proſtratio, anxietates, jactatio corporis & inquietudo ſumma, dolores capitis, pectoris, dorſi, vel artuum graviores, reſpiratio difficilis, lipothymiæ, vertigo, tinnitus aurium & ſtupiditas, tremor artuum, viſus turbidus, difficultas auditus, vel ſurditas, excretiones alias voluntariæ, ut urinæ, vel alvi excretiones, ægro non ſentiente contingentes, ſingultus, motus convulſivi, vel epileptici, deliria. Ex pathologiæ enim generalis principiis facile intelligitur, jam commemorata ſymptomata a partibus balſamicis, ſpirituoſis & demulcentibus imminutis, vel deperditis, adeoque partim a ſanguine & ſero, ſeu humoribus vitalibus, corruptis & acrioribus redditis, ipſoque ſanguine vel nimis rarefacto, vel, ob defectum ſpirituum, grumeſcente, partim a ſpiritibus intemperatis redditis, & hinc ad motum inordinatum concitatis, vel a ſpiritibus obnubilatis, vel deſtructis provenire.

§. V.

A febri maligna haud raro temperatiſſima ſubjecta corripi, experientia probat, illa vero quum ſit intemperies calida univerſalis & inæqualis (§ 2.), ſequitur, ut ſubjecta iſta, quando febri maligna tentantur, non maneant ſubjecta temperatiſſima, ſed nec ſanguis, nec ſerum ſe invicem quantitate & qualitate temperent, quum tamen ab iis humoribus vitalibus, ſe invicem quantitate & qualitate temperantibus, omnis corporis

poris humani temperies dependeat. Ut igitur ſanguinis & ſeri, ſeu maſſæ ſanguineæ, proportio in febri maligna vitiata ſit, neceſſe eſt. Aſt vero in ſcorbuto, in mania, in febri benigna quoque porportio maſſæ ſanguineæ, vitiata eſt, propterea, differentiæ adcuratioris gratia, adſerimus, quod in febri maligna porportio maſſæ ſanguineæ corrupta ſit a fermento acri, vaporoſo, deſtructivo, & valde inæquali.

§. VI.

Motus inteſtinus, quem ſalia, dum in ſe invicem & in ſulphur intermedium agunt, efficiunt, & quo ipſo particularum proportionem determinatam ac ſpecificam conſtituunt, ut mixtum ſpecificas inde obtineat qualitates, a chimicis fermentatio, ipſa autem materia, quæ, certo corporum generi commixta, fermentationem præſtat, fermentum dici conſuevit. Quum materia acris, vaporoſa, & deſtructiva, maſſæ ſanguineæ commixta, motum ejus præſtet inteſtinum ſimilem quem, ſalia, dum in ſe invicem & in ſulphur intermedium agunt, efficiunt, & quo particularum maſſæ ſanguineæ proportionem conſtituat eam, a qua intempetiem illam calidam univerſalem & inæqualem maſſ. ſanguin. obtinet, quæ febris maligna vocatur (§. 2.), quid obſtat, quo minus dictam materiam fermenti nomine inſigniamus?

§. VII.

Qui medicinæ elementa vel leviter tantum cognita habet, ſcire debet, quod omnis acrimonia in particulis ſalinis eminentibus conſiſtat. Intemperies calida univerſalis & inæqualis, tamquam τὸ eſſentiale primarium febris malignæ, nimis copioſam, & hinc præternaturalem particularum ignearum evolutionem arguit, ea vero quum a ſalibus in ſe invicem & in ſulphur intermedium plus juſto agentibus, & hinc vitioſe eminentibus dependeat, manifeſtum eſt, fermentum, quod maſſam ſanguineam corrumpit, ut eveniat febris maligna, acre eſſe. Interim hoc ipſum tamen pro temperamenti, ſexus, ætatis, vitæ generis, & diætæ diverſitate, item pro varia ad cacochymiam diſpoſitione variare ſolet, ut in aliis magis bilioſum, in aliis acido-bilioſum ex effectibus cognoſcatur.

§. VIII.

Vertigo, tinnitus aurium, ſtupiditas, nec minus delirium in febri maligna, haud obſcure probant, fermentum dictum una eſſe vaporoſum. Quemadmodum enim in ebrietate, in qua re vera aliqua delirii ſpecies ſe exerit, & vertigo ſæpe numero conjuncta eſt, maxime producit effectus illos principium vaporoſum, quod ineſt potulentis inebriantibus: ita ab effectibus ſimilibus, in febri maligna obviis, ad ſimilem cauſam,

pu-

puto ad principium aliquod vaporoſum, concludere licet. Poſſunt etiam ad effectus, vaporoſitatem fermenti febrilis probantes, referri ſæpe ſopores graviores, nec non motus epileptici aliquando, puta quatenus nempe vaporoſitas ſibi notabilem acrimoniam conjunctam habet.

§. IX.

Fermentum, quod febrim malignam producit, porro eſt deſtructivum, & valde inæquale. Illud enim, niſi natura præſide, & convenientium remediorum virtute eliminetur vel deſtruatur, motum maſſæ ſanguineæ inteſtinum vitioſum eo uſque continuat, donec humores vitales partibus balſamicis, ſpirituoſis & demulcentibus penitus defraudaverit, ipſosque ſpiritus deſtruxerit, id quod ſymptomata lethifera, ac ſubſequens putredo celerior & gravior confirmant.

§. X.

Præmittendis præmiſſis me accingo ad demonſtrationem præſtandam, quod febres in regione Roemhildenſi a menſe Decembri anni 1740. ad Auguſtum uſque anni 1741. graſſatæ malignarum claſſi omnino adnumerari debeant. Quem in finem ſymptomara ac ſigna illarum extantiora, ea, qua decet, fide recenſebo. Calorem febrilem in plurimis præceſſit horripilatio, ſeu levis horror, in aliis horror paulo gravior, in non nullis horrorem admodum gravem, ſeu rigorem, qualis circa febres intermittentes adeſſe ſolet, fere ultra horæ ſpatium durantem, obſervare licuit. Quæ quidem mutatio prodit ſeri viſciditatem & huic immerſum acorem majorem vel minorem, unde maſſa ſanguinea in aliis alio gradu figitur & concentratur, ac ignearum particularum evolutio per brevius aut longius tempus impeditur. Motu tandem maſſæ ſanguineæ progreſſivo continuo particulis illis concentrantibus ſubjugatis, particulæ acriores reliquæ, ſui juris redditæ, motum maſſæ ſanguineæ inteſtinum & particularum ignearum evolutionem, hinc & calorem augent gradu in aliis alio, prout acrimonia eſt vel gravior, vel mitior. Immo obſervavi in quibuſdam calorem primo alteroque die vix ſenſibiliter auctum, ſummam tamen corporis laſſitudinem, & pulſum frequentem, dolorem capitis & inquietudinem ſummam, diebus vero ſequentibus, etiamſi inter bezoardica temperatiora pulveres quoque nitroſos, aliaque calorem temperantia ſolicite adhibuerim, calorem magis magiſque intenſum, omniaque ſymptomata graviora deprehendi. Unde adparet, calorem illum, primis diebus mitiorem viſum, fuiſſe ſubdolum, ac ægrum non ſolum ſed & medicum decipere potuiſſe, niſi cautio fuerit adhibita. Pulſum in omnibus velociorem, ſed una debiliorem, verbo frequentem, obſervavi, qui cordis & vaſorum arterioſorum ſequitur irritationem a ſanguine rarefacto & acri, partibus vero balſamicis, ipſiſque ſpiritibus debilitatis,

&

& ad ipſam deſtructionem vergentibus. Alii ſtatim ab initio morbi, alii magis in ſtatu de ſumma conquerebantur laſſitudine, quæ provenit partim a ſpirituum defectu & debilitate, partim a continua, quam M. S. acrior reddita efficit, in plurimis punctis fibrillarum nervearum tenſione, licet minori, quam in ſolutione continui intentata, quæ ad dolorem requiritur. In omnibus ciborum appetitus erat proſtratus, ſine dubio ob pauperiem & debilitatem ſpirituum, qui tamen ad actiones ventriculi requiruntur, & ob ipſius menſtrui intemperiem. Sitis autem in multis erat inexplebilis, ob humidi temperantis defectum, & ob calorem atque acrimoniam majorem; in quibuſdam contra deficiebat ſitis, calore & ſiccitate tamen vehementer urgentibus, id quod ſpiritus deſtructos arguebat. In aliis capitis, in aliis pectoris, in aliis artuum, in aliis diverſi dolores ſimul adfligebant, partim a rarefactione, partim ab acrimonia maſſæ ſanguineæ nimia producti. In haud paucis reſpiratio primis ſtatim diebus erat difficilis & anxietates ſimul urgebant. Quando enim a ſanguine nimis rarefacto vaſa pulmonum ſanguifera, quin etiam ipſi pulmones ultra modum expandebantur, ſpiritus vero deficiebant, vel nimis erant debiles, tunc ad terminos ordinarios pulmones redire non poterant; convenienti igitur conſtrictione deficiente reſpirationis alter actus, nimirum exſpiratio, impediebatur, anxietates vero non ſolum a reſpirationis negotio turbato, ſed etiam a nimia ſanguinis rarefacti verſus ventriculos & vaſa cordis preſſione proveniebant. Aliis in ſtatu reſpiratio erat difficilis, tremor cordis ipſæque lipothymiæ accedebant, quæ ſymptomata a ſpiritibus exhauſtis, & a ſanguine grumeſcente derivare licet. Tuſſis pene continua & plurimum ſicca ægros illos adfligebat, ab acrimonia tunicam nerveam, quæ aſperam arteriam & bronchia intus inveſtit, irritante; & hinc exſpirationem impetuoſam, ſeu vehementem aëris expulſionem efficiente. In nonnullis anginoſam, in aliis pleuriticam deprehendi inflammationem, a ſanguinis acris, in parte muſculoſa faucium, vel in pleura ſtaſi factam. Ob calorem & ſiccitatem intenſiorem linguæ ariditas & aſperitas cum colore nigricante, univerſa cutis arida, vigiliæ contumaciſſimæ, tandemque deliria, ob motum ſpirituum admodum perturbatum, in multis obſervabantur. In feroſioribus vero, præcipue in feminis & infantibus linguam & fauces viſcidas, ſudorem fœtidum, ſomnolentiam, immo ſopores graves, pro diverſitate ſeri peccantis, animadverti. Tinnitus aurium, vertigo, ſtupiditas & ſenſuum hebetudo, præſertim viſus turbidus, auditus difficultas, immo ſurditas, in multis erant ſymptomata ſatis moleſta, partim a ſpirituum pauperie vel debilitate; partim etiam a principio vaporoſo, partim a viſcido, nervos obſtruente, originem trahentia. A ſanguine autem acri & rarefacto in quibuſdam præternaturaliter aperiebantur vaſa ſanguifera, in tunica nares cingente hærentia, ut hæmorrhagia narium contingeret. In aliis vomitus, in aliis diarrhœa mihi faceſſebat negotium; ille quidem a par-

tibus ſalino-ſulphureis fermentativis, ex maſſæ ſanguineæ iis referta, ad ventriculi tunicam nerveam adpulſis oriebatur, quum eæ fibrarum ventriculi motricium efficiebant irritationem, motum ejus periſtalticum invertentem, ut repetitis vicibus ventriculus a fundo verſus orificium ſuum ſuperius, ſeu ſiniſtrum, contraheretur, & contenta per œſophagum & os cum impetu ejicerentur: hæc autem, ſeu diarrhœa, dependebat ab humoribus acribus & fermentificis, ad canalem inteſtinorum confluentibus, & ibi ſtimulum ad crebriorem contractionem, ac ipſorum humorum contentorum expulſionem efficientibus. Ab humorum fuſione fermentifica, & ab humorum acrium & corroſivorum ad canalem inteſtinorum adfluxu in quibuſdam producta eſt dyſenteria. Permulti meorum febricitantium, ob intemperiem & motum irregularem, quem ex humorum vitalium intemperie graviori ipſi ſuſceperunt ſpiritus animales, ideas habuerunt peregrinas & rebus non convenientes, verbo delirio ſunt tentati, ſed pro temperamenti diverſitate diverſo, ut in alio ferocia & audacia ſumma, in alio timor & triſtitia fuerit conjuncta, in alio ſtatus mixtus ſe exeruerit. Sæpe etiam lympha corrupta & acris vellicationem & tenſionem fibrillarum nervearum, motui inſervientium, efficiebat, ut alterna muſculorum actio involuntaria, verbo motus convulſivi ſequerentur. Aliquando vero lymphæ illi corruptæ acri, & genus nervoſum, motui inſerviens, irritanti, conjuncta erat vaporoſitas, ut una ſenſuum internorum & externorum fieret detentio, adeoque motus evenirent epileptici, quos tamen in infantibus frequentius, rarius in adultis vidi. Ex motibus convulſivis non infrequens fuit ſingultus, utpote qui eſt motus ſonorus & cum ſenſatione aliqua triſti conjunctus, ab orificii ſiniſtri ventriculi irritatione determinata ac ſpecifica, per conſenſum diaphragma & muſculos abdominis, reſpirationis negotio inſervientes, nec non reliqua reſpirationis organa afficiente, proveniens. Ex claſſe ægrorum, quorum ſymptomata & circumſtantias præcipuas hactenus commemoravi, multi etiam ab exanthematibus fuere adflicti. Infantibus quibuſdam tertio vel quarto ab invaſione febris die tubercula rubella, vix ad lentium altitudinem accedentia, in univerſa corporis ſuperficie cum pruritu aliquo effloreſcebant, ſeptimo autem vel nono die diſpaleſcebant, quæ cum practicis celeberrimis vocavi morbillos. In aliis infantibus, nec non in adultioribus, tubercula erumpebant majora, quæ a die quarto ad undecimum, vel decimum quartum, ſuppurationem ſubibant, tandem exſiccata ſub cruſtarum forma decidebant; atque ejuſmodi tubercula variolæ dici conſueverunt. Fermentum igitur peregrinum, quod in cute fecit decubitum, erat vel ſubtilius & difflabile, vel viſcidius & paulo fixius, unde tubercula illa vel diſcuſſione finiebantur, vel ad ſuppurationem abibant. In multis mediæ ætatis febricitantibus puſtulæ minimæ, rubræ vel albæ, ad inſtar granorum milii, in ſuperficie cutis apparuerunt, prout vel ſanguis acrior, vel ſerum corruptum

&

& acre in partibus ſuperficiei cutis ſtaſin concepit, & hinc in aliis purpura rubra, in aliis alba fuit obſervata. Sub ſymptomatibus graviſſimis acceſſerunt quibuſdam petechiæ, ſeu maculæ morſibus pulicum fere ſimiles, plerumque fuſci coloris, & una cum reliquis ſymptomatibus graviſſimis, dolore capitis vehementiſſimo, vigiliis continuis, anxietatibus ſummis, deliriis, motibus convulſivis, tandemque ſudoribus ſyncopticis omnimodam ſpirituum & humorum vitalium deſtructionem, ac proximam vitæ internecionem portenderunt. Ægri, qui cum febribus, quarum ſymptomata & ſigna huc uſque recenſui, conflictati, urinam excreverunt magis tinctam, & in aere frigidiori turbidam factam, hinc ſedimentum rubellum deponentem, fere omnes priſtinam recuperaverunt ſanitatem. Pauci vero evaſerunt eorum, qui urinam vel ſanorum urinæ ſimilem, vel aqueam minxerunt. Illa enim partium bilioſarum acrium & rarefactarum ac ipſius fermenti febrilis a M. S. ſeparationem ſignificabat. Hæc autem intimam acris, vaporoſi & deſtructivi fermenti cum ſpiritibus & humoribus vitalibus commixtionem manifeſtabat, & deſtructionem futuram minitabatur.

§. X I.

Ex iis igitur, quæ paragrapho antecedente allegavimus, clare intelligi poteſt, febres, in regione Roemhildenſi graſſatas, exhibuiſſe notas omnes, quæ ad definitionem febris malignæ requiruntur (§. 2. & ſeqq.): dictis ergo febribus competit definitio febris malignæ, quare non eſt dubitandum, quin ipſæ febrium malignarum claſſi ſint adnumerandæ.

§. X I I.

Omnem intemperiem univerſalem in Mæ Seæ, hinc & liquidi nervei ſive ſpirituum proportione vitiata ſuum habere fundamentum, ac in his fluidis primario & immediate ſe exſerere, pathologiæ generalis principiis imbutus nunquam negabit. Quemadmodum igitur omnis intemperiei univerſalis propria & genuina ſedes eſt M. S. cum ſpiritibus, ita quoque hæc fluida ſubjectum febris malignæ principale recte ſtatuuntur (§. 2.). At enim, ipſa experientia teſte, vix ac ne vix quidem ulla corporis, febri maligna laborantis, pars ab intemperie illa calida univerſali & inæquali, quæ ejuſmodi febris eſſentiale conſtituit, eſt immunis, quare adſerimus, quod omnis febris malignæ ſubjectum ut quod ſit totum corpus humanum.

§. X I I I.

Ex idea febris malignæ, §. 2. propoſita, & ex §. 10. facile poteſt

colligi, quod febres, quarum tractationem perſequimur, pro cauſa immediata agnoſcant mixturam Mæ Seæ primario, hinc & ſpirituum a fermento acri, vaporoſo, deſtructivo, & valde inæquali, corruptam, adeoque id ipſum eſt illarum febrium cauſa mediata proximior. Acrimonia fermenti, quia & alcalicum, & acidum ſal ad fermentationem requiritur, ex alcalicis & acidis particulis compoſita eſſe debet. Uti vero ſalia illa contraria ſola, ſoluta ac ſibi conjuncta, motum ſubeunt & excitant inteſtinum ejuſmodi, qui efferveſcentia dici ſolet, ita ſulphur illis intercedens motum inteſtinum ſpecifice determinat, ut fermentationis nomine diſtinguatur. Sulphur autem reſolutum & deſtructum, quatenus vim habet ſpiritus in corpore humano obnubilandi, vaporoſitatem dicti fermenti conſtituere, partim juxta chimica, partim juxta pathologica principia adſerimus. Particularum ſalinarum, quæ cum intermediis ſulphureis fermentum febrium malignarum conſtituunt, aliæ præ aliis eminentes, & quidem vel alcalicæ, vel acidæ, volatiles, vel relative fixiores, magis, vel minus corroſivæ, particulæ item ſulphureæ vel craſſiores, vel ſubtiliores eſſe queunt. Hinc illud ipſum fermentum acrimonia, vaporoſitate, atque vi deſtructiva admodum variare, quin etiam, pro varia in diverſis ſubjectis receptivitate, inſignem ſubire poteſt modificationem. Mirum igitur non eſt, quod non omnes & ſinguli, quos §. 10. innuimus, effectus, nec eodem gradu tales obſervati fuerint, ſed in aliis hæc, in aliis illa, in aliis pauciora, in aliis plura, in aliis magis gravia, in aliis minus gravia occurrerint ſymptomata.

§. XIV.

In cauſas mediatas remotiores ſi inquiramus, ex rebus naturalibus primo loco occurrit temperamentum. Etiamſi nullum temperamentum a febribus malignis ſit immune, attamen ſanguineum, ſanguineo cholericum, cholericum ſeu bilioſum, & atrabilarium temperamentum præ reliquis eſſe illis obnoxium, maxime eſt probabile: ſanguineum enim temperamentum facillime admittit diætæ errores, ob quos fermentum, febris malignæ conſtituens cauſam mediatam proximiorem, vel in corpore humano generatur, vel ab extra promptius admittitur; ſanguineo-cholericum & cholericum ipſum ad vitioſum partium bilioſarum incrementum admodum eſt proclive; atrabilarium, quum partes bilioſæ, ab acidis intime confermentatis acuatæ, ſecundum naturam emineant, earum quoque augmentum vitioſum & cacochymiam atrabilariam inferens, haud difficulter eas adſciſcit. Ætatis ratione infantes ac pueri, partim ob ἀδδηφαγίαν, partim ob carnium eſum, panis adſumtione neglecta, habiles fiunt ad febres ſynochas putridas, ipſaſque malignas; ſalino-ſulphureæ enim impuræ partes facile in iis colliguntur, & aëre calido & humido, vel frigido & humido accedente, vel potius ſub regimine aëris, febri malignæ faven-

vente, fermentum ſupra expoſitum enaſcitur. Vix etiam opus eſt, ut allegemus, quod infantes præ adultioribus morbillis & variolis obnoxii ſint. Ætas media, ob particulas ſalino-ſulphureas in M. S. activiores, & ob errores diætæ frequentiores, vicinior eſt febribus malignis. Sic a menſe Decembri anni præterlapſi 1740 uſque ad Auguſtum anni currentis ne unicum quidem inter quinquaginta, febri maligna laborantes homines, obſervare licuit ſubjectum, quod ad ſenes referri potuerit. Sexus nobilior itidem ob particulas ſalino ſulphureas in M. S. activiores, & ob ipſum ſerum, minore quam in feminis quantitate præſens, majorem, quam ſequior ſexus, habet ad febres malignas habilitatem. Habitus corporis gracilis, quum ad calorem, acrimoniam, & ſiccitatem majorem ſ. n. inclinet, promptiorem febribus malignis præbet admiſſionem.

§. XV.

Ex rebus non naturalibus inſtar omnium eſt aër, qui, ut in omnibus fere Europæ regionibus, ita etiam noſtra in regione a fine anni 1739, ad primos uſque anni 1740 menſes, intenſiſſime frigidus, hieme vero, a Decembri anni 1740, uſque ad primos hujus anni menſes durante, frigidus & magis humidus eſt obſervatus; præcipue hieme illa poſteriori nebulæ apud nos adeo fuerunt frequentes & denſæ, ut longævi quoque ſenes, qui in regione Roemhildenſi multos degerunt annos, negaverint, ſe unquam nebulas ejuſmodi vidiſſe. Homines igitur, qui contra injurias, ſæviente illa hieme obvias, corpus ſuum non ſatis muniverunt, vel ob egeſtatem non defendere potuerunt, præter inſignia tranſpirationis inſenſibilis impedimenta tantam ſubierunt Mæ Seæ condenſationem, ut ea ad priores terminos ne ſequente quidem æſtate redigi potuerit. Interim humores ad ſecretiones & excretiones convenientes, hinc ad ipſam depurationem rite ſubeundam inhabiles facti, particulæ ſalino-ſulphureæ fermentativæ acres ſucceſſive collectæ, ac inſequuto aëre frigido, humido, & in primis nebuloſo, quin etiam per plurimum hiemis poſterioris ſpatium ſub qualitatibus dictis continuato, retentæ & magis acumulatæ ſunt, quid? quod aër ille una uliginoſus ad putrilaginem deſtructivam humores vitales diſpoſuit.

§. XVI.

Alimenta copioſius & inordinate aſſumpta cruditatibus & cacochymiæ dant occaſionem, hinc & intemperiei, quæ febres malignas conſtituit, materiam præbere queunt, magis tamen qualitate ſimul peccantia, ut poma, prunaque immatura & frigore corrupta. Quum enim noſtra in

 regione

regione ſues & alia pecora, quibus pabuli loco poma, prunaque, immatura & frigore corrupta homines præbuerunt, interierint, nullum eſt dubium, quin vitioſi & corrupti illi fructus adeo vitioſum & corruptum dederint chylum, qui reliquis in corpore humano humoribus vitalibus fermentum acre, & deſtructionem putrilaginoſam efficiens, intulerit. Quodſi ergo homines ignobiliores aëris vitiis, paragrapho antecedente expoſitis, permagnam ad febres malignas obtinuerunt diſpoſitionem, cui fructuum dictorum uſus acceſſit illegitimus, non eſt, cur mireris, ſortis illius homines, præ reliquis fuiſſe febribus malignis gravioribus obnoxios. Potus ratione adnotavi, haud paucis regionis Roemhildenſis incolis in uſu fuiſſe peſſimam illam conſuetudinem, vel ex libidine, vel ex ſiti aliqua, hauriendi aquam glacialem a ſtiriis defluentem, unde humorum circa fauces, aſperam arteriam, œſophagum, & partes vicinas hærentium, coagulationem ac impedimentum ſeparationis partium acrium ſibi contraxerunt.

§. XVII.

Motus nimius & vehementior ut aliis febribus, ita malignis quoque, ſerum blandum & ſpirituoſum diſſipando, ſalia immodice liberando, ipſorumque nimiam in ſulphur intermedium actionem promovendo, occaſionem præbere poteſt. Nimia quies partium acrium & reliquarum excrementitiarum ſeparationem ac eliminationem decentem impedit. Vigiliæ immodicæ & animi adfectus, ſpirituum & humorum motum efferantes, ut ira & excandeſcentia, agunt ut motus quantitate in exceſſu peccans. Somnus nimius, & animi pathemata ſpirituum & humorum motum concentrantia ſeu deprimentia, agunt ut motus quantitate in defectu peccans. Secretiones & excretiones partium ſalino-ſulphurearum fermentativarum per tranſpirationem inſenſibilem, per urinam, alvum, fluxum menſium, & per alias excretiones conſuetas, ut per hæmorrhagiam narium, hæmorrhoides, ſi non rite procedant, ad febres malignas quoque ſuum conferunt ſymbolum.

§. XVIII.

Ex animi pathematibus, ſpirituum & humorum motum concentrantibus, terrorem & metum febri malignæ initium dare poſſe, expertus ſum Mendhuſæ in ruſtico, qui 24 annos compleverat. Hic ignarus febrium malignarum ibi graſſantium, cum aliis ſui generis de pernicioſis dictarum febrium effectibus inter ſe confabulantibus, frumentum flagellabat, ſed, variis de vi illarum graviori auditis, ſubitaneo corripiebatur horrore, tametſi antea bona gaviſus ſit valetudine: ſuos hinc relinquebat

quebat cooperatores, & mox in domum ſuam revertebatur, ſed in calorem incidebat febrilem, mox frequentibus tentabatur motibus convulſivis, immo decimo ab invaſione febris malignæ die moriebatur.

§. XIX.

Ex rebus præternaturalibus contagium præprimis eſt aptum ad cauſam febris malignæ producendam, licet diſpoſitio reliqua non ſit excludenda: hinc cacochymici & ſcorbutici promtius admittunt febres malignas. Huc etiam pertinent alii morbi & ſymptomata, in quibus M. S. copioſis eſt conſpurcata particulis acribus & fermentativis, ut in adfectu hypochondriaco, hyſterico. Porro huc faciunt catarrhi neglecti, ſcabies retropulſa, fluor albus immodico adſtringentium uſu cohibitus, hæmorrhagiæ narium, menſium, lochiorum, & hæmorrhoidum ſuppreſſio. Ex rebus toto genere præternaturalibus præcipue vermes inteſtinorum, partes chyli dulces & blandas abſumendo, ignobiliores vero relinquendo, eaſque ſuis excrementis acribus, ac fermentationem putredinoſam facile inferentibus, conſpurcando, maſſam ſanguineam ad intemperiem calidam univerſalem & inæqualem, hinc ad febrem malignam, reddere poſſunt habilem. Sic ex ore Excellentiſſimi D. D. & Profeſſoriis *Stockii* percepi, quod hoc anno inter ægros, qui Jenæ purpura maligna laborarunt, haud pauci durante morbo vermes mortuos, & maximam partem putrefactos, excreverint.

§. XX.

A variis igitur febres malignæ producuntur & foventur cauſis, quarum ſi vel plures vel pauciores, & quidem magis, vel minus graves, in uno ſubjecto concurrunt, inſignem febrium malignarum conſtituunt diverſitatem. Hinc febres malignæ differunt (1) ratione gradus: alia enim febris maligna eſt remiſſior, alia gravior, alia graviſſima. (2) Ratione moris: nam alia eſt maligna a priori, graviſſimis ſtatim ſe prodens ſymptomatibus & aperto ſæviens marte, alia eſt maligna a poſteriori, non mox ab invaſione ſe gravibus patefaciens ſymptomatibus, ſed maxime ſubdola. (3) Ratione ſymptomatum ipſorum: alia enim eſt exanthematica, alia nulla plane ſiſtit exanthemata. Morbillorum, variolarum, purpuræ, petechiarumque a ſe invicem differentiam jam ſupra §. 10. indicavi. Horum exanthematum genera Roemhildæ plurimis jungebantur febribus malignis. Speciatim vero in variolis adnotavi, earum alias in quibuſdam humorem limpidum continuiſſe, ſed in ſuperficie ſuprema exhibuiſſe cutis corrugationem, alias in ægris aliis puſtulas minores & ſicciores, alias acuminatas, alias confluentes, alias diſcretas quidem, ſed circulo violaceo vel livido cinctas fuiſſe, alias cum purpura

interſperſa apparuiſſe, aliis petechias acceſſiſſe. Variæ quoque purpuræ ſpecies occurrebant. Nam in aliis exanthemata parva rubicunda mox in puſtulas ichoroſas, grana milii referentes, aſſurgentia; in aliis maculas minores, morſibus pulicum ſimiles, in medio puſtulam ulceroſam albicantem ad inſtar grani milii habentes vidi, & quædam dictarum macularum nonnihil protuberabant: in aliis puſtulas miliares albas pellucidas, nullo rubore cinctas; ſed ad inſtar guttularum aquearum minutiſſimarum per corpus ægrotum diſperſas; in aliis purpuram albam turbidam obſervavi; nimirum puſtulæ miliares non perfecte albæ, ſed non nihil flavæ apparebant, materiam enim ichoroſam flavam continebant. Deprehendi etiam purpuræ ſpeciem, minimis ſcabiei puſtulis non abſimilem; quæ cum inſigni erumpebat pruritu. Me quidem non fugit, hanc ſpeciem multis auctoribus ſub purpuræ ſcorbuticæ nomine venire, ac ipſos eidem leviora attribuere ſymptomata, ſed; ſi vera dicenda ſunt, eam in duobus ſubjectis ſcorbuticis, cum gravioribus febris malignæ vidi ſymptomatibus; &, quod mirum videbitur lectori benevolo, puſtulæ miliares ſcorbuticæ ad quatuor fere durabant ſeptimanas, pulſu frequente, calore febrili, ſatis acri; proſtratione virium; agrypnia; dolore capitis, & aliis febris malignæ ſymptomatibus, per totum morbi decurſum urgentibus. Petechiarum quoque magnam cognovi differentiam. Ratione figuræ quidem omnes cum morſibus pulicum multum conveniebant; niſi, quod maculæ illæ centro erant deſtitutæ; nec tam exacte rotundæ, & multæ paulo minores, quam a morſibus pulicum relictæ, ſed ratione coloris, magnitudinis & numeri variabant. Aliæ enim omine ſalutari colorem rubicundum ac floridum, aliæ contra flavum, viridiuſculum, vel violaceum, aliæ, & quidem in plurimis febri petechiali decumbentibus, fuſcum habebant colorem, ſymptomatibus exitioſis ad mortem uſque urgentibus. Dictarum macularum aliæ majores, aliæ minores; in quibuſdam pauciores; in nonnullis vero copioſiores erant. *Irmelshuſæ* in puella 11 annorum, laborante febri petechiali, obſervare licuit maculas violaceas circulo flavo cinctas; cujus diameter latitudinem Joachimici æquabat, ſed ægra illa die quinto moriebatur. Ante mortem graviſſima, reſolutionem & deſtructionem Mæ Seæ portendentia, experiebatur ſymptomata ſequentia: nimirum inſignem ſanguinis floridiſſimi quantitatem & per vomitum; & per urinam & per alvum evacuabat. *Mendhuſæ* mihi contigit viſitare feminam febri petechiali adflictam, quæ ſtatim ab initio morbi in ſuperficie corporis maculas petechiales minores habebat; eæ vero die tertio evaneſcebant, & loco earundem purpura alba adparebat. Diebus XIV præterlapſis, dicta femina, ſanitate priſtina recuperata; functiones denuo ſuſcepit œconomicas. In aliis ægris nulla apparuerunt exanthemata, calor autem vehementior urgebat, ſitis inexplebilis, linguæ ariditas & aſperitas, dolor capitis intenſiſſimus, anxietates & vigiliæ contumaciſſimæ permagnas creabant moleſtias; tandemque deliria

vehe-

vehementia accedebant. Quæ ſymptomata ad febrim Hungaricam ſeu caſtrenſem dictam referunt practici celeberrimi. Atque hæc febris in pago, Hayna dicto, hoc anno incredibiliter ſæviebat. In eodem pago memoria dignus occurrebat caſus in femina, quæ 34° compleverat annos; hæc, præter dolorem capitis intenſiſſimum & alia febris Hungaricæ ſymptomata, ſtupiditatem & auditus difficultatem experiebatur, ſubinde etiam mente alienabatur, delirio mox per ideas & geſtus triſtes, per ſermones deſperationem portendentes effuſis ſimul lacrimis; mox per actiones, ferociam conjunctam habentes; ſe exſerente. Atque hæc ſymptomata quinque duraverunt ſeptimanas. Urinam per totum fere hujus morbi decurſum deprehendi flammeam, ſed ſine ſedimento, niſi in declinatione, ubi rubellum obſervare licuit. Notatu adhuc dignum eſt, quod in plurimis, hoc morbo, in dicto pago, decumbentibus, ſymptomata per tres ſeptimanas duraverint. Reliquæ febrium in regione Roemhildenſi graſſatarum differentiæ, a ſymptomatibus deſumendæ, pro ſcopi ratione jam ſupra §. 10. ſunt traditæ.

§. XXI.

Ratione vitæ & mortis ſalutarem conſequutæ ſunt eventum omnes illæ febres malignæ, quæ vel minus gravia conjuncta habuerunt ſymptomata, & quibus a primo invaſionis tempore convenientia ſtatim oppoſita fuerunt remedia, vel quæ ſymptomata quidem ſatis gravia ediderunt, ſed in quibus partim conſtitutionis partium corporis adfecti naturalis adhuc reſiduæ, & prævalentis, partim remediorum mature adhibitorum ac modo legitimo continuatorum, efficacia, fermentum acre, vaporoſum, deſtructivum & valde inæquale ab humoribus vitalibus ſeparatum & excretum eſt, hinc vitales humores atque ſpiritus ad temperiem redierunt convenientem. Eventus contra lethalis ſequutus eſt in omnibus, in quibus gravia nimis urgebant ſymptomata, ne optimis quidem remediis cedentia, omniumque virium lapſus nimius partium corporis adflicti functiones penitus ceſſantes minitabatur. Nec hoc loco reticenda eſt nimis tarda remediorum adſumtio, & diæta neceſſaria neglecta in iis, quos febris ſymptomatibus, ab initio levioribus viſis, more ſuo maligno decepit. Atque adeo maturi conſilii & auxilii medici neglectio etiam in cauſa fuit, quod febres malignæ noſtra in regione graſſantes maxime interfecerint homines plebeios. Tempus eventus a fermenti acris, vaporoſi, deſtructivi, & valde inæqualis quantitate & qualitate nec minus ab ipſius ægroti temperamento, ætate, ſexu, habitu corporis, vitæ genere, viribus, rerum non naturalium uſu, ut & a reliquarum rerum præternaturalium conditione & gradu determinatur alio atque alio modo. Quapropter de febribus dictis ſum expertus, alias fuiſſe acutas, quæ die

decimo quarto, vigeſimo, vel vigeſimo primo terminabantur, vel peracutas, quæ die ſeptimo, vel acutiſſimas, quæ tertio, quarto, vel quinto die finiebantur. Aliquas tamen febrium malignarum, quæ noſtra in regione graſſatæ ſunt, nec acutas nec peracutas, neque acutiſſimas dici poſſe, ex paragrapho antecedente patet, ſed ad febres malignas chronicas referri poſſe mihi quidem videtur. Non enim duratio morbi brevior eſt eſſentiale morbi maligni, ſed vis ejus gravior, partes corporis humani fluidas adeo deturpans, ut vel plane non vel admodum difficulter ad ſtatum naturalem reduci queant (§. 1.). Hinc etiam febres intermittentes, quæ jure meritoque ad morbos chronicos referuntur, aliquando ſunt malignæ. Vid. *Rivini diſſ. de febribus malignis*, qui auctor poſt fata quoque celeberrimus (§. 8.) diſſ. cit. allegavit *Rhodii obſerv.* 9. & 10. *centur.* 1. ubi Rhodius præter *Galeni* teſtimonium plura collegit non contemnenda. Novi etiam caſum huc potiſſimum quadrantem: quum enim anno 1738. Jenæ commorarer, amicorum meorum intimus, cujus nomen, modeſtia ductus, ſilentio prætereo, ex copioſa vini generoſi ſulphurati adſumtione incidebat in febrim malignam gravem, & inter alia ſymptomata gravia, corripiebatur tanta ſenſuum hebetudine tantoque ſtupore, ut fere nullius rei ſibi eſſet conſcius. Omnia ſymptomata ad 28. duraverunt diem, quo tandem purpura alba erupit, quæ a termino dicto 27 complevit dies, interea autem temporis inter vigilias, anxietates frequentes & alia ſatis gravia ſymptomata, peſſimum hoc urgebat ſymptoma, ut vix paucis in urina coctionis ſignis adparentibus, diarrhœa minimum repeteret quatuor de die vicibus, ac hæc ipſa excretio ipſi, nullius fere rei ſibi conſcio, in lecto contingeret. Attamen hic æger dexteritate Excellentiſſimi D. D. & Prof. *Stockii* priſtinam recuperavit ſanitatem.

§. XXII.

Jam ſupra §. 13. probavi, fermentum, quod febris malignæ cauſam mediatam proximiorem conſtituit, inſignem admittere varietatem, immo ex §. cit. poteſt intelligi, quod dictum fermentum vel volatile, vel relative fixius eſſe poſſit. Illud igitur ſi paulo ſit fixius, ac una viſcidius, tunc pertinaciter adhæreſcit globulis ſanguinis & ſeri, hinc ab iiſdem difficulter, & non niſi ſucceſſive ſeparatur, quæ ſeparatio eo difficilior & tardior eſſe debet, quo major ſimul præſens eſt ejuſmodi fermenti quantitas, quapropter fieri omnino poteſt, ut illud in humoribus vitalibus, hinc & in ſpiritibus ſuam interdum diutius ludat fabulam, adeo, ut ſymptomata febris malignæ ad longum tempus urgeant, quod febrium acutarum terminum excedit.

§. XXIII.

Modus eventus ad ſalutem noſtris in febribus fiebat partium acrium, vaporoſarum, deſtructivarum & valde inæqualium correctione, ſeparatione, & eliminatione ſucceſſiva. Maximam vero hujus negotii partem abſolvebat tranſpiratio inſenſibilis aptis auxiliis promota, in quibuſdam vero ſudor die critico, & ſignis coctionis in urina prægreſſis, largus cum euphoria fluebat, in aliis hæmorrhagia narium, in aliis diarrhœa critica contingebat, in multis exanthemata erumpebant, omnibus ſymptomatibus ſucceſſive evaneſcentibus, adeoque per criſin imperfectam terminabatur tandem febris maligna. Contra ad mortem abierunt febres malignæ reſolutione & deſtructione humorum vitalium, ipſorumque ſpirituum, ſi nec naturæ viribus, nec arte medica, fermenti febrilis ſeparatio & eliminatio obtineri potuit.

§. XXIV.

Ad omnis febris malignæ curationem lege artis adminiſtrandam, requiritur, ut (1) partes acres, vaporoſæ, deſtructivæ, & valde inæquales, humoribus vitalibus, vel ipſis quoque ſpiritibus admixtæ, febrimque malignam facientes & foventes, corrigantur, ſeparentur & eliminentur.

(2) Humores vitales, vel ipſi ſpiritus ad decentem & naturalem craſin reducantur, vires conſerventur & roborentur.

(3) Symptomatibus urgentibus remediis prudenter ſelectis occurramus.

§. XXV.

Primæ indicationi ſatisfit per bezoardica & diaphoretica banda. Talia ex mediis ſunt Eſſ. balſam. *Slevogtii*, Eſſ. ſerpentar. virgin. compoſ. Eſſ. Alexipharmac. *Stahlii*, Eſſ. theriacal. balſam. Eſſ. ſcord. MRa S. rectiſ. & non rectiſ. Inter tincturas bezoardicas palmam præripit TRa bez. b. *Wedelii*, quæ etiam cum MRa S. rectiſ. & Eſſ. theriacali balſamica, vel Eſſ. ſcordii miſceri poteſt. Ex fixioribus ſunt pulveres ex lap ♋ præp. coralliis præp. matre perlarum præp. ♁diaph. unic. foſſ. C. C. philoſ. præp. mand. luc. piſc. præp. lap. bez. de goa, terr. Lemn. vel ſigillat. pul. rad. contrayerv. pul. ſpin. vip. Ital. præp. & ex ſuccin alb. pro ſcopi ratione compoſiti. Huc etiam pertinent pulveres bezoardici, qui jam compoſiti in officinis proſtant, ut pulv. bez. maj. & min. *Wedelii*, pulv. bez. Sennerti, pulv. pannon rub. Ejuſmodi pulveribus, calore & maſſæ ſanguineæ rarefactione nimis urgentibus, commode junguntur ⊖ia media ſub tripla, vel ſub quadrupla proportione, ut arcan. dupl. mynſ. ⊕ de-

purat. tart. ⊕ olat. tachen. Sin vero diarrhœa nimia, vel aliud contraindicans adſit, omittenda ſunt. Ad deſtructionem humorum vitalium arcendam admodum proficua eſt camphora, quæ pul. bezoardicis commode additur, ut quælibet doſis tertiam grani partem de camphora contineat. Bezoardica volatilia non habent locum, niſi eo tempore, quo fermentum febrile paulo fixius eſſe ex effectibus certo cognoſcitur; vel quando motus maſſæ ſanguineæ ad particularum acrium, vaporoſarum, deſtructivarum & inæqualium ſecretionem deficiens obſervatur, quare liquor C. C. ſuccinatus, modica propinatus doſi, ſæpenumero exoptatum edidit effectum in exanthematibus non rite erumpentibus, vel poſt eruptionem retrocedentibus.

§. XXVI.

In ſubjectis plethoricis, in quibus ſanguis eſt nimis oneroſus & valde turgens, ſtatim in principio antequam ad augmentum progreditur febris maligna, & vires nondum deficiunt, ſanguis per V. S. moderata quantitate evacuatus utilitatem præſtare poteſt, inprimis, quando pleuritis metuenda eſt. Omnes vero febre maligna decumbentes mortis obtruduntur faucibus, quando V. S. improvide vocatur in uſum. In inflammatione tamen faucium anginoſa ſub lingua poteſt admitti V. S. quatenus parca ſanguis evacuatur quantitate.

§. XXVII.

Vomitoria & purgantia nunquam admittenda ſunt, niſi adſit certitudo, quod alimentum vitioſum adſumtum, ut poma vel pruna immatura & frigore corrupta, febri malignæ anſam dederint, vires adhuc ſufficiant, nec aliud contraindicans adſit: ſed a vomitorio fortiori, vel a purgante draſtico abſtinendum eſt.

§. XXVIII.

Indicationi ſecundæ ſatis fit partim per ea, quæ circa primam commendavimus, partim per ea, quæ ſerum blandum & ſpirituoſum reſtaurant, quo nomine proſunt potiones ex ▽ ♌ ſcorzoner. card. ben. ſcord. fl. ſambuc. galeg. acac. tiliæ, flor. lil. conval. ſine vino ceraſ. nigr. rub. idæi, cord. Herc. Sax. frig. extract. bellid. ſcordii, pulveribus bezoardicis & cordialibus, ut pulv. bez. Sennert. *Wedelii* maj. ſpec. de gemm. frig. de hyacintho, ſpecif. ceph. Mich. & ſirupo quodam, ut Sir. papav. rh. gran. Kerm. acetoſit. citr. Emulſiones quoque, niſi contraindicans earum uſum prohibeat, huc referri queunt, præſcribendæ ex aquis diaphoreticis & analepticis laudatis, ſeminibus

4 fri-

4. frigid. mai. ſem. aquileg. card. ben. card. Mariæ, citr. pœon. papav. alb. amygd. dulc. ambroſ. additis perlis præparatis, pulvere bez. albo & ſirup. papav. alb. vel ſaccharo perlat. Loco potus ordinarii commendetur decoctum hord. c. C. C. & ſcorzon additis parca quantitate corticibus citri recentibus. Proſunt etiam juſcula avenacea tenuia, addita raſura glycyrrhizæ, ab exteriore cortice mundatæ, item parva quantitate corticum citri recentium adjecta.

§. XXIX.

Quod tertiam attinet indicationem, per ſe quidem patet, quod, fermento febrili per ea, quæ §. 25. & 28. laudavimus, correcto & imminuto, ſymptomata tanquam effectus cedere vel mitiora evadere debeant, aſt vis morbi gravior & inſidioſa ſæpe numero adeo reſiſtit, ut ſymptomatibus ſpecialibus contra eundum ſit remediis. In dolore capitis intenſiſſimo, & vigiliis contumaciſſimis & deliria minitantibus, in motibus convulſivis vel epilepticis avertendis, ſummi uſus ſunt veſicatoria mature adhibita ad humeros, immo ad femora ſimul, neceſſitate urgente. Siccum epithema ex nucleis perſicor. conquaſſatis, ſem. papav. alb. flor. roſ. rubr. lavend. ſem. carv. bacc. juniper. & mica panis concedi poteſt: aſt cane & angue pejus fugienda eſt epithematis humidi adplicatio, utpote quæ exanthematum eruptionem impedire, vel hactenus præſentia repellere poteſt. Mixturis commode aliquot guttulæ eſſ. anodynæ adduntur, potionibus gr. i vel ij theriacæ cœleſtis. Egregie etiam ſe gerit bolus ex elect. diaſcord. Fracaſt. pulvere bez. Senn. & ſpecif. ceph. Michael. veſpertino tempore adſumptus, non neglectis ſerum una reſtaurantibus, quæ etiam in calore & rarefactione maſſæ ſanguineæ nimia, hinc & in ſiti tali, in ariditate linguæ & faucium, præ reliquis commendanda ſunt. In ſomnolentia nimia, in ſtupiditate & ſenſuum hebetudine ab opiatis eſt abſtinendum; ſed potius analeptica, & quæ ſpirituum evolutioni blande favent, in uſum vocanda, ut potiones confortantes, quibus aqua flor. citri quantitate moderata addi poteſt. In reſpiratione difficili & anxietatibus nimiis, nec non in deliriis ipſis Tra bez. Wed. ad gtt. iij bis vel ter intra 24. horas adhibita inter potiones diaphoreticas & analepticas, & inter reliquorum remediorum convenientium uſum, ſuam quoque utilitatem egregie præſtat. Si tuſſis nimis vexet ægros, M Ra ſimpl. vel omittenda, vel parciori quantitate reliquis jungenda eſt. Loco ejus, M Ris bezoardicis elixir pectorale *Wedelii* additur. Pulveribus bezoardicis pulvis liquirit. admiſcendus proportione ſubquadrupla. Anginæ vero, pleuritidi, item dyſenteriæ ex ſuis loculis eſt occurrendum. In vertigine, tinnitu aurium, tremore cordis, & lipothymiis, externe pro odoratu adhibetur commode linimentum ex aqua apopl. Wedel. vel ∾u apopl. Hofmanni, & aceto rutaceo, pro-

portione debita compoſitum; interne vero pulveribus bezoardicis camphora ita jungenda eſt cum ſubquadruplo ♁ri, ut quælibet pulveris compoſiti doſis camphoræ granum dimidium contineat. In ſingultu & aliis motuum convulſivorum ſpeciebus, nec non in ipſis motibus epilepticis pul. epilept. Marchion & caſtor. pulveribus bezoardicis, & oleum bez. Wed. ad unam alteramve guttam commode jungitur. In vomitu, vel diarrhoea urgente ſymptomatice eſſ. theriacal. balſam. Wed. in pulveribus unic. foſſ. & terra lemn. addita parca pulveris caſcarill. quantitate, item bolus ex pul. bez. mai. Wed. cryſtall. mont. præp. & elect. diaſcord. Fracaſt. magni ſunt uſus.

§. XXX.

In omni febri maligna, medici eruditi ac prudentis auxilium mature eſt quærendum & legitimum 6 rerum non naturalium moderamen curæ cordique habendum per univerſum illius febris decurſum. Aer ſit temperate calidus, & corpus ægri ſufficienter tectum. Ex alimentis optima ſunt juſcula avenacea & brodium carnis bubulæ vel gallinaceæ tenue nec ſalſum, cum rad. ſcorzon. decoctum & taleolis citri conditum. Loco potus ordinarii ad ſumatur decoctum hord. cum C. C. & ſcorzonera jam ſupra commendatum. Moderata etiam infuſi herbæ theæ quantitas leniter ſaccharata concedi poteſt. Ratione motus & quietis, ante omnia mature decumbere debet æger, ne nimia maſſæ ſanguineæ agitatio & rarefactio ac ipſarum virium conſumtio admittatur. Somnus per humectantia blanda & per moderatum atque prudentem hypnoticorum uſum promovendus eſt. Animi pathemata graviora ſollicite vitanda ſunt. Tranſpiratio inſenſibilis conſervanda & juvanda eſt. Alvus ſi non ſuccedat clyſtere blando juvari debet.

FINIS.

HERMAN-

CLXVII.

HERMANNI PAULI JUCH,

ET

JOAN. JACOB. ZUBERBUHLER,

DE

FEBRE CATARRHALI EPIDEMIA,

CUM TUSSI ET CORIZA COMPLICATA, MENSIBUS VERNALIBUS ANNI PRÆTERITI IN PLURIBUS GERMANIÆ PROVINCIIS GRASSANTE.

Erford 19. Junii 1743.

PROOEMIUM.

Bonum & malum, contrariæ qualitates, num ſimul de eodem ſubjecto affirmative prædicari queant, diſputari poteſt. Affirmativam uno ore tuentur Philoſophi, hac addita limitatione: diverſo reſpectu. Concedunt igitur, contraria, ſeu oppoſita, omnino de eodem ſubjecto, ſimul vel quod idem eſt, eodem tempore, diverſo tamen reſpectu, affirmative prædicari poſſe; cui ſententiæ etiam nos ſubſcribere nulli dubitamus. Morbum enim conſiderando, is ſemper malæ cauſæ malus eſt effectus. Morbus opponitur ſanitati: quia vero ſanitas in ſe bona eſt, ergo morbus, illius oppoſitum, malus eſt. Malitiam prodit: actiones lædendo, vires ſubtrahendo & externas qualitates, ut oculorum ſplendorem, genarum & labiorum floridum colorem, totiuſque corporis venuſtatem ac agilitatem in deterius mutando. Malus itaque recte morbus pronunciatur reſpectu cauſæ, formæ & effectuum. An vero moderni Medici erroris accuſandi, qui de morborum ſalubritate multa diſſerunt? minime gentium: ab eodem ſpecie & numero morbo tum malos, tum bonos effectus promanare poſſe, nihil implicat, adeoque eundem bonum & malum ſimul affirmative prædicare licet, prout boni vel mali effectus intercedit reſpectus. Bonum vero qui in corpore ægroti poſt ſe relinquit effectum morbus, non injuſte ſalubris & per conſequens bonus dicitur, quia idem quod ſalubre, illud etiam bonum eſt. Exemplum talis morbi ſalubris præbet diarrhœa, quæ, teſte Hipp. Aph. S. VI. 16. ophthalmia laboranti contingens, bona. Et ſponte ſuperveniens vomitus a diuturno alvi profluvio detento, alvi profluvium ſolvit, A. S. VI. 15. Febrem unius diei medicamentum fortiſſimum ad ſacrum ignem, docet Celſus L. V, cap 8. Quis vero febres catarrhales benignas inter ſalutares morbos referre ambigit? Epidemica illa, de qua in præſenti ſpecimine ex inſtituto tractare ſuſcepimus, documento eſſe poterit; ſiquidem illa juvante, mucidi & corrupti per longam rigidam hyemem in corporibus geniti & retenti humores, ſoluti & excreti fuerunt, quem ſalutarem effectum, poſt epidemicam iſtam fere univerſalem graſſationem obſervata per ſequentem æſtatem, autumnum atque hyemem continua & firmiſſima plurimorum ſanitas, luculentiſſime confirmatum dedit. Sed his miſſis ad thematis noſtri deductionem progredimur. Faxit ſummum numen, ut omnia in maximi ejus nominis gloriam cedant.

HISTORIA MORBI.

Sub finem anni MDCCXLI. rigidiſſima ingruebat hyems, quæ ſub auſpicium novi anni haud mitius incedens, continua fere ſerie per januarium menſem durabat, inde vero februario menſe ſe ſubtrahens,

gratæ aëris temperiei locum cedebat, qua ſub ejuſdem finem iterum cedere coacta, adeo intenſum gelu noſtram occupabat atmoſphæram, copioſiſſimis ſimul nivibus per plures dies cadentibus, ut ſummum fere attingeret gradum, qualem unquam in noſtro climate experti ſumus, quæ frigoris vehementia non ſolum per omnem martii menſis decurſum eandem fere ſervabat crudelitatem, ſed & ſequente aprili & majo aliquantum equidem remiſſior, inſolito nihilominus pro temporis ratione gradu procedebat, qualem per hominis memoriam vix a quoquam obſervatum in ſummo conſtituti ſenio uno ore conſtanter aſſeverabant. Venti vero per omne hoc tempus ab oriente, vel medio inter hunc & ſeptentrionem ſpatio, plus minus vehementer aërem agitabant. Sub tali aëris conſtitutione febris primo pauciores corripiebat, mox vero plures indies invadebat cum levi quadam horripilatione, habitum corporis externum ad quadrantem vel horæ dimidium percurrrente, quam pulſus celeritas & vehementia, calor præternaturalis, modica laſſitudo & capitis dolores acerbi preſſo inſequebantur pede, ſomnum ſimul experiebantur ægri inquietum, cum appetitus modo abolitione, modo diminutione. Febris hujus impetum ſtatim ſecundo, vel tertio die, larga ſeri mucidi ad pectus, fauces, vel nares, congeſtio reprimebat, quæ tanto citius iterum extinguebatur, quo facilior & copioſior mox ſuccedebat ejuſdem per dictas partes excretio; cui in junioribus & ſanguine plenis ſanguinis per nares adjungebatur ſtillicidium, cujus ſalubritatem ut plurimum pro copia majore vel minore excreti cruoris æſtimabant, vel metiebantur: minimum capitis dolores inde promte vel minuebantur, vel omnino conquieſcebant. Contra, ubi memoratarum excretionum vel ſeri mucidi, vel etiam ſanguinis, molimina quædam ſe prodebant, abſque tamen debito effectu, facilis ſcilicet & copioſi fluxus, febris cum plurimis, quibus ſtipata incedebat, ſymptomatibus, ad ſeptimum, undecimum, vel quartum & decimum uſque diem percurrebat, ita ut continuæ inſtar, matutinis horis uſque ad quartam vel quintam pomeridianam remiſſiorem ſe gereret, poſt vero in noctem uſque ſymptomatum & caloris ægris adduceret exacerbationem. Continuata vero ſic per aliquot dies febrili humorum agitatione, & materia excernenda cocta ac ſoluta, excretio ſequebatur larga atque facilis, cujus laudabilis ſucceſſus non promittebat ſolum, ſed ipſo actu ſalutarem febris procurabat judicationem, cujus ſignum etiam urina, copioſum mucidum, albicans & leve ſedimentum per unum vel alterum diem deponens, exhibebat. Hoc modo regularis ſe habebat hujus febris decurſus, cujus eventus ordinarie bonus & ſalutaris erat: adeo vero communiter qualiſcunque ætatis & ſexus perſonas corripiebat, ut plures familiæ tres, quatuor & ultra ægros vel eodem tempore, vel continuata ſucceſſione curandos ſiſterent. In tanto vero eorum numero, qui morborum experiebantur admodum regularem & benignum, pauciores nihilominus occurrebant, ubi ſtagnatio intra pulmones profundior, non

tam

tam ſeri mucidi, quam ipſius ſanguinis, peripneumoniacum inferebat ſtatum, quem anxietas circa pectus cum anheloſa reſpiratione & crebra per aliquot dies vel ſicca, vel ſpumoſa & cruore tincta excernente tuſſi, luculenter ſignificabat; & ex his quidam, inprimis in ſenio conſtituti, funeſtum experiebantur eventum. Non omnino tandem deerant, in quibus febris aliquam malignitatis præ ſe ferebat notam, cum purpuræ ultimo vel rubræ vel albæ efflorefcentia, qua debite ſuccedente, opitulante tum prudente medicatione, tum accommodato regimine, circa diem 21. morbus ſalutariter ſolvebatur qui tamen paucis quibuſdam, ubi res in tranſverſum ibant, lethalem inferebat exitum.

R E S O L U T I O.

I.

MOrbum, cujus brevem hic pertexuimus hiſtoriam, in frontiſpicio *febrem* nominavimus *catarrhalem*, appellatione veteribus minus cognita atque uſitata, ſed quæ antecedente demum ſeculo peculiari cuidam morbo, tamquam ſpecialis nomenclatura propria facta eſt, eo præcipue fine, ut ab aliis ſpecie diverſis, genere tamen convenientibus, is ipſe diſtinctus exhiberetur. Febris vox generica eſt, omni affectui competens, ubi pulſus frequentia cum calore p. n. & laſſitudine magis vel minus gravi corpori moleſtiam gignit. Quia vero febres aliæ certum quendam obſervant typum, aliæ ſine typo incedunt, aliæ hoc, aliæ alio ſymptomatum agmine ſtipatæ prodeunt, & invaſionis ac ſolutionis modo variant, tum etiam diverſum obſervant durationis tempus; ideo ſpecificis characteribus ut diſtinctionis gratia notentur, e re judicarunt artis Doctores, qua de cauſa illa etiam febris ſpecies, quam veteres ſub *ephemeræ*, vel *ſynochi ſimplicis* claſſe, judice *Williſio de Febribus*, collocabant, peculiari *rheumaticæ*, vel *catarrhalis* cognomine ab antecedentis ſeculi medicis, ut *Sennerto*, *Tilemanno*, *Sylvio*, *Williſio* & aliis inſigniri cœpit, quia catarrhales & rheumaticas affectiones ſemper vel antecedit, vel comitatur.

II.

Quoniam autem febris hæc uno tempore ſparſim & rarius quoſdam affligit, alio vero plures in eadem, vel in pluribus etiam civitatibus & regionibus habitantes corripere ſolet, ita ut vix tertia, vel quarta hominum pars ab eadem libera maneat, hinc in *ſporadicam* & *epidemiam* diſtinguitur, dumque illa, de qua præſentem ſuſcipimus tractationem, ita propulariter graſſata eſt, ut quælibet fere familia non unum ſed plu-

res numeraverit ægros, ideo illam *catarrhalibus epidemicis* accenſendam judicavimus.

III.

Conſulto vero in titulo rheumaticas illas affectiones, quæ febri huic conjunctæ obſervatæ fuerunt, ſpecialius expreſſimus, ut tanto melius ab aliis catharrhalibus febribus diſtinctam exhiberemus. Tuſſis omnes, qui hac febre infeſtabantur, indiſcriminatim affligebat, quæ primo ſicca & laborioſa, progreſſu vero morbi magis expedita cum excretione fiebat, & hoc ipſo mox febris reprimebat impetum, quod tanto meliori & promptiori cum ſucceſſu contingebat, quando ſimul coryza jungebatur, copiam ſeri acris & mucidi per nares excernens, cujuſmodi fluxu per aliquot dies continuato, vi morbi fracta corpus ſanitati reſtituebatur.

IV.

Febres vero ejuſmodi catharrhales epidemiæ ſimiliter cum tuſſi & coryza invadentes, nec raræ, nec novæ ſunt, ſiquidem talem, quæ anno 1557. populariter graſſata eſt, *Valleriola* accurate deſcripſit in *App. Loc. comm. cap.* 2. refertque, eandem ante etiam anno 1510. viguiſſe. Et *Sennertus de Febre L. IV. cap.* 15. ſimilis morbi epidemici pandit hiſtoriam, qui anno 1580. ſub Sirii ortum, maxime autem circa novilunium æquinoctii autumnalis, totam pene Europam, imo fere omnes mundi regiones pervagatus eſt, qui æque ac noſter cum dolore capitis & calore febrili invaſit, mox ſequente tuſſi ſicca & pectoris dolore, faucium aſperitate & ventriculi languore. Conveniunt vero etiam cum noſtra hiſtoria, quæ de frequentia & eventu ejuſdem nobis communicavit: *quamvis maxima hominum pars hoc malo corripiebatur, omnes tamen fere evadebant & vix milleſimus quiſque moriebatur, nimirum ii, qui vitia quædam diuturna & latentia in viſceribus habebant, & qui ſanguinem aperta vena mittebant; Experientia enim hoc comprobavit, omnes fere mortuos eſſe, quibus vena aperiebatur.* Similem a *Williſio* anno 1658. medio vere obſervatam febrem legimus, *L. de febr. opp. p.* 209. Sylvius *Lib. I. prax. Cap.* 30. febres catharrhales a ſe notatas refert his verbis: *ſed obſervantur quoque febres intermittentes catarrhales vocandæ, a catarrho non tantum ad pulmones, verum ad alias quoque partes ruente, atque una cum paroxyſmo febrili moto ac ceſſante.* Nihil vero refert, *Sylvium* febres catharrhales ad intermittentium ordinem referre, cum haud raro typicæ occurrant, quæ non minus ac intermittentes communiter ita dictæ tempora ſtata ſervant, quibus acerbantur, remittunt ac intermittunt. Præſente vero ſeculo ſimiles itidem aliquoties experti ſumus febres catarrhales epidemicas, ſiquidem Ill. *Hoffmannus* tales anno 1709. poſt acerrimam hiemem, aprili & majo initiante, Berolini tum degens, obſervavit, vid. ejuſd. *Med. Syſtemat.*

Tom.

Tom. IV. p. 1. Porro anno 1712. in fine maji & principio Junii, uti & anno 1737. exeunte Junio & integro Julio menſe per Thuringiam, Saxoniam ſuperiorem & alias plures Germaniæ provincias ſimiles morbi propulariter graſſati ſunt, de quorum ultimo ſolertes notarunt Practici, quod in adultis ut plurimum tuſſi, in pueris vero frequentius narium hæmorrhagia ſoluti fuerint. Plures aliæ enarrationes de ſimilibus epidemice graſſantibus morbis, in *Annalibus phyſico-medicis Vratislav..* ut & *in actis medicorum Berolin.* inveniuntur.

V.

Febrem vero catarrhalem, quam præſente Diſſertatione examinare ſuſcepimus: ita deſcribimus, quod ſit *motus ſolidorum & fluidorum adauctus, cujus beneficio ſerum ſuperfluum & vitioſum ex perſpiratione cohibita, per glanduloſa narium & bronchiorum, ſubinde etiam faucium organa critice & ſalutariter ſeparatur atque mediante tuſſi & coryza excernitur.*

V I.

Febrem hancce talia ſignificabant criteria diagnoſtica: animi quædam dejectio, cum univerſali corporis laſſitudine, ſcenam aperiebat, ſuccedente eodem, vel inſequente die, circa veſperam ut plurimum, levi per univerſam cutem horripilatione, cum extremorum, pedum maxime, refrigeratione; excipiebat hanc calor & ardor circa caput primum, dein etiam univerſum corpus præter naturam incaleſcebat: pulſus tam vehementia, quam frequentia a naturali ſtatu declinabat & acuti circa caput dolores, noctu diuque affligentes, ſomnum interruptum & inquietum reddebant, imo in quibuſdam omnino tollebant: intercurrebant plus minus crebræ ſternutationes, pectoris compreſſio, tuſſis, primo ſicca, deinde cum excretione ſeri mucidi & acris plus vel minus larga, quæ declinante morbo in mucidam vertebatur, non paucis quoque ſimul ſimile per nares fluebat excrementum, optima cum euphoria. Comitabantur hæc univerſalis torpor & gravitas corporis, appetitus abolitio & ſitis crebra, quæ quibuſdam, ob potulentorum abominabilem & adverſum ſaporem, maximam creabat moleſtiam: ſudores nonnulli experiebantur matutinos, aliis vero tales etiam interpoſito tempore nonnunquam ſtillabant & his tuſſis & expectoratio minuebatur, materia per ſudores conſumta.

V I I.

Immediata morbi *cauſa* eſt ſerum copioſum acre & mucidum in corpore collectum & coacervatum, quod partes nerveo-membranoſas & vaſculoſas irritando & ſtimulando, motuum efficit intenſionem, unde

 ſe-

febris cum cæteris, quæ illam comitantur, pathematibus, inprimis ſeri iſtius vehementer commoti in tunicis glandulоſis narium, faucium, aſperæ arteriæ & bronchiorum, ſubinde etiam œſophagi, ventriculi & inteſtinorum congeſtio & collectio, has partes cum dolore & tumore inflammans, quæ omnia preſſorius pectoris dolor, tuſſis, raucitas vocis, ſternutatio, ſeri mucidi per nares ſtillicidium, nauſea & vomitus quandoque, quamvis rarius; in principio affligens, & alvi ſubinde ſalutaris fluxus declinante morbo accedens, luculenter probant.

VIII.

Cauſam vero præternaturalis hujuſmodi retentionis ſeri excrementitii in corpore merito ſæpe turbatam & ſuppreſſam accuſamus tranſpirationem; ſiquidem utiliſſimæ hujus excretionis diminutionem, vel omnino ad tempus defectum, neceſſario præternaturalis excipit collectio, quæ tandem vires acquirens, morbum hunc gignit, in quo mediante intenſiore rarefactivo & propulſivo motu materia illa, quæ longiore mora ſi non interitum, tamen graviſſimam & diuturnam ſanitati labem afferre poſſet, mature e corpore proſcribitur.

IX.

Ver hoc anno jam adoleverat, cum febris iſta ſparſin ſe prodere inciperet, verſus medium enim Aprilis pauciores ægri eadem infeſtabantur, eorum vero numero in dies multiplicato, in epidemicum, ſeu populariter graſſantem increſcebat: taliſque per integrum majum ad medium circiter Junii perſeverabat, a quo tempore ſenſim iterum decreſcens, tandem exeunte hoc menſe in totum evaneſcebat. Vernalis autem aëris conſtitutio tum inſolitam plane induerat rigiditatem, ventis creberrime admodum frigidis ex oriente & quæ media interponitur inter hunc & ſeptentrionem plaga, ſpirantibus, maximamque nivium ſæpe granulatarum copiam adducentibus, exin vero habitu corporis nimis diu conſtricto, neceſſario perſpirario ſupprimebatur, cui nihil vel parum commodi quandoque per unum vel alterum diem intercurrens temperatior aura afferre poterat, ſiquidem vix ad cutim poroſam iterum invitatum ſerum per mox ſuccedentem rigidum conſtringentem aërem potentiſſime iterum reprimebatur; quæ tempeſtatum crebra permutatio ordinarie adeo male corporis corticem afficit, ut ſuccedens per illum evacuatio quam graviſſime inde turbetur, & hinc adeo magna ſeges talium morborum vere & autumno, circa æquinoctiorum tempora, quæ maxime crebras patiuntur hujuſmodi viciſſitudines, producta fuit.

X.

Num vero præter dictam manifeſtam tempeſtatis conſtitutionem, etiam occulta quædam aëris diatheſis ſecundum *Syndenhamium*, (*a*) quæ ab inexplicabili quadam alteratione in ipſis terræ viſceribus pendet, unde aër ejuſmodi effluviis contaminatur, corpora ad hunc morbum ſuſcipiendum determinavit, certo aſſeverare nolumus: quanquam inficias ire nequeamus, quod quandoque in aëre ejuſmodi ſubtilis cauſtica materia hoſpitetur, quæ inſpiratione hauſta, glanduloſis locis per quæ tranſit ſe inſinuat, eademque dolore, tumore & rubore afficit febremque accendit catharrhalem (*b*). Promta certe ejuſmodi acris materiæ geneſis vere ineunte, quo, liqueſcente nive & regelata glacie, ſolum aqua inundatur effœta, quæ paſſim ſtagnas & putreſcens, noxia in aërem mittit effluvia multa. Inde etiam fit, ut febres hæ tum ut plurimum ſint epidemicæ & plures uno tempore invadant.

X I.

Tali cauſarum conſpirantium ordine producta febris catharrhalis epidemia, in plurimis benignam prodebat indolem, quia nec continuus ægros urebat calor, neque lecto ſemper affixi tenebantur. Sed quandoque orthoſtadii eſſe, vel obambulationi ſtudere illis erat integrum; cæterum ſymptomata, quæ illam comitabantur, intra mediocritatis terminos ſe continebant, neque continuo, multo minus diu, moleſta erant, ſed mox, critica ſuccedente excretione, morbus ſanitati iterum cedebat locum; quæ omnia maxima ex parte per autocratiam naturæ, ſub regimine & diæta, excretionibus, quibus ſolvebantur, congrua, ex voto procedebant.

X I I.

Sicut autem hæc febris ex ſuppreſſa tranſpiratione, indeque præternaturaliter retento ſero ſalſo-ſulphureo, cujus continua per cribroſum cutis habitum excretio maximum ad tuendam integram ſanitatem momentum habet, tanquam effectus a ſua cauſa ſuum eſſe acceperat: ita etiam ejuſdem remotio haud meliore via ac modo efficaciter abſolvi poterat, quam ſerum corruptum & ſuperfluum per congrua emunctoria e corpore proſcribendo, ac potiſſimum ſalutare perſpirationis negotium, reſeratis poris, in debitum ſtatum reſtituendo.

X I I I.

(*a*) *Oper. edit. Lipſ. p.* 44.
(*b*) *Vid.* Hofmanni *Med. Syſt. T. IV. p.* 1. *cap.* 6. §. 8.

XIII.

Ipſa natura vero in quam pluribus ſubjectis ſpontaneo motu in prædictos fines adeo congruenter omnia dirigebat, ut abſque medicamentorum ſubſidiis, in principio ſtatim aucta perſpiratione, vel largis profuſis ſudoribus, febris ſæpe ex voto ſolveretur: in aliis vero crebra tuſſi & copioſo ſcreatu atque expectoratione, vel largo, in ſuperveniente coryza, ſeri acris & mucidi per narium canales ſtillicidio, poſt aliquot demum dies morbus cedere cogeretur, adeo, ut ſymptomata omnia, nimirum capitis dolores, ſomni defectus, appetitus diminutio una cum laſſitudine univerſali ſimul extinguerentur.

XIV.

Contrario plane ordine in aliis febres tales procedebant, ſiquidem in prima ſtatim origine nares, crebra tentatæ ſternutatione, ſerum mucidum excutiebant, largiore hinc ſequente ejuſdem ſtillicidio: accedebat tuſſis, plus minus facilis & frequens; qua juvante tracheæ & bronchiorum membranam glanduloſam occupans, ſimilis excrementitia materia ſcreatu & expectoratione excernebatur, nihil adhuc dum per reſeratos cutis poros, reſtituta perſpiratione, vel ſenſibili manante ſudore: iſta vero in morbi progreſſu circa ſeptimum, undecimum, vel decimum quartum redeunte excretione, & liberiore quidem fluxu, priores per nares & fauces ſeri effluxiones ſenſim iterum conquieſcebant, cum euphoria & ſalutari morbi exitu. Simile huic obſervavit *Sennertus de febribus*, *Lib. IV. Cap.* 15.

XV.

Memoratis, maxime communibus & frequentibus ſeri excretionibus ſalutaribus, merito adjungimus in aliquibus obſervatam circa urinam notabilem in quantitate & qualitate mutationem, quæ nempe in principio morbi tenuis & pauca reddebatur, circa criſeos tempus magis colorata fiebat, copioſum ſedimentum albicans & mucidum deponens, & in longe majore, quam antea, quantitate manabat, quæ proinde parciorem ſeri per ſcreatum, nares & poroſum corporis habitum, excretionem compenſabat. Pauciſſimis exundantis materiæ peccantis evacuatio per alvum ſuperveniebat, quibus ſcilicet excretiones per ſuperiores partes, habita quantitatis ad illas ratione, haud ſufficientes fuerant.

XVI.

Præter recenſitas ſolennes ſeri ventilationes junior & ſanguine abundans

dans ætas; modicas narium patiebatur hæmorrhagias, cui ſcilicet cum ſeroſi laticis circa ſuperiorem corporis regionem congeſtione, etiam ſanguineorum vaſorum infarctus contigerat, capiti gravitatem & dolorem haud levem inducens; quæ vero ſymptomata, una vel altera ſanguinis effuſione, vel notabiliter miteſcebant, vel omnino ſubmovebantur.

XVII.

Natura igitur in hoc morbo non ſolum ut prudentem ſe gerebat medicatricem, cui quæ in ſalutem corporis agenda ſuſcipiebat, omnia bene cedebant; ſed etiam medico miniſtro ut fidelior & circumſpecta præibat magiſtra, optimam aperiens methodum, quæ tunc erat obſervanda, quando deficiente autocratia, conſilio & adæquatis medicamentis labefactata corporis ſanitas reparanda erat. Vias nimirum & excretoria loca evidenter indicabat; per quæ ſerum abundans & vitioſum, hactenus e ſuppreſſa perſpiratione retentum, commode & ſalutariter evacuandum eſſet. Eam igitur excretionem; quæ per bronchia, tracheam atque fauces & proprie harum partium membranas glanduloſas fieri debebat, tuſſis & ſcreatus prodebat; fluxum vero per nares; mucidi ſeri verſus illas confluxus una cum ſternutatione ſignificabant. Imminentem ſanguinis in capite turgeſcentis per nares evacuationem conſtitutio plethorica, junior & florens ætas, conſuetudo, intenſior capitis dolor & inprimis vehemens in ſincipite preſſio in nares pertingens; præindicabant. Parca contra per memoratas partes excretio, vel ea omnino, continuante febre, deficiens, vel per peripheriam corporis poroſam, vel inteſtinorum canalem expectandam eſſe peccantis materiæ proſcriptionem, arguebant, quorum hæc vel illa ſemet exſerere incipiens; ſpontaneorum motuum devergentiam pro ſpecialibus excretionibus inſtituendis monſtrabat.

XVIII.

Sicut autem inter præcipuas medendi regulas etiam illa merito referenda eſt: medicus ſit naturæ ſpectator, imitator & miniſter; ita in ejuſmodi morbo potiſſimum, ubi illa ſufficienter & expedite abundantes & vitioſos humores movet & excernit, in tali negotio eandem nec turbare, neque reformare, ſed potius connivendo & nihil agendo ſpectatorem agere debet; id quod in noſtra catarrhali febre epidemia in quam multis optime ceſſiſſe obſervavimus. Quando vero ob humorum peccantium nimiam vel quantitatem, vel tenacitatem & craſſitiem, ſegniores & languidiores, quos natura inſtituebat, motus haud pares erant excretionibus debite & ſufficienter promovendis & abſolvendis, nihil conſultius judicare licebat, quam naturæ methodo inſiſtere, eandemque prudenter imitari, & ad eoſdem canales eademque excretionum loca materiam

teriam peccantem promovere, verſus quæ naturæ ſpontaneos motus dirigi attente obſervavit, id quod etiam ſapientiſſime *Hippocrates* commendavit, *Sect. I. Aphor.* 21. *Quæ ducere oportet, quo maxime vergunt, eo ducendum per loca convenientia.* Deficiente tandem omnino natura, ac virium inopia, vel materiæ peccantis ad ſecretionem & excretionem ineptitudine, gravia obſtacula objiciente, cujuſmodi caſus in tenera ætate & extremo ſenio, vel etiam in ſubjectis a perpeſſis aliis gravibus morbis debilitatis, quandoque obvios habuimus, ſimiliter quoque perito medico incumbebat, miniſtri naturæ munus ſuſcipere, atque humorem peccantem corrigere, ac debite ad motum præparare, canales & vias, per quas illa ducenda erat, emollire, laxare & ab obſtructionibus expeditas reddere, tum etiam ipſa evacuatoria patula reddere; demum vero ejuſmodi dextre applicare medicamina, quæ particulis ſuis acrioribus in tantum ſegnes partes ſolidas ſtimulando, motus excitant, intendunt & excretiones promovent, cujuſmodi practicas cautelas itidem nos docet *Hippocrates Sect. I. Aphor.* 22.

X I X.

Neutiquam igitur omnes, qui hanc ſuſtinebant febrem catarrhalem epidemiam, medicamentorum indigebant auxilio, omnium minime illi, qui vigore & robore abundabant, in florente & vegeta conſtituti erant ætate, & ubi illa mitior erat atque mox excretionibus ſat largis facile progredientibus, judicabatur. Nihilominus tamen optime ſibi conſulebant, qui poſthabito remediorum uſu, in obſervando conveniente regimine ſe haud negligentes gerebant, ſed prudenter juxta regulas à medicis præſcriptas ſe ita componebant, ut omnia ſollicite vitarent, quibus ſalutares excretiones turbari & reprimi, omnia è contrario agerent, quæ ad illas quidquam conferre poterant.

X X.

Perniciofum ejuſmodi ſubjectis erat, in aëre libero, ventoſo & frigido verſari, immoderato & inſalubri victu uti, vino & aliis ſpirituoſis potulentis frui, laboribus corpus fatigare, vel vehementibus animi paſſionibus commoveri: ſanitatis contra promptæ reſtitutioni favebat, in conclavi tepido ſe continere, ad perſpirationem corpus diſponere, quieti vacare, victu tenui & parco corpus reficere & potum ingerere temperatum, animum vero in conſtante continere tranquillitate.

X X I.

Ubi vero intenſior febris, tardiores & ſegniores motus excretorii, vel ſymptoma quoddam, operam poſtulabant medicam, & talem quidem, quæ appropriatis medicamentis ſubvenire debet, *prima indicatio* erat: *Ni-*

Nimium æſtum attemperare; qui finis optime præcipitantibus, modico nitri & diaphoreticis fixis, v. g. Conchis, Matre perlar. ♁io diaphor. obtinebatur. II. *Languidam perſpirationem cæteraſque ſeri exundantis & mucidi excretiones, parcius ſuccedentes, promovere & in ordinem redigere*; cui ſcopo (α) ad *perſpirationem* juvandam, præter ſupra laudata præcipitantia & diaphoretica fixa, Succin, ppt. Camphora; C. C. phil. ppt. vel in pulverum forma, aut cum aquis diapnoicis, ut Chærefol. Scabioſ. fl. acac. Card. bened. in potiones redacta, ſatisfaciebant; ſin vero motus languidiores excitandi erant, antedictis Eſſ. alexipharmaca Stahlii, Succini, Pimpin. Scord. Angelic. vel etiam ⁓ C. C. aut bezoard. Buſſii in parca doſi matutinis & pomeridianis horis optimo cum effectu interponebantur, id quod tamen nullo modo in cholericis & plethoricis ſubjectis; in quibus fibras ſtrictiores, ſpaſmo affectas, & humores æſtuoſos obſervabamus, moliri licebat, ſed ſolummodo in ægris laxioris & ſeroſi habitus conſultum judicabamus. (β) Ad difficilem & minus bene ſuccedentem excretionem per *tuſſim* & fauces faciliorem reddendam, in nimia materiæ tenacitate proficuam experti ſumus vel ſimplicem rad. pimpinellæ eſſentiam, doſi guttularum 25. in adultis mane & hora una ante cœnam exhibitam; vel compoſitam, additis priori, Eſſ. Enul. Succin. & Angelicæ in refractiore quantitate. Pro attenuatione vero materiæ & molliendis viis & canalibus infuſum Theiforme ex herba Capill. ♀is, Hyſſopi; Veronic. rad. Liquirit. Fl. acac. & Sem. Fœnicul. ſalutarem edebant effectum, cui alter non minus ſalubris accedebat, quod peripherica excretio hoc medicamenti genere non parum promovebatur. (γ) Ad mucoſo-ſeroſæ materiæ; ad nares in adjuncta coryza translatæ, reſolutionem efficiendam & lentiorem effluxum augendum, pulverem Lilior. convallium pro errhino adhibitum, vel pulv. ſternutatorium ſequentis compoſitionis proficuum experiebamur: Rec. Pulv. Lilior. convall. reſin. Lign. Guajac. aa. gr. xv. Sacchar. canar. ℥ß. ₒ°ₒi Caryophyll. Lavendul. aa. gtt. j. M. F. Pulv. Interne vero ægrorum votis ſatisfaciebant medicamenta mucum reſolventia & ſalia diuretica, aliis adjecta, vel interpoſita, ac commodo tempore, inclinante nimirum ad largiorem diureſin natura, exhibita.

XXII.

Non parum vero moleſtiæ lymphæ peccantis ſalina gignebat acrimonia, unde *tertia* reſultabat *indicatio*, quæ *illam temperare & obtundere* jubebat. Acrimonia iſta non ſolum guſtu percipitur, ſed etiam ſenſibili irritatione in narium membrana nervoſo-glanduloſa, ſternutationes movendo; manifeſta redditur, accedit; quod copioſiore & longiore è naribus ſtillicidio, vel per fauces fluxu, in partibus hiſce quandoque eroſionem & exulcerationem efficiat. Optime vero illa corrigebatur abſorbentibus &

bezoardicis fixis, diluentibus & oleoſis, v. g. Ol. amygd. dulc. ſperm. ceti, lacte & Cremore lactis, Emulſionibus ex Amygdal-Pineis & Sem. papav. alb. paratis decocto avenæ excortic. cum vitello ovi. Excoriationem vero faucium ab acris materiæ confluxu inprimis levabat Looch ſanum & expertum cum dimidia parte Syr. papav. errat. mixtum, in ejuſmodi ſubjectis, ad quorum palatum dulcia erant.

XXIII.

Ubi confluxus lymphæ acris & viſcidæ nimis copioſus, diutius quam par erat, pulmones inundatos tenebat, unde hujus viſceris gravis atonia & tandem ex humorum acrimonia & ſtati corruptio aliqualis metuenda videbatur, declinante febre, pro humoris pituitoſi diverſione tempeſtive procuranda, conſultum erat, una vel altera vice exhibito laxante medicamento, verſus inteſtina movere ac per vias ibi patulas evacuare, hoc enim modo prudenter intercepta nimia verſus pectus congeſtione, tuſſis paucorum dierum ſpatio mitigabatur & tandem conquieſcebat. Experiebamur autem inprimis tali ſcopo mannam & agaricum in ▽a flor. acac. ſoluta & decocta adæquata, ad ℥v. aquæ, mannæ ℥ij. & Agarici ʒij. recipiendo. Quibuſdam magis placebant pilulæ, illis becherianæ aut ſtahlianæ, vel etiam ex extracti diacarthami ℈j. & granis iv. vel v. reſinæ gialappæ paratæ, ſalubrem ſpondebant effectum.

XXIV.

Sin tandem pulmones, poſtquam deferbuerat febris, notabilem contraxiſſe laxitatem, ſeu atoniam, obſervatur, eſſentia Succini, menſtruo ſalibus non acuato parata, & cort. Caſcarillæ, egregie opitulabantur; vel pulveres è diapnoicis & abſorbentibus concinnati, additis pulv. Caſcarillæ granis aliquot, rem conficiebant.

XXV.

Febris vero hæc lymphatica, quam catarrhalem epidemiam nominavimus, haud alia meliori in plurimis ſolvebatur criſi, quam lymphæ quantitate & qualitate peccantis expedita & larga per diverſa corporis apta emunctoria, excretione. Nihilominus tamen in ætate juniore, ubi vaſa ſanguine turgeſcebant, antequam lymphæ ſeri mucidæ & acris per quaſcunque vias ſufficiens emiſſio fieret, ſanguinis per nares ſtillicidium accidebat, quo, ſi aliquot unciæ emanabant, non ſolum graviſſimi capitis evaneſcebant dolores, ſed lympha quoque, quæ exitum moliebatur, liberius profluebat, inprimis autem graves pulſatorii capitis dolores, una cum febrili æſtu, inde ſenſibiliter miteſcebant.

XXVI.

XXVI.

Quæſtio tandem decidenda venit, num venæ ſectio in febre catarrhali epidemia, cujus deſcriptionem in introitu hujus tractationis exhibuimus, commode inſtituatur, imo neceſſario adminiſtrari debeat? ad quam, probe trutinatis omnibus circumſtantiis, ita reſpondemus: α) Quod nulla omnino hanc ſanguinis ventilationem indicit neceſſitas, cum hujus morbi ſolutio completa ſub decente regimine & curationis adminiſtratione hactenus præſcripta, a legitima, libera & expedita abundantis & vitioſæ lymphæ excretione, certo & tuto expectari queat; β) ſanguinis miſſione tranſpiratio turbetur, inde vero tenacior ſeri excrementitii fiat retentio atque collectio, qua febris non ſolum magis accenditur, ſed etiam ſeri major verſus bronchiorum canales & narium membranam glanduloſam provocatur translatio & affluxus, & ſic venæ ſectio, experientia teſte, catarrhi diuturnitatem adducit, uti recte judicat Ill. *Hoffmannus, Med. Syſtem. Tomo IV. p.* 1. Præterea vero febrem in ſe benignam, in acute malignam hac ipſa converti, inter alia memoratu digna probat *Sennerti* obſervatio, quam *Lib. IV. de febribus, cap.* 15. recenſuit, quod nimirum Anno 1580. catarrho & tuſſi epidemia maxima hominum pars correpta, vix vero milleſimus quisque mortuus ſit, niſi qui vitia quædam diuturna latentia in viſceribus habebant, & qui ſanguinem aperta vena mittebant. Experientiam enim hoc comprobaſſe, omneſque fere mortuos eſſe, quibus vena aperiebatur, & Romæ tunc temporis ultra 2000. hominum hoc malo extincta eſſe, fortaſſe & hac de cauſa, quod Itali medici nimis promti ſunt ad mittendum ſanguinem.

XXVII.

Antequam vero, ſublata febre, ægros, inprimis delicatioris conſtitutionis & cacochymiæ labe quadantenus affectos, dimittamus, medici curam gerentis officium erit, ut lymphæ viſcidæ attenuationem & reſolutionem adhuc promoveat, & ut ſeri ſe-& excretiones per convenientia colatoria & emunctoria adjuventur, quorum prius per infuſa calida plantarum balſamico acri ſale impraegnatarum, ut hyſſopi, Scordii, Pimpinell. Capill. ♀is, Saturejæ, Fl. acac. Sem. Apii, Fænicul. Aniſi, ut & Tincturas ac Eſſentias alcalinas atque reſinoſas, nimirum Tinct. tart ♀ii acr. Eſſ. Enul. Pimpinell. Angelicæ, Gum. ammon. optime abſolvi poterit; poſteriori vero ſcopo obtinendo inſervient Eſſ. Cort. Lign. Saſſafr. Lign. Aloës, Succini atque Caſcarillæ, proinde ſimul aerem frigidum vitando & corpus moderato motu exercendo.

X X V I I I.

Hactenus quæ ad pathologiam & curationem febris catarrhalis epidemiæ ſimplicis & benignæ ſpectant; expoſuimus. Cum vero in hac conſtitutione etiam caſus quoſdam, rariores equidem in proportione ad magnum ægrotantium numerum, obſervaverimus, ubi morbus epidemius etiam Peripneumoniam conjunctam habebat, ideo nec horum in præſenti tractatione immemores erimus. Præcipue vero commemoranda ducimus ſigna, quæ febrem catarrhalem cum Peripneumonia complicatam indicant, ſuntque illa difficilis reſpiratio, cum preſſionis & ponderis in pectore ſenſu, punctiones pectus ſubinde percurrentes, crebra tuſſis, qua plerumque ſpumoſum congrumato ſanguine permixtum ſputum ejicitur, & febris magis acuta ac per plures dies continua; quæ omnia tamen, largiore materiæ mucidæ ſcreatu ſuccedente; ſenſim mitiora redduntur, & morbus, adventante liberiore perſpiratione vel ſudore in cute perceptibili, circa ſeptimum vel undecimum diem perfecta quaſi criſi facta recedit: ſecus vero comparatum eſt, ubi febris ejuſmodi compoſita ſenile corpus invadit, ſeu aliquis a longo tempore aſthmaticus, vel pectore infirmus degit, & ſummus languor mox a principio univerſum occupavit corpus, ob quem nulla in pulmone ſubſiſtentis ſanguinis reſolutio & diſcuſſio, nulla quoque mucidæ lymphæ ſalutaris & expedita excretio fieri poteſt; ibi etenim in dies magis ingraveſcente morbo, viſceris affecti ſphacelatione & bronchiorum a materia mucida infarctu & repletione æger oppreſſus, ſeptimo, undemico, vel ad ſummum decimo quarto die ſuffocabitur.

X X I X.

In talis modi affectus compoſiti curatione, prima medentis intentio eſſe debet, ut ſanguis vel ſuperficialiter tantum, aut magis profunde in pulmonibus ſtaſin concipiens, in plethorico corpore in primo morbi principio V. Sne minuatur ac a pulmonibus divertatur; dein vero in parte interceptus diſſolvatur, diſcutiatur, ac fervor ejuſdem temperetur; quibus indicationibus peracta V. Sne optime ſatisfacient pulveres ex ocul. ♋ acido citri ſaturatis, tanquam baſi, Arcan. dupl. ⊖tro depur. ♁io diaph. Flor. ♃is, cum tantillo Camphoræ, grani nimirum dimidia vel tertia parte pro qualibet doſi, concinnati, ſingulis quatuor horis ægro ℈i vel ʒß. propinando. Juvabunt vero etiam haud parum temperantia Julapia ex ▽is fl. acac. Chærefol. Scabioſ. Syr. acetos. Citri & pro qualibet uncia ~tus ⊖tri dulc. gtt. 5. vel 6. parati, ac ſingulis horis ad cochlearia duo vel plura exhibita. Ubi vero ob crebriorem interdiu cereviſiæ adſumtionem, ægri ejuſmodi medicatum potum ſumere recuſant,

ad

ad minimum eidem in tanta, quæ commodo eſſe poteſt, quantitate ingerendo, noctis ſpatium cum matutinis horis opportunum eſſe poterit, & ut, utilitatis & neceſſitatis ratione habita, medici conſilio obtemperare haud recuſent, perſuaſionibus cum comitate conjunctis adducendi erunt.

XXX.

Pro diluendo autem, temperando & in motum debitum reſtituendo, qui in organis reſpirationis interceptus hæret, ſanguine, julapiorum vicem inſigni cum emolumento ſupplere poterunt decocta hordeacea, veteribus *Ptiſanæ* dicta, additis rad. Scorzoneræ, paſſul. minor. & CC. raſ. parata, qualia, ſepoſita cereviſia, pro potu ordinario hauſta & per aliquot dies continuata, in his & aliis acutis morbis eximium effectum edunt, & ad ſalutarem exitum promovendum maximum conferunt momentum, conjuncto ſimul ſupra præſcriptorum pulverum uſu.

XXXI.

Quando morbo ad quartum, ceu indicem, vel ſeptimum, tanquam criticum diem procedente, tuſſis, quæ hujus morbi fere individuus comes eſt, expeditior fieri incipit, cum ſputi cocti in dies augeſcente excretione, febriſque notabili remiſſione, nova emergit indicatio, criticam hanc ſecretionem morbificæ materiæ ejuſque è corpore proſcriptionem appropriatis tonico-reſolventibus juvandi, id quod vix efficaciori modo exequemur, quam Eſſ. alexipharmacam Stahlii vel ſolam, vel addita tertia Eſſ. Pimpinellæ parte, mane & poſt meridiem, imo, urgente copioſiore ejus congeſtione, poſt mediam quoque noctem, ad guttas circiter triginta, in cereviſia, vel ſupra laudato decocto hordeato, exhibendo, ſingulis tamen nycthemeri ſpatiis, Th. XXIX. commendatorum pulverum tres, vel ad minimum duas propinando doſes, donec febris conquieverit.

XXXII.

Pauci inter quam multos occurrebant ægroti, in quibus febris catarrhalis aliquam malignitatis præ ſe ferebat notam, & propterea benignis vel ſimplicibus haud adnumeranda erat, quas ſtato criſium tempore perſeverans morbi cruditas, gravior virium proſtratio, febris intenſior, pulſus parvus cum celeritate conjunctus, vehementior ſitis, appetitus omnino deficiens, ſomni omnimoda abolitio, dolores gravius ſubinde caput infeſtantes, tales per dorſum & artus modo vagantes, modo in aliquibus fixam occupantes ſedem, impeditior reſpiratio huicque conjuncta

circa

circa cor anxietas, ab ipſis benignis ſatis exacte diſcernebant, ac tandem illa circa undecimum, citius quandoque vel ſerius, in ſuperficie apparens purpuracea frequentius rubra cum alba permixta excretio, confirmabat.

XXXIII.

Plurimi tamen, quibus è firmiore luto Titan finxerat præcordia, ſub favore ætatis florentis hanc ſyrtim feliciter transnatabant, naturæ benignitati ſalutari arte optatas ferente ſuppetias. Curationis vero negotium optime abſolvebant bezoardica temperata, interpoſitis commodo tempore alexipharmacis, habito ſemper ad excretiones affectui competentes reſpectu, ut illæ omni poſſibili modo, quocunque loco emicare obſervabantur, juvarentur; quo enim, ſecundum *Hippocratem*, natura viam affectat, eo ducenda, & medicus præeuntem naturam tanquam fidelis miniſter ſequi ſtudeat, quæ nec pelli, nec cogi, ſed minus valida & morbo infirmata, manu duci deſiderat. Optatum vero omnium ſucceſſum tanto certius expectare licet, ſi medentis cura eo dirigitur, ut qui peccat humor rite præparetur, & motus, quos in ſalutarem finem natura molitur, ſi languidiores fuerint, placide, minime vero impetuoſe promoveantur, ductus vero & viæ, per quas excretio intenditur, patulæ & liberæ procurentur, quæ quibus mediis obtinenda, jam in therapia, quæ ſupra febri catarrhali dicata fuit, monuimus.

XXXIV.

Sicut tandem in quorumcunque morborum adminiſtrationibus, medicatio, quæ per medicamenta ſuſcipitur, vix optato cum effectu ſuccedit, niſi vitæ ratio, ſeu diæta curationis indicationibus conformiter dirigatur, & medicamentorum operandi rationi accommodetur; ſic etiam in catarrhali febre, de qua in præſenti ſpecimine egimus, haud tutiore via incedere nos poſſe judicamus, ſex quam rerum non-naturalium uſum ad ſpeciales medendi leges adaptando. Vitetur itaque omnis aëris frigidi, inprimis vehementius commoti, ſeu ventoſi, admiſſio, qua humores inſpiſſantur & ad ſalutarem ſeceſſionem puri & utilis ab impuro inutili, tum hujus quoque expeditam excretionem inepti redduntur, pori vero occluduntur, ut peripherica, quæ per tranſpirationem & ſudorem fit, ſe i, quantitate & qualitate peccantis emiſſio, cohibeatur, quæ tamen maximum, ad optatum morbi exitum, confert momentum. Exulent quoque alimenta dyſpepta, ſalita, acida, piſces, præcipue marini & farinacea ſolida, vina maxime acida & omnis circa potulenta exceſſus. Somni & vigiliarum commenſuratio equidem non ſemper & abſolute penes ægros eſt, interim tamen quodammodo in noſtra repoſitum manet poteſ-

teſtate, illum promovere, vel impedire; quare conſultum judicamus, diurnum arcere ſomnum, ut per noctem ſuaviter eo reficiamur: quo tamen ex morbi ratione deficiente, tempus remiſſionis morbi expectare, nec ſoporiferis illum procurare conſulimus, quibus ante judicationem pernicioſius nihil eſſe poteſt, quia his ipſis ſalutares naturæ motus irreparabili ſæpe cum damno ſiſtuntur. Corporis vero quietem, tanquam optimum medium ad naturæ vires, pro expugnando feliciter morbo neceſſarias, fovendas & ſervandas, commendamus: jectigationes contra, lectorum & induſiorum crebras mutationes, tanquam pernicioſiſſimas, vires deſtruentes & tranſpirationem impedientes maxime improbamus. Circumſpecta porro in excretiones tum ordinarias, tum extraordinarias animadverſione opus eſt, & longe abſit a medico, ut aliquam illarum incaute moderari, vel quod longe deterius, omnino repellere vel ſupprimere ſuſcipiat, ſiquidem conſtante novimus experientia, exceſſus magis impune cedere, quam ſi vel naturæ errore, vel imprudente medicatione aliqua illarum deficiat. Animi tandem pathemata, curæ & ſollicitudines abeſſe debent, quibus motus vitales, naturales & animales ataxiam patiuntur, & medici labores irriti redduntur: a laboribus vero & meditationibus mens relaxanda eſt, ut natura operationes, quas pro reparanda ſuſcipit ſanitate, tanto majore cum energia abſolvere valeat, ejus viribus ſollicite in hunc finem collectis & conſervatis.

XXXV.

Præſervatio ultimo non minus medicum decet, quam curatio, & ſi non magis, tamen non minus clarum & laude dignum præſtat opus, qui in arcendis morbis ſe artificem exhibet. Corporis vigor, mentis tranquillitas, vita ſobria, modicum exercitium & a mollitie aliena victus & amictus ratio, optimam afferunt tutelam, ut cauſarum communium, catarrhales morbos gignentium, impetu non moveamur, illis quidem petamur, at nihil lædamur. Qui vero his deſtituuntur, vel ob longam annorum ſeriem, aut ſtatus valetudinarii cauſa, taliter adſuefieri nequeunt, aut recuſant, vere & autumno ante æquinoctia ſanguinem venæſectione emittant, alvum ſubinde laxent, vel, quibus major humorum ſeroſo-lymphaticorum copia ſuppetit, catharticis utantur validioribus, perſpirationem cuſtodiant, & ſudores matutinos, qui quotidie experiuntur, probe obſervent, caloris & frigoris ſubitas & crebras evitent viciſſitudines & cibo utantur modico, ſalubri & facile ſolubili. E pharmaceutico vero fonte commendamus Eſſ. Lign. Saſſafras, Pimpinell. Angelic. Succini TRam ♀ii tart quarum una vel altera ſolitarie, vel pro circumſtantiarum ratione cum alia quadam combinata, mane & veſperi ad guttas ſumatur 40. vel 50. Præter iſta vero ad propoſitum obtinendum ſco-

pumpræcipuum conſeret momentum, ſi cereviſiæ, quæ pro potu ordinario inſervit, decoctum è rad. Sarſapar. Chinæ, Cichor. Polypod. cum portiuncula cort. Ligni Saſſafras ſubſtituatur, illudque per integrum menſem, interpoſito ſolum ſub prandio vini hauſtu, bibatur. Et hæc ſunt, quæ de propoſito themate pro ingenii modulo diſſerere hac vice ſtatuimus. Deo vero T. O. M. pro conceſſa hactenus gratia & auxilio ſit laus, honor & gloria.

F I N I S.

PHI-

CLXVIII.

PHILIP. CONR. FABRICII

ET

JOAN. DANIEL FARENHOLTZ

DISSERT. EXHIBENS

OBSERVATIONES QUASDAM CIRCA CONSTITUTIONEM EPIDEMICAM ANNI MDCCL ADNOTATAS.

Helmſtad. 1750.

PRÆFATIO.

Tale mihi, ſicut nonnullorum aliorum ſchediaſmatum meorum, ita hujus quoque Diſſertationis Academicæ thema eligere ſtudui, quod non mere theoreticum ſit, ſed ſimul ultimum vel potius primarium illum totius artis medicæ finem, qui eſt ſalus ægrotantium, paulo propius reſpiciat, illamque ex propriis obſervatis potiori parte conſtruxi. Hanc enim unicam fere, utut difficultatibus ſuis minime carentem, ad aliquid ſolidi in Pathologicis præſtandum viam medicis ſupereſſe, ut arti obſervandi præcipuam operam ſuam impendant, & ad hiſtoriam morborum ſpecialiorem amplificandam animum potiſſimum intendant, phænomenorum naturalium reliquorumque rationes deinde ſecundum principia medica univerſaliora ulterius indagando, ab experientiſſimis æque ac eruditiſſimis quibuſque Studii Hippocratici Anteſignanis dudum monitum fuit. Præcipue vero ad ſtatum naturalem & medicum illius loci, hic reſpiciendum duxi, in quo me a benigna ſorte tum ad ſtudioſam juventutem principiis medicis ſalutaribus imbuendam, tum ad illius aliorumque valetudini, caſu neceſſitatis, conſulendum inde ab aliquot annis conſtitutum video, cui utrique officio pro virili mea replendo igitur hoc labore etiam unice intentus fui. Faxit Deus ut feliciter!

§. I.

QUum genius morborum alicubi locorum obſervatorum & tractatorum, ſive illi ſporadici, ſive endemii, quorum tamen per ſummi *Numinis* favorem nullum in hac urbe agnoſcimus, ſive epidemii denique ſint, non niſi exacta regionis, aëris, aquarum, incolarum & vivendi ipſorum generis notitia perfecte cognoſci, eiſque cum emolumento ægrotantium mederi medicus queat [*a*] brevem deſcriptionem phyſico-medicam agri Helmſtadienſis præmittendam duco, antequam obſervationes, circa morbos incolarum illius hoc anno inſtitutas, in medium proferam.

§. II.

Situm nempe eſt Helmſtadium noſtrum [*b*] ſecundum pleraſque recentes Mappas Geographicas ſub elevatione poli grad. 52. & 30. & quod excurrit minutarum in agro fertili & plano, ſylvis amœnis ubique cincto, ventis

[*a*] Utilitatem hujus rei pluribus inculcavit de arte ſalutifera optime meritus *Baglivus* prax. med. libr. 1. cap. 15. quem aliquando ſciagraphia phyſico-medica urbis meæ patriæ, in qua tunc artem medicam faciebam, edita, imitari conatus ſum, ab eruditis haud male excepta. Sed jam ante plures annos, quam monita Bagliviana in publicum emanarunt, *Hoechſtetterus* obſervation. medic. decad. 4. caſ. 1. p. 308. & ſeqq. elegantiſſimum exemplum & deſideratis *Baglivi* ex aſſe fere ſatisfaciens deſcriptionis phyſico-medicæ urbis Auguſtæ Vindelicorum exhibuerat. Similem, ſed paulo imperfectiorem urbis Bruxellenſis hiſtoriam phyſicam & medicam tradit Jodoc. *Lommius* præfatione obſervationum medicinalium præſtantiſſimarum ſuarum. Prout recentiori ævo præter *M. B. Valentinum* in prodromo hiſtoriæ naturalis Haſſiæ haud pauca quoque ad hunc ſcopum conferentia adnotavit medicus pragmaticus primi ſubſellii, celeberrimus *Seipius* in deſcriptione celebratiſſimarum illarum acidularum pyrmontanarum. Fortiſſimum argumentum pro abſoluta neceſſitate ejuſmodi deſcriptionum phyſico-medicarum unius cujuslibet nobilioris urbis & regionis, inſigniori incolarum frequentia gaudentis, in eo mihi quærendum videtur, quod nulla cauſſa morbi epidemici ſpecifica in corpus humanum agere queat, niſi ſit prædiſpoſitum, confer. immortalis *Boerhaave* inſtitut. medic. Ætiolog. Patholog. §. 741. 42. & 43. nec non Prælection. Academic. in propr. inſtitut. Tom. VI. §. 742. & ſeqq. prout verbi gratia phthiſicos, hecticos aliove morbo chronico correptos ab illis plane utplurimum immunes novimus. Quum vero hæ cauſſæ prædiſponentes, non niſi ex cujuslibet hominis temperie nativa & ſex rerum ita dictarum non naturalium uſu conſueto oriri queant, & nulla regio, qua ſalubritatis laude illa de reliquo floreat, a morbis epidemicis plane & omni tempore immunis exiſtat, præſtantia harum hiſtoriarum, debito modo concinnatarum, in aprico eſt.

[*b*] Etimologiam hujus nominis eruditiſſime exponit magnus noſter *Conringius* de antiquiſſimo ſtatu Helmſtadii ejuſque viciniæ p. m. 67.

ventis tamen aërem a noxiis exhalationibus purgantibus undiquaque acceſſibili. Solum hinc inde arenoſum quidem, argillaceum & terra martiali rubra diſtinctum, crebrioribuſque in nonnullis locis ſilicibus inſtratum [c] ſed pluribus ſcaturiginibus aquarum ad piſcinas confluentium ſimul irriguum, quarum exhalationes æſtum & ſiccitatem nimiam, ab arena & lapidibus humidum abſorbentibus & radios ſolis crebrius repercutientibus, æſtivo tempore alias metuendam, & frugibus plantiſque fortaſſe damnoſam, egregie temperant. Prout hiemes etiam hic rigidiores incolæ raro experiuntur, quam in aliis Germaniæ regionibus quam maxime temperatis, & ad plura milliaria auſtro propinquioribus.

§. III.

Aquæ tam intra urbem ſcaturientes, quam campeſtri itinere ductibus ſubterraneis huc derivatæ ad inſtillationem olei tartari per deliquium omnes quidem; ſicut ubique fere locorum, nonnihil terræ calcareæ ad fundum vitri, quo continentur, demittunt, de reliquo vero nulla inſalubritatis nota ſe manifeſtant, & ad uſum culinarem æque ac œconomicum peridoneæ reperiuntur; præcipue quod ad campeſtres attinet, quæ ſicut alibi, ita hic quoque ad legumina coquenda & linteamina depuranda coloribuſve tingenda, ob mollitiem præſtantiores deprehenduntur.

§. IV.

Tempeſtates graviores fulminibus pernicioſioribus ſtipatas in hac urbe hucuſque nullas, in vicinia vero nonnullas, ſed pauciores tamen quam alibi, notavi, quæ etiam ob abſentiam fluviorum inſigniorum & cavernarum ſubterranearum per ſe proxime apud nos oriri nequeunt, ventis evaporationes hujuſmodi aqueo-ſulphureo-nitratas aliunde advectas, ob montium elevatiorum, progreſſui nubium obicem ponentium, in vicinitate noſtra defectum, ſtatim diſſipantibus, & utplurimum ex atmoſphæra noſtra propulſantibus. Auroræ vero boreales apud nos quoque ſatis frequentes ſunt.

§. V.

Quod ad reliquas cœli aëriſque mutationes pertinet thermometri barome-

[c] Occurrit etiam inter alia illud lapidis calcarii genus, quod ſollertiſſimus *Linnæus* ſyſtem. natur. regn. lapid. p. m. 151. Marmor ſolubile vagum particulis impalpabilibus ſolidis vocat, cujus exemplar venis nigris undiquaque reticulatum mihi nuper allatum fuit.

rometrique [*d*] ductu hucuſque ſollicite obſervatas, ſicut alibi, ita hic quoque ventus ſubſolanus, Zephyrus, & Septentrio omnium conſtantiſſimi comperiuntur, cum collateralibus ſuis per plurimum anni tempus apud nos regnantes. Auſter vero medicorum filiis ob perniciem, quam ſanitati hominum inferre ſolet, tantopere exoſus [*e*] longe rarius & vix per unum alterumve diem proximis hiſce annis imperium haud interruptum apud nos exercuit, brevi in pluviam reſolutus, quam ſerenitas vento ex contraria & diverſa mundi plaga ſpirante advecta, preſſo pede excepit.

§. VI.

Vegetabilia in agro Helmſtadienſi occurrentia quod refert, vix ulla mihi regio nota eſt, in qua alma Flora plures divitias ſuas in anguſto adeo terræ ſpatio conjunctas expoſuerit. Licet enim non niſi per unius ætatis decurſum, variis aliis negotiis diſtractus his deliciis hucuſque vacare, excurſioneſque Botanicas raro ultra dimidii milliaris iter proferre potuerim, adeoque ſequenti tempore procul dubio adhuc plures nobiles plantæ oculis meis ſeſe exhibituræ ſint, tamen infra notatæ [*f*] magna copia

[*d*] Quomodo tales obſervationes inſtituendæ & in uſum phyſico-medicum convertendæ ſint, omnium optime & elegantiſſime oſtendit illuſtris etiam nunc *Hoffmannus* obſervationibus ſuis barometrico-meteorologicis & epidemicis Halenſibus anni 1700. quod eruditiſſimum ſane ſchediaſma ſecundum monita Leibniziana concinnatum plura recentiorum circa idem thema conamina multis paraſangis poſt ſe relinquit, quod nobis nudas ſæpe mutationum barometri, thermometri ventorumque adnotationes tradunt, de harum utique utiliſſimatum obſervationum ad uſum medicum accommodatione & theorematis axiomatiſque univerſalioribus inde eliciendis vero utplurimum minus ſolliciti. Operæ itaque pretium erit, veſtigia præſtantiſſimi hujus viri, ſimili aliquando ſpecimine edito, legere.

[*e*] Qua ratione interveniente aura auſtrina æquilibrio inter aërem ſubterraneum & ſuper terraneum deſtructo, variæ exhalationes ſeu exſpirationes ſubterraneæ, ſanitati hominum ſæpe nocivæ, contingant, ſolide, ut ſolebat, explicavit B. *Verdrieſius* phyſic. part. ſpec. cap 5. de meteoris p. m. 421. Idem §. 6. cap. allegat. proprietates ventorum omnium optime exponit.

[*f*] Inter eas, quæ nec B. *Dillenio* nec mihi in Wetteravia unquam viſæ fuerunt, potiſſimum recenſeri merentur: lithoſpermum maius erectum C. B. P. Aſperugo T. Alſinanthemum thal. enumer. plantar. halenſ. Buxbaum. myriophyllum Rivin. pulmonaria anguſtifolia flore cæruleo rupp. gentiana anguſtifolia autumnalis major C. B. P. Erica Brabantina folio coridis hirſuto quaterno. J. B. Buxbaum. aloe aquatica C. B. Oxycoccus T. Statice Lugdun. hepatica flore ſimplici cæruleo rupp. Trollius rupp. doronicum plantaginis folio T. Aſter paluſtris laciniatus T. Aſter flore bellidis minoris Moriſon. Pinguicula Geſner. Cannabis erratica C. B. P. Polypodium anguſtifolium folio vario T. Melampyrum cærulea coma C. B. P. Oſmunda vulgaris & paluſtris T. Hydrocotyle vulg. T. Ornithopodium majus T. Trifolium pratenſe folliculatum T. Aſparagus Silveſtris tenuiſſimo folio T. &c.

Quod

copia mihi hucuſque obvenerunt, viribus medicis magna ex parte refertiſſimæ, & ſaluberrimis effluviis ſuis vere & æſtate aërem ubique replen-

Quod ad Plantas Wetteravicas attinet, a maximo illo Botanices ornamento ſupra laudato Dillenio in Catalogo ſuo Gieſſenſi ejuſque appendice deſcriptas, valde mihi jucundum fuit, tantum non omnia ejus nova plantarum genera hic non ſolum deprehendere, ſed etiam pleraſque ejus reliquas indicatas herbas in agro noſtro læte vigentes & florentes conſpicere, obſervationeſque circa characterem Botanicum in eis jam olim inſtitutas iterare, de quibus nec non de Graminibus, muſcis & Fungis, agro noſtro Helmſtadienſi propriis, alia occaſione diſſerendi locus eſſet, niſi hic labor a digniori penna jam dudum occupatus fuerit. Potiora, quæ hic indicari queunt, ſunt, ex novis generibus ab eo conſtructis vel emendatis, Lichen petalodes polymorphos, Polytrichum vulgare & majus capſula quadrangulari nec non Polytrichum minus capſulis rotundis calyptra quaſi lacera coronatis. Bryum trichoides vireſcéns erectis majuſculis copitulis maliformibus, Bryum trichoides capitulis reflexis pediculis ima medietate rubris, ſumma luteovirentibus, Sphagnum cauliferum & ramoſum paluſtre molle candicans, reflexis ramulis foliolis latioribus vel anguſtioribus. Lycopodium clavarum pediculis folioſis. Gramen avenaceum utriculis lanugine flaveſcentibus. Feſtucæ & Aegilopes. Dichotophyllum. Percepier Angl. Knawel utrumque. Polygonifolia floribus & ſeminibus extremis ramulis acervatim congeſtis. Sherardia. Podagraria. Myoſotides. Echioides. Galeobdolon. Acinos. Aliſma. Myoſuros. Anemone ranunculus. Anemonoides. Ficaria. Stellaris Centunculus. Cameraria. Odontides. Lenticulæ. Stellaria. Turritis. Radicula. Drabæ. Thlaſpi. Alſinellæ. Radiola. Holoſteum. Spergulæ. Impatiens. Portula. Unifolium. Serratula. Doria. Iaceæ. Carices. Corrigiola. Lichenaſtra. Ex reliquis plantis paulo ſpecioſioribus: Thymelæa lauri folio deciduo, ſive laureola femina T. Chryſoſplenium foliis amplioribus auriculatis T. Tuſſilago I B. Pulſatilla folio craſſiore & majore flore C. B. Moſchatellina foliis fumariæ bulboſæ de qua Cordus I. B. Fumaria bulboſa radice cava major C. B. Oxys flore albo æque ac luteo T. Valerianæ Dill. Linagroſtis panicula ampliore T. Ranunculus aquaticus folio rotundo & capillaceo C. B. Saxifraga rotundifolia alba C. B. Saxifraga verna annua humilior T. Ranunculus aquaticus omnino tenuifolius I. B. Menyanthes paluſtre triphyllum latifolium T. Polygonatum latifolium vulgare C. B. Alſine aquatica folio gratiolæ ſtellato flore Dill. Spergûla plantaginis folio Dill. Caryophyllata aquatica nutante flore C. B. Elichryſum montanum flore rotundiore ſubpurpurco ſuaverubente & candido &c. Dill. Orobus radice tuberoſa Riu. Sanicula Riu. Oſmunda foliis lunatis T. Rapunculus ſpicatus C. B. Cruciata hirſuta C. B. Ranunculus aquaticus hederaceus flore albo parvo T. Lychnis aquatica purpurea ſimplex C. B. Lychnis montana viſcoſa alba latifolia C. B. Palma Chriſti candidis floribus H. Eyſtett. Iuncus anguſtifolius villoſus, floribus albis paniculatis T. Scandix Riu. Quinquefolium folio argenteo C. B. Orchis palmata rubella cum longis calcaribus rubellis I. B. Ophris bifolia C. B. Hypericum minus ſupinum vel ſupinum glabrum C. B. Linum ſilveſtre catharticum Ger. Rai. Veronica paluſtris anguſtifolia Riu. Potamogeton foliis criſpis ſive Lactuca ranarum C. B. Iris paluſtris lutea ſive Acorus adulterinus I. B. Pentaphylloides paluſtre rubrum C. B. Alſine pratenſis gramineo folio anguſtiore T. Alſinella muſcoſo flore repens Dill. Helianthemum vulgare flore luteo I. B. Gallium paluſtre album C. B. Veronica Riu. Symphitum magnum I. B. Melampyrum luteum latifolium C. B. Orchis palmata pratenſis maxima C. B. Nidus avis H. Eyſt. Herniaria I. B. Biſtorta major rugoſioribus foliis I. B. Ranunculus paluſtris Apii folio lævis C. B. Perſicaria ſalicis folio Potamogeton anguſtifolium dicta Rai. H. Tragopo-

plentes [g]. Ratio hujus regionis noſtræ felicitas tum in temperie climatis, tum in vario & amœno ſolo maxima cum probabilitatis ſpecie mihi quærenda videtur, vi cujus plantæ arenariæ, pratenſes, ſilveſtres aquaticæque ubique in illo conjunguntur, & læte juxta ſe invicem efflorescunt. Veritatem tamen effati, a præſtantiſſimis Phyſicorum & Botanicorum prolati: quod ſcilicet optima hæc ſanitatis præſidia, dum modo ea præ exoticis medicaminibus in uſum trahere homines cupiant, a ſapientiſſimo hujus univerſi Auctore ita diſtributa ſint, ut quævis terrarum

[g] Confer. *Bobnius* de aëris in ſubterranea influxu p. m. 494.

gopogon pratenſe luteum majus C. B. Brunella Riu. Martagon Matth. Siſymbrium paluſtre repens Naſturtii folio T. Melilotus Riu. Lathyrus ſilveſtris luteus foliis Viciæ C. B. Pirola Riu. Rapunculus Scabioſæ capitulo cæruleo C. B. Butomus flore roſeo & albo T. Linaria Riu. Caryophyllus ſilveſtris prolifer C. B. Potamogeton perfoliatum Rai. Chenopodium fœtidum T. Chryſanthemum ſegetum, facie bellidis ſilveſtris foliis glaucis minus ſectis Herm. Verbaſcum nigrum flore ex luteo purpuraſcente C. B. Campanula anguſtifolia cærulea & alba I. B. Orobus folio viciæ Riu. Aſtragalus Riu. Caprifolium Germanicum T. Galeopſis paluſtris Betonicæ folio flore variegato T. Geniſta tinctoria Germanica C. B. Iuncago T. Iuncus foliis articuloſis floribus umbellatis T. Salicaria vulgaris purpurea foliis oblongis. Oenanthe Riu. Phellandrium Riu. Cicuta I. B. Rapiſtrum arvenſe folio auriculato acuto T. Valeriana Riu. Rorella Tab. Caſſida paluſtris vulgatior flore cæruleo T. Campanula minor rotundifolia vulgaris C. B. Seſeli pratenſe Riu. Circæa Eyſt. Squamaria Riu. Campanula altiſſima hirſuta aſperior foliis anguſtis floribus parvis conglomeratis Dill. Phalangium parvo flore ramoſum C. B. Cnicus pratenſis Acanthi folio flore flaveſcente T. Iacea vulgaris laciniata flore purpureo T. Cynapium Riu. Nepeta Riu. Betonica Riu. Campanula vulgatior foliis urticæ vel major & aſperior C. B. Anagallis phœniceo flore C. B. Lyſimachia lutea major quæ Dioſcor. C. B. Centaurium minus C. B. Antirrhinum arvenſe Riu. Epilobium glabrum minus Dill. Vulneraria ruſtica I. B. Lotus Riu. Agrimonia offic. T. Geniſta ſpartium majus brevioribus & longioribus aculeis T. Epilobium hirſutum minore flore Dill. Epilobium latifolium glabrum flore valde ſpecioſo Dill Clinopodium Rai. Gallium montanum latifolium ramoſum T. Campanula Alpina echioides pyramidata T. Origanum Riu. Alyſſum ſegetum procerius foliis auriculatis acutis fructu æquali & minori Dill. Verbena Riu. Marrubiaſtrum vulgare T. Ladanum verticillis paucioribus flore purpureo Dill. Ladanum verticillis crebrioribus flore purpureo caule fulcrato Dill. Lycopus paluſtris glaber T. Scabioſa pratenſis hirſuta quæ offic. C. B. Angelica tenuifolia Riu. Falcaria Riu. Siſon offic. T. Filago elatior capitulis denſe conglobatis Dill. Cuſcuta major C. B. Verbaſcum femina latifolium luteum C. B. Hypericum elegantiſſimum non ramoſum folio lato I. B. Verbaſcum flore albo parvo I. B. Lathyrus arvenſis repens tuberoſus C. B. Melilotus vulgaris altiſſima fruteſcens flore albo T. Anonis Riu. flore purpureo & albo. Falcata Riu. Filago floribus per caulem ſparſis Dill. Caltha vulgaris C. B. Staphylinus Riu. Sphondylium Riu Pimpinella media Riu. Pimpinella minor Riu. Iacobæa hirſuta viſcida Senecionis folio & facie Dill. Lolium gramineum ſpicatum caput tentans I. B. Alſine aquatica caule rigido fragili Dill. Spergula minor foliis knawel flore majuſculo albo Dill. Scorodonia Riu. Angelica aquatica Riu. Elichryſum ſeu Stœchas citrina anguſtifolia C. B. Iacobæa latifolia I. B. Gramen paniceum ſpica diviſa C. B. P. Euphraſia I. B. Cirſium acaulon flore purpureo T. Lactuca ſilveſtris coſta ſpinoſa C. B. Cichorium ſilveſtre I. B. Buphthalmum Tanaceti minoris foliis C. B. Tanacetum vulgare luteum C. B. Aſter parvus paluſtris parvo flore globoſo T. Lappa major montana capitulis tomentoſis ſive

Arc-

rarum regio ſibi aliqua eorum propria vindicare queat, & iis præ aliis exornetur, illaque ſemper ad ſtatum ſanitatis & morborum incolarum ſe referant, hic quoque ubique certiſſimam deprehendi. Sic exempli cauſſa Juniperus, Ruta muraria, Calcitrapa, Bupleurum Rivin. Bacharis Monſpelienſium, Trichomanes in patria mea proletariæ plantæ hic in vicinia vix occurrunt. Pimpinellæ ſanguiſorbæ quoque, Cytiſo-Geniſtæ, Alchimillæ vulgaris Sclareæ pratenſis foliis ſerratis flore cæruleo T. (flore albo ſatis frequens eſt) & ipſius Cichorii ratione Wetteraviæ hic longe parcior proventus eſt. E contraria parte Tithymalus cypariſſias C. B. P. Pulmonaria anguſtifolia flore cæruleo Rupp. (cujus loco latifolia in Wetteravia uberrime creſcit) Aſperugo T. Statice Lugdun. Hepatica flore ſimplici cæruleo Rupp. Aſter flore bellidis minoris Moris. Melampyrum cærulea coma C. B. P. Artemiſia tenuifolia ſive leptophyllos I. B. Sinapi ſilveſtre ſemine rubro minore erucæ folio Moris. aliæque infra nominatæ plantæ apud nos per totum annum abundantiſſime vigent florentque, quas illic fruſtra quæſiveris. Frugum vero, fructuum horæorum, olerum & leguminum proventu abundanti & præſtantia, ſi ſolam vitis culturam excepero, noſtra regio cum fœcundiſſimis Germaniæ itidem conferri meretur.

§. VII.

Similem generum & ſpecierum copiam in animali regno hic quoque annotare licet, paſcuis & campis pecudibus domeſticis omnis generis ubique abundantibus, & felicitatem provinciæ, fertilitate & tranquillitate publica ſuperbientis, nunciantibus. Sylvæ vero vicinæ, quæ ſerie concatenata ſibi ubique mutuo innectuntur, feris majoris momenti volucribuſque ſilveſtribus, piſcinæ copioſæ vero avibus aquatilibus & piſcibus, dumetaque & prata avibus minoribus & inſectis aptiſſima latibula præbent, ita ut pleraque fere, in Commentatione noſtra Hiſtorico-Phyſico-

Medi-

Arctium Dioſc. C. B. Melilotus capſulis reni ſimilibus in capitulum congeſtis T. Virga aurea vulgaris latifolia I. B Xanthium ſive Lappa minor I. B Verbeſina Geſn. Verbeſina nutante flore Dill. Anacampſeros vulgo ſeu Faba craſſa I. B. Siſymbrium aquaticum Matthiol. Scabioſa intregrifolia glabra, radice præmorſa Herm. Hypericum Aſcyron dictum caule quadrangulo I. B. Erica vulgaris glabra C. B flore albo. Parnaſſia vulgaris & paluſtris T. Orchis ſpiralis Riu. Geranium Pimpinellæ folio Dill. Filix femina Cord. Colchicum I. B. Parietaria Dod. Aſter pratenſis autumnalis Conyzæ folio T. Caryophyllus flore tenuiſſime diſſecto C. B. P. Eryngium vulgare C. B. P. Glaux maritima C. B. Lychnis ſilveſtris alba ſimplex C. B. P. Myrrhis paluſtris latifolia alba & rubra T. Onagra latifolia T. Tithymalus cypariſſias C. B. P. Quæ ſingulæ una cum reliquis vulgatioribus vel minus ſpecioſis, brevitatis cauſſa hic omiſſis, ſed quod ad locos earum natales attinet, in Adverſariis meis curate adnotatis, numerum illum DCC. plantarum a B. *Schelhammero* in Additamentis ad *Conringii* Introductionem in artem Medicam p. m. 338. determinatarum, facile complent, vel aliquot centuriis ſuperant.

Medica de Animalibus Wetteraviæ indigenis recenſita, hic quoque occurrant, cum pluribus aliis ibi vel plane non, vel rarius conſpicuis, ut ſunt exempli cauſa hic vulgatiſſima Motacilla flavo pectore abdomineque, rectricibus duabus exterioribus dimidiato oblique albis *Linnæi* [*h*] ſeu ſilvia flava *Kleinii* [*i*]. Corvus dorſo ſanguineo remigibus nigris, rectricibus videridus L. [*k*] ſeu Pica vel Garrulus Argentoratenſis *Kleinii* [*l*] &c. Inſecta quoque omnia fere, aliis Provinciis Germaniæ familiaria hac in regione ſe trudunt, & ad elegantiſſima adnotata Deraumuriana, Friſchiana, & Roeſeliana cum ipſo Naturæ libro conferenda occaſionem ſuppeditant quam aptiſſimam, licet ob dumeta minus conferta non æque copioſa ac in Patria mea occurrant, eo ipſo vero arboribus frugibuſque minus damni inferant, nec ſpem incolarum tam frequenter perdant [*m*].

§. VIII.

Indolem incolarum indigenarum quod ſpectat, quatenus ipſam adhuc explorare potui, eadem illa hic obſervatur, quæ in aliis Provinciis Germaniæ temperatioribus characterem Teutonicum conſtituit, ita tamen, ut haud pauci ex illis ad habitum corporis euſarcum & ſucci plenum inclinent, adeoque ad dyſcraſias humorum mucoſo-ſalinas contrahendas aliquo modo natura diſponantur, cujus rei in ſaniſſimorum de reliquo hominum ſanguine, præſervationis tantum cauſſa venæſectione emiſſo, haud raro aliqua indicia apparent. Ingenium a potiori judicando ipſis ineſſe deprehenditur erectum, commodis aliorum inſerviendi pronum, &

[*h*] Fauna Suecica p. m. 81.
[*i*] Prodrom. Hiſtor. avium p. 78.
[*k*] Faun. Suec. p. 25.
[*l*] p. m. 62. occurrit & altera ſpecies, quam idem Sylviam luteam capite nigro vocat.
[*m*] Sunt quoque inter hæc diverſa, quæ in Wetteravia rariſſime inveneram, vel plane nondum conſpexeram. Ad priora potiſſimum pertinet elegans illa & frequentiſſima apud nos Eruca Tithymalina, miranda ratione ſucco acerrimo, & hominibus æque ac brutis funeſto, Tithymali cypariſſiæ enutrita & vivens, cum Phalæna inde prodeunte a B. *Friſchio* p. 43. N. XII. Tab. XI. Part. II. & illuſtriſſimo *Reaumurio* Tom. I. Planche XII. p. 360. curioſiſſimoque *Ræſelio* claſſ. I. Papilion. nocturn. Tab. III. optime deſcripta & delineata, quam in Wetteravia vix aliquoties notavi, procul dubio nullam aliam ob cauſſam, quam quia hæc Tithymali ſpecies apud nos frequentiſſima, circa Butisbacum haud ſponte creſcit. Ad poſteriora referri meretur ſpecioſus & omnium mihi cognitorum maximus Scarabæus capricornus ſeu Cerambyx, quem ſollertiſſimus *Friſchius* Part. V. Tab. I. Part. XIII. Tab. VIII. tradit, & qui hic loci frequenter ſatis apparet, quem vero nec Hiſtoriæ Naturalis Promus condus *Linnæus*, teſte ejus Syſtemate naturæ & Fauna Suecica, unquam vidiſſe videtur, nec ego antea deprehendi. Cochleam aquaticam turbinatam L. in foſſis noſtris etiam longe ſpecioſiorem reperio, quam in Wetteravia.

& ſi cultura accedat, ad quævis ardua haud inidoneum, cujus rei, præter alia, tot illuſtria monumenta ab eruditis, Helmſtadio noſtro natales ſuos debentibus, quovis tempore cum litterato orbe communicata, fidem uberrimam faciunt. Prout hominum longævorum ad octogeſimum & nonageſimum ætatis annum feliciter attingentium, vel illum ſuperantium, exempla quoque hic & in vicinia noſtra haud infrequentia ſunt. Multique ex aliis regionibus huc translati, ut propria experientia confirmare poſſum, valetudinis vigorem adauctum ſentiunt.

§. IX.

Victus reliquumque vivendi genus ab eo, quod in Wetteraviæ incolis olim notavi, quoque haud adeo inſigniter differt, ita tamen ut ſicuti per totam reliquam Saxoniam inferiorem, ſic hic quoque ciborum ſale conditorum, piſciumque marinorum, aliorumve majorum illic fere ignoratorum, verbi gratia Percæ marinæ, ſalmonis, ſturionis, oſtrearum &c. paulo frequentior copia & uſus ſit, & locum vini Rhenani ibi dominantis hic vina Gallica alba æque ac rubra occupent, cereviſiæque triticeæ apud nos univerſaliores ſint, licet reliquæ quoque, deſiderantibus proſtent. His ita ſe habentibus, minime mirandum, quod lenia laxantia tempore verno & autumnali uſurpata cum venæ ſectione toties, vel pro diverſitate individuorum frequentius adhuc, in ſubſidium ſimul vocata, ad ſanitatem conſervandam morboſque plures avertendos hic quam maxime proficua deprehendantur, & curative quoque quam frequentiſſime adhibenda ſint. In doſibus tamen medicamentorum tam evacuantium, quam alterantium, ipſoque eorundem delectu, hic majore moderatione & cautione, quam in illis regionibus, quarum incolæ ob uſum cereviſiæ, majorem lupuli quantitatem ferentis & tantum hordeaceæ, fibras muſculares & nervoſas inteſtinorum fortiores poſſident, medicum ſemper inſtructum eſſe oportet. Evacuantia remedia fortiora enim, exempli cauſſa radix Jalappæ [*n*] hic rariſſime neceſſaria ſunt, & in ſubſtantia adhibita plerumque vomitum movent, reſque ſolis fere laxantibus lenioribus nempe rhabarbari pulvere & anima, ſale Epſomenſi vel Sedlicenſi, Tamarindis, paſſulis, manna, extractis amaris &c. & ſi emetico opus eſt, radice ipecaccuanhæ expedienda. Eſſentia vero & tincturas reſolventes & diaphoreticas diureticaſque & ſtomachicas, ſi

[*n*] In infantibus tamen, pituita abundantibus, radix Jalappæ, in forma potiunculæ extenſa, optimo cum ſucceſſu pedetentim, & ad ſufficientem evacuationem uſque, hic quoque interdum adhibetur, utpote de quibus antiqua medicorum pragmaticorum querela eſt, quod doſis remediorum per alvum evacuantium in eis quam maxime inconſtans ſit, iidemque intuitu ætatis largiorem ſæpe, quam homines adulti remediorum ſic dictorum purgantium vim expoſcant.

ſebris abſit, hic optime ferunt, in doſi quoque nonnihil adaucta. Quod ad exitum morborum acutorum in univerſum pertinet, ſæpe in eis, ut ex ſubſequentibus quoque patebit, die 7, 9, & 14 criſes abſolutiſſimas obſervavi, inſigni de puritate atmoſphæræ reliquaque naturæ apud nos bonitate indicio; in aliis vero ægris terminus ejuſmodi morborum ultra tertium ſeptenarium interdum, utut minus frequenter, protrahitur.

§. X.

Antequam vero ad ſcopum meum paulo propius accedam, morborumque, hoc anno apud nos obſervatorum, indolem ſuccincte tradam, in univerſum experientia edoctus affirmo, quod illi, qui in vitiis primarum viarum & concoctionis aſſumtorum, ſanguiniſque lentore & acrimonia inde contracta, nec non tranſpiratione ſuppreſſa radicantur, hic potiſſimum in artis exercitio occurrant, adeoque, ſi ſpes ſupereſſet, fore, ut genus mortalium aliquando univerſaliori regularum diæteticarum obſervationi conſtanter adſueſcere queat, medicis in artis ſuæ exercitio apud nos etiam multum otii enaſciturum ſit, prout aliud ex ſubſequentibus uberius patebit.

§. XI.

Maxima ſcilicet hyemis proxime antecedentis parte apud nos quoque ſatis miti, & magis Zephyri quam Septentrionis perflationi obnoxia; non potuit fieri, quin conſuetus & ubique fere gentium toties obſervatus (o) ejuſmodi cœli minus ſereni & humidioris effectus in noſtrorum quoque hominum corpora, ad illos recipiendos diſpoſita, tonum partium ſolidarum in illis nimis laxando, & pororum collapſu inde producto, colluviem humorum corruptorum, hac via alias excernendorum, in maſſa ipſorum ſanguinea coacervando, ſe exſereret, ipſoſque variis ægri-

(o) Sic verbi gratia ab æſtate & autumno ſolito humidiore vere & æſtate ſequente febrem continuam exanthematicam ortam jamdum obſervavit & deſcripſit præſtantiſſimus Medicus Gallus *Nicol. Cheſneav* Libr. V. obſervat. ultim. & antepenult. adeoque adſertum Hoffmannianum, quod in ejuſmodi conſtitutionibus morborum epidemicis ad tempeſtatem antecedentem non minus, quam præſentem & illos concomitantem reſpici debeat, ſui jamdum temporis experientia confirmat. Conſtitutionem epidemicam febris intermittentis Anni 1720. a vere humido & æſtate nimis ſicca & calida productam vide in laudati modo *Hoffmanni medic. conſult. part.* 2. *dec.* 2. *caſ.* 7. Idem variolas poſt hyemem mutabilem, ſqualidam, ſine conſtanti & acriori gelu epidemice graſſantes obſervavit *med. rational. ſyſtem. Tom. IV. Sect. I. cap.* 7. *obſ.* 1. Febrem petechialem epidemicam ex prægreſſa autumni & hyemis conſtitutione tepida, auſtrina & pluvioſa obſervavit C. J. *Langius opp. p.* 360. *diſp.* 28. Idem a ſimili cauſſa variolas derivat. *Colleg. caſual. caſ.* 28. *p.* 282.

ægritudinibus magis obnoxios redderet. Hinc jam ante veris initium, præter plures catarrhos mitiores, rheumatiſmos alioſque minoris momenti morborum adfectus, tum febres continuæ, ut videbantur, initio ſatis mites, & veram ſuam indolem, quod ejuſmodi morborum generi ſollemne eſt aliquamdiu occultantes; tum intermittentes, tam ſimplices quam compoſitæ, pleuritideſque & ipſæ variolæ hinc inde unum & alterum corripere incipiebant, donec ebullitione & motu ſanguinis calore vernali (*p*) & æſtivo adaucto, aliis cauſſis occaſionalibus accedentibus, ſe magis explicarent, plureſque adorirentur.

§. XII.

Ut jam, quæ in quolibet horum morborum ſpeciatim mihi occurrerint uberius indicem, febris illa continua, quam ad illud genus, quod ſynochum putridam medicorum ſcholæ nominant, refero, æſtu prævio horrore ſubſequente & ad momenta increſcente, ciborum appetitu proſtrato, pulſuque celeri & ſubduro, ſed ſatis forti, aliiſque ſignis conſuetis ſtatim præſentiam ſuam manifeſtabat, ita tamen, ut nec cephalalgia inſignis, nec ſitis adeo intenſa, vel nauſea aliudve malignitatis indicium in pleriſque complicaretur, lingua tamen albo muco ſtatim obducta & arida, ac urina flammea prodeunte, quæ vero circa dies conſuetos optima materiæ morbificæ concoctionis & criſeos imminentis ſigna, ſedimento copioſo ad fundum vitri dimiſſo, exhibebat (*q*). Prout tranſpiratio ad ſenſum minus turbata, & lenis udor in ægrotis debito tempore apparens, hanc de felici morbi exitu ſpem conceptam quoque inſigniter augebat, præcipue, quum nulla delirii vehementioris indicia apparerent. Nonnulli tamen de doloribus inteſtinorum interdum conquerebantur, alvus in aliis laxior, in aliis obſtructa, nullo fere clyſmatis gene-

(*p*) Quod ad variolas attinet, *Rhazes* a præſtantiſſimo de *Violante* §. 18. p. 16. allegatus & laudatus, jam obſervavit, quod earum epidemia tempore veris potiſſimum reviviſcat, præſertim quando hyemale frigus valde fuerit temperatum. Ex quibus omnibus quidem perſpicitur, quod plerarumque conſtitutionum epidemicarum cauſſa in aëre vel nimis frigido, vel calido, vel humido vel ſicco, vel una harum qualitatum diutius durante, aut cum altera citius alternante conſiſtat, & attendentibus deprehenſu haud difficilis ſit. Sæpe tamen etiam illud accidit, quod experientiſſimus *Sydenhamius oper. med. de morb. acut. p. m.* 38. obſervavit, ut annos quoad manifeſtam aëris temperiem ſibi plane conſentientes, diſpar tamen admodum morborum agmen infeſtet & viceverſa. Prout & altera ipſius ſpecioſa ſane obſervatio cum experientia apprime conſentit, quod ſcilicet uplurimum una ſit conſtitutio epidemica univerſalis per aliquod tempus durans, quæ pro diverſitate individuorum, ætatum & anni temporum in hoc variolas vel morbillos, in altero febrem intermittentem, in tertio febrem dyſentericam & ſic porro producat.

[*q*] Febres epidemicas, ſudoribus largis initio morbi ſtatim conſpicuas, cum ſignis concoctionis in urina ſine levamine, vide quoque apud *Sydenhamium* p. 182.

genere referanda. Interea vis morbi brevi tempore ita invaleſcebat, viresque vitæ ſuperſtites adeo depaſcebat, ut mox in ſummo rerum periculo ægros conſtituteet, illoſque ex illorum numero, qui vel omnem medelam initio neglexerant, vel minus convenientia adſumſerant, aut calidiorum abuſum alioſque in diæta errores commiſerant, ac antea jamdum vitio pectoris ſubinde laboraverant, perimeret. Qui morti in prædam ceſſerunt, iis plerumque ſupervenit vel affectus ſoporoſus vel aliqualis tantum mentis vacillatio, cum ſudoribus frigidis colliquativis, ſubſultu tendinum, anguſtiis præcordiorum & pulſu exili & celerrimo ac reſpiratione difficili, circa 8. 9. 11. & in aliis poſt 21. demum diem finem vitæ imponente. In uno horum defunctorum, quem cultro anatomico ſubjiciendi occaſionem nactus fui, utroſque pulmonum lobos æque ac meſenterium inflammatione profundiſſima correptos, & hepatis inſignem portionem ſphacelo affectam reperi. Exanthemata cutanea in nullo horum ægrotorum initio adparuerunt, nec ullum contagii indicium in quoquam eorum occurrit. Qui vero ſingulares ex hac vel illa domo eis corripiebantur, erant utplurimum homines ætatis virilis, robuſti, plethorici, hæmorrhagiis narium aliiſve naturalibus, nunc ſuppreſſis, antea adſueti. Nonnulli ex iis, qui hunc morbum feliciter ſuperarunt, poſtea doloribus arthriticis aliiſve incommodis vexabantur, a quibus non niſi multa opera adhibita liberari potuerunt. Tempus, quo hæc febris ſcenam ſuam luſit, erat ab initio Januarii ad ſolſtitium æſtivum uſque & ultra, quo a ſchemate ſuo, hucuſque ſervato, paulatim deflectens, in nonnullis purpuræ miliaris tam albæ quam rubræ aut febris ſcarlatinæ forma comparuit, quibus eiſdem remediis, quæ infra annotantur; mutatis mutandis, occurrere ſtudui. Cauſſæ occaſionales, hunc morbum excitantes, fuerunt iracundia ſuppreſſa, frigus externum admiſſum, venæ ſectio neglecta, abuſus ſpirituoſorum, tubercula cruda pulmonum.

§. XIII.

Remedia, quæ huic morbo oppoſui, tum anno præcedente hic Helmſtadii in ſimili caſu proficua reperta, tum antecedente diuturniore experientia comprobata, fuerunt ſequentia. Ante omnia venæſectionem in iis, qui ſe ſatis mature curæ meæ crediderunt, inſtituere conſului. Huic deinde pulveres nitratos reſolventes diaphoreticos fixos leniter camphoratos ſubordinavi, additis ſub decurſu morbi tum liquore anodyno minerali *Hoffmanni*, (r) tum mixturis temperantibus diaphoreticis, nec non emul-

[r] Hoc ego liquore hucuſque nonſolum tanquam remedio antiſpaſmodico excellentiſſimo, ſed etiam æſtum febrilem temperandi ſcopo in pluribus ægrotis optimo cum

emulſionibus & pro re nata, infuſis theiformibus pectoralibus, ſpermate ceti, gelatina cornu cervi, ſinapiſmis plantis pedum adhibitis, & clyſteribus demulcentibus. Diæta, quam præſcripſi, erat tenuis, diluens, temperans, cum regimine leniſſimo diaphoretico, quibus etiam in haud paucis ſperatum effectum obtinui, in aliis vi morbi prævalente.

§. XIV.

Nullæ vero, ſicut in aliis longe diſſitis locis, ita apud nos quoque hoc anno magis frequentes fuerunt, quam febres intermittentes, tam ſimplices tertianæ, quam duplices, cum quotidianis quartaniſque, quæ per totam hiemem, ver & æſtatem diverſæ ætatis & ſexus homines infeſtarunt, poſt ſolſtitium æſtivum tamen ſenſim evaneſcentes. Quarum ad decurſum quod attinet, nihil inſoliti in illis obſervavi, præter quod nonnihil contagioſæ fuerint, plures ex una eademque familia corripientes, crebriori vomitu ſtipatæ, curatu tamen, quantum ad febres tertianas tam ſimplices quam duplices pertinet, facillimæ, ita ut plures ejuſmodi ægrotorum ſolo ſale ſedlicenſi ad unciam unam adhibito, & eſſentia quadam ſtomachica antifebrili cum diæta & regimine conveniente ſubjuncta, ſine recidivæ metu, in ſolidum ſanaverim. Nonnulli tamen ſub principio morbi tempore paroxyſmi delirio ſatis acuto invadebantur. In aliis iracundiæ deditis eodem tempore inſultus aſthmatico-ſyncoptici vehementiſſimi ſe exſeruerunt, poſt liquoris cornu cervi ſuccinati aliorumque antiſpaſmodicorum remediorum uſum in diarrhœam ſalutarem & typum febris intermittentis regularis denique terminati, ac nemini funeſti, præter quod quartanoriorum quidam hydrope denique corriperentur, ac ex reliquorum quoque febricitantium numero aliqui ob errores in diæta commiſſos morbum, antea profligatum, aliquoties recurrentem (*s*) experti fuerint, ultimo tamen perfecte ſanatum.

§. XV.

cum ſucceſſu uſus fui. Conſentit quoque *B. Auctor M. R. S. T. IV. Cap. VII. p.* 170. dum eum loco ſpiritus nitri edulcati, idque, ut teſtatur, majori cum fructu adhiberi poſſe dicit. Et ſi ad id attendamus, quod omnis calor febrilis ab aliquali ſemper cordis & totius reliqui ſyſtematis vaſorum conſtrictione ſpaſmodica oriri, vel ea comitari ſoleat, ſumma hujus medicamenti utilitas eo apertius cognoſcitur. Præcipue, quum principium acidum vitriolicum, nimiam fluidorum corporis humani tenuitatem corrigens, in illo liquore ſemper adhuc prædominet. Requirit tamen uſus hujus remedii æque ac omnes reliqui ſpiritus acidi edulcati viſcera ægrotantis integra, & pulmones præcipue illibatos, ne fibras nimis irritando noceat.

(*s*) Reverſiones febrium intermittentium non adeo extimeo, nam dum modo viſcera ſalva ſint, plerumque remedio laxante & cortice Peruviano repetito, poſtea eo conſtantius emanent. Illis vero corruptis, omnis alia quoque medela vana eſt, niſi quidem uſus ſeri lactis vel aquarum ſelteranarum aliquid auxilii adferat, qui vero, febre cortice Peruviano ſanata, itidem locum adhuc invenit, ſi res circumſtantes illud requirant.

§. XV.

Quod ad curationem harum febrium refert, emeticis vix opus habui, ſed pulveribus digeſtivis per ſufficiens temporis ſpatium adhibitis, his diebus intercalaribus ſal amarum ſedlicenſe vel epſomenſe (*t*) laxandi ſcopo ad unciam unam, plus minus, ſemel vel aliquoties, interpoſui, quo facto, & quinto vel ſexto minimum paroxyſmo ſuperato, electuario chinato vel pulvere ex eodem cortice & pauco cinamomi parato, & æſtu declinante ſingulis quatuor horis exhibito, ſanationem utplurimum confeci. Id quod vero in illis tantummodo ægrotis ita ſuccedebat, qui regimini & diætæ ipſis ordinatis haud immorigeri fuerunt, per totum morbi decurſum a cereviſiæ, lacticiniorum, ovorum, aliorumque minus convenientium uſu ſollicite abſtinentes, & ſimul ſudori, ſub finem paroxyſmorum erumpenti, probe auſcultantes. Hac ratione ſex ſæpe tantum drachmæ corticis ſupra laudati ſufficiebant, interdum vero ad unciam unam cum dimidia aſcendendum erat (*u*) Egregie etiam ad morbi recurſum impediendum in nonnullis profuit eſſentiæ corticis Peruviani & Caſcarillæ, febre exantlata, adhuc per aliquot ſeptimanas uſus continuatus. A caſcarilla vero in ſubſtantia propinanda, ob inſignem amaritiem ejus, pleriſque ægrotis moleſtam, ac inverſionem ventriculi & omnium ſequentium medicamentorum horrorem facile excitandum, abſtinui. In eis, qui morbi recurſum paſſi ſunt, flores chamomillæ ad mentem *Mortoni* uſurpatos interdum etiam egregios deprehendi, ſæpe tamen cortice Peruviano ſanationi poſtea colophonem denique imponente, ita ut his floribus nullam inſignem præeminentiam in tali morbo tribuere queam.

§. XVI.

Præcedentibus malis par fuit frequentia non quidem ſimultanea, ſed ſucceſſivâ (*x*) morbus peripneumonico-pleuriticus verus, præter quod ille

(*t*) Præſtantiam ſalis amari in febribus intermittentibus cum aliis medicis pragmaticis experientiſſimis quibuſque etiam agnoſcit *Santorinus* Obſerv. de Febribus Part. II.

(*u*) Non dubitarem tamen alia occaſione in febre rebelli & pertinaci hunc corticem ad majorem doſin caſu neceſſitatis pedetentim exhibere, quum hic æque ac in omnibus aliis morbis ad peculiarem conſtitutionem individuorum nunquam non reſpici debeat. Confer. illuſtr. *Werlhof* Obſervat. de Febrib. Sect. V. §. 3. p. 190.

(*x*) Conſtat hunc morbum alias eſſe vernalem, circa initium veris & finem hyemis potiſſimum a frigore externo incaute admiſſo primordia capientem. Eundem vero etiam medio æſtatis vel tardius adhuc demum ingruere, & tunc, utpote incongruum, majores medico in ſanatione difficultates ſubinde objicere, tum hoc anno, tum alia occaſione expertus fui, cujus eventus ratio in nulla alia re, quam in viribus ægroti, calore æſtivo plus, quam vere diſſipatis, & ſanguinis majore acrimonia contracta, mihi quærenda videtur.

ille utplurimum non niſi juvenes, in flore & vigore ætatis conſtitutos, circa uſum potius ſpirituoſi inſignem errorem committentes, vel iracundiæ deditos, corriperet. Symptoma quam maxime ominoſum in his ægrotis erat, reliquis ſatis ordinate procedentibus, quod expectoratio illa ſalutaris nullo fere reſolventium & pectoralium medicaminum genere in eis procurari potuerit, adeoque ſufficiens indicium præbuerit, vel pleuram ſolam vel regionem exteriorem tantum pulmonum cum illa adfectam & inflammatione correptam, vel totam maſſam ſanguineam quam maxime aduſtam & ſpiſſam in eis fuiſſe. Nonnulli vehementer delirabant, non infauſto ſemper exitu ob id inſequente, aliis & pleriſque mens per totum morbi decurſum optime conſtabat. Qui ſputa pauca, brunea, quaſi aduſta rejiciebant, vel diarrhoeis corripiebantur, utut primo intuitu mitius quam alii ægrotare viderentur, utplurimum in ſummo rerum diſcrimine verſabantur, venæ ſectione licet debite adhibita, aliiſque convenientibus remediis uſurpatis. Qui convaluerunt, omnes die nono ſudore largo critico erumpente ſanati fuerunt. Reliqua methodus medendi, contra hunc morbum adhibita, ſimilis fuit ei, qua in ſupra deſcriptis Febribus acutis uſus ſui, acidis omiſſis ſed pulveribus reſolventibus nitratis, leniter camphoratis, & oleo amygdalarum dulcium ac ſpermate ceti vehiculo conveniente eo diligentius uſurpatis. Genus mortis, in paucis illis, qui fato concedebant, erat repentina ſuffocatio abſque motibus convulſivis concurrentibus, pro dubio ab empyemate ſubito ingruente.

§. XVII.

Illud vero morborum genus, quod quam maxime univerſaliter hic loci & in vicinia noſta hoc anno occurrit, ſunt variolæ tam diſcretæ, ut pleræque erant, licet copioſiſſimæ utplurimum, quam confluentes. Erant illæ eodem tempore, quo febres ſupra recenſitæ in adultioribus potiſſimum obſervabantur, juniori ætati moleſtæ (*y*) ita tamen, ut hujus morbi conſtitutio epidemica ad autumnum uſque ſe extenderet (*z*).

§. XVIII.

Quod ad ſchema illatum refert, quod hoc anno ſe obſervandas præbuerunt, prægreſſis in multis individuis hæmorrhagiis narium conſuetis, quæ etiam tempore eruptionis vel maturationis demum in nonnullis ſe exſeruerunt, vomituve, tenſiones dorſi (*a*) ſpaſmodicæ & dolentes, artuum

Tt 2

(*y*) Confirmat illud obſervationem Sydenhamianam ſupra allegatam, quod eadem cauſſa univerſalis, quæ in ætate majoribus febres excitat, in junioribus variolas aut morbillos uno eodemque tempore facile producat.

(*z*) Idem obſervavit modo laudatus *Sydenham* Oper. p. m. 41.

[*a*] Ex his aliiſque nonnullis ſymptomatibus B. *Hoffmannus* Medic. ration. Syſtem.

artuum gravitas, ac totius corporis languor & æſtus, horripilationibus & lypothimiis interdum intercurrentibus ad tantum vehementiæ gradum brevi invaleſcebant, ut ægri ſe lecto tradere cogerentur. Poſthæc maculæ illæ rubicundæ ſenſim in tubercula elevatæ, ac in nonnullis initio ſpeciem exanthematum miliarium præbentes, in aliis ſecundo jamdum die, in aliis tertio vel quarto demum erumpebant. Lingua in pleriſque ægrotis manebat humida & rubicunda, in aliis ſtatim exareſcebat, & muco tenaci obducebatur. Appetitus ciborum in multis per totum morbi decurſum optime conſtabat & ad voracitatem uſque interdum augebatur, in aliis ſtatim ſub initium morbi proſtratus. Illi ægroti, quibus hæc prima morbi periodus magnis præcordiorum anguſtiis ſtipabatur, & in quibus exanthemata juſto citius apparebant, variolas deinde eo utplurimum copioſiores vel plane confluentes experiebantur (*b*). In quibus vero maculæ

tem. Tom. IV. Sect. I. Cap. VII. §. 5. probare contendit, quod materia prima variolarum in tubulis quibuſdam medullæ ſpinalis latitet, ſed hæc mera hypotheſis eſt, rationes enim ab ipſo allegatæ hoc tantum confirmant, quod morbo variolarum præſente, Syſtema nervorum ſimul vehementibus ſpasmis adficiatur, minime vero, quod cauſſa variolarum in illo radicetur. Prius enim in aliis quoque morbis accidit, in quibus tamen cauſſa mali manifeſte in alia corporis regione hæret, verbi gratia in epilepſia ex ſtomacho, vermibus &c. Majori hinc probabilitatis ſpecie dolores illi dorſi vel ab irritatione nervorum cutaneorum univerſali, dum materia peccans ibi erumpere tentat, & cutis inflammari incipit, medullam ſpinalem & totum Syſtema nervorum in conſenſum rapiente, derivatur; vel a fortiori pulſatione arteriæ aortæ, ad ſpinam dorſi ſitæ, & in fere univerſali illa obſtructione inflammatoria arteriolarum cutanearum majorem reniſum experientis, cum Antonio *Cocchi* Medico Romano (vid. Nov. Acta erudit. Lipſ. Ann. 1749. Menſ. Febr. p. 67.) vel ab utriſque his cauſſis ſimul deducitur. Aeque parum fundata videtur recentior celeb. de *Violante* opinio, ſedem morbi variolarum cum Arabibus in ſucco atrabilario, glandulis ſuprarenalibus contento, quærentis. Ratio potius, cur plerique mortalium variolis ſubjecti ſint, in univerſum loquendo nulla verior eſſe poteſt, quam quia craſis nativa ſanguinis noſtri in pleriſque noſtrum ita conſtituta eſt, ut contagio variolarum externo accedente, vel idonea conſtitutione aëris epidemica regnante, talis ebullitio in illo excitetur, quæ materiam peccantem numeroſiſſimorum tuberculorum veſicularium ſpecie ad cutem expellendo variolas facit, eo ipſo vero Naturam humorum noſtrorum ita immutat, ut eædem cauſſæ externæ ſubſequentibus temporibus recurrentes rarius, & in pleriſque nunquam, eundem morbum de novo producere queant, utut qualitas illa ſpecifica ſanguinis, variolas invitans, in Medicina nondum indicari queat, quæ in pluribus aliis morbis quoque Medicos ſubterfugit.

[*b*] Miranda eſt diverſitas variolarum ratione malignitatis etiam in una eademque familia, ita ut mihi jam olim infantes iiſdem parentibus geniti, & æquali vigore naturæ ad ſenſum donati occurrerint, qui ſimul quam maxime diſcrepantis indolis variolis corripiebantur, ut nonnulli ex illis vix lecto ſe tradere opus habuerint, & omnia mitiſſima experti fuerint, reliqui vero graviſſimis & funeſtis ſtatim Symptomatibus ſcilicet delirio, petechiis, mictu cruento, dyſenteria, variolarum confluxu & ſubſidentia affligerentur, & methodo licet medendi ad morbi indolem ſtatim accommodata morerentur. Eadem varietas in hoc quoque obſervatur, quod in conſtitutionibus cætera quam maxime benignis ſemper tamen variolæ deterioris & pericul0ſioris notæ in uno & altero ægrotorum occurrant.

culæ poſt quartum demum diem conſpicuæ fiebant, illi eo paucioribus papulis poſtea infeſtabantur, licet hoc etiam in nonnullis ſefellerit, ſive ob conſuetam morborum pro diverſa individuorum conſtitutione nativa varietatem, ſive propter verum morbi initium ab ægrotis ob nimiam formidinem ſecuritatemve animi male adnotatum, ſicuti illud in aliis quoque morbis epidemiis ſæpe contingit, ita ut terminus a quo in eis nonnunquam quam maxime dubius ſit, & haud leves in indicationibus therapeuticis rite formandis aliquando difficultates Medico objiciat. Exanthematibus in lucem productis, prima febris in aliis quidem ceſſabat, in aliis vero continuabat, ut haud pauci ægroti ſub ipſa maturationis vel exſiccationis etiam periodo adhuc plurimus novis puſtulis, præcipue in artubus inferioribus inſignirentur. Fere in pleriſque individuis una vel altera papula nigra reliquis interiecta erat, ſine tamen inſigni damno inſequeute, prout vix in uno quoque omnes puſtulæ tam perfecte elevabantur, quin plures, præcipue in facie, nonnihil depreſſæ manerent.

§. XIX.

Eruptione exanthematum peracta, in nonnullis ægrotis ſexto in aliis ſeptimo die, ut regulariter fieri couſuevit, papulæ illæ in puſtulas ſenſim elevabantur, cum tumore faciei & manuum, qui tamen in iis, qui paucioribus variolis laborabant, vel exiguus, vel nullus erat, in aliis etiam die decimo vel undecimo demum ingruens. Si vero penitus emanebat, variolis licet de reliquo ſatis confertim prodeuntibus & elevatis, peſſimum utplurimum omen conſtituebat, niſi ptyaliſmus tempeſtive erumpens hunc defectum ſalutari eventu reſarcitet. In permultis variolæ initio valde ſeſſiles manebant ac foveis depreſſæ, & non niſi ſub ingruentibus variis motibus ſpaſmodicis artuum vel thoracis & diaphragmatis ac tremore demum pure repleri, & ad formam convexam perduci incipiebant, id quod interdum ſubito & una nocte accidebat; vel motibus convulſivis & epilepticis, iiſque enormibus, ſicut tempore eruptionis, ita elevationis quoque & ſuppurationis papularum, comitabantur. Utplurimum quoque tunc ſtatim poſt ſeptimum diem ſecunda febris cum pulſu celeriori & duro ac agrypnia incipiebat. In pleriſque obſtructio alvi pertinax ad 8. vel plures dies ſine noxa continuabat, diarrhoea in pauciſſimis occurrente, haud pauci vero de ardore urinæ conquerebantur. Quibuſdam tempore ſuppurationis phlyctenæ in utriuſque oculi cornea enaſcebantur, poſtea ſponte exſiccatæ. Delirium utplurimum vel nullum vel nocturnum tantum, in aliis vero poſt diem 14. Urina erat coloris citrini, ut in aliis quoque febribus exanthematicis toto die obſervamus, materia peccante a renibus reliquiſque viſceribus ad cutem converſa. Quidam primis ſtatim diebus ſudoribus diffluebant, ita ut ſatis copioſis nihilominus papulis poſtea corriperentur, aliis abdomen per integrum morbi decurſum inſigniter inflatum & diſtentum conſpiciebatur. Unum e

moleſtiſſimis ſed ſimul minus periculoſis ſymptomatibus erat obſtructio narium a variolis, membranam pituitariam obſidentibus, quæ vero papulis diſruptis, ſponte evaneſcebat (*c*). Suppuratione a ſeptimo ad undecimum diem uſque continuata, in pleriſque ſymptomata & quidem in nonnullis nono jamdum die remittebant, in aliis vero variolis confluentibus laborantibus ad XIII. uſque diem vigebant, donec rumpi & exſiccari puſtulæ inciperent, quæ tunc quoque ſæpe, præcipue in tibiis in ingentes veſicas, valde urentes, & ſero acri repletas, confluebant, pedetentim ſine ulteriori incommodo ſiccatas, præter quod in nonnullis levis febricula, ad aliquot dies durans, iis reduceretur. Quibus ſub declinatione morbi inſignes maculæ nigræ erumpebant, aut peripneumonia superveniebat, moriebantur. Ptyaliſmus (*d*) in duobus tantum vel tribus horum ægrotorum apparuit, ſalutari cum eventu, ſi non nimis cito ſupprimeretur, eo enim conſtrictio faucium ſtrangulatoria inſigniter levabatur. In omnibus fere ægrotis plantæ pedum copioſis variolis occupabantur, quæ confluentes unius ſæpe majoris veſicæ ſpeciem exhibebant, dorſum vero & abdomen paucioribus variolis, & tardius erumpentibus, ſed majoribus iiſdem, conſpicuum erat. In pleriſque ægrotis pus veſicularum apparuit bene coctum, nec in ullo cryſtalli ſpeciem exhibens (*e*). Quibus venæ ſectionem abhibere ſtatim ſub primum morbi inſultum licuit, adhibuimus autem in omnibus, annos pubertatis ſupergreſſis, vel eiſdem proximis, & ad quos ſatis mature vocati fuimus, ii omnia deinde pacatiora & mitiora experti ſunt, etiamſi copioſiſſimis & confluentibus puſtulis corriperentur (*f*). In omnibus vero, qui paulo copioſioribus puſtulis labo-

[*c*] *Mortonus Hiſtor. LVII.* hanc obdurationem narium in variolis fere ſuffocativam obſervavit.

[*d*] Celeb. *Hales* Hæmaſtatic. *Exper.* 22. §. 25. ptyaliſmum in variolis a tranſpiratione ſuppreſſa eleganter deducit, non in omnibus tamen confluentibus adeſſe ptyaliſmum notavit jam *Liſterus* p. 33. variolas vero confluentes abſque Ptyaliſmo interdum ſanari recte annotat *Lobb Aphor. V.*

[*e*]. Variolas tamen cryſtallinas *Freindii* aliis conſtitutionibus epidemicis olim obſervavi, quas etiam *Schenckius Libr. VI. Obſ. VIII.* jam indicat. *Bœrhaavius* Aphoriſm. de cognoſcend. & curand. morb. §. 1380. dicit, quo citius variolarum morbus in hyeme incipit; eo violentior, id quod quidem utplurimum licet non ſemper ita ſe habet, ſi eventum ſpectes. Hac noſtra enim conſtitutione prima hyeme jam aliquot infantes hoc morbo decumbebant, & tamen poſtea anno adultiore in pleriſque ſatis fauſte ſuccedebat medela. In hoc tamen ſummi viri obſervatio apud nos ſe confirmavit, quod poſt ſolſtitium æſtivum ſemper malignioris indolis ſucceſſive redderentur variolæ, exulcerationibus cutaneis profundioribus, & pulmonum vomicis funeſtis ſupervenientibus inſignes. Idem §. 1398. dicit: quo mitior ſtatus contagii, eo lenior ſtatus inflammationis, id quod itidem ſuam ſubinde exceptionem patitur. Interdum enim initio omnia ſunt mitiſſima & brevi poſt ſuperveniunt ſymptomata periculoſiſſima vel plane funeſta. Sæpe principium morbi eſt turbulentiſſimum, & deinde tamen omnia pacata fiunt & ex voto fluunt.

[*f*] Purpuram ſed malignam morbillos inſecutam, vide apud *Pechlinum Obſ. X. Libr. II.* Ego illam & cum variolis, & cum morbillis alia occaſione infauſto pariter omine complicatam obſervavi.

laborabant, tempore ſuppurationis præcipue notanda erat tenſio cutis ita aucta, ut aſſeris inſtar dura tactui explorantis ſe exhiberet, quam primum vero impetus febris ſecundariæ ceſſabat, omnia quoque ad priſtinam mollitiem redibant. In nonnullis morbo ſuperato œdemata pedum per aliquod tempus apparuerunt, epithematibus ſiccis adhibitis brevi tempore diſcuſſa. In aliis morbo exantlato exanthemata purpurea miliacea ſed abſque febre per aliquot dies in cute effloruerunt, ad quæ profliganda vix alia re, quam regimine diaphoretico opus fuit. Ex tenuioris ſortis ægrotis, in quibus vel omnis medela neglecta, vel inconvenientia, exempli gratia vinum enulatum, adhibita fuerant, plures morti in prædam ceſſerunt. Nonnulli quoque infantes ruricolarum mihi poſtea allati fuerunt a variolis, utroque oculo eroſo & humoribus effluxis, viſu privati. De quibus ex morbis & ſymptomatibus prægreſſis judicare oportebat, quod labe occulta pulmonum aliuſve viſceris jam dum laboraverint, exempli gratia palpitatione cordis vel œdematis pedum & habitu corporis cachectico ante ſæpius correptis, in eis medela non adeo fauſte, ac in reliquis ſuccedebat. Cardialgia enim & reſpirationis difficultas, vel etiam delirium vehementiſſimum illos a primo morbi principio ſtatim invadens, quidem remediis adhibitis nonnihil initio cedere videbatur, variolæque ſatis confertim ſucceſſu temporis erumpebant, tumor tamen ille ſalutaris faciei & manuum plerumque emanebat, ſummaque virium proſtratio cum anguſtiis præcordiorum, vel ſputo copioſo purulento apparens, illos brevi poſt in inevitabile mortis periculum conjiciebat, id quod vero in duobus tantum meæ curæ concreditis ita accidit. Sanguis horum ægrotorum primis morbi diebus venæ ſectione emiſſus erat floridus & rubicundus, tertio vero die jamdum valde nigricabat & inflammationem adauctam prodebat. Cruſtam vero albam & ſpiſſam illam pleuriticorum in nullo eorum obſervavi, quam *Baglivus Prax. Med. Cap. IX. de variolis p. m.* 63. varioloſis quoque familiarem eſſe dicit, id quod vero ob clima Romanum calidius, & inflammationem inde in incolis illius, variolis correptis, vehementiorem ibi fortaiſe ita accidit. Qui moriebantur, iis utplurimum octavus vel nonus morbi dies funeſtus erat, nonnulli vero tardius & poſt decimum quartum adhuc diem fatis cedebant. Reliqui dies, quibus ſalus ægrorum quam maxime periclitabatur, erant 7. 10. & 11. In univerſum, ut ſupra jamdum dictum, primo vere & æſtare benigniores apud nos obſervabantur, quam æſtivo calore deinde magis invaleſcente, id quod in aliis quoque morbis ſæpe contingit & de febribus intermittentibus ſpeciatim dudum annotavit illuſtris *Werlhofius Obſ. de Febrib. Sect. I. §. III. p. m.* 10. [*g*] An in iis, qui variolis mortui fuerunt, viſcera quoque puſ-

[g] Conſtitutionem vero variolarum per æſtatem ob aërem auſtrinum peſſimam, autumno autem mitiorem *Bartholinus Centur. IV. Hiſtor. L.*

puſtulis [*h*] obſeſſa fuerint, ob defectum Autopſiæ Anatomicæ, quam parentes & reliqui conſanguinei talium defunctorum vix concedunt, determinare nequeo. Denique adhuc notandum, quod unum eundemque ægrotum uno anno variolis bis vel ſæpius correptum hac occaſione haud obſervaverim. [*i*]

§. XX.

Methodus medendi a me ad debellandum hoc malum adhibita fuit leniſſima, alias quoque ſemper proficua reperta, niſi ſymptomata ſubinde aliud expoſcerent. Licet enim minime ego is ſim, qui in corpore humano motus tam ſecundum naturam quam præter naturam contingentes a providente quodam principio innato, eos in conſervationem illius deſtinante & dirigente, cum celeberrimis quibuſdam noſtri ævi Medicis deducam, ſed potius principiis Phyſico-Mechanicis in phænomenis corporis humani explicandis ubique palmam concedam: tamen certiſſime etiam perſuaſus ſum, quod ſi ullus alius, certe variolarum morbus ita conſtitutus

[*h*] Notum eſt optimos Obſervatorum Medicorum hac in re inter ſe diſſentire. *Dolæus*, *Bonnetus*, *Fernelius*, *Horſtius*, *Ballonius* aliique ab experientiſſimo *Lobb Tract. de variolis p. m.* 4. *&* 5. edit. Gallic. allegati, viſcera interna variolis obſita viderunt, & ſupra citatus *Bartholinus Cent. IV. Hiſtor L.* pancreas ſpeciatim iis correptum obſervavit, cum quibus conſentit Maurit. *Hoffmann* Syntagm. Pathol. Therapeutic p. 1032 cujuſmodi vero ægroti fortaſſe omnes moriuntur, cum pus ruptione talium puſtularum internarum ad cavum aliquod corporis effuſum, nulla arte educendum, non poſſit non plura funeſta ſymptomata excitare, ſi eas variolas excipias, quæ in faucibus, œſophago, ventriculo, canali inteſtinorum, vel aſpera arteria efflorescunt. E contraria parte *Lentilius* Eteodr. Med. pract. p. 153. puerum exhibet nono poſt invaſionem morbi die variolis defunctum, qui cultro Anatomico ſubjectus omnia viſcera abſque variolis & ſaniſſima exhibebat, cujuſmodi exempla mihi etiam aliunde nota ſunt. Ratio vero, cur materia peccans in variolis ad cutem præcipue erumpat, eſt miaſmatis ſubtilitas & levitas, vi cujus illud a motu ſanguinis adaucto cum materia tranſpirationis ad cutem propellitur, & acrimonia ſua ibi copioſiſſimos abſceſſus, vaſculis capillaribus eroſis & inflammatione ſuſcitata, producit, ita ut in quavis variola non poſſint non tot vaſcula ſanguifera & ſeroſa ramulique & papillulæ nerveæ ac pori cutanei peſſundari, quot comprehenduntur area a baſi puſtulæ deſcripta.

[*i*] Variolas una æſtate in iiſdem hominibus bis vel ter erumpentes vide ſis in Obſervat. *Edimburg. Tom. I. Num.* 4. *p. m.* 43. Easdem ſpatio duarum hebdomadum bis in uno individuo de novo apparentes notavit *Atherton* apud *Morton. Hiſtor. variolar. LXV.* Ipſe *Mortonus* eaſdem & quidem diſcretas ante bis in alio ægroto intra ſpatium unius menſis obſervaverat, abſque ſuppuratione inſequente, cum diarrhœa funeſta. Hoc vero hac noſtra conſtitutione itidem contigit, ut illi etiam variolis corriperentur, qui eis ante plures annos laboraverant. Prouti hoc quoque aliquoties expertus ſum, quod a crebriori varioloſorum contactu in iis quoque una & altera ſine febre & ulteriori noxa effloruerit variola, qui hunc morbum ante plurimum temporis jam exantlaverant.

ſtitutus ſit, ut per ſolas actiones & motus ex ſtructura artificioſiſſima machinæ humanæ reſultantes, & ex monitu *Baglivi* præſtantiſſimi medici mechanici Prax. Med. Libr. I. cap. 9. in ægris variolis decumbentibus præſertim a medico religioſe obſervandos, ſæpe ſuperari queat, & in eo conſentientes habeo reliquos peritiſſimos medicorum pragmaticorum. Dum modo ſcilicet medicus impedimenta præcaveat, per abuſum 6 rerum non naturalium ab ægrotis vel adſtantibus alias naturæ objicienda & procreanda, nec morbus malignitate laboret, vel alia labes cum eo complicata ſit.

§. XXI.

Qui itaque de hoc morbo ob ægrotos in vicinia ſua eo laborantes ſibi timebant, iis propinato prius remedio leniter per alvum evacuante poſtea auctor fui, ut bis in hebdomade pediluvio ex ſolo decocto florum chamomillæ parato uterentur, quo id obtinui, ut adfluxu ſanguinis a partibus ſuperioribus & capite præſertim ad artus inferiores invitato, poſtea omnia ſub ipſa curatione hujus morbi auſpicatius procederent, nec illi tam facile deliriis vehementioribus, aliiſque ab inflammatione partium capitis interiorum orientibus ſymptomatibus infeſtarentur.

§. XXII.

Quam primum vero ſigna ebullitionis in ſanguine eorum actu præſentis ſe declararent, in omnibus paulo adultioribus ægrotis & annis pubertatis vicinioribus, vel eos ſupergreſſis, ſine mora, ut ſupra dictum, venæ ſectionem in pede inſtituendam [k] curavi, tantum ſanguinis emittendo,

[k] Ratione uſus venæ ſectionis in variolis valde diſſentiunt Auctores. *Lobb* medicus Anglus recentiſſimus cap. 10. libri ſupra citati cum aliis celebribus viris, ab eo allegatis, non niſi plethoricis, variolis correptis, eam convenire demonſtrare conatur, id quod ſano ſenſu quoque verum eſt. Verum quum plerique ægrorum, variolis correptorum, ſanguine ex hodierno vitæ genere abundent, & vel juſta tantum ſanguinis copia præſente, ille tamen poſtea tempore ebullitionis & inflammationis ſemper plus æquo extendatur, facile comprehendimus, ſtaſin in arteriis cutaneis vel viſceribus quoque interioribus ſemper multo minus vehementem & periculoſam fieri, ſi portio ejus, viribus ægroti accommodata, venæſectione evacuetur. Æque ac ii, qui hæmorrhagiis narium largioribus initio hujus morbi ſponte correpti ſunt, poſtea in decurſu morbi omnia utplurimum mitiora experiuntur. Hinc in paulo adultioribus, nulla penuria ſanguinis evidente laborantibus, illam ſemper vel ut plurimum tamen neceſſariam eſſe recte alii ſtatuunt, e gr. *Liſterus* de variolis pag. 16. & 17. *Cheſneau libr.* 4. *obſ.* 1. *de variolis*, qui hanc operationem jam ſuo tempore in infantibus trimeſtribus Pariſiis in uſu fuiſſe refert, quam vero hoc caſu Gallis relinquimus, *Pechlinus obſ.* 14. *libr.* 2. de *Violante* §. 104. & primi variolarum deſcriptores medici Arabes vid. *Nov. Act. erudit. Lipſ. An.* 1735. *menſ. Auguſt. p.* 348.

do, quantum vires reliquæque res circumſtantes ſuadebant. Venæ ſectioni deinde utplurimum ſubjunxi mixturam leniter diapnoicam ex aqua florum tiliæ, ſcorzoneræ, ceraſorum nigrorum, fragorum ex ſuccis, pulvere bezoardico Anglico, cornu cervi philoſophice præparato, nitro depurato & cinnabari nativa ac ſyrupo contrayervæ paratam, ſingulis 2 vel 3 horis cochleatim propinandam, ægro, circa thoracem levi amictu munito, ſe in lecto leviſſime tectum in conclavi obſcuro, omni calore factitio carente, continente. Potus erat infuſum herbæ theæ cum lacte [*l*] frequenter calide hauſtum, aqua panata, cereviſia tenuis, vel brodium avenaceum apud nos uſitatiſſimum & utiliſſimum. Cibos vero non niſi eupeptos, & juſcula tenuia potiſſimum conceſſi, carnium eſu maximam partem interdicto.

§. XXIII.

Hoc obſervato, opus eruptionis variolarum in pleriſque blandiſſime ſuccedebat, ita tamen, ut in nonnullis ante tertium diem papulæ jam apparerent, quorum aliqui poſtea quidem copioſiſſimis & confluentibus variolis correpti effatum *Sydenhamii* opp. p. 149. confirmabant. Si quibus vero motus convulſivi vel plane epileptici ſupervenirent, liquor anodynus mineralis Hoffmanni ſyrupo rubi idæi vel florum papaveris erratici temperatus, ſingulis 4 horis ſumendus ſuadebatur, interpoſita miſtura, ex aqua florum tiliæ, rutæ, ceraſorum nigrorum, antepileptica Langii, pulvere bezoardico Anglico, lumbricis terreſtribus, nitro & liquore cornu cervi ſuccinato ac ſyrupo florum pæoniæ & contrayervæ parata. Sic motus illi violenti nonſolum brevi evaneſcebant, ſed etiam puſtulæ ſenſim elevatæ [*m*] pure repleri incipiebant, quam quidem repletionem emulſione,

[*l*] Experientiſſimus de *Violante* §. 158. potum largum aqueum in variolis exemplo celeberrimi Angli Richard *Mead* itidem maximopere commendat, idque optima ratione, dum ſic tota maſſa ſanguinis fluidior redditur, & partes aqueæ ejus, nimio æſtu deperditæ, reſarciuntur, puriſque ſecretio egregie promovetur. Hoc tamen curandum, ne vel nimis calide talis potus ſumatur, ſicque anxietates præcordiorum producat, vel tempore pomeridiano, proxime ante noctem præſertim, ab ægro in ejus uſu exceſſus committantur, niſi quidem noctem inſomnem & turbulentam experiri velit, ut in uno & altero contigiſſe obſervavi.

[*m*] Modum elevationis variolarum eleganter & ſecundum regulas mechanico hydraulicas explicat des *Sauvages* de inflammat. §. 122. Idem §. 123. rationem exhibet, ex mollitie partium potiſſimum deſumtam, cur majores variolæ in facie & manibus, & minores majorique cum difficultate in pedibus erumpant. Quæ obſervatio tamen non in omnibus individuis obtinet, quum plerique noſtrorum ægrotorum majores & perfectiores variolas in cruribus & tibiis, quam in facie & manibus exhibuerint, in plantis vero pedum annotationes *Sauvagii* veriſſimæ ſunt. Ratio, cur facies & manus copioſis variolis corripiantur, ex faciliore propulſu ſanguinis per arterias carotides & axillares ad dictas partes quoque haud male deduci poteſt, prout e contrario

ſione, ex ſemine aquilegiæ, napi, cardui Mariæ, pineis, aqua cardui Benedicti, ſcorzoneræ, ceraſorum nigrorum, pulvere bezoardico Anglico, nitro & ſaccharo confecta, & ſingulo bihorio exhibita, ubi opus fuit, juvavi. Contra nimium æſtum & agrypniam, tempore maturationis nonnullis inſigniter moleſtam, tincturam florum bellidis & papaveris erratici in aqua panata largiore ad guttas 25 vel 30 cum levamine inſequente ordinavi, ita tamen, ut ad coagulationem emulſionis impediendam, iſta ſub illius uſu vel plane omitteretur, vel tamen ſatis longis intervallis exhiberetur. Quibus ſuppuratio ſine graviori incommodo procedebat, eis non niſi lapides cancrorum citratos cum pauco nitro in forma pulveris vel mixturæ præſcripſi ſumendos. Si qui de difficultate deglutiendi & ardore faucium conquererentur, illis oleum amygdalarum dulcium recens expreſſum, cum potu calido frequentius ad cochlearia minora datum, egregie profuit. Sæpe vero accidit, ut die morbi 10 vel 11 ab alvo diutius obſtructa, cardialgia vehementiſſima & aſthma ſpaſmodicum, multum periculi minitans, nonnullos corriperet, clyſtere ex decocto florum chamomillæ cum lacte, nec non oleo chamomillæ & ſaccharo vel nitro parato facile tamen ſedandum. Denique puſtulis exſiccatis ſal Sedlicenſe vel Epshamenſe aut aliud remedium laxans doſi cujuſvis ætati conveniente exhibui, ſicque curationi morbi coronidem impoſui.

§. XXIV.

Præter hos morbos, poſt æquinoctium autumnale ſenſim evaneſcentes, nulli alii epidemici occurrerunt. Quæ enim circa finem menſis Julii & initium Auguſti in intenſiſſimo illo æſtu in pluribus apparebant exanthemata purpurea abſque febre erant, & dyſcraſiæ ſcorbuticæ, calore atmoſphæræ adauctæ, & ad peripheriam corporis invitatæ, tribuenda videntur, brevi poſt pauca remedia abſorbentia & nitrata adhibita iterum evaneſcentia. Prout & diarrhœæ & ipſa dyſenteria, eodem tempore in nonnullis ſeſe manifeſtantes, erroribus in diæta & potu largiore commiſſis, aliiſque cauſſis occaſionalibus potiſſimum adſcribi merentur, & tunc ſtatim ſopitæ fuerunt, licet nonnulli ſatis vehementer & periculoſe eis decubuerint, in quorum vero ſanatione nihil notatu dignum obſervavi.

thoracem & abdomen pauciores puſtulæ occupant, quia motus ſanguinis ad has partes per arterias intercoſtales & lumbares minus vegetus eſt. Cauſſa vero, cur variolæ pleræque in figura lentis appareant, nulla alia eſſe poteſt, quam quia materia puris per tubulos cutaneos conoideos vel cylindricos eroſos & deſtructos guttatim ſeu in forma globoſa effluens, cuticulam ſimili forma elevat.

FINIS.

CLXIX.

HENRICI MAII

ET

ARPOLDI PHILIPPI KOPFF,

DE

FEBRE CASTRENSI,

QUAM VULGO

CEPHALALGIAM EPIDEMICAM

VOCANT.

Rinthelii 1691.

Σὺν Τῷ Θεῷ Ἀρχιάτρῳ!

PRÆFATIO.

UBique fere bellum! non ſine ratione in hæc verba erumpere licet. Circumſpicite quæſo! & Martem quotidie terra marique res novas moliri, ex improviſo hoſtes, provincias ſplendidas, urbes eminentes, ac tam celebritate, quam magnitudine memorabiles, ſimulatque munitas arces, & quicquid præterea terrarum in proximo eſt, inſtructo paratoque exercitu invadere, uno velut impetu oppugnare, & ad ultimum penitus devaſtare videbitis. Quid? quod non tantum de latiſſimo terrarum orbis ambitu, ſed noſtra (proh dolor!) etiam de Provincia ac Republica Microcoſmica hoc veriſſimum eſt: Etenim, nulla ibidem pars tam nobilis, nulla tam eminens ac præſtans, nulla tam munita exiſtit, cui a morbis, hoſtibus iſtis crudelibus ac truculentis, bellum non inferatur, & cui, unde timeat, non in ſingula fere momenta immineat, ſub quorum vexillo, cum & militet nec ultimum ducat agmen morbus iſte Caſtrenſis dictus, ejus quoque atrocitas ac lugenda cataſtrophe ad Meditationem hancce Inauguralem me invitavit atque commovit; caſtris igitur motis, pro viribus huic hoſti Microcoſmico oppoſiturus, & ad illius impetus inteſtinos debellandos remedia, tanquam arma, demonſtraturus ero. Quod dum facere tento, ingredi videor viam difficilem, ac ſpinetis ſentibuſque multis obſitam, ſed facilem monſtrabit auxiliatrix Dei ter optumi maxumi *manus: Ad* te *igitur, o potentiſſime omnium morborum domitor*, Iehovah, *oculos meos extollo, & ſollicitis veneror precibus, velis mentem meam illuſtrare, mihique clementiam ac Benedictionem tuam largiri, & Spiritu tuo Sancto ſuccurrere, quo hujus armatus auxilio, nil niſi Divino nomine glorioſa, mihique ac proximo utilia ſcribam, ſtatuam atque defendam, hoſtiſque ita præſentis violentiam haud infelici cum ſucceſſu propellere & obterere poſſim. Lectorem Benevolum, vana ſi quæ habet præjudicia & inimicos veritati affectus, a tergo ut relinquat, nec ſtyli elegantiam, aut mellitos verborum floſculos hic a me exſpectet, ſed, ſi quid reperiet, in quo aliquid humani paſſus & erraverim, uti factum eſſe credo, cum nemo in ſcribendo adeo felix, ut illum non aliquando error ſeducere poſſit, erranti, auctore Tullio, ſolam confeſſionem eſſe medicinam, meque hominem, nec humani quid a me alienum eſſe, idemque Sibi aliquando evenire poſſe probe meminerit, ea, qua par eſt, humanitate & modeſtia peto atque contendo.*

THEO-

Theorema I.

Dimidium facti, qui bene cæpit, habet, *Horatius* quondam cecinit; hujus monito & ego obtemperaturus, antequam in hunc non levis armaturæ hoſtem microcoſmicum copias educam, methodo hactenus recepta atque conſueta, nomen ejus quoad Etymologiam, Homonymiam & Synonymiam perpaucis delibare atque expendere e re fore duxi. Ut autem a primis, quod dicitur, incunabulis rem deducam, hoſtis, quem in medium produco, vocatur *morbus caſtrenſis*, morbus ſalutatur quaſi μόρος βίου, infortunium vitæ *effato Excell. Moeb. Epit. inſtit. medicar. lib.* 2. *part.* 1. *c.* 1. *pag.* 69. Morbus enim, utpote noſtræ vitæ gladius ſecundum *Helmont. ignot. hoſp. morbus* §. 11. *pag. m.* 313. mortis eſſe ſolet prodromus, atque ad illam via habetur proxima, vel ſaltem, dum dies noctesque circa vitam noſtram hoſpitatur, eamque inſidiis deſtruere conatur, in miſeram infortunatamque vitam nos præcipitat, id quod iis, qui multorum annorum decurſu, & chronicis decumbunt morbis, noto eheu! notius eſt. Cum vero *morbus* admodum generale ſit vocabulum, omnibuſque ferme affectibus applicari poſſit, impræſentiarum mihi tantum ſermo de *morbo caſtrenſi*, utpote in caſtris ob enormes diætæ errores, quos martis filii in ſuis corporibus committunt, aut committere coguntur, aëremque inquinamentis ex aquis cadaverum injectione corruptis, ex caſtrorum ſordibus, item cadaveribus partim hominum crudeli Marte in præliis cœſorum, vel morbis contagioſis extinctorum, partim brutorum, per agros ſparſim jacentium, nec humatorum ſuſceptis, pollutum & conſpurcatum, familiariſſimo.

Theor. II.

Homonymiæ loco monendum erit morbum caſtrenſem (I) ſumi *latiſſime*, pro quovis fere morbo, quem milites ex caſtris attulere, (II) *late* pro aliis morbis in caſtris qui ſunt frequentes & familiares. (III) *ſtricte*, pro febri maligna, continua, contagioſa, dira cum cardialgia, ac cephalalgia, aliiſque diverſis ſtipata ſymptomatibus, quæ ultima acceptio etiam eſt hujus loci.

Theor. III.

Accedendum nunc ad Synonymiam, ubi varia quæ huic morbo impoſita, explicanda veniunt nomina. Diverſis vero ab Authoribus diverſis inſignitur nominibus. Quam plurimis vocatur morbus Hungaricus ſeu febris Pannonica, hancque ſuam denominationem hinc accepiſſe conjicio, ſcilicet, quod Anno 1566. vel ut alii voluunt, (relatum enim

lego)

lego) Anno 1572. Maximiliano II. Imperatore contra Turcarum Tyrannum Solimannum ad Comorrham exercitum ducente, tanta hujus contagii vis exorta, quæ non modo illum exercitum maximam partem invaſerit atque oppreſſerit, ſed etiam exauctorato poſtmodumque diffluente milite, aliis exinde Gentibus ac Regionibus, infeſta ac lugubris advenerit. Germani appellitare ſolent, *Das Ungariſche Fieber*, *die Ungariſche Seuche.* Aliis morbus Caſtrenſis ſeu militaris dicitur; *Die Feld Soldaten-oder Krieger-Kranckheit.* Nonnulli Cephalalgiam Ungaricam ſeu epidemicam nominant, teſte *Thom. Minadoo lib.* 1. *de febr. malign.* ob acutiſſimum ac exquiſitiſſimum capitis dolorem, quo hac lue correpti miſerabiliter & jugiter excruciantur, noſtrates dicunt, *das Ropff Wehe.* Aliis ob contagium nimiumque decumbentium calorem, *der hitzigen anſteckenden Ropf-oder Haupt-Kranckheit.* Aliis a delirio, quod accedit, *des Hirntobens* nomine venit. Ut alia cognomina a ſymptomatibus hanc febrem comitantibus petita, lectori delicatulo tædium exinde nonnunquam oriundum, ne cauſem, ſilentio prætercam.

Theor. IV.

Perſpecto hujus hoſtis deperditi, hominibuſque multiplices inſidias ſtruentis nomine, ejus perſona jam delineanda erit. Deſcribitur vero *morbus Caſtrenſis*, quod ſit febris maligna, continua ac contagioſa, ſeu commotio & exæſtuatio ſpirituum & maſſæ ſanguineæ per totum corpus præternaturalis, modo a materia ætherea particulis malignis ac hoſtilibus imprægnata, modo a particulis p. n. in corpore latitantibus, atque a cauſis procatarcticis in actum deductis, exorienda, cephalalgia inſigni & cardialgia, ingenti atque ſubitanea virium proſtratione, ſiti, reliquaque infelici ſymptomatum caterva ſtipata.

Theor. V.

Ex febrium, & quidem malignarum cenſu eſſe affectum hunc præſentem, nemo ſymptomatum eum concomitantium vehementiam conſiderans, facile ambiget; cumque non ſtatis ſolum temporibus, ſed nullo non tempore potius, nulliſque induciis ac feriis datis, ægrotum continue ac indeſinenter, quamvis interdum remiſſius, interdum fortius id fiat, affligit atque divexat, illum dici debere continuum, extra dubitationis aleam quoque eſt poſitum.

Theor. VI.

Contagioſum & iſtum appello, neque id immerito, cum excurſiones in aliena faciat ſubjecta, caſtraque locet, totaſque domos imo integras non-

nunquam familias devaſtet, ille enim, qui ad hujuſmodi ægrum, ceu ad ignem, accedit propius, incaleſcet plus ſatis, hinc vult quoque *Rulandus*, iſtum, qui luem hanc velit hoc privare encomio, dignum eſſe, qui tamdiu cum ea lue correptis verſetur, dum hauſto ſeminario pari ſe teneri affectu ipſe confiteatur. Non tamen ſtatim ſequitur quaſi omnes omnino homines corripere neceſſario debeat, magis enim huic quam illi inſidiatur, corporaque quædam facilius, quædam non ita prompte luem hanc malignam ſuſcipiunt, prout nimirum magis vel minus corpora ad fomitem iſtum recipiendum fovendumque ſunt diſpoſita, quibus igitur diſpoſitio & indoles corporis ineſt, ibi promptiſſime contagium ſeſe inſinuat, & inſidias ſuas exſtruit. Atque hinc deducenda videtur ratio, cur contagium plerumque promtius de parentibus in liberos, fratre in fratrem, conſanguineum, quam in alium, qui de parentela non eſt, propagetur aut vim ſuam exſerat, & quo quis ſanguine conjunctior & magis propinquus (obſervatum enim ab Autoribus practicis, nonnullos impune cum infectis, quibus nulla ſanguinis cognatione erant devincti, converſatos, poſtea a conſanguineo infecto levi occaſione etiam infectos fuiſſe) eo celerius ſæpenumero malum hoc alter ab altero concipiat, conſanguineique magis habeant quod metuant, quam qui nullam ſanguinis cognationem agnoſcunt, ſolent enim corpora parentum ac liberorum, fratrum aut aliorum de parentela nonnunquam ſibi ſimiliora eſſe, ideoque ad ſeminaria hujus miaſmatis recipienda fovendaque magis apta atque accommodata.

THEOR. VII.

Quemadmodum dux bellicus non facile cinget hoſtilem exercitum, niſi ejus ſitum ſatis ſuperque cognitum habebit atque perſpectum, ita nec medicus de exſtirpanda minera morbi cogitet, niſi ſedem ejus atque hoſpitium ſufficienter exploraverit, uti *Celſus lib.* 4. *de re med.* monet, ex hujus nempe cognitione accurata, qua parte irruentibus turmis contra eundum ſit, dein pateſcit. Quo igitur & ego ſuccumbenti magis parti ſuccurrere in tempore queam, poſtulat neceſſitas, ut ſubjectum, ſeu quonam in loco hoſtis hic maleferiatus caſtra ſua ponat, rimer intimius.

THEOR. VIII.

Subjectum vero ſeu *pars affecta* communi veterum, ac nonnullorum etiam recentiorum ſuffragio ſtatuitur cor, ac cum *Galeno libr.* 1. *de differ. febr.* etiamſi reliquæ corporis partes calorem habeant præternaturalem, is vero ad cor non pertingat, nunquam oriri febrem, ſibi firmiter perſuaſum habent, verum enim vero attenta mentis cogitatione in examen vocata hac *Galeni* ſententia, nemo non, cui veritas eſt cordi, nec in verba *Galeni* (cum *Maſſaria* de ſe ipſo fateri non erubeſcente, ſeſe *Ga-*

leni erroribus aſſentiri malle, quam indagare) juraverit, clare & diſtincte perfacile videbit, illum veritatis ſcopum hac in re minime attigiſſe, apud me ſaltem nunquam præconcepta hæc opinio tantum poterit, ut etiam ſine ratione valeat autoritas, ignoſcet mihi itaque veneranda antiquitas, quod hoc in paſſu illius partes ſectari non liceat, neque ejus diſcipulum profiteri veritas obſtet. Cordis enim vitalitas ab ea ſuppoſita, nondum firmis rationibus demonſtrata eſt; imo plurima exempla potius evincunt, cor (niſi illud collective cum ſpiritibus ac tota maſſa ſanguinea acceptum velis) omnem ſuam activitatem & operationem non ex ſe, ſed ex ſpiritibus fœnerari, eoque duntaxat nomine vitalitatis reddi particeps, ſi enim influxus ſpirituum per paucula temporis momenta ſufflaminetur, a motu ceſſat, & æque torpidum ac immobile evadit, ac alia corporis pars, id quod experimentis confirmant *Williſ. Anatom. cerebr. cap.* 24. *Lower de corde cap.* 7. *Rivin. de ſpiritu hominis vitali cap.* 5. §. 8.

THEOR. IX.

Proinde ſepoſitis omnibus præjudiciis mihi *ſubjectum* principale ſeu pars immediate affecta erunt ſpiritus, a medicis tam inſitorum quam influentium, vitalium ac animalium nomine indigitati, ſpiritus inquam ſunt, in quibus miaſmata peregrina tragœdiam ludunt, hinc ipſi *veteres*, dum in digeſtionis vitiis facultates concoctrices, in læſo motu expultrices proxime accuſarunt, quid aliud inſinuatum ivere, quam vitale quoddam principium, actionum tum naturalium, tum præternaturalium primarium ſubjectum; & ex *recentioribus* Sylvius & Williſius, quando in aſſignandis febrium cauſis ebullitiones & efferveſcentias extollunt, nihil aliud, quam intus agentem ſpiritum, impetum illud faciens Hippocraticum, tacite inculcare videntur. Cum igitur cor eatenus hoc in morbo male afficiatur, quatenus ſpiritibus animatum exiſtit, calorque omnis in corpore perceptibilis a ſpirituum præſentia dependeat, uti non modo probat ſubitaneum ejus augmentum, quod ex ſpirituum commotione in animi pathematibus, v. gr. in ira (qua etiam multos in febres malignas incidiſſe practicorum fideles teſtantur obſervationes) obortum, quivis in ſe ipſo experiri poteſt, ſed & e contra notabile frigus in artuum extremitatibus ſenum, item e morbo graviori eluctantium, vel potius in agonizantibus ac morte ipſa, obſervandum, quando recedentibus ſucceſſive ſpiritibus cum vita ſenſim ſenſimque corporis calor quoque recedit, totumque corpus friget, livet ac pallet, his, inquam bene penſitatis, nemo facile, niſi forſan ſolo contradicendi ſtudio delectetur, ac litium ſit amans, dictis fidem derogabit, ſpiritibus nempe primarium ac principale febris hujus malignæ *ſubjectum* exiſtere atque domicilium.

Theor. X.

Cognito ſubjecto, uſus & neceſſitas adurgent ut progrediar, ſollicitus de *cauſis*; nam

Felix, qui potuit morbi dignoſcere cauſas.

Quam abſtruſum autem ſæpiſſime ſit hoc cauſarum ſcrutinium, practici tota die toto pectore ingemiſcentes proh dolor! experiuntur, ea propter & veniam mihi polliceor, ſi forſitan cuipiam viſum fuerit, me in re tam obſcura & abſtruſa ob ingenii humani imbecillitatem a tramite veritatis aliquantum aberraviſſe. Si vero ullibi, certe hic locum habet τὸ θεῖον & ſupernaturale, illud enim ſtabiliunt verba Jehovæ: ſi non audiveritis me, conſtituam ſuper vos febres &c. *Levitic.* 26. *v.* 14. 15. & 16. & *Deuter.* 28. *v.* 15. 22. Ex cauſis mere naturalibus pro *cauſa immediata* & *proxima* agnoſco materiam ætheream (vocat ut lubet, non moror, quid enim verborum diſſenſus, modo de re ipſa liceat convenire) particulis ſeu effluviis malignis maſſæ ſanguineæ poris ac ſpirituum noſtrorum maxime improportionatis, ideoque mixtionem blandam renuentibus, tinctam atque inquinatam, illa enim aura, utpote vector μιασμάτων effato *Celeb. D. Wedel. Phyſiol. ſect.* 3. *cap.* 19. §. 9. *pag.* 155. dictis effluviis a variis cauſis, quas longa ſerie recenſitas vide apud *Ruland. de lue hungar. cap.* 2. contaminata & infecta, vel mediante inſpiratione, vel per poros cutis foras intus & intus foras ſpectantes, vel aſſumtorum aut ſalivæ poris ſeſe inſinuans in corporis penetralia recepta, vel etiam hoſtis in ipſo corpore ob tranſpirationem inſenſibilem ſufflaminatam, vel hæmorrhoides in viris, menſtruas purgationes in fœminis, & lochiorum ſive ſecundinarum retentiones in puerperis, aliaſque conſuetas evacuationes prohibitas & ſuppreſſas, in tubulo quodam velut intra mænia incluſus ac deliteſcens atque a materia ſubtili peregrina & exotica, ira, terrore, imaginatione, motu aut exercitiis immodicis, it. medicamentis præpoſtere præſcriptis aut uſurpatis, aliiſque erroribus in diæta commiſſis valide exagitatus, ſicque cellula ſua amplius capi neſcius, ſed qua data porta e latebris prorumpens, & ad maſſam ſanguineam & ſpiritus proveniens ob confuſionem particularum inter ſe maxime contrariarum non amica conjunctio, ſed potius impetuoſa conflictatio atque actio & reactio exoritur, ſicque ſanguis & ſpiritus ad tumultuoſos hos impetus & ſeditionem febrilem concitantur, triſtemque hunc affectum & aſpectum in ſcenam producunt. Pro diverſa vero ſubjectorum quæ invadit, conſtitutione ac miaſmatis peregrini indole, proque majoris vel minoris quantitatis in corpore præſentia, eo plus quoque vel minus ſpiritibus faceſſit negotium & ad ſeditiones inteſtinas vias ſternit,

febriſ-

febriſque modo mitior ac remiſſior, modo gravior ac atrocior, nunc paucioribus, ac levioribus, nunc pluribus & gravioribus ſtipatur ſymptomatibus.

Theor. XI.

Ne cæco quodam impetu in ſpectatiſſimum curationis campum prius irrumpam, quam hoſtis hujus deperditi cognitionem fuerim conſequutus, exploratores nonnulli, quorum miniſterio ejus ſtructas inſidias dignoſcere queam, præmittendi. *Signum* vero hoſtis imminentis certum & infallibile vix aut ne vix quidem determinare poſſum, etenim morbus hic prima fronte ſpeciem levis præ ſe fert momenti, & indicia habet adeo exigua, ut & ipſi ægri ſeſe morbo laborare vix credant, ſed per aliquot dies circum ambulantes, *dencken, Sie wollen es übergehen, habe nichts zu bedeuten;* medici quoque ipſi vocati malignum hunc morbum ſæpius pro benigno, magno ſalutis ægri cum detrimento, habeant, aſt veriſſime mel in ore, fel in corde gerit. Quod ſi tamen plures eodem tempore hoc decumbant morbo, & epidemice graſſetur malum, varios quiſpiam errores in diæta commiſerit, & adhuc committat, cum alio eodem morbo decumbente converſatus fuerit, (præprimis ſi ex parentela eſt) hincque de nauſea, virium imbecillitate & laſſitudine membrorum doloroſa (multi enim primo morbi incurſu ſeſe plane defeſſos & elumbes, haudque aliter ipſis eſſe, ac ſi fuſtibus probe fuerint percuſſi, conqueruntur, quomodo vero & quibus in locis moleſtiam percipiunt, clare & diſtincte exprimere non poſſunt, *Sie klagen, Sie wären ſo matt, könten den Kopff nicht mehr oben behalten; Es wäre ihnen nicht anders, als wann ihnen alle Glieder zerſchlagen wären, und es thue ihnen alles wehe*) de levi it. horrore, quem calor præternaturalis excipit, & cephalalgia ac præcordiorum anxietate conqueratur, ſingula hæc tragædiæ prologum agunt, & proditores ſunt adverſantem interius latitare hoſtem, jamque colluctari incipere indicant.

Theor. XII.

Nauſea adeſt adeo, ut ciborum ne conſpectum quidem vel odorem ſolum perferre queant, quatenus vel ventriculo oblata alimenta alienis ac vix ſubigendis aut domabilibus prædita corpuſculis, vel ventriculus a materia peccante ita obrutus, ac debito ſpirituum agmine depauperatus, ut ſuo rite defungi nequeat officio. *Virium* obſervatur *ſubitanea proſtratio*, ob ſpiritus craſeos ac texturæ limites tranſilientes, & a cauſa morbifica aggravatos atque oppreſſos. Accedit *laſſitudo membrorum* a ſpirituum languore & torpedine, cauſaque morbifica muſculoſas partes occupante, vel ob vaſa a ſanguine exæſtuante plus ſolito diſtenta nervoſ-

que anguſtantia, ut ſic ſpiritus ſatis copioſe non admittant. Cum *ſuperficiali horrore* ordiiur tragædiam, quatenus nimirum ſpiritus, dum in expulſionem ejus, quod hoſtile eſt, inſurgunt, pro hac facilitanda vires quaſi ſumturi, exteriora aliquatenus relinquentes, interiora petunt, proque majori vel minori deſertione exteriorum, frigoris vel horroris major minorve producitur ſenſus, infidus vero hic hoſtis a materia ſubtili agitatus, ſpirituum expugnationem ſtrenue dum affectat, illi ab hoſte laceſſiti ſtatim claſſicum canunt, & quam citiſſime copias ſuas (quaſi bellicæ diſciplinæ ritu inſtructi) undique contrahentes ac in ſubſidium advocantes, cum toti in id incumbant, quod ad ſalutem œconomiæ pertinet, facto velut agmine omnem ad ingratum & moleſtum hunc hoſtem oppugnandum navant operam, dum autem contra hoſtilem impetum inſurgunt, validique cum impetu ſibi mutuo occurrunt, hic trudit, illi repellunt, hinc bellum ſuccedit inteſtinum ac pro victoria decertant, quo ex conflictu & motu non poteſt non ſubſequi *calor præternaturalis*. *Cephalalgia* intolerabili fere perſeverantia continuante miſerrime affligantur atque detorquentur, haudque aliter dolet caput, ac ſi in partes mox diſſiliret (qua loquendi formula ægri utplurimum utuntur. *Sie klagen, es wäre nicht anders, als wann ihnen der Kopff wolte in ſtücken zerſpringen*) ab irritatione & vellicatione nimia fibrillarum capitis nervearum ſeceſſum a ſe invicem meditantium, exorta. *Anxietates* ipſis ægris non ſatis explicabiles *circa præcordia* (quas vulgo *Hertzens-Angſt* appellitant) diuturna obſidione in eas ſæpe illos redigit anguſtias, ut de ſummis illis anxietatibus ac inquietudinibus a roſione atque lancinatione nervorum, ſecundum veterum anatomicorum ordinationem, ſexti paris, vel a conſtrictione, contractione aut criſpatura ſpaſmodica fibrarum nervearum irritatarum orificii ventriculi, diaphragmatis, pleuræ, vel ipſius etiam mediaſtini &c. vel a diſtenſione ventriculi flatulenta nimia, adeoque diaphragma comprimente, ejuſque motum impediente conquerentes, quo ſe vertant neſcii, ſicque ſeſe contrahentes interdum, ut genua contingant ora, intolerabiles ferme anxietates hac ratione lenituri, intimis gemitibus atque ſuſpiriis (triſte viſu & auditu) medicorum implorent auxilium & conſilium. *Sie klagen, es ſey ihnen ſo angſt und bange, ſo enge, voll, und geſpannet um das Hertz und um die Bruſt, daß ſie nicht wüßen zu bleiben, noch wo ſie ſich hinkehren oder wenden ſolten.* *Delirium* ſuperveniens ſpirituum copias modo huc, modo illuc excurſiones facere, ac in diverſas rapi partes, hincque ſui juris non amplius eſſe, adeoque functionibus ſibi demandatis non præeſſe, ſed a debito deviare munere demonſtrat. *Sitis* dependere videtur vel a ſalis acrimonia ſui dilutionem expoſtulante, vel ab obſtructione pororum glandularum ſtomaticarum in os ſ. n. hiantium humoremque ſalivalem deplorantium. Oris adeſt ſiccitas & ariditas, ob calorem febrilem humorem ſalivalem depaſcentem, vel ob ſerum ſanguinis per habitum corporis,

ris, aut per alias vias magna copia extra corpus protruſum, vel obſtructionem glandularum oris.

Theor. XIII.

Pulſus mentitur, non fida ſui tactus præbens indicia, interdum enim ſanis quam ſimillimus, nunc magnus ac robuſtus, hoſtis copias prodens, ſpirituumque reſiſtendi valorem oſtendens, nunc parvus ac debilis ob ſpiritus a conflictu debilitatos atque abſumtos. *Urinæ* quoque prout pulſus incertus veritatis aut falſitatis demonſtrator, unde experientiſſimi etiam practici, & Argo ferme oculatiores ſeſe ab inſidioſiſſimo hoc hoſte ſæpiſſime deceptos fuiſſe fateri coguntur. Cætera ſicco lubens pede, brevitatis cauſa, prætereo, proinde, plura, qui deſiderat, ſigna, practicorum haud gravatim adeat monumenta, ubi, quæ hic deſunt, abunde reperiet; probe autem attendendum eſt, ſigna hinc inde a practicis quæ deſcribuntur, non in omnibus ſubjectis adeſſe ſimul, ſed modo hæc, modo illa, nunc plura, nunc pauciora animadverti, pro hoſtis nimirum febrilis, corporumque infectorum diverſa diſpoſitione atque indole, quæ conſilio & prudentiæ medici præſentis committimus. Monendum quoque, ne uni alicui ſoli inniſi ſigno, inconſiderate nimis ocyus morbum hunc dijudicemus, ſed potius omnibus ſimul conjunctis circumſpecte dignoſcere perdiſcamus ſecundum effatum *Galeni*: χρὴ πάντα θεάσασθαι τὰ σημεῖα καὶ μὴ πιστεύειν ἑνί, i. e. omnia ſigna ſimul ſunt conſideranda, nec uni ſoli fides adhibenda.

Theor. XIV.

Signis diagnoſticis declaratis, *prognoſtica* quoque non intacta relicturus ſum, cum vero hic valeat, quod *Tullius* Romanis bellum diſſuaſurus dixerat: *omnis belli exitus eſt dubius*; juſſuque ac ſuaſu *Hippocratis 2. aphor.* 19. morborum acutorum non omnino & ſine dubio, adeoque non in totum & abſolute certæ ſalutis aut mortis ſint prædictiones, ideo prudens & circumſpectus medicus in prognoſi formanda ſuum potius judicium differat atque ſuſpendat, donec manifeſta alterius partis victoriæ ſeſe obtulerint indicia, ne videlicet prono nimis judicio ac præpoſtere præſagiendo turpiter ſe det, famamque ſuam vulgi ludibrio exponat: hinc & *Hippocrates in libr. prognoſt.* inquit: *medicum providentia uti, ut opinor, optimum eſt.* Non ſtatim ergo ex hujus vel illius ſymptomatis remittentia felix eventus certo prædicendus, nec ex atrocitate ſymptomatum non ſubito mors infallibiliter præſagienda; cum hactenus obſervatum ſit ſæpius tantam ſymptomatum adfuiſſe vehementiam, ut mortem præſentiſſimam eſſe quis dixerit, nihilominus tamen optatum ſalutis exitum inſequutum, e contra vero quamplurimos mitiorum ſymptomatum

tum præſentia, & ubi certiſſima ſalutis ſpes promittebatur, vitam cum morte commutaſſe, blanditur enim hic morbus, & fallit inſtar canum, qui minus latrant, acrius mordent, & dum ſalutem in fronte, in occipitio funus gerit.

Theor. XV.

Unde nec audienda eſt *Hippocratis* ſententia, de diebus criticis in morbis tam ſtricte obſervandis, cum infirmo admodum ſtet talo atque fundamento; raro enim ad ægrum in principio morbi, ſed ubi vetularum & agyrtarum conſilia nil amplius poſſunt, & ridiculum ac magis abominabile proverbium, *Wir wollen es noch einen Tag oder was an-oder zuſehen*, minitatur periculum, primum vocatur medicus, ut hinc, licet ſpirituum conatum criticaſque videat evacuationes, neſciat quo hæ die eveniant: deinde etiam in febribus malignis ordinem dierum accuratiſſime obſervanti, rariſſime vera & perfecta critica evacuatio certa aliqua, præciſe nimirum hac vel illa die, non alia, præprimis in ægris noſtris obvenit notanda, omnibus namque diebus ſpiritus adhuc validi adque reſiſtendum alacres, hoſpitem ipſis maxime inimicum expellere valent, nec opus habent, ut ſibi præſcribi patiantur a certo dierum numero.

Theor. XVI.

Mente conſtare, & ad oblata ſeſe bene habere bonum 2. *aphor.* 33. Unde ſi medicamenta exhibita non evomuntur, ſymptomata revera remittunt & mitigantur, vireſque conſervantur, emunctoria etiam corporis ſunt aperta, ut materia peccans cæteraque excernenda rite excernantur, ſpirituum triumphantium arguit robur, & contra; ægroti in *Deum*, medicum & medicamentum fiducia adque pharmaca ſumenda obſequium, animum ac ſpem ſanationis promittit; ſi vero eos, quibus alias ſemper aſſuetus fuerit, formidare ſolet æger, atque præter morem ad remedia refractarius fit, ſomnus item terroribus, ſomniiſque turbulentis plenus, malum eſt ſignum teſte *Hippocrate* 2. *aphor.* 1. Sudor etiam frigidus juxta *Hippocr.* 2. *aphor.* 37. cum febre acuta mortem portendit, hunc tamen plures inſontes paſſos eſſe annotat *Nobiliſſ. Dol. Encyclopæd. pag.* 759. idem & ſingultum, quem in febribus malignis ad mortem prædicendam ſe nunquam decepiſſe *Epiphan. Ferdinand.* verum teſtatur, ſæpius obſervavit, ſed non ſemper funeſtum, *pag.* 395. 759. Mala quoque ſumitur prognoſis, quando virium proſtrationes, anxietates circa præcordia indies magis magiſque ingraveſcunt, motuſque ſuperveniunt convulſivi 4. *aphor.* 65. 66. *Williſ. de febr. pag. m.* 184. Triſte etiam ſignum

ſignum eſt, ſi facies accedit Hippocratica dicta & oblivio amicorum atque adſtantium conſtans, ægri nunc corpore perpetua agitatione anteriora, nunc poſteriora verſus inclinant & indecenter ſe denudant, mox ſuper lecto erecti ſedent, mox ex eodem ſubito exſiliunt, floccos carpunt, vel plicas ſupra lectum explicant, medicamenta potumve communem avide & quaſi raptim bibunt, vel quodlibet objectum inordinate arripiunt, quod qui faciunt, atteſtante *Dol. Encyclop. pag.* 759. rariſſime evadunt.

THEOR. XVII.

Affectus hic præſens cum ſit acutus, brevi quoque illum valedicturum eſſe ſperandum, inprimis ſi ſtatim ab initio remedia adhibeantur idonea; vires reſpondeant, nullusque error intercedat; terminatur utplurimum modo per ſudores, modo per hæmorrhagias narium, modo per urinas, vomitus aut ſeceſſus, *Confer. Williſ. de feb. cap.* 9. *p. m.* 171. per abſceſſus vel pone aures, vel alio loco erumpentes, teſtibus *Gabelchov. cent.* I. *curat.* 8. *Ruland. de Lue Hungarica cap.* 2. per fluxum hæmorrhoidalem in viris, quale exemplum ipſe præbet *Coberus Decad.* I. *obſerv. caſtrenſ.* 10. *pag. m.* 54. per menſtruas purgationes in fœminis, idque vel ad ſalutem, ſi modo dictæ evacuationes & excretiones a ſpiritibus vel ſponte; vel medicamentis adjutis inſtitutæ; cumque ægrorum εὐφορίᾳ viriumque refectione conjunctæ; vel ad mortem, ſi cum virium diſpendio factæ. Sæpe etiam morbum iri ſolutum puſtulæ & tuberculi, nares, labia; imo oris interna; fauceſque obſidentes notant; quatenus nimirum loca illa materiæ peccantis ſubterfugia eſſe a peracta lucta conjicio; dum enim particulæ heterogeneæ morbificæ una cum ſanguine a centro ad peripheriam corporis circulantur, ac per poros avolare geſtiunt, id vero vel ob lentorem conjunctum, vel ob vias non ſatis patentes atque patefactas cum non æque poſſint; in ambitu corporis, tanquam littore microcoſmico, quod alluit ſanguinis unda, concretæ ac defixæ hærent. Nonnunquam in alium tranſmigrat morbum; ſic *Dol. Encyclop. pag.* 760. in hydropis caſtra tranſiiſſe annotat.

THEOR. XVIII.

Hoſtis alterum oppugnaturus non facile prius intendit luctam, quam machinamenta & vires contrariæ partis probe ſit expertus, quare hinc inde hoſtis ſalutis noſtræ præſentis; caſtris viribus perſpectis, divina aſpirante gratia, nunc ad id, quomodo ſit adoriendus ac debellandus, trophæaque cum victoria ſint obtinenda, meditationes meas reſtringam. *Methodus medendi* deſtinata eſt hiſce conſultationibus, illa enim per *indicationes* ſalutaria eruit auxilia. *Primo* igitur peſſimus iſte hoſpes in di-

verſorio corporis noſtri planiſſime non tolerandus, ſed quantocius, quibuſcunque fieri poteſt remediorum armis, ejus acie retuſa è corpore expellendus & profligandus, omniaque externa, atrociſſimo huic hoſti ſtimulum addentia, evitanda & è medio tollenda. *Secundo*, ſpiritus tranſfugi in deſertas ſtationes revocandi, ferocienteſque placandi & demulcendi, ut exinde dulciſſima quies, exoptataque pax inducatur. *Tertio* ſpiritus etiam à conflictu debilitati novis viribus per medicamenta accommoda in tempore erigendi atque corroborandi, quo pares ſint ferendo oneri & oppugnando hoſti, ſicque medico ſuppetias ferre poſſint, nec dubium erit, quin viribus unitis de crudeliſſimo hoc tyranno victoriam ſint reportaturi. *Quarto*, partium obſtructarum quoque ſemper habenda eſt ratio, unde obſtructæ reſerandæ viæ, omneque illud, quod liberum ſanguini curſum interdicere, atque coactam quietem imponere aptum, illud extirpandum & eradicandum, quo ſanguis circuitum ſuum debito modo abſolvere ac libere peragere valeat. *Quinto*, præcavendum, ne ſemel profligatus hoſtis recrudeſcat, ac ſeſe recolligat, notaque repetat diverſoria & caſtra, ſicque novas excitet tragædias.

THEOR. XIX.

Conſilio inito hoſti obviam eundi, ingrediar & viſitabo *Armamentarium* tribus *Cameris* diſtinctum, atque ex iis varia & idonea medicamentorum tela & arma depromam ac deſumam, quibus hoſtem hunc debellare & propulſare queam. In prima igitur Camera *Chirurgi gladiolum*, qui venam pertundit atque perfodit, *venæſectionem* puta, invenio, hæc autem, cum tanquam gladius ſit in manu infantis, cæcutientis aut furioſi, ſi non cum judicio & cautela uſurpata fuerit, in hoc affectu probe perſpiciendum eſt, an admitti vel omitti debeat, heic vero acriter inter Doctores controvertitur, ſingulis pro ſua ſententia tanquam pro aris ac focis pugnantibus, laudatur ab his, culpatur ab illis; a phlebotomia inchoat *Riverius*, atque ſanguinem non ſolum mittendum, ſed etiam iterandam venæſectionem putat, id quod in Gallia quidem fortaſſe quis imitari poſſet, noſtri vero germani talem ſanguinis profuſionem non ſuſtinebunt. Unumquemque igitur ſuo ingenio abundare facile concedens, per me ſit ſuum cuique pulchrum, & ut paucis me expediam, libere pronuncio, plus ſtudii conferre ad pretioſiſſimum vitæ theſaurum ac balſamum ſanguinem cuſtodiendum, quam venæſectione dimittendum, glorioſius utiliuſque eſſe, quod ſi tamen retentiones hæmorrhoidum in viris, menſium in mulieribus, aut alterius evacuationis conſuetæ ſuppreſſiones accidant, malumque ab illis foveatur, ſpiritus ipſi vel per narium hæmorrhagiam, cum εὐφορία tamen ægroti conjunctam, vel aliis modis hac medendi ratione modoque ſibi ſuccurrendum eſſe moneant, ipſaque ſufflaminata evacuatio ita fieri debere urgeat, venæſectio quidem utilis

utilis eſſe videtur & in ipſo principio principii, ubi vires adhuc prævalent, parce tamen & cum moderamine, ne quid nimis, adminiſtrata, locum ipſi concedere poſſum, ſtatim tamen poſt potens exhibeatur bezoardicum.

THEOR. XX.

Veſicatoria, quamvis illorum uſus a nonnullis in dubium vocetur, magno cum fructu, quatenus materiæ hoſtilis majorem ad circumferentiam corporis affluxum procurant, & ita illam ſero dilutam ſimul è corpore eliciunt & evacuant, applicari & in uſum vocari poſſunt. *Frictiones* blandæ inſtitutæ hic etiam non erunt de nihilo, quatenus cutim rarefaciendo, poros ejuſdem aperiunt, quibus recluſis, corpus magis redditur tranſpirabile, atque commodior poſtmodum & felicior materiæ exoticæ fit tranſpiratio, & licet quidem ad hoſtem hunc in totum opprimendum ac oppugnandum ſint inſufficientes, ſuum tamen addunt ſymbolum, illiſque quæ majori gaudent virtute & efficacia, auxiliatrices præbent manus, imo a cane non magno ſæpe tenetur aper.

THEOR. XXI.

Armamentarii ſecunda camera *pharmacia* dicta auxilia etiam exhibet præſentiſſima, inter quæ primo loco ſeſe offerunt *vomitoria*, quæ, ſi error in acceſſione febrili in diæta commiſſus, magnamque ſaburram vitioſorum humorum circa ventriculum hærere evidentia adſint indicia, ægrum vel vomitus vel inanis aliqua vomendi propenſio ſub febris initium interturbaverit, vel adhuc nauſea & inclinatio ac proclivitas ad vomitum urgeant, ſtatim ab initio viribus adhuc integris, vel ſaltem non adeo proſtratis, nec alia contra indicantia prohibeant, locum quidem habere poſſunt, propinatis tamen juſta doſi ac cum admixtis ſimul bezoardicis, ut ita una, quod dicitur, fidelia, duos dealbemus parietes: ex aliis commendo tartar. emet. *Nobil. D. Wedelii & Mynſ.*

THEOR. XXII.

Secundo occurrunt *purgantia*, quæ, imprimis ſi fortiora, cum a circonferentia ad centrum ducant, illudque hoc in caſu ſumme noxium eſt, cum è contra potius cauſa morbifica a centro ad circumferentiam corporis quantocyus propelli & expelli oporteat, dormientem in corpore hoſtem adhuc magis excitent, ſpiritus vero diſſipent, vireſque ita jam tum debiles quæque hoc in affectu maxime conſervandæ, magis adhuc debilitent atque proſternant, ſicque parti afflictæ afflictionem addant, merito hic ſuſpecta ſunt, ac releganda potius & proſcribenda, quam præ-

ſcribenda, ne ita pix & ſulphur affundatur camino, ignemque oleo extinguere videamur. Quod ſi tamen alvus admodum obſtructa, *lenientia*, uti cremor tart. tartarus vitriolat. &c. quæ alvum apertam retinent, particuliſque heterogeneis pandunt fores, & excurſionem quandam concedunt, admitti poſſunt, vel in horum locum ſubſtitui poterunt *clyſteres*, caute tamen ac provide, & ut ne quid nimis; quæ omnia a prudentia medici juxta ægri conſtitutionem, aliaſque circumſtantias accurate moderari & in uſum vocari queunt & debent.

Theor. XXIII.

Præcipua vero perque rationem & experientiam probatiſſima in hoc hoſte debellando arma & a quibus ægroti ſalus ſub altiſſimi *Dei* auſpicio maxime exſpectanda eſt, ſunt *diaphoretica* ſeu *ſudorifera*, & *alexipharmaca* ſeu *bezoardica*, ad quæ tanquam ad ſacram ſalutis anchoram confugiendum, ac pro ratione circumſtantiarum primo invaſionis inſultu ac momento, modo horripilatio aut alia inæqualitas, malo hoc epidemice graſſante, in corpore ſentiatur, a prudenti medico ordinanda & præſcribenda, ægrotuſque, præprimis ſi ſpiritus ad ſudorem propenſionem demonſtrant, modice ad ſudores excitandus, cum notum ſit, horum ope hoſtem extra caſtra propelli, ſeu miaſmata ſylveſtria, quatenus illa a partibus interioribus ad exteriorem corporis ambitum deportant & evacuant, ſpiracula quoque cutis aperiendo inſenſilem tranſpirationem, utpote in hoc affectu maxime neceſſariam, promovent, feliciter, imo feliciſſime eliminari vel eliminata fuiſſe. Obſervandum tamen, quod leni ac blanda diaphoreſi ægri ſint tractandi, nec continuo ac largo nimis ſudore ultra ἐυφορίαν cruciandi & emaciandi: *Conf. Celeb. D. D. Wedelii, Patroni ac Præceptoris mei quondam Jenæ omni venerationis cultu proſequendi Amæn. Mat. Med. Libr. 2. Sect. 2. cap. 4. pag. 336. & Libr. 2. Sect. 2. cap. 6. pag. 353. & de Medicament. Facultat. Libr. 2. Sect. 2. cap. 3. pag. 173. 174.* Udor ſeu mador lenis, qui poros cutis apertos retinet, tranſpirationemque liberam ſervat, ſæpe ſufficit, ſi enim effluvia peregrina per contagium communicari, & per poros ingredi poſſunt, quid obſtat, quo minus etiam per poros, ſtimulantibus imprimis ſpiritibus & medicamentis, iterum exſpirent.

Theor. XXIV.

Cum autem *diaphoretica* & *bezoardica* varii ſint generis, quæ omnia ex *citat. D. D. Wedelii Amæn. Mat. Med. & Libr. de Medicament. Facultat.* ceu ex cornu copiæ *Benevolus Lector* haurire poterit: nobis ſtent in acie, *radic.* angelic. anthor. biſtort. contrajerv. carlin. caryophyllat. galang. gentian. helen. imperat. olſnit. petaſit. pimpinel. pentaphyll. ſcorzon

zon. tormentil. zedoar. *Herb.* card. bened. centaur. min. chærefol. galeg. millefol rut. ſcord. (Apprime digna ſunt, quæ de ſcordio *Busbeckuius in Epiſtolis ſuis:* cum enim miſſus ipſe Orator ad Turcas eſſet, depaſcens quoddam contagium in itinere corripuit latus ejus ſtipantium catervam; medicus igitur ipſis adjunctus pro re nata, cum in promtu non eſſent medicamina, ſollicitus de hac lue in herba, ne gliſceret latius, opprimenda, ſylvam peragravit, & invento, de quo magna ſibi pollicebatur, ſcordio, decoctum inde paravit, eoque Divina gratia ad unum omnes reſtitui eadem lue affectos:) *flor.* calendul. 4. cordial. galeg. rut. ſambuc. ſcabioſ. ulmar. *bacc.* juniperi. *ſemin.* 4. frigid. major. aquileg. card. bened. rut. *cortic.* aurant. citri, cinnam. antim. diaphor. arcan. duplicat. bezoar. orient. & occident. bol. armen. camphor. corall. rubr. C. C. crudum & uſtum, ebur, lap. cancr. lap. prunell. margarit. myrrh. nitr. antimoniat. ſuccin. flor. ſulphur. ſimpl. & myrrhat. terr. lemn. ſigill. Unicornu foſſile. Pulvis bezoard. majoris & minoris apparatus *Excell. D. Wedelii* in *Amæn. Mat. Med. pag.* 325. *deſcript.* Pulvis bezoard. *D. Sennerti*, epilept. Marchion. pannon. rubr. *aquæ*: angelic. acetoſ. acetoſell. acac. 4. flor. cordial. calendul. card. bened. ceraſor. nigr. cinnam. galeg. roſar. fl. ſambuc. ſcabioſ. ſcord. ſcorzon. theriacal. prophylactica *D. D. Sylvii & Barbette*, *Acet* bezoard. mynſ. calendul. card. bened. roſar. rut. ſcord. theriacal *ſpirit.* C. C. ſ. & ſuccin. ebor. ſalis & nitri dulc. tartari, vitrioli, theriacal. camphorat. & ex his compoſita mixtura ſimplex, *tinctura* bezoardica *D. Wedelii Amæn. Mat. Med. pag.* 328. 329. *D. Rolfincii Chym. in art. form. redact. pag.* 189. *propoſita*, *D. D. Michaëlis & Hoffmanni*, *de quibus vid. D. Schultz. Tractat. de Tinctura Bezoardica*, tinctura 4. flor. cordial. corall. *eſſent.* anodyn. *D. Wedel. in Opiolog. p.* 74. caſtor. myrrh. theriac. elix. P. P. Diaſcord. fracaſtor. mithridat. theriac. androm. *extract.* caſtor. card. bened. centaur. min. galeg. gentian. ſcabioſ. ſcorzon. ſcord. zedoar. *ſyr.* acetoſitat. citri acetoſ. acetoſellæ, card. bened. ſcord. ſcorzon. *ol.* angelic. caryophyll. camphor. citri, rut. ſuccini &c.

THEOR. XXV.

Ex hiſce & ſimilibus varia concinnari queunt medicamenta ſub alia atque alia forma, ſingulis 3. 4. vel 6. horis pro re nata propinanda, donec ſpirituum robori hoſtis cedat, ſpirituſque victoriam canant, non temere tamen nec timide nimis tractandus hic morbus, ſed longe majori prudentia ac vigilantia, nec nimis fidendum fallaciſſimo huic hoſti. *Opiata* debita doſi, aliiſque congruis præcautionibus, aliis bezoardicis maritata, admodum belle ſeſe gerunt, materiam quippe rebellem in corpore mire pacificant, unde & theriaca a græcis γαλήνη, i. e. tranquilla aut tranquillitatem adferens cognominatur.

Theor. XXVI.

Quod ſi forſan ſpiritus expurgandæ materiæ morbificæ viam affectent, ac per meatus urinarios illam expellere conentur, adjuvandi erunt *Diureticis*, quæ enim ducenda ſunt, eo quo vergunt, ac per loca convenientia & commoda eſſe ducenda *Hippocrates* 1. *Aphor.* 21. monet. *Symptomata* quod attinet, a *Galeno* indicantis rationem proprie dicti habere non creduntur, cum tamen nonnunquam quædam nimis urgeant & conſtanter permaneant, ne ægris noſtris de hiſce ſolum tollendis conquerentibus nimis rigidi, aut aliquid nos intermiſiſſe, quod in ſalutem illis cedere potuiſſe, videamur, iſtis partim modo recenſitis, partim aliis remediis appropriatis ſuccurrendum, quæ cum longa ſerie apud practicos, ad quorum volumina B. L. amicè remitto, leguntur, ob evitandam prolixitatem ſilentio præterire cogor, habito tamen ſemper potiori ad miaſmatis malignitatem reſpectu, ne, dum uni prodeſſe ſtudeamus, alteri noceamus.

Theor. XXVII.

Agmen claudit *Diæta*, quæ ut *Arma Chirurgica* ac *Pharmaceutica* optatum fortiatur ſucceſſum, legitima & accuratiſſima inſtituatur, quantum enim in nos ſex rerum non naturalium uſus queat, vel lippis & tonſoribus notum, quo & collimat *Schola Salernitana* ſcribens:

Si tibi deficiant Medici, Medici tibi fiant,
Hæc tria: mens hilaris, requies moderata, Diæta.

Peſſime itaque agunt ægri, qui nonnunquam ſive Medicus quidpiam imperarit, aut prohibuerit, ex arbitrio tamen faciunt quicquid lubet, & clam illum, quæ erant ab eo vetita ingurgitant, quem niſi ſe ipſos fallunt? Miſerum ſane eſt, cum nolint mori, non omnia facere, ut vivant. Peſſime agunt ægri, qui haud raro medicamenta ſibi a *Vetulis* & *Agyrtis* magna cum obteſtatione commendata clam Medicum aſſumunt, & vel ob ingratum ſaporem, vel alios metus ridiculos, medicamenta a Medico præſcripta non uſurpant, nihilominus tamen redeunti Medico perſuadentes ſe ſtricte ad præſcriptam vixiſſe normam, cui, niſi ſibi ipſis nocent? Cum uſurpatis medicamentis peregrinis, vel ordinariis remixtis, vel omnino intermiſſis, mutatio notabilis inſequatur, quam a medicamento ſuo medicus non exſpectarat, nonne tunc attonitus ad lectum ægroti ſtat, ignarus, e quo fonte tam inexſpectatas morbi mutationes deducere debeat? Credo, hinc ſæpius fieri, quod Medicorum nonnulli ſe ab hujus vel illius medicamenti exhibitione hoc vel illud mirum & paradoxon obſervaſſe ſcribunt, quod tamen ab aſſumtione medicaminis fortaſſan peregrini, medico inſcio, provenerat. Nonne hæc eſt egregia

gia fallacia ſecundum non cauſam, ut cauſam? Ita ſæpe medic's illudi ex ſpontanea ægrorum convaleſcentium confeſſione dein experiuntur. Sed hæc obiter.

Theor. XXVIII.

Aeris itaque conſtitutio, in qua ægroti decumbunt, ſit temperata, ita, ut nec æſtu ſuo morbo fomitem ac ſtimulum addat, neque frigore medicamentorum operationi officiat, requiſitamque diaphoreſin ſeu inſenſibilem tranſpirationem intercipiendo malum exaſperet, male ergo ſuis conſulunt ægris, qui vana perſuaſione ducti arbitrantur, quo ſit calidius conclave, eo fore ægrotanti ſalubrius, non temere tamen denudet æger aliquas corporis partes, thoracem, brachia pedeſve, ne incidat in ſcyllam, dum vult vitare Charybdim, ac pro levi refrigerio quod optat, mortis, quam non vult, ſubeat periculum, neque ubi res jam in vado eſſe videtur, & convaleſcere incipit, incaute aut nimis cito aeri ſeſe exponat præprimis frigido, cum dormiens ſæpe adhuc dum in corpore hoſtis, & cauſa externa adjutus, in actum iterum deductus atque præter omnem exſpectationem tales jugularit, prudenti igitur hic ſemper opus eſt cautela, ne nimium vel jam a malo liberatis confidamus. Cum autem aer in conclavi copioſiſſimis effluviis heterogeneis inquinatus ſit, ſuffimigia ex baccis juniperi, maſtich. myrrh. ſuccin. thur. inſtituantur, & ſi cœlum faveat, feneſtras valvaſque parum patefacere, ut aere vitioſo expulſo, recens intret, cubiculumque perflet, hocque facto, mox iterum fores ac feneſtras claudere conducet.

Theor. XXIX.

Victus ſit tenuiſſimus 1. *Aphor.* 7. Peſſime igitur ſanitati conſulunt mulierculæ, quæ ægrotis adſident vel inſerviunt tam affines quam amici inviſentes, indiſcriminatim ægros alunt, ciboſque illis quam plurimos eoſque ſolidos ac ſæpius, vi quaſi obtrudunt, ad vires, prout garriunt, ſuſtinendas, putantes ac firmiter, ſed falſiſſime credentes, ægros, ſi non vi morbi, fame perituros eſſe, cum potius verum, imo veriſſimum hic ſit elogium *Hippocratis* 2. *aphor.* 10. *Corpora impura, quo plus nutries, eo magis lædes. Potus* ægrotis non adeo rigoroſe denegandus, nec parca minus ideo præbendus manu, ſitque tamen alimentoſus & medicamentoſus ſimul, quam ob cauſam in illo fruſtula C. C. cort. citri & aurant. rad. acetoſ. & ſcorzon. ſuſpendi poſſunt, alteretur itidem ad gratam aciditatem guttulis aliquot ſpirit. vitrioli, ſalis aut nitri dulcis, Tinctur. roſar. violar. aut lap. prunellæ, utpote qui prunæ huic vel fervori febrili maxime conveniens dicente *Nob. Wedel. Amæn. Mat. Medic. pag.* 330. *Somnus* & *Vigiliæ* aureæ Mediocritatis limites non excedant. 2. *aphoriſm.*

riſm. 3. *Motus* inordinatus corporis, jactitatio ac denudatio, præprimis ubi ambiens aër frigidus exiſtit, prohibendus eſt, unde corpus levibus ſtragulis muniendum, & ut ægri tranquilli ſint, quo pori corporis blanda diaphoreſi aperti ſerventur, ſicque miaſmata maligna exterius mitti ac tranſpirare poſſint, & ſtatus priſtinus toto reſtituatur Microcoſmo, admonendi ſunt. *Excernenda* atque *Retinenda* juſto ſeſe habeant moderamine. *Animi Pathematibus* fortiſſimum injiciatur frænum, ac rectæ rationis habenis compeſcantur. *Paucis:* Modice quiſque ſibi Medicus eſto; & *Hippocratis* 2. *aphor.* 4. præceptum probe attendat. Exulent ira, triſtitia, planctus, præſentiſque calamitatis frequentiſſima recordatio, abeant etiam impatientia, deſperatio, ac de metu mortis infeliciter conceptæ cogitationes, *Deo* potius inſtar boni ac cordati militis abſque inani obmurmuratione, & poſt illum Medico confiſus æger, animum dulci ſalutis ſpe erigat, quam & Adſtantes præter Medicum confirment, cum Experientia cognitum ſit, hanc aliquoties ad recuperandam ſanitatem haud parum feciſſe.

THEOR. XXX.

Atque hiſce receptui cano, *Deo* immortali immortales agens gratias pro ineffabili hactenus in curſu ſtudiorum meorum ſuppeditata gratia, eundem ſupplicibus veneror precibus, ut & per reliquum vitæ meæ curriculum ipſius Honori, ægrorumque ingemiſcentium Saluti deſtinatum, pari clementia atque benedictione perpetuo mihi adſit, quo de morborum inimicis inſultibus triumphans, ſubinde nova ἐπινίκια decantare valeam.

Decem talenta cæteris - - - Sed una contigit mihi,
Et eſt ſat illa drachmula - - - Dator ſupremo fac Tibi,
Sit illa drachma fœnori!

Lectorem Benevolum Meditationes haſce meas quales quales, veloci calamo luci expoſitas publicæ, candido animo ut accipiat ac interpretetur iterum iterumque rogito. Equidem ſortis meæ haud ignarus, de bonis optima ſpero, invidorum invidiam & contemtus minime curo. Etenim, ſi quid dixi, dum veritatem inveſtigo, quod a veritatis ſemita aberret, id non dictum velim, neque ullus tam promte ad monendum erit, quam ego ad mutandum, ſi meliora me docuerit, efficiamque, ut licet erroris me forſan aliquis convincat, pertinaciæ tamen me nuſquam accuſare poſſit. Proinde & arma depono verbis Lipſianis. Mihi quidem mens ubique bona, & ſi alicubi humana hæc lingua aut calamus titubavit, ne aſpere quæſo nimis luam. Claudo voto triſti hoc tempore & bellicoſo ſeculo.

- - - - *Pacem te poſcimus omnes!*
- - - - *Pax optima rerum.*

TANTUM.

CLXX.

MICHAELIS ALBERTI

ET AUCTORIS

J. GEORGII SCHULLER,

DE

MORBO HUNGARIÆ HAGYMAZ,

EJUSQUE CURA PRÆCIPUE PER SPECIFICUM.

Halæ 1726.

Σὺν Θεῷ Ἀρχιάτρῳ!

CUm tot, tantæque exiſtant res, Caſuſque Medici, imo hunc ad uſque diem, novæ, novique adhuc communicentur, elaborentur, forte ne & *fingantur*, dubius utique diu diuque manebam, quid ſcilicet mihi, de re aliqua *inaugurali* medica cogitaturo, relictum, intactumque manſerit, quod pariter orbi erudito, tanquam ſpecimen aliquod conatuum meorum medicorum, grata mente offerre & communicare poſſim. Et hoc in dubio, anxius dum ita hærebat animus, incidit in mentem: *vaſtiſſimum* eſſe medicinæ *campum*; hinc infinitas obſervationes adeoque dijudicans, impoſſibile fore quin omnia perſpecta & palam eſſent. Nec utique, dum pauliſper adcuratius elaborata perluſtrarem themata medica, fruſtrabar ſpe, multa enim, bone *Deus*, perverſe admodum, falſis ex principiis, tum in theoreticis, cum & practicis ipſis adplicata, *triſte* obſervare licuit, imo nec vereor adſerere; per multa; *intacta* plane poſteris, & relicta, & nedum recte perſpecta eſſe, *vid. D. Johan. Hermann. Fürſtenau differt. Epiſtol. de iis quæ deſiderantur in praxi medica*, exempli loco pauca hæc ſunto: *falſa adplicatio phyſicæ communis ad ipſam praxin clinicam*, *ſpontanea varicum apertio*, *& illius ſpontanea percuratio*, *tractatio Geographiæ phyſico-medicæ*, *vis ſpecifica ſolani furioſi in Cancro occulto*, *Infibulatio Veterum*, *ut ut cauſa longævitatis & Virilitatis. De prærogativa Venæ Sectionis in locis frigidis*, *præ calidis*. etc. etc. & hæc, niſi me omnia fallant, nondum aut plenarie, aut ſecundum genuinam medicinæ methodum pertractata proſtant, his addo, *rectam methodum pertractandi*, & *cum cautelis addiſcendi medicinam*, quod imprimis thema ut ut inaugurale ego in me lubens, certas ob rationes, ſuſceperam, & perplurima etiam *elaboraveram*. pro certo perſuaſus, rem non modo jucundam, ſed & utilem fore. Hanc vero mentem, hocque conſilium eo quidem lubentius mutavi, & repudiavi, quo promptius quidam mihi ex Patria amicorum, *Ononidem*, Herbulam aliquam per nuncios aut tabularios ita dictos publicos, ut ut in morbo Contagioſo epidemico Hagymaz ſpecificam, quam etiam deſideraveram, communicavit, quod quidem remedium mihi pariter notum fuit, genuinum vero & vulgare nomen botanicum, ſic ut ipſis in patria; ſic & mihi quadantenus incognitum erat. Liceat mihi itaque *de morbo* hocce *Hagymaz, oder hitzigen Haupt-Kranckheit*; quem alii etiam *Febrem Hungaricam* adpellant, annexa in Patria uſuali tractatione, quam nullibi me legiſſe reminiſcor, quædam diſſerere. Quæ intimior perſcrutatio, priori omnino, ut & patriæ meæ dulciſſimæ, nec non hic loci, præſertim ſi tentamina quædam hocce remedio ſolertes practici rationaliter inſtituent, erit & jucundior, & utilior, imo ſolatio patientum. Quem laborem ut

Z z 2 ſum-

ſummum & divinum numen gratia & directione ſua ſecundare, ſalutarem ut nanciſcatur ſcopum, velit, eſt quod in limine præſentis noſtri conatus practici devotiſſime & cordicitus precor. Tu autem Lector benevole, qui hæc *ſcripta legis*, ſin minus ubique judicii exquiſitioris limam ſuſtineant, *feſtinabundo* calamo condonabis.

§. I.

QUando itaque cum Deo ſuſcepi hac vice quædam de Morbo Hagymaz diſſerere, ſic non placet, ſecundum vulgarem tractandi methodum, multa in huius morbi ἐτυμολογίαν, aut ὁμονυμίαν inquirere; uſus enim, quem practici nonnulli, in ſcrupuloſa aliqua, præſertim ἐτυμολογία quærunt, non ſemper magni eſt ponderis & momenti, ſufficit [nam ἀκριβολογίαν illam cum *Galeno lib. I. de meth. med. Cap. 9.* parvi facio, dicente ſeu morbum quis *Dionem* aut *Theonem* adpellet, parum eſt damni.) indicaſſe, Morbum hunc, noſtris in patria, Hungarica voce κατ᾽ ἐξοχὴν nominare: *er hat den* Hagymaz, quando vero cum Germanis loquuntur, dicunt patientem laborare morbo Hungarico, *er habe die Ungriſche hitzige-Haupt-Kranckheit*, quem morbum, quare illa voce Hagymaz ſolide adpellent, ipſis etiam, præter conjecturas incognitum manet, ſatis ergo ſcire eſt, ſub hac Pannonica notione, nihil aliud intelligere, quam febrem illam Epidemico Hungaricam, alii febrem venenatam, anti-medicam, flagellum medicorum, cauſum cordis, alii morbum caſtrenſem recte dicunt, non illa quidem generali denominatione, ubi plurimi graſſantur morbi, quos milites ex caſtris redeuntes, domum adferunt, veluti Anginam, Scorbutum, Dyſenteriam, Petechias, &c. ſed ſpecialiſſime illam intelligi febrem Malignam, continuam, contagioſam, cum gravi Cardialgia, anxietate intolerabili, Cephalalgia, indeque graviſſimis deliriis, & graviore Prunella, conjunctam. Propterea Teutones ſatis apte pro ſymptomatum varietate diverſimode dicunt, & reddunt: *die Haupt-Kranckheit*, propter intenſiſſimos dolores capitis, *die Hertz-und mund-Bräune*, ob ſummam & magnam cardialgiam ut & nigricantis linguæ colorem, *die Hirn-tobende Kranckheit*, *das giftig-anſteckende-Fieber &c.* Contagioſa vero, non ideo ſecundum mentem Ciceronis de Divinat. lib. I. nominatur, quaſi vis quædam a ſtellis defluat, & in ſublunaria influat, ſed rectius ideo, ſecundum *Maurit. Hoffmannum de Morb. Contagioſ. Diſp. I.* & *Thom. Williſium de febrib. Cap.* 12. quia miaſma aliquod, aut ſecundum autoris mentem, activitas quædam, in adfecto corpore reſidens, ſui ſimilem excitet in alio, & quidem vel immediate & corporaliter per contactum, vel mediate & ad diſtans.

Malignitas autem a paritate hominis maligni optime explicatur, qui ſub

ſub ſpecie recti, alium hominem decipit & proſtituit: ſic etiam febris hæc maligna ſe mitem oſtendit aſt hominem occidit.

Porro vero, quare dicatur morbus, itidem non habeo, quod in explicatione hac diutius immorer, cum terminus in Medicina adeo frequens ſit, imo omnibus notus, ut vix ac ne vix quidem ullus alius partim ſit frequentior, partim huic Nobili arti dedito, incognitus. Id unicum ſaltem monere hic loci placet, quod quidem, uti vulgo morbus dicitur & vocatur *actualis* & *phyſica* illa corporis humani periclitatio & læſio: ſic differentia illa, praxi ipſa fundata, probe & bene ſemper facienda eſt, in quantum non omnes morbi, nuda nitantur læſione partium, ſed ſedulo deſtinatos eſſe ad recuperandam ſanitatem, adeoque recte, morbus alio ſenſu obſervatur Phyſico, alio vero medico; quam differentiam neceſſario hic adnotare debui, quia hæc ipſa cum reſpectu ſuo, in nonnullorum pathologia, minus abſoluta, mirifice inter ſeſe confundi ſolet, cum indiſcretim omnes morbi pro accidenti præternaturali frivole ebuccinentur. *Confer. Illuſtr. Stahlius de febre per ſe non lethifera, Magnific. D. D. Præſes de Therapia Morborum morali, illius Pathologia & diſp. de Morborum Salubritate.*

§. II.

Sic etiam altera illa Curioſitas, quæ in Chronologico-Hiſtorica ſcientia, conſideratione, & evolutione conſiſtit, videlicet, an *Hippocratis* uti conjecturatur *ex libr. VI. Epidem. Com. I. T. 29. item lib. II. Epidem. & libr. VII. ex hiſtoria fullonum* vel *Galeni* tempore 3. *Epidem. Comm.* 3. *T.* 3. hic Morbus fuerit frequens & notus, *Conferatur D. Martinus Panſa de Febribus libr. IV. Cap.* 14. *p.* 544. an vero in expeditionibus, ubi Milites in Pannonia ponunt tentoria, tum ſolum tempore, & alio non illos hoc adfligi malo, an vero, referente *Sennerto, Cap.* 2. *tract. de febribus* ſuperioris ſeculi Anno Milleſimo Quingenteſimo Sexageſimo ſexto, vel Septuageſimo ſecundo, in exercitu militum Cæſareorum Maximiliani II. Imper. contra Turcas, ni fallor Solimannum, in Hungaria pugnante, primum Natales vel ſumſerit, vel innotuerit; hanc itaque inveſtigationem, quoad adplicationem ipſam Practico-Clinicam, incongruam, nimis ſcrupuloſam, imo a ſcopo meo plane alienam fore adſero. Etenim, quamvis quidem, uti me minime latet, ſolerti ex hac hiſtorica inveſtigatione, id ipſum ſequeretur, morbum hunc, vel Antiquioribus diu jam tum fuiſſe cognitum, vel vero novam aliquam eſſe Corruptionis ſpeciem, quæ Machinæ noſtræ periculum minatur, aſt, nullus tamen inde, (*ſcil. ex nuda illa hiſtorica veritate,*) genuinus, & magnæ Virtutis redundaret Uſus, quam exiguus ſolummodo ille, qui in hiſtorica aliqua penſitatione conſiſteret nuda, & quid quæſo Practico, hac notione, qua tali, prodeſt? Nulla revera inde

unquam ſperanda eſſet medela, præſertim ſi Veteres nullas addidere rationes, obſervationes, cautelas, & ſperatas curationes, Recentiores vero itidem in perverſa illorum manent methodo, quæ nec bona fiducia, ne dicam Conſcientia, adplicabilis eſt, & ſi forte ultro adplicetur, utplurimum præcipiti & funeſti eſt eventus.

§. III.

Conſultum ergo duco, imo e re noſtra potius erit, Conſiderationibus his præmiſſis generalioribus, propius ad *realem* præſentis thematis explicationem me convertere. Agendum itaque erit, de genuina & in praxi ipſa rationali adplicativa, & fundata, ſontici hujus morbi, Definitione; quo ſtatim in limine, & quaſi uno intuitu omnibus perſpectum fiat, quis ille in *indole* & *natura* ſua ſit adfectus, quidve corpori noſtro vel proſit, vel minetur. Antequam vero id ipſum perluſtrare penitus lubet, ſic prius omni jure, & plane coactus præmonere cogor, nos minime illis poſſe ſubſcribere, præſentem qui morbum, ſecundum vanam ſpeculationem, fictionem, & diu exploſum dogma, ne nihil dixiſſe videantur, male & frivole ebuccinant, efferveſcentiam & intemperiem eſſe calidam, vel a fermentationibus *Kerkringianis*, *Williſianis*, vel a raptu & tumultu ſpirituum & excandeſcentia *Archei Helmontiani* exortam. Unde potius ac rectius ad mentem Illuſtris, & indefeſſi motuum Naturæ animalis perveſtigatoris, *D. D. Sthalii*, & ex rei ipſius *eſſentia*, *Morbum* hunc *Hagymaz* definimus, quod ſit: ſpecies febris per acutæ valde malignæ, contagioſæ, communiter epidemice graſſans, imo Patriæ meæ fere endemia, in qua (*ſcil. febre*) natura ἐνέογηα ſua per auctos valde motus, materiam & miaſma aliquod periculoſo-malignum, undecumque natum, corporique communicatum, expellere & profligare penitus ſatagit.

§. IV.

Iam ordo itaque rerum, antequam ulterius progrediar, exigere videtur, ut quædam in præcedenti theſi obvia, potiora tamen ad hanc conſiderationem facientia, delibemus, præmittamus, & quomodo noſtra data *definitio*, melius ſe ſe accommodetur huic adfectui, in examinis incude, tanquam in lydio lapide probanda eſt. Conſulto diximus morbum hunc *Hagymaz* eſſe *febrem*, ubi hoc loco ſuſceptationem illam in me non ſuſcipiam, unde nam febres oriantur, aut denominationem ſuam nactæ ſint, an a fermentatione, putrefactione, an a feſtis Romanorum februorum, an dea ſit, *vid. Valerius maximus libr. II. Cap. 5. cicero de natura Deorum libr. III. Plinius libr. II. Cap. 7. Auguſtinus de Civitate Dei libr. II. Cap.* 14. imo an febri huic, uti Inſcriptione *Oſtrobenſi* in *Harzegienſi Diſtrictu* patriæ meæ edocemur, *vota* factæ, ſint, quam

quam *Analectorum auctor* ſic habet: *febri Divæ febri Sanctæ*, *febri Magnæ Camilia Amata pro Filio Malè Affecto P.* aut an delubria exſtruxerint, & quod templa ſecundum relationem *Alexandri ab Alexandro Genialium libr. I. Cap.* 13. Romæ erecta ſint &c. Sufficit in definitione *Febrem*, *Genus* ipſum jure conſtituere; minime vero, uti antea monui, effervefcentia & intemperies illa calida famoſa; & prior & poſterior enim quam plurimum adeſſe poſſunt; abſente tamen omni febre Hagymaz; indolem ergo febrium non exhaurit; quæ actui ſuo ſolenni reſponderet; conducibilius itaque erit; ejuſmodi confuſos conceptus; penitus e ſchola medica profligare; quo tandem illius eximia *dignitas*, exquiſitus *ordo*, *typus*, *gradus*; *ſucceſſus*; & *decurſus* eo majori utilitate & ſplendore effulgeat. *Confer. Illuſtr. Stahlii Diſp. de febrium rationali ratione*; *de febris hiſtoria in genere*; *de febris pathologia in genere.*

Ipſos vero tumultuantes quod attinet *ſpiritus*, quia ex falſa hypotheſi ortum duxere; ex hinc frivole ſupponuntur, multa differere ſuperfluum eſſet, dum e choro & foro medico jam tum diu ab Apolline ipſo in perpetuum; ſecundum eruditum *And. Ottom. Gœlikii* ſchediaſma, ſpiritus animalis ex foro medico relegatus, ſunt profligati & relegati, de qua re fuſius in *phyſiologicis* diſcurſibus egit *Magnif. Dominus Præſes.*

§. V.

Et hæc theoretica ſunt, practicis potius lucubrationibus hic dandus eſt locus. Hunc morbum ergo eſſe febrem *acutam*, *malignam* &c. teſtantur ipſa ſigna, pulſus velox, calor imprimis, ſitis continuo adfligens, & aucti valde motus, vid. §. VIII. quæ ſigna hic ſatis eminenter adparent nec per intervalla, cum ἀπυρεζίας quadam *viciſſitudine*, ut in ipſis intermittentibus, exacerbantur. Hinc cum Celeberrimo *Bœrhavio in Aphoriſm. de cognoſcend. & curandis morbis*, adſero, in quocunque morbo, hæc præſentia cognita ſunt; omnes medicos docet, febrim adeſſe; quorum abſentia judicant hominem ab illa immunem eſſe, & §. 564. *edit. III. Lugdun.* in qua ergo febre hæc ſigna adſunt, velociter & cum periculo decurrunt; illa acuta dicitur.

Quoad *malignitatem* vero; notandum eſt, noſtris demum temporibus, ſcil. dimidium & quod excurrit ſeculum; uſu magis receptam eſſe vocem malignitatis; ipſi enim *Veteres* utplurimum morbos incurabiles, rebelles, malorum morum, τῶ ἤθȣς κακȣ̃, utpote ex ipſorum hypotheſibus aliquid monſtri alentis, malignos nominabant, qui tamen morbi, genuino ſenſu, non adeo maligni reprehenduntur; veriori ergo ſenſu *malignitas* tum demum de morbo quodam prædicatur, ubi talis adeſt malignitas contumax conjuncta cum contagio & periculo, ubi *per* & *propter* introductas peregrinas ſubſtantias valde ſubtiles & ex diſſolutione agentes, corpori putredo quædam minatur, & ſanguis, ſecundum *Galenum*

lenum de ſuccorum bonitate & vitio Cap. I. Zacut. Luſitanum in Prax. admirand. lib. III. obſ. 41. *Caſp. a Reies. quæſt. jucund. camp. quæſt.* 86. diſſolvitur, ipſa autem placidi motus vitales curſu ſuo turbantur, invertuntur, ut inde irreparabile, œconomiæ noſtræ, damnum aut immineat, aut actu ipſo jam præſto ſit. Hinc omnes morbi maligni *periculoſiſſimi* quidem, & ancipitis ſunt eventus, *natura* vero ſua, & *in ſe* non abſolute lethales, uti recte ex propria obſervatione judicat, *Galenus*, quando *libr. I. prorhet.* 4. inquit, maligni morbi ii adpellantur, quicunque periculum minantes, ſpem ſalutis non adimunt. Num vero hic morbus ſit contagioſus, ſic ipſum nemo negabit, niſi forte omni ratione deſtitutus ſit, aut cum Gregorio Nyſſeno, qui ab Hieronymo Mercuriali tract. de Peſte citatur, in chimerica illa fuerit perſuaſione, qui nullum morbum contagioſum eſſe, contra omnem experientiam, frivole proclamavit, ex falſa illa argumentatione, quod ſanitas non ſit contagioſa, ergo & nullus morbus. *Conf. Andr. Tenzelius part.* 1. *med. Diaſtat. Cap. I. p.* 22. Tandem quid per epitheton morborum ex genere communium ἐπιδήμιος, atque per terminum natura, illiuſque ἐνέργεια intelligamus, plurimis notum eſt, & ne in his nimis prolixus ſim, conſuli poſſunt ipſa ſcripta medica, ipſum Collegium *Manuſcriptum de natura*, prælectum *Anno* 1702. a Viro *Illuſtri Stahlio*, & *Magnif. D. D. Præſidis* partim *Philoſophis. che und Medecini che Schriften*, partim *Phyſiologiæ ipſius Cap. I. &c.* Pauca ſaltem hæc memori mente tenenda ſunt, febrem hanc non eſſe effectum materiæ, ſed actum illius dictæ *naturæ*, oppoſitum materiæ malignæ, quo hanc ſubjuget, tandemque legitime evacuet.

Reliqua autem in definitione ipſa obvia ad ſpecialius exhauriendam ac determinandam illius morbi faciunt naturam, & magis genuinam hujus febris abſolvunt indolem.

§. VI.

Adeoque cum hic morbus, uti ex præcedentibus §§. patet, *Eſſentia*, ſeu formalitate ſua generica, cum aliis quidem malignis, motibus vitalibus infenſis, conveniat, ita, quicquid de illis generaliter dici meretur, id ipſum etiam noſtro quidem morbo in ſpecie attribui, omni jure poteſt.

Adfectuum vero maligni moris, cum multiplices, imo infinitæ dentur Species, inimicæ & infenſæ tum materiæ, tum motibus, aut his conjunctim, ita quidem, ut hæc malignitas *ſolum* & *ſimpliciter* contumax ſit, uti illa eſt in malo Hypochondriaco, Hyſterico, Epileptico, Ulceribus antiquis, &c. vel eſt *contumax* & *periculoſa*, *ſine contagio*, veluti obſervatur in paralyſi vera, Hectica inveterata, Hydrope, Tympanitide, ictero nigro, &c. aut eſt *contumax* & *contagioſa ſine periculo*, huc refero Lepram Græcorum, Luem Veneream, Scabiem &c. aut tandem

dem malignitas illa, non ſolum *contumax* deprehenditur, verum etiam *conjuncta* manet cum *Contagio* & *periculo*, ubi corpori animali ſerius ocius magna & extraordinaria noxa, damnum, & periculum infertur, cujus indolis noſter obſervatur *Hagymaz*: tum ergo, omnes hi morbi probe a noſtro diſtinguantur, ne confuſio quædam in praxi ipſa committatur.

§. VIII.

Specialius vero de hac re diſſerendo, tum quidem non opus habeo omnia ſymptomata recenſendi, ſufficit quædam ſpecialiora heic loci adnotare ſigna, unde videre licet quænam *differentia* inter poſteriores ordinis morbos vere malignos contagioſos intercedat. Communiter in Schola medica, febris catarrhalis maligna, a nonnullis minus attentis, pro una eademque declaratur ac putatur, & licet quidem, quod, quadantenus noſter cum illa convenientiam habeat morbus, differunt tamen, non quidem ipſa *eſſentia malignitatis*, ſed gradu ipſo ſymptomatum, quæ omnia acerbiora in hoc adfectu ſentiuntur, ſpeciatim autem noſter morbus *Hagymaz* quoad cauſam materialem non tam catarrhum acrem cauſticum pro fundamento habet, cum is ordinarie non reperiatur, necque more febris malignæ catarrhalis temporibus frigidioribus graſſatur, ſed & his & calidioribus imprimis, omniſque generis ſubjecta, ubi graſſatur, invadit, & corripit. Sic etiam febris hæc, de qua ſermo mihi eſt, maximis, adeoque atrociſſimis tam capitis, quam præcordiorum doloribus, juncta gravi cardialgia & anxietate maxima, ſævit; contra *Petechialis* non tantis, eiſque intenſiſſimis doloribus capitis & præcordiorum eſt adfecta, neque ſymptomata, tam exacerbata ſunt, calor enim in hac febre mitior videtur, nec maculæ ſecundum quæſtionem *Rulandi* octavam ſemper adſunt, quæ tamen de jure in febre ipſa Petechiali die quarta, vel ſeptima, raro ſerius, aut ſecundum relationem *Chr. Frid. Garmanni de Mirac. Mort. Libr. II. Tit. I.* §. 13. *p.* 317. poſt mortem ipſam erumpunt, *confer. Act. naturæ Cur. Dec. I. An. III. obſ.* 72. *vid. Riedlinus pag.* 611. & niſi in hac febre maculæ ipſæ adpareant, non petechialis, ſed petechizans, aut in genere maligna dicitur febris, unde etiam *Primeroſius libr. IV. Cap.* 11. *pag.* 410. hanc febrem petechialem nominat purpuream. Demum quomodo a Peſte ipſa differat breviter expedire placet, hæc tanquam ſummus morborum malignorum apex cum publica hominum ſtrage conjungitur, & eſt omnium maxime contagioſa, maligniſſima, graviora in ſummo gradu habens ſymptomata, multoſque interficiens, imo hac plures ſubito pereirunt, quam ſervantur, utplurimum adſunt bubones, Carbunculi, petechiæ ipſæ, quæ omnia tanta vehementia & præcipiti eventus in morbo *Hagymaz* non adſunt, operam medicorum non ita eludit, plurimi ab ipſo malo præſertim in *Patria* mea, ſervantur, quam quod fatum commune experire deberent.

§. VIII.

Poſita ipſa *Differentia*, propius ad rem ipſam me adcingo, illaque hac vice quantum poſſibile brevibus enarrabo, quæ viſui perſpecta manent, aut quæ ſæpius hoc de *morbo Hagymaz* experta ſunt: adeoque, quidnam in principio ejuſdem, progreſſu, & fine quotidie adhuc obſervetur.

Invadit ordinarie hic morbus homines utplurimum *Epidemice & contagioſe* uno eodemque tempore quam plurimos, cujuſcunque ſint conditionis, ætatis, temperamenti, ſexus, &c. præ aliis autem maxime infenſus eſt ipſis *plethoricis*, impuro laëri expoſitis, putridas exhalationes haurientibus, & vitioſa utentibus diæta. Inchoat utplurimum leni rigore, laſſitudine & hanc inſequente aliquali *Cephalalgia* & *nauſea*, ita ut dolor ſaltem levior ὀστεοκόπος ſentiatur, & quia ægri ſe morbo laborare vix credunt, præſertim ſi non epidemice graſſetur *Noſtrates* ſtatim dicunt, *es hat nichts zu bedeuten, ich habe getſemmert*, qui *morbus Tſemer* in Patria quidem vili penditur, eſt vero ibi *Endemius* tranſitorie homines *nauſea & languore* corripiens, uti id ipſum bene obſervavit *D. Tobias Coberus*, qui obſervationes Caſtrenſes Hungaricas edidit, ſubſequente autem tempore, lenis ille rigor mutatur in frigus ac horripilationem, ex *Cephalalgia* quadantenus leviori, fit *Cephalæa* atrociſſima, ægrum validiſſime & continuo infeſtans, adeo ut præ cephalææ hujus & vehementia, & continuatione, reliqua ſymptomata ab ægris nonnunquam non ſentiantur, tandemque *calor* ille primum mitior, brevi temporis intervallo ex ſcintilla hac vaſtum per totum corpus exorditur incendium, adeoque accedente æſtu intolerabili, ſiti inexplebili, ſumma nauſea, inappetentia, averſatione & odio in omnis generis cibos, conjuncto aſſiduo comite anxietate, inſigni cardialgia, ita ut non facile quenquam reperias, ut recte inquit *Tob. Coberus Decad.* 2. *obſ. VI. pag.* 43. qui non manu quaſi deducta, ad hunc locum adfectum ſit deducendus. Obſervatur porro *color* faciei pallidus, lividus, inquietudo anxia, quæ vero non ſemper totum adfligit corpus, ſed nunc brachium unum vel alterum movent, nunc pedes agitant, aut extra lectum exerunt, imo proſiliunt, mox integumenta hinc inde movent, præſto eſt pervigilium, oris amarities, labra ſicca, lingua continuo arida, nigricans, ſcabra, fiſſa, & ſæpius tumida, ſicque vox articulata perit, præſertim accedentibus *parotidibus*, corporis jectigationem nonnunquam vomitus excipiunt, reſpiratio eſt difficilis, crebra, frigida & fœtida, aures tinniunt, imo aliqui plane ſurdi fiunt, nox inſomniis & vigiliis cum debilitate & proſtratione omnium virium tranſigitur, interdum vigiliis oppoſiti adfectus ſoporoſi, convulſiones, deliria, terrores, aliaque phantaſmata cum ſomno turbulento ipſos corripiunt, ſudores in multis nullius ſunt ordinis, aliquando copioſiores, aliquando pauci, utplurimum particulares

ac frigidi, ſic etiam alvus nunquam fere rite ſuccedit, vel enim nimis aperta, conjuncta diarrhœa, vel nimis adſtricta & occluſa detinetur. Et hæc *tragœdia* veſpertinis imprimis luditur horis, dum circa hoc tempus communiter paroxyſmi de novo pertinacius redeunt & exacerbantur. Imo tanta tandem fallacis hujus morbi & doloſi hoſtis eſt *inconſtantia*, atque mutabilitas, ut cum quam plurimis adfectibus ſœpiſſime *ſtipata* reperiatur, pro ſubjectorum enim diverſitate, temporum viciſſitudine, regiminis & diætæ perverſitate conſpirant & concurrunt adfectus catarrhales, petechiæ, fluxus dyſenterici, anginodea & prunellodea adflictio, narium hæmorrhagiæ, parotides, paralyſes & hemiplexiæ. Quod autem pulſum & urinam ipſam attinet, in his quoque variæ mutationes, alterationes, & confuſiones reperiuntur. *Pulſus* enim ſæpe chamæleonte ipſo mutabilior & inconſtantior, nam in principio æquali arteriarum dilatatione, magnitudine & vigore, naturali eſt ſimilis, ut a ſanorum pulſu vix diſtinguatur, poſtea in augmento morbi, reſpectu rythmi, inæqualis, interciſus, undoſus, interdum intermittens & deficiens, in ſtatu autem, ſeu vigore inordinatus, & reſpectu roboris plane debilis, mox vero legitime febrilis. & magnus, durus, ac interdum etiam contra malignarum febrium indolem impetuoſus. Quoad *urinam* vero idem fatum, nam in initio parum eſt mutata, modo tenuis & aquoſa adparet, progreſſu vero ingraveſcentibus ſymptomatibus, nonnullis cruda, ſed abſque ſedimento, plurimis tamen craſſa, turbida, rubea, flammea, conturbata, & fœtida exiſtit. Hujus morbi autem tempus *declinationis*, modo citius, modo tardius contingere ſolet, communiter a prima per alteram & tertiam periodum febrilem progreditur, & durat, nonnunquam vero citius decurrit, & terminatur excretionibus vel eſſentialibus exquiſite febrilibus, moderate diaphoreticis, vel cum ſymptomaticis hæmorrhagicis, alvi fluxibus, aut metaſtaſi & tumoribus modo poſt aures, modo circa alas & inguina. Adque hæc de morbo noſtro ſatis larvato, quoad hiſtoricam relationem ſufficere poſſunt, cœtera quæ forte addenda eſſent, ne medicus illius πολυμορφία decipiatur, prudens, & ex ipſis rerum phænomenis per ipſam experientiam intenta, & attenta cujuslibet obſervatio facile aut evitare, aut etiam quantum in ipſum cadet penſitationis ἀκριβεία, e vera cauſali habitudine & mutuo inter ſe nexu, benevole ſupplere & addere poterit.

§. IX.

Cum adhuc in pathologicis verſer explicationibus, ſic jam progredior ad ipſius morbi *Cauſſalem* explicationem, Medico uſui imprimis adcommodatam, quo a vanis & inutilibus multorum Medicorum contemplationibus, ſpecioſis magis, imo otioſis, liberi & repurgati maneamus. Hinc

minime *Veteribus* aſſenſum præbeo, qui cauſſas hujus morbi, ex doctrina *Hermeticorum* ita crude & nude dicunt eſſe venenum Antimoniale, Aconitale, Arſenicale, Mercuriale, Cicutoſum, Napellinum. &c. Confer. *Minder. libr. de Peſtilentia Cap. III. p.* 31.

Hic enim *inſignis committitur fallacia non cauſſæ ut cauſſæ*, cum præeunte *Williſio*, venena dicant ſanguinem coagulare, falſiſſima ſuppoſita analogia inter venena quædam coagulantia ex regno Minerali ac vegetabili, & ſubſtantias tenues atque agiles, febres malignas parientes; aut quia poſt ſectionem cadaverum, peſte præſertim extinctorum, ſanguis coagulatus in corde, ventriculo & vaſis majoribus connexis repertus fuit, hinc ad ſimile concludentes, quæ, qualis quanta? Alia certe eſt indoles venenorum mineralium, vegetabilium &c. acido conſtringenti craſſius operantium & liquamina animalium coagulantium, *a ſubſtantia* in febribus maligne agentium, quæ tenerrima ſua textura ſanguinem potius corrumpit, & diſcontinuat.

Porro etiam minime illis ſubſcribo, qui rem acutius perſcrutari putant, & cum *Paracelſo Tract. II. de Peſte* inopportune adſerunt eſſe Sulphur, & nitrum cum Arſenico remixtum, vel ſecundum *Petrum Severinum in idea Medicinæ Cap. VI. de Seminibus* & Aſtris rerum, *Aſtra* ut cauſſam eſſe agnoſcunt, quod turpe, imo abſurdum eſt Medico ejuſmodi ſibi fingere cauſſas, quæ partim ignotæ ipſi manent, partim vero in ipſas nullo modo operari poteſt. Accedunt etiam illorum ſententiæ, qui *peccatum* ipſum tanquam fontem hujus mali declamitant, neſcientes quod a Medico naturales morborum vel mortis cauſſæ explorentur, unde hoc loco tales etiam hujus morbi cauſas ſcrutari cogito uti antea dixi, quæ medico uſui ſunt adplicabiles. Et qui plures hac de re Opinionum *diverſitates*, quibus tamen recenſendis & refutandis hoc loco non immorabor, ſcire deſiderat, videat *Scheuneman. Tract. de Morbo Mercuriali, Cap. III. Petreum in noſologia Harmon. Williſium Sylvium, Unzerum, Petrum Fabrum in Palladio ſpagyrico Cap. X. Joh. Bapt. ab Helmont, Rodericum a Caſtro in Tract. de Peſte Neapolitana pag.* 16. *Zacut. Luſitanum libr. II. Prax. admirand. obſ.* 42. *& libr. IV. Med. Princip. Hiſt.* 46. *quæſt.* 42. & alios quam plurimos.

§. X.

Ergo potius in obſtruſa hac, & tot difficultatibus obvoluta *doctrina*, illos veritati propius accedere ſtatuo, qui cauſam hujus morbi agnoſcunt *miaſma valde ſubtile ſalinoſulphureum maxime agile, & cito fermenteſcens*, (id quod vires ejus in corpus aliud tranſeuntes teſtantur) undecunque ab extra corpori noſtro communicatum, imprimis maſſæ ſanguineæ deſtructionem minitans, imo toti noſtræ œconomiæ confuſionem inferens, & tamdiu qualitate ſua nociva durans, quamdiu non penitus eliminatur, unde & jam continuo auctior & intenſior perdurat circulus ſanguinis, prop-

propter periculum quod imminet, quæ cauſa plus rationalis, quam phyſica exiſtit.

Ergo non a miaſmate illo ita ſimpliciter phyſico, aut a materiali ſua conſtitutione, combinationes & efficacia producitur *Lucta* quædam, in nonnullorum cerebro efficta, quæ *pondere vires* determinet, febremque impellat, cum illa ipſa materia nociva, plane eo ipſo a poteſtate ſua phyſica privatur & debellatur, a mala enim cauſſa & re, nil boni provenire poteſt, dum *luctam* illam, aut rectius dixero febrim, non abſolute quid mali eſſe ſupra jam dixi, quidquod & ipſi *Paroxyſmi*, novi ſint inſultus *Naturæ*, qui per motus febriles, pro materia præparanda & evacuanda directi ſunt. Rectius ergo id ipſum dices, quod a ſapienti quodam fiant *Principio*, tamquam ipſa *cauſa Formali*, quam *Naturam* adpello, quæ inſtrumentis ſuis naturalibus & proprie ſtructis, *pulſu* videlicet fortiori cordis, progreſſu celeriori ſanguinis, & *motu* proportionato *Tonico*, miaſma hocce corpori infenſum, e reliquo humorum & laticis purpurei nexu placide & ſucceſſive eliberat, ac abſtergit, & in aptis organis, ad futuram *eliminationem* adſervat, quam deinde inſequitur ſecretio, excretio, & corruptionis averſio.

Et hinc *recte explicatur* quare nonnullæ febres cum horripilatione incipiant, unde proveniat ſuperficialis corporis conſtrictio, extenuatio, pallor, & calor, dolor capitis, dejectio adpetitus, agrypnia, &c. *Conf. Magnif. D. D. Præſidis Patholog. ſect. IX. de febribus in genere.*

§. XI.

Sed ad viam, e qua paululum digreſſus ſum, redeundum eſt, expoſita genuina cauſſa *Materiali* & *Formali*, jam ſequuntur ipſæ externæ *Occaſionales*, remotæ, quæ hunc morbum etiam aut provocare, aut magno patientum damno exaltare & deteriorare poſſunt. Tales ſunt illæ cauſſæ, quæ quidem directe & proxime ad internam eſſentiam corporis non pertinent, quas Medici vocant *res non naturales*, quæ uti ſub congrua adplicatione *ſub concurſu* corpori noſtro longiorem vitam, durabilitatem, firmitatem, & continuatam conſervationem conciliant: *Confer. Illuſtr. Stahl. diſp. de vita, & Magnif. D. D. Præſid. Phyſiolog. Cap. IV. de Theoria corporis humani medica* §. X. ita e contra maximo etiam damno & detrimento anſam præbent. Ex his immediate maſſam ſanguineam adficiens eſt imprimis *Athmoſphæra* vitioſe ſe habens, quando ſcil. *Aër per accidens* inſinuatur humoribus, ubi revera nihil combinat & conjungit, verum, ſi ſub motu ipſo humorum incaleſcit, hos, ipſe aër, ut inſtrumentum motus fermentationis, nimium expandit, rarefacit, diſſolvit, diſcontinuat, & ſuffocationem minatur, præſertim aër frigidus & humidus, partes reddit rigidas, fluida coagulat, diſponit ad relaxationes partium, unde Adfectus Catharrhales, ſtaſes, ſtagnationes, &c. nimis

vero *ſiccus* & *calidus*, humores conſumit & exareſcit, & ſi *in exceſſu* ſunt, ad *noſtrum* plane diſponunt *Morbum malignum*, Petechias, ipſamque peſtem; omnium maxime vero ad maximam ſanitatis perturbationem contribuit aër, partim ſqualidus, humidus, nubilus, & impetuoſus, partim ſtatum præter naturalem induens, quatenus imprægnatur, & inquinatur putridis, malignis, & vaporoſo ſulphureis impuritatibus, quale quid in illis contingit locis, ubi metalla fodiuntur, funduntur, ubi paludoſæ ſunt uligines, putridæ & fœtidæ lacunæ, fuligines ſubterraneæ &c. Aut ubi etiam corpora humana crudeli marte, & morte vel crudeliori peſte extincta, non vero nimis profunde ſepulta ſunt, accedit ubi multa ſunt *Ichthyotrophia*, uti *Cibinii*, in quibus æſtate calidiori, diu demortui jacent piſces, auram inquinantes, adeoque talis aër cum per inſpirationem attrahatur, ejuſmodi exiſtit cauſa morbi. Idem etiam ſentiendum de *Ventis* turbulentis, impetuoſis, diuturnis borealibus, Occidentalibus, & ſeptentrionalibus, quia præſertim poſteriores ſunt humido frigidi; excretiones periphericas turbantes, adeo ut particulæ ſalino ſulphureæ ab exitu prohibeantur, in ſanguine coacerventur, quæ demum fomitem mali ſuppeditant, ita, ut ſi paululum ſubjectorum præceſſerit prava diæta, ſpeciatim commeſtio fructuum immaturorum, potus aquarum putridarum, hoc *morbo*, imprimis ubi epidemice graſſatur, facillime imo certo corripientur, modo videant ne penitus ſuccumbant.

Quod autem reliquas attinet *res non naturales*, ſic morboſum etiam adparatum præbent prava victus ratio, corrupta ſcillicet & fermenteſcentia alimenta, putredini obnoxia, uti ſunt fructus terræ & arborum, aut immaturorum, aut ex prava anni conſtitutione corruptorum, aut etiam maligna aura afflatorum, huc pertinent animalia morbo laborantia, cibi aromatibus exoticis nimis calidis conditi, & in exceſſu adſumpti, ut & uſus potulentorum ſtagnantium & putridorum, aqua ex cœnoſis lacubus hauſta, vinum pendulum & corruptum aut tandem alimentis his oppoſita *calamitas*, quæ eſt annonæ caritas, unde etiam hoc malum plus ſævit in vulgus, quam lautioris fortunæ deditos.

Porro anſam præbent *ſe & excretiones* interceptæ aut protinus turbatæ, ſeu illæ ſint ex genere Hæmorrhagiarum, ſeu excretionum alvinarum, ſudorum, urinæ, ſalivæ &c Animi Pathemata autem modum excedentia, quantum corpus noſtrum, imprimis terror, timor, triſtitia, ira, ad hunc adfectum diſponere queant, explicatu non erit difficile, dictu autem nimis prolixum. *Confer. Illuſtr. Sthalii Diſput de paſſionibus animi, varie corpus alterantibus.*

§. XII.

Inter cauſſas ultimato occaſionales adnumeratur etiam non ſine omni fundamento *Contagium* per alios inductum, ſive per contactum, ſive fomi-

fomitem, vel ad diſtans id fiat, *Confer Caſpari a Rejes Elyſ. Jucund. quæſt. Comp. Quæſt. 61. Numero XII. ſeqq.* Sic imprimis ut quibus ex neceſſitate, aut officii ratione, vel ex legibus conſcientiæ cum ejuſmodi perſonis hac lue adfectis arctior & frequentior intercedit converſatio, non excluſis aliis commerciis per nummos, lanam, veſtes, goſſypium, &c. inſtitutis, facilius, niſi ſibi bene proſpiciant, contagio tali vehementer adfici poſſunt, *quotidiano exemplo* adſtantium, famulorum, & aliorum domeſticorum, ſacerdotum, imo & Medicorum, qui prius ſaniſſimi fuere, paulatim vero a tali miaſmate quaquaverſum diſperſo corrupti ſunt, ſimilemque contraxerunt labem. Hinc etiam ad præſervationem malignitatis *Mercurialia* ſuadent, & citante *Rejeſio p. m.* 891. *Lacuna in Dioſc. in præfat. libr. VI.* tamquam unicum a ſe experientia confirmatum maxime laudat *Arſenicum* ad cordis regionem adplicatum; a talibus vero periculoſis præſervativis ſedulo ſibicavere ſuadet *Valentini in praxi ſua Medic. infallibil.* dum præmonente *Guiberto in Tract. de Peſte Medico* charitativo annexo ita *Capit. IV. p. m.* 172. *Cautel. III.* differat: *Inter periapta & amuleta cave tibi ab Arſenicalibus & Mercurialibus, cum veneno ſe a veneno præſervare periculoſiſſimum ſit.* Sic & *D. D. Teichmeyer* ex relatione *B. Wedelii*, in ejuſmodi viſitationibus mihi ſingulariter commendabat Rad. *Colchici* cum rad. *Plantaginis*, tempore autumnali erutas, inſtar amuleti geſtandas, de qua re conferatur citati *Beati Wedelii Schediaſma de Arcano duplicato catholico*, & *D. Chriſt. Ludou. Wilhelmi tract. Germanic. de Colchico mittel wider die Peſt.* num vero tantæ ſint virtutis miaſmata maligna ab ipſo coercere corpore, hac vice ſuſpendo meum judicium, *forte vero facit quod poteſt, non autem quod ſæpe neceſſitas poſtulat.* Meo judicio, *Amuletum* & præſervativum ſecuriſſimum erit: *Fiducia in Deum, devotæ præces, & animam ſuam Chriſto Salvatori conſecrare,* confer. locus *Syracidis Cap. II. verſ. 6. & Cap. XI. v.* 21. ſed hæc obiter, jam ad rem, ſuboritur mihi hic quæſtio ab auctoribus inſtituta, occaſione hac dum differui de contagio per alios introducto, ſcil. quæritur; mortuane an viva corpora magis inficiant? Hanc quæſtionem erudite ventilavit *Garmanus de miracul. mortuor. Lib. III. Tit. II.* §. 47. Ab utraque parte ſuos hæc quæſtio habet defenſores, fundamenta *Levini Lemnii Libr. II. de occultis naturæ miracul. Cap. III. p.* 151. Contagium magis eſt nocivum morientibus, quam mortuis adſiſtentibus, ſecundum alios mox mortua, mox ſecundum *Kircherum* viva magis inficiunt corpora. *Vid. Hieron. Fracaſtor. Lib. I. de contag. cap.* 12. *Matth. Tiling. de febre petechial. cap. X. Laurent. Joubertus de peſte cap. III. & imprimis Caſpar. a Reies quæſt. LXVI. Num. XI. p. m.* 889.

§. XIII.

Perſpectis cauſſis, aliiſque animadverſionibus, jam de *prognoſi* ipſa quæ-

quædam dicenda reſtant. Hic quidem de triumphantis vel victæ naturæ indiciis quid certi adfirmare, ut in omnibus febribus malignis elogio *Hippocratis ſect. II. aph.* 19. *morborum acutorum non in totum certæ ſunt prænunciationis*, *neque ſalutis*, *neque mortis*, difficillimum eſt: ſic præſertim de victoria noſtri morbi Hagymaz prognoſin daturus, videat medicus ne temerario judicio fama periclitetur, dum ſæpe præter ſpem æger moriatur.

In genere hic morbus multis reſpectibus ad *ſymptomata*, partim quoad ipſum *exitum*, graviſſima & periculoſiſſima eſt febris, & quo magis ſubjecta ſunt plethorica, & in his majores translationes ſanguinis ad ſuperiora, unde ſi majores oriantur capitis dolores, ac deliria quo vehementius urgent, eo majorem jacturam, imo majorem metum phrenitidis incutiunt.

Hinc recte admonet *Waldſchmidius*, quod medicus nunquam ab ægro recedat, niſi prius inſpexerit oculos, quorum inſolita mutatio infauſtum prædicit eventum, & dum pulſum explorat, ſemper attendere debeat, an manus ægrotantis ſit tremula; inſpiciendi ergo ſunt oculi, quo dijudicet de futuro delirio, & ſi in vola manus æger ſentiat tenſiones vel titillationes, tum convulſiones imminent, ac ſi illa fruſtra venantur, feſtucas legunt, vulgo *das Feder leſen*, floccos de veſtibus evellunt, ſarcinas colligunt, vel plicas ſupra lectum explicant, aut quodlibet objectum inordinate & confuſe adripiant, triſtiſſimum & fere ſemper lethale eſt ſignum. *hippocrat. prognoſt. IV.* 10.

Quo vero vires fortiores, & ſymptomata mitiora ſunt, eo melior ſemper morbi eventus ſperandus, contra quo periculoſiora cum viribus debilitatis concurrunt ſymptomata, eo majus portendunt periculum, adeoque periculoſior eſt morbus.

Delirium in hac febre frequentiſſimum non adeo deterreat medicum, præſertim ſi a ſomno compeſcatur, & ſimul ſufficienti ſudori junctum ſit, poſt ſomnum vero perſeverans cum torva facie futuræ phrenitidis indicium eſt. Commune etiam eſt huic morbo quod nonnunquam per excretionem, nonnunquam vero per abſceſſum terminetur, unde aliquando evenit ut ſi hic inopinato, præter rationem, varia ingraveſcant ſymptomata, criſin imminere indicio eſt, quæ communiter die quarto aut ſeptimo accidit, imo plerumque etiam per hæmorrhagiam narium, vomitum, diarrhœam vel ſudorem judicatur. Hinc *ſudores hic optimi ſunt*, *qui in diebus judicatoriis fiunt*, *& febrem perfecte tollunt*, *boni vero ſunt*, *qui per totum corpus contingunt*, *hominem facilius morbum ferre faciunt*, *qui vero tale quid non effecerint*, *incommodi ſunt*, *inquit Hippocrat. prænot*, §. 5. *Text.* 1. 2. Aperta autem alvus ſemper melior eſt occluſa, nimis vero laxa & reſerata, quam potius *alvi fluxum* dixeris, cum inſigni virium jactura, peſſima eſt; hæmorrhagiæ autem narium ut ut die critico bonæ ſunt, ſic extra hoc tempus contingentes, imprimis incompletæ,

&

& poſt maculas adparentes, ſuſpectæ ſunt; ipſæ autem maculæ petechiales latæ, lividæ, cœruleæ plus minus nigricantes huic febri accedentes non ſolum peſſimæ ſunt, verum res periculi pleniſſima manet, ſic etiam quo citius, accedant faucium inflammationes, loquelæ articulatæ amiſſio, prunella, fortes & conſtantes inquietudines, eo malignior eſt ſtatus. Metaſtaſes vero humorum ad parotides, melioris ſunt prognoſeos, quam ad fauces. *Urina* autem & *pulſus* quo magis ſanorum ſunt ſimiles, & quo longius ita manent, eo periculoſius dicas ſignum, accedentes tandem convulſiones, Hæmorrhagiæ Symptomaticæ, diffluente quaſi cruore, ſudores frigidi, deliquium animi, utplurimum ad mortem ipſam terminantur funeſtam, utinam ſaltem *beatam*.

Obauditionem & *ſurditatem* vero in *acutis*, in ſtatu adparentem, *ſemper* eſſe ſignum reconvaleſcentiæ, quod ad ſalutem portendat, ſecundum *Riverii p.* 451. & *D. Pelargi Obſerv. Clinic. Part. I. p.* 7. *&* 194. experientiæ fidæ, ſolidæ, & conſtanti non reſpondet, fruſtra ergo miratur citatus, D. Pelargus quod recentiores obſervatores *Stahliani* id ipſum ſignum non animadverterint, & inconſiderate ſuis ſcriptis inſeruerint, quid? quod celeberrimus vir *D. D. Junckerus*, (ſub cujus fideli manuductione per ſat longum tempus praxin ipſam exercui, cui ſolemni hac occaſione æternas perſolvo grates,) hic inquam vir experientiſſimus hoc ſignum utique ſæpiſſime obſervavit, mox vero felici, mox infelici eventu, hinc revera anceps eſt ſignum, ut recte cum *Hippocrate ſect. I. aph.* 1. dicas: *Experientia fallax, Judicium difficile.*

§. XIV.

Poſitis reſpectibus & fundamentis *Pathologicis*, ad *Practicam* ſontici noſtri morbi explicationem & methodum progredior, & quæ ad hujus febris percurationem pertinent ſedulo indicabo.

Hanc methodum medendi ſummum *arcanum* in ſalutari arte medica eſſe, nullus eſt qui dubitat, quo vero hæc ſalutarem nanciſcatur finem, de neceſſo pro baſi & fulcimento *veras & genuinas cauſſas*, perſpectas, ad ipſum ſubjectum morbi adplicabiles, habere debet, unde demum *rationalis* ſuboritur *praxis*, adeoque hæc methodus medendi illud plane eſt filum *ariadneum*, quo ducimur ad morbi hujus dictas *cauſſas*, *nexum*, juſtum *effectum*, *ordinem*, *indolem*, *progreſſum*, *ſucceſſum*, &c. ratione ſubjecti vero ægrotantis, ad ulteriorem *perveſtigationem* ſexus, ætatis, temperamenti, vitæ generis, educationis, conſuetudinis, idioſyncraſiæ, morum, ſenſibilitatem, &c. Ad debellandum autem morbum recenſita hæc, uti ſumme quidem ſunt neceſſaria, ita tamen nondum omnem abſolvunt rem, licet enim cognito ſtatu morbi quam exactiſſimo, carente autem notitia adminiculorum & auxiliorum certorum, imo aliquando etiam *ſpecificorum*, ſic irrita & vana omnis noſtra evadet ſpes, ac induſ-

tria, & hæc utique utplurimum etiam cauſſa aliqua erit, quod non raro medici, ſecus Celeberrimi, in eradicando morbo, multum conſumant temporis, alius vero in auxilium, quamvis dignitate inferior, vocatus; illum brevi & expectatione citius exterminet, & funditus exſtirpet; non erravero itaque ſi illud remedium, ipſamque methodum magis particularem & *Specificam*, *Patriæ meæ*, felici ſucceſſu uſualem, orbi erudito, prius hic loci communicem, addita ἐπίκρισι, quid ſcil. de illa ſentiendum, demum hujus morbi propriam, genuinam, & magis notam ſuppeditabo curationem.

§. X V.

Si quis ergo inter *Noſtrates* leni rigore, demum frigore & horripilatione corripiatur, ſubſequente calore continuo, & ſine intermiſſione adfligente, conjuncta cordis anxietate, ſiti inexplebili, dolore Capitis intolerabili, conjunctis deliriis, & vigiliis perpetuis &c. ſtatim hariolantur eſſe *morbum Hagymaz*, hinc confeſtim, uti in morbo ſupra dicto *Tſemer* ad ſalem, allium, & acetum; ſic hic ad *Herbulam Ononidem* tamquam ad ſacram Ancoram confugiunt. Quod ergo attinet methodum, ſeu modum adhibendi hocce remedium, ſic *adſtantes* ſolent recipere, totum caulem cum Hb. & flor. *Ononidis*, offic. ſpinoſ. flor. purpur. vulgo *Hauhechel*, Noſtratibus a vi *ſpecifica*, quam exerit in morbo *Hagymaz* ſaltem dicitur *Haginaz-Kraut*, hujus recipiunt v. gr. manus-tres, addendo cepæ alb. No. j. & præterpropter caryophyllorum gr. xvj. *Ipſi*, forte ex ſuperſtitione, ſaltem No. jx. ſuadent, mixt. conc. gr. M. Coqu. in olla nova fictil. adfuſo vino generoſ. lb. ij. vel lb. ij*ß*. opt. cruſta panis occluſ. ad aliquam partis conſumtionem, ſign. capitiluvium. Hocce jam decocto tepide patientis caput in totum bene ter de die lavare ſolent, adeoque veſperi, deinde mane, & iterum hora veſpertina, hac adhibita cautela, quod illa in uſum tracta portio, demum ſemper rejiciatur, & quoties repetitur, toties etiam de novo decoctum vel præparatur, vel quæ remanſere, recipiuntur; qui vero ægrotorum hanc lavationem ſuſtinere & perferre nolunt, tum omnes illius *juncturas* linteo, tali decocto impraegnato, fortiter fricare ſolent, idque etiam, ut ſupra, ter de die repetendo; conſequens ſeu effectus, qui hocce remedium inſequitur, *ſperatiſſima* eſt mitigatio omnium ſymptomatum, præſertim deliriorum, conjuncto placidiſſimo ſomno, cum leniori ſuperveniente ſudore, (nulla enim febris reſtituitur unquam ſine omni ſudore, ſecundum *problemata febrium Illuſt. Dn. D. Stahlii*). Alii e contra, qui hanc *Ononidem* in promtu habere non poſſunt, aliud decoctum ſubſtituere & parare ſolent ex Artemiſia latifol. vulgar. Hb. majoran. offic. Roremar. Abrotan. vulgar. Caryophyll. aromat. addito allio & cepa, proportio pro lubitu adſtantium recipitur, niſi, quod iterum quoad Caryophyll.

phyll. No. jx. ut corrigens & adjuvans addant, hæc invicem decoquuntur vino generoſo q. s. adplicatio eadem eſt cum ſuperiori. Cum vero hoc decoctum non tantæ ſit virtutis & efficaciæ uti prioris, tum nec in uſu ita frequentiori eſt, nec ab ipſis ita ſuadetur, & in uſum adhibetur a Medicis, *palmam* enim *Ononis* quæ baſin in decocto priori conſtituit, reliquis omnibus cum *laude* præripit. Hinc de poſterioribus ipſis herbulis, *alias ſat bonis*, nihil hic loci dicam, de priori vero decocto paucis hæc addo *Ononidem* quod attinet, ut principaliſſimum noſtri decocti ingrediens, de aliis enim non loquor, cujus præſertim Radix, quinque *aperientibus* minoribus & *Hepaticis* adnumeratur, tum illa quidem principia poſſidet parcius ſulphurea, copioſiora vero ſalino nitroſo alcalina; hinc cum Hba ſuam virtutem imprimis habet humores reſolventem, fluidificantem, abſtergentem, colliquantem, diſcutientem, imo & diureticam, adeoque eo ſolum reſpectu illius vires non ſunt contemnendæ, unde cuivis facile patet quare & a *Galeno*, *Dioſcoride*, *Ettmüllero*, *Sculteto obſervat. Chirurg. obſ.* 63. & a *Borrichio in Act. Hafn. vol. I.* magni ſit æſtimata & commendata, num vero illas virtutes ab ipſis, recenſitis Auctoribus ſemper præſtiterit, alia eſt quæſtio, de qua hac vice non diſſero, ſufficit quandantenus palam eſſe & in hoc noſtro morbo minime parvi faciendam, a priori quidem, ſi rationes allaturus ſum, utut de *Remedio Specifico*, in quibus ſpecialiſſima latet habilitas, generaliter tantum quædam proferre potero, de modo enim illius operandi ſpecialius quædam dicere, res ipſa vetat, ſubtiliſſimæ enim *ſpecificorum mixtiones*, & inde dependentes peculiares temperies non adeo diſtincte ſenſibus noſtris externis ſeſe objiciunt, id autem ſolertes & indefeſſos trium regnorum, *ſcrutatores* minime latet, revera talia *dari* remedia *ſpecifica*, quæ, adſerente *Magnif. D. D. Præſide in Therap. Med. Cap. IX. §. IV.* multos medicos latent, & magis ſimplicibus & imperitis hominibus cognita ſunt, unde evenit ut interdum *anus* aut *opilio* cum ſimplici herbula, ſine ullo *veneficio*, admirandos effectus perficere poſſit; quales ſtupendæ eruditionis & grandiloquæ ſæpe experientiæ artifex perficere non potuit.

A poſteriori autem, bona fide, hoc ipſum *Decoctum*, cujus *rationali* practico ad ulteriorem *inveſtigationem* commendare poſſum, quid quod plurimi *noſtratum* a periculoſſima hac febre maligna eliberantur, & priſtina ſanitate donantur, uti quidam etiam *Amicorum* in epiſtola ad me exarata id ipſum plurimis atteſtatur, dum imprimis inquit: *Das* decoctum *thut ſeinen richtigen* effect, *wie es alhie die Erfahrung faſt täglich lehret.* Conf. de Specificis Citat. *Magnif. viri Schediaſmata de medicamentorum modo operandi. & Therap. pag.* 226. ut & *Experientiſſ. D. Junckeri Conſpect. Therap. General. Tab. XX.*

§. XVI.

Hactenus de cura quadam particulari, & magis *ſpecifica*, *Patriæ* meæ uſuali, actum eſt, jam ſequitur, ſecundum promiſſa §. XIV. altera illa *methodus*, videlicet *Therapeutico-Practica*, in foro Medico-Clinico magis *uſualis*, nota, atque perſpecta. Cum autem hic ob varia conjuncta ſymptomata & malignitatem ipſam, *periculum* in mora ſit, ſic ipſe hoſtis, caſtris & viribus rite perſpectis, cum *Deo*, abjecta omni hæſitatione & cunctatione intrepide, aſt *mature* adgrediendus eſt, & quo major imminet ruina & pernicies, adeoque quo magis hic adfectus eſt *complicatus*, intricatus, & periculoſus, eo major etiam omni tempore adhibenda eſt circumſpectio, ne quo pacto talia ſuadeantur, atque ordinentur conſilia & auxilia, quæ funeſtum accelerant eventum; etenim in hoc morbo præcipiti, citius faciliuſve perverſi conatus & auſus medici, *damnum* quam commodum adferunt; hinc *Cautelas* nonnullas practicas in hoc morbo obſervandas, omni jure præmittendas eſſe dijudico. Abſtinendum itaque eſt in methodica noſtri *Hagymaz* percuratione, a perverſa, præpoſtera, & *curatoria* evacuatione ſanguinis, ut & indiſcreto uſu *Vomitoriorum*, quæ niſi adhibeantur congruo tempore, aut ſi mala adſit diſpoſitio ſubjecti ad ſubeundam talem vehementem & ſonticam excretionem, & ſi tamen ultro contra omnem rationem ipſa urgeatur, tum peſtifera magis quam ſalutifera evadet; fugiendæ etiam ſunt *impetuoſæ* & *largiores* illæ *diaphoreſes*, imprimis cum remediis illis vulgaribus calidioribus, humores impellentibus, nimiſque *eſſentificatis*, inſtitutæ; cum enim omnia hic in motu fortiori ſunt, idem eveniet ac ſi igni oleum adderetur, ea propter etiam ſedulo cavendum eſt a ſimplici aut liberaliori *Camphoræ* uſu interno, ſeu nitro commixta ſit, ſeu minus, eo pejus vero ſi *Thuringis* uſitatum illud ſit oleum Bezoardicum *Vedelii*, hinc rejicio etiam omnia illa remedia motus & humores valde irritantia, nimis volatilia, concentrata, ſulphurea, ſpirituoſa, ſanguinis ebullitionem excitantia, imo & *Narcotica* ipſa vulgata *Opiata*, non excluſo communi uſu perverſo *theriacalium*, quæ ſingula præſentem ſtatum valde deteriorant, & ægrotantes admodum conturbant & enervant, præſertim *Opiata* dicta *communia*, non modo *præſentem motuum vitalium*, *animalium*, & *naturalium confuſionem* ſuſtentant & augent, ſed & virium jacturam accelerant, ſimul & ſemel *motus*, ſalutariter inſtitutos, cohibent, & non raro *mortem* ipſam cauſantur ſubitaneam. Abſint etiam *adſtringentia*, valde incraſſantia, & ſymptomata ſubito ſupprimentia ac inique ſedantia, confuſaque tandem & multiplicata remediorum oblatio, quæ communiter medicorum imperitiam & inconſtantiam facile produnt, imo neceſſarias ipſas evacuationes penitus turbant, totumque morbi ſchema magis deteriorant. Et hæ principaliores cautelæ practicæ ſunt, quæ in hoc noſtro *caſu* attentionem paulo adcuratiorem merentur.

§. XVII.

Proponendum ergo potius erit, quænam *indicationes* practicæ *poſitivæ*, in hoc adfectu præ ſingulis aliis conatibus therapeuticis certam & ſecuram quandam curationem promittant: harum indicationum ſequentes obſervandæ & cum ſperato uſu adplicandæ ſunt: (1) ut impedimenta generaliora, quæ morbum ipſum deteriorare, aut curam ipſam retardare poſſunt, removeantur, (2) ut miaſmatis malignitas quantum poſſibile præparetur, involvatur, coerceatur, & effectus putrefactionis intercipiatur, (3) ut excretio neceſſaria hujus malignæ materiæ tam per congrua medicamenta, quam per idonea regimina promoveatur, & (4) ut ſymptomatibus urgentibus debite ſubveniatur.

Omnes autem hæ indicationes maxima cum lenitate exercendæ & dirigendæ ſunt, cum hic morbus nullam immoderatam & præpoſteram, atque impetuoſam perferat commotionem, omnia cum recta ratione præmeditate inſtituantur, neque ab uno ad alterum præmature tranſgrediendum experimentum, neque diu ita ſollicite materiæ præparationi & nimis ſcrupuloſæ correctioni inſiſtendum eſt, cum artificis labor primarius in promotione excretionis legitima conſiſtat, quæ ob materiæ malignitatem diu differri non poteſt, eo ipſo autem minime reliqua accidentia negligenda erunt, verum potius conjunctim debite & methodice tractanda eſſe dijudico.

§. XVIII.

Quod ergo nunc quamlibet harum indicationum ſeorſim attinet, tunc utique impedimenta generaliora ante omnia removeantur; quod ſi itaque artifex mature ad ægrum ipſum convocetur, in quo recte præſumitur multas & ſuſpectas in primis viis adeſſe impuritates, inſuperque aliæ circumſtantiæ, inprimis virium jactura, incongrua ætas, nimia ſenſibilitas &c. non obſtant, tum ibi tempeſtivam & moderatam in uſum trahere poteſt *Emeſin*, conjuncto ſemper aliquo roborante remedio, non autem narcotico aut adſtringente, huic ſcopo ſatisfacit præ reliquis cognitum illud remedium, ex croco metallorum Rulandino paratum, ſcil. *Tartarus Emeticus Mynſ.* ad gr. iij. exhibitus, poſt cujus vero uſum minime convenit aquoſas & impetuoſas ſudationes provocare, aut calida alexipharmaca exhibere, ſed potius totus ipſe decurſus febrilis cum lenitate tractetur.

Alterum impedimentum exhibet *Plethora* urgens & ſuſpecta, quæ, *ſi adeſt*, maxime motus febriles exacerbat & conturbat, hinc illa tempeſtiva, imo aliquando etiam repetita venæſectione imminui debet, quo variæ graves *commotiones* hæmorrhagicæ, orgaſticæ, & periculoſæ *in-*

flammationes meningum, pleuritiçæ, anginoſæ &c. prævertantur & præoccupentur. Præſtat vero *Maxima* cum *Cautela* & bono *judicio* mox in *principio principii*, ubi vires adhuc adſunt, eam adminiſtrare, & quidem non plane more veterum ad ſyncopem uſque, attamen nec parca ſed ſufficiens & paululum largior ſit, cui mox ſubjungatur regimen diapnoicum, quo hoc modo humores eo magis ad peripheriam corporis ferantur, ſecus ut plurimum venæſectio funeſta & noxia evadet. *Confer. Magnif. D. D. Præſid. Praxis ſpecial. Sect. IX. cap.* 14. §. 2. & *cap.* 20. §. 5.

Tertium tandem impedimentum etiam, aliquando eſt (*cum alias utplurimum ad alvum liquidam inclinent*,) *Obſtructa alvus*, quæ minime poſitive purgantibus commovenda, ſed mitioribus ſolum lenitivis, rhabarbarinis, mannatis, paſſulatis, prunatis, tamarindinatis, imo nitroſis, aut MR. ſimplici, vel clyſteribus lenientibus, reſeranda eſt.

§. XIX.

Altera indicatio requirit, ut materia peccans mitigetur, temperetur, & ab efficacia maligna arceatur, ne effectum edat malignum. Hoc impetratur per materiæ ſubtilis alterationem, & correctionem efficaciæ putreſcentis, ſcilicet per remedia ſimplicius *abſorbentia*, aut terrea acidis conjuncta, per oculos cancr. citratos; coral. r. ppt. C. C. S. Ign. M. P. ppt. C. C. pulveriſ. nitrum in ſubſt. parca ſed repetita doſi cum abſorbentibus aut decoctis mixtum, aut paretur *mixtura* quædam ex ocul. 69. pulveriſat. conch. citrat. additis ſyrupis adpropriatis & aquis deſtillatis leniter diapnoicis, cum clyſſ. antim. ſulphurat. acuata, quo conducunt etiam *decocta* e radicibus cichor. ſcorzoner. Hb. ſcord. ſcabioſ. flor. ſambuc. aven. excortic. paſſul. major. & minor. cremor. tartar. cort. citr. recent. parata. Non contemnendæ etiam utilitatis pro hoc ſcopo ſunt *Julapia*, quæ materiam & præparant, & evacuant, atque vires conſervant, conficiantur illa ex decocto cichorei paſſulato, aquis deſtil. ſcorzoneræ, ſcord. Card. Ben. flor. ſamb. tiliæ, naph. galeg. plantagin. ceraſſ. nigr. borrag. bugloſſ. cinnam. cydoniat. add. ſyrup. acetoſit. citri, roſar. ſolut. ceraſſ nigr. rub. id. & ſpirit. nitr. dulc. Multam inſuper etiam efficaciam habet mixtura ſimplex parcius tamen camphorata, largius autem acidulata. *Potus* deinde ſufficiens concedi poteſt, imo debet, carpendus enim merito peſſimus ille mos eſt, quando uti in omnibus; ſic & in hac febre illum ex falſa perſuaſione *man ſtärcke das Fieber dadurch*, denegant.

Præparata & involuta ſubtiliori materia, tum hæc ſecundum ſubſequentem *Tertiam* indicationem placide leni diaphoreſi evacuetur, itidem per pulveres abſorbentes, diaphoretico fixos, aut eſſentias temperatiſſimas anti febriles, compoſitas ex eſſentia pinip. alb. ſcord. vincetox. caryo-

ryophyllat. &c Ego autem potius majori *ſecuritate*, præſertim *noſtratibus*, ſepoſitis omnibus *eſſentificatis*, mixturas leniter diaphoreticas ſuaderem, ex aquis deſtillatis, & pulveribus præcipitantibus & diaphoreticis paratas, ut v. gr. loco ſpeciminis talem;

Rec. aquarum deſtil. card. bened. ulmar. plantagin. ſcord. ſcorzoner flor. ſambuc ceraſ. n. naaph. flavedin. citr. ana unc. j. ceruſſ. antimon. ſcrup. j. lapid. cancror. citr. ana. drachm. j. ß ſpirit. nitr. dulc. drachm. j. M. f. Mra d. in vitr. ter per diem 2. cochlear. pro doſ. aut ſi quis ultro eſſentiarum uſum amat, ſic is huic mixturæ commode & tutius addere poteſt eſſent. pimpinell. alb. & ſuccin. ana. drachm. ß. vel fiat tale decoctum antifebrile alexipharmacum v. gr. recip. rad. cichor. unc. ij. ſcorzoner. unc. j. Hb. Scord. veron. ſcabioſ. ana. man. ſemis. ſummit. millefol. flor. ſambuc. ana pug. j. cort. citr. recent. drachm. ij. pulp. citr. drachm. iij. Lapid. prunell. drachm. j. aven. excort. unc. j. mixt. decoqu. cum menſur. iij. aqu. font. levi ebullitione.

Methodus autem ſpecialior hæc eſt: per diem decocto tali alexipharmaco pro cujuſvis beneplacito inſtar potus ordinarii uti poſſunt, & cum *natura præparat*, medicus huic etiam inſiſtat operationi, ſi vero *evacuat*, tum commendatas mixturas adhibere poteſt diapnoicas, quando ſcil. æſtus remiſſior exiſtit, interpoſitis *temperantibus*, *analepticis*, *julapiis*, aliquando etiam *emulſionibus*, maximum vero juvat bonum regimen, quod ab inquietudine & nimio æſtu vacuum eſt, ſicut etiam omnes refrigerationes ſive internæ, ſive externæ, ſollicite evitandæ ſunt.

§. XX.

Excipit nunc *Quarta* indicatio in hujus morbi cura adminiſtranda, ut ſcilicet *ſymptomatum*, quorum ſupra ſummariam fecimus mentionem, & *virium* habeatur ratio, & videtur ſane ac ſi hæc principaliſſima eſſet operatio in hac adflictione ſingulis reliquis indicationibus attendenda; ſed ſubinde bene etiam notandum eſt, quod omnis labor artificis vel fruſtraneus, vel difficilis ſit, ni per *prædictas* alias indicationes huc via præparetur, totuſque decurſus febris legitime tractetur; haud enim commodius *conſequentia* mala *avertere* poterit artifex, niſi omnia leniori methodo ſuſceperit, quod enim *deliria* attinet, tum ſi æger ab initio remediis temperantibus, nitroſis, abſorbentibus citratis, potu ſufficienti & blando regimine diapnoico a medico adgreſſus fuerit, tum ultro aut deſiſtent, aut mitius adfligent, ſi autem ultra tempus permanent, dicta jam methodus continuetur, adhibitis externis rubefacientibus pedibus adplicandis, cucurbitulis cœcis, epithematibus diſcutientibus, unguento alabaſtrino, largiter Camphorato Spiritu Vin. Camphorato-crocato, aceto rutaceo, roſaceo, quibus etiam aliquando una vel altera guttula Olei. Papaver. expreſſ. addi poteſt, imo in ſubjectis robuſtis laudatur *electuarium* de ovo

cum

cum *nuce vomica*, ad ſcrup. j. pro doſ. Venæ autem raninæ non ita confeſtim incidendæ ſunt, niſi prius congruo tempore venæ-ſectio in brachio præmiſſa fuerit, hinc conſultius fuerit in aliquibus ſubjectis leniori irritatione narium cum ſtramine vel aculeo, aut modeſta ſcarificatione narium Hæmorrhagiam provocare. *Opiatis* vero, qui hæc deliria compeſcere conatur, videat ne ex *Narcotico* hocce remedio, evadet *necroticum*. Confer. *Magnif. D. D. Præſid. Specimem ultim. diſſert. de medicament. Operand. in Corpor. vivo. ſub titulo ſedativorum.*

Anginodea & *Aphthodea* vero ſymptomata, per interna dicta temperantia, & Alexipharmaca, perinde tractentur, uſu autem externo conducunt Gargariſmata ex ſpeciebus reſolventibus, abſtergentibus, & mitius adſtringentibus parata, vid. *D. D. Junckeri Conſp. Med. Tab. XXIX. ſub. Cautel. Numero* 7. imprimis eſſent. Pimp. alb. ſine vehiculo præſtantiſſimæ efficaciæ eſt, pro *Aphtis* autem demulcendis conducit linimentum ex melle roſaceo, addita eſſentia quadam balſamica, vel myrrhæ, ſuccini, vel dictæ eſſent. Pimp. alb.

Diarrhææ vero vel ſimplices, vel Dyſentericæ, nullo modo ſupprimendæ, ſed abſorbentibus, nitroſis, pilul. Stahlianis, tonicis ſecurioribus tractandæ ſunt, inter quæ eminet & eximiam utilitatem habet cortex Caſcarillæ, qui ſimul lenit, ſedat & diſcutit.

Viribus vero proſpicitur nervinis, Analepticis, ſuccis acidulatis, decocto ſcorzoneræ, & præ cæteris cardiacis eſſentia dulci Orphanotrophei Halenſis: è diæta, imprimis in patria *vinum* generoſum aliquantulum dilutum etiam non de nihilo eſt, quod facilius illic locorum concedi poteſt, quia eo adſueti ſunt.

Cæterum concurrentes aliquando complicationes *Petechiarum*, *Inflammationum*, *adfectus Cholerici &c.* conſultum quidem eſt illis debita methodo occurrere, quo iis convenienter artifex ſatisfaciat, nunquam tamen id fiat cum morbi principalis neglectione, plurimum vero in hac febre, uti antea monui, congruum & bonum valet *regimen*, quod ſub concurſu graviſſimorum Symptomatum graviter etiam turbari ſolet. Superato autem cum *Deo* morbo ipſo, tunc moderamen in *diæta* ſollicite illis inculcandum, ut per tempus domi ſe contineant, ne quo ullo modo ab aëris liberiori admiſſione, recidiva cauſetur inſperata.

Et ita hæc ſufficiant fundamenta principaliora, ne limites diſſertationis, tranſcendam. Hinc nihil amplius reſtat, niſi ut *Deo* T. O. M. pro præſtito ſuo auxilio, humillimas perſolvam gratias, cui & hunc laborem, & omnes reliquos meos conatus commendo, quo ſaluberrimus & ſperatus ſemper obtineatur.

FINIS.

JOAN.

CLXXI.

J. ANTON. JOSEPHI SCRINCI

ET

GUILIELMI BACHE

DE

FEBRI MALIGNA CASTRENSI GALLORUM,

QUÆ CUM INGENTI EORUNDEM STRAGE PER TOTUM REGNUM BOHEMIÆ MAXIME VERO PRAGÆ INTER EOSDEM GRASSABATUR.

Pragæ 1743.

HISTORIA FEBRIS GALLICÆ CASTRENSIS.

Quæ in Regno Bohemiæ, maxime vero Pragæ An. 1742. *inter eoſdem Gallos graſſabatur.*

§. I.

Historia Morbi.

MUlta deberemus de morbis Gallorum ſcribere, quæ hic experti ſumus, non paucas quaſdam paginas, verum integros tomos. Interim, quæ ad ſcopum noſtrum ſunt, breviſſime proponemus. Conquerebantur ergo Galli tribus, vel quatuor diebus citius antequam lecto affigebantur de virium plus minus proſtratione, aliqui eandem proſtrationem virium ſtatim experti, ad Noſocomia deportabantur. Præterea nauſeam, aut vomitum ad initium febrium experti ſunt, inappetentiam, capitis dolorem, calorem, ſitim, vigilias, deliria, tuſſim, catarrhum, veſperi ordinarie morbi hujus exacerbationem patiebantur, verbo: conſueta ſymptomata, ſicut alias in febribus malignis petechialibus nos omnes in his Regionibus Germaniæ experimur, illi pariter experti ſunt. Unum tamen ſymptoma præ aliis obſervabile fuit, & quo omnes ferme laborabant, nempe diarrhæa. Jam non dicam, quod apud unum ſymptomata remiſſiora, apud alterum graviora fuerint, aut, quod quadam varietate atque numero ſymptomatum in individuis ſe monſtraverint; neque dicam, quod in perituris fatalia ſymptomata pariter ſe monſtraverint, prouti alias ſe monſtrare ſolent in febribus malignis, unum tantum dicam, quod maxime notatu dignum eſt: quod Galli, licet in athmoſphæra noſtra fuerint, ubi ordinarie noſtri homines, dum febribus malignis corripiuntur, exanthemata ſive petechialia, ſive miliaria alba accipiunt; licet inquam Galli in eadem noſtra athmoſphæra fuerint, nullus imo nec unicus a medicis Gallis tractatus, (bene vero a noſtris) vel minimum exanthema accepit, & hoc tanto magis mirabile eſt, quod ſaltem ad minimum triginta millia infirmorum computare poſſim, tantum Pragæ exiſtentium, hocque morbo correptorum. Imo parum dixi triginta millia; nam ſaltem triginta millia hoc morbo defunctorum partim in urbe, maxima pars vero extra urbem ſepulta jacent. Aliquot enim magna Noſocomia ſaltem quinque (nam in omnibus etiam domibus jacebant) enumerari poſſunt; ut, magnum palatium, quod domus invalidorum vocatur, non procul ab urbe. In urbe vero ipſa

magnum Collegium R. R. P. P. Jeſuitarum ad S. Clementem, Collegium Jeſuitarum novæ urbis, Monaſterium & Templum Reverendorum Patrum Benedictinorum in Emaus, magna aula regia dicta, atque Hoſpitale Bavarorum, de aliis locis nihil dicam. Jam omni die rumor increbuit per urbem, in uno hoſpitali quadraginta, ſexaginta etiam nonaginta eſſe mortuos; ſi tantum decem computes, & per tredecim menſes; nempe a vigeſima ſexta Novembris A. 1741. ubi urbs expugnata fuit; uſque ad ſecundam Januarii 1743. ubi denuo liberata; ſi inquam tantum decem computes mortuos eſſe, in quolibet hoſpitali, ſic intra diem quinquaginta mortui ſunt; atque per integrum hoc tempus 19500. præter propter. Verum longe minorem numerum poſui, contra manifeſtam experientiam & veritatem, interim potius minorem poſui ideo, quia poſita veritate potuiſſet tantus numerus mortuorum ſuſpectus eſſe. Dicam paucis; pauciſſimi ex infirmis Gallis decumbentibus ſanitati reſtituti ſunt, qui vero evaſerunt; vix intra quadrantem aut medium annum vires recuperabant.

Cura Gallorum.

Cura autem varia & mira fuit; per quam medici Galli atque chirurgi ſuis ſanitatem reſtituere volebant. Primum ergo maximum & famoſiſſimum Gallorum remedium fuit; non dicam ferme in omnibus morbis; ſaltem in febribus quibuſcunque, ſine diſtinctione, etiam intermittentibus; venæ ſectio. In quem finem vero; aut quare hoc faciant, mihi non conſtat; interim taliter apud nos practicarunt, & quanquam a noſtris medicis audiviſſent, quod talis cura, non dicam experientiæ tantum; verum ſanæ theoriæ adverſetur, nihilominus pertinaciter ſuæ conſuetudini inſiſtebant. Potuiſſet eoſdem terrere infelix experientia, atque tantus numerus mortuorum, non modo hic Pragæ, verum per totum Regnum Bohemiæ; hæc omnia tamen Gallos perſuadere non poterant, ut ad methodum noſtram aliam aſſumant praxim. Venæ ſectionem non modo in omnibus febri maligna decumbentibus ſemel adminiſtrabant; verum octies, decies, decies ſexies & ultra; nempe ſaltem omni die ſemel; bis, ſi non ter, & ultra longe, donec patiens ſpiritum exhalaſſet. Præterea clyſteres pro plebeis ex aqua & furfuribus pro officialibus ex aliis, ut ſpeciebus: emolient., ſachar. oleo chamom. & ſimilibus parabant. Clyſteres hi non modo omni die, verum etiam intra diem ſæpius applicabantur, non obſtante, quod diarrhæa ferme continua patientes laboraverint. Præterea vomitoria ad initium ſtatim ſaltem ſemel applicabant, quæ ordinarie etiam ſexta, ſeptima; imo decima die repetebantur. Tertio: laxantia ex caſſia; ex rhabar. potiones mannatas & ſimilia in his febribus propinabant, & quidem alternis diebus. Quarto: emulſiones dabant etiam ſuis patientibus ex amyg-

amygdalis & ſeminibus frigidis. Quinto: pro catarrhis fuit univerſale remedium ſyrup. capill. vener. Sexto: quibuſdam etiam ſulphur. antim. certa enchyreſi præparat. propinabant. Septimo: pro potu ordinario ptiſana ex hordeo atque liquiritia fuit; pro cibo coryza cocta, atque diæta valde tenuis. Si multi in febres intermittentes incidebant, hos omnes cortice Peruviano ſive in infuſo, ſive in ſubſtantia curabant; quod mirum non fuerit, quod plures cachectici; hydropici, atque hectici facti ſint, & ita fatis pariter ceſſerint, ſaltem plurimi. Poſſem quidem adhuc diverſa alia remedia adferre; quæ Galli hic partim habuerunt, partim Gallis applicarunt, ſed nimis fuſus forem, illud tantum annotavi; quod a potiori practicatum fuit.

§. II.

Cauſæ.

Si de cauſis morbi hujus diſcurrendum nobis ſit, magna nobis proponuntur; cur enim tanta ſtrage hic Pragæ & per totum Regnum Bohemiæ ſine ullo inito prælio notabili exercitus Gallicus proſtratus eſt, & quidem tam numeroſus, qui quaſi totum Regnum Bohemiæ inundavit, maxima vero ex parte per morbos, & in ſpecie per febres malignas periit. Duplices aſſignari poſſunt cauſæ, *Divinæ* & *humanæ*. De divinis mihi ſermo non eſt; cum fori mei non ſit theologum agere, interim tot ſacræ paginæ exempla demonſtrant, quando *Deus* ſuos, atque electum populum tueri voluit, per varias ſtrages inimicos exercitus delevit. An non ſcis? an ignoras? quid in exercitu Zenacherib ſit factum? alia exempla ſcripturæ prætereo, cum mihi ut medico propoſitum potius ſit cauſas naturales inquirere, quia per eaſdem tanquam per inſtrumenta ſua author naturæ *Deus* ordinarie agit. Fuit quidem a ſupremo Gallorum Belli Marechallo Bellilio medicis Pragenſibus pro deliberatione propoſitum ſequens problema: *Quænam videantur eſſe cauſæ tantæ ſtragiis Gallorum, cum eidem Marechallo non appareat eſſe ordinaria febris Caſtrenſis.* Reſponſum autem fuit ſcripto a Facultate Medica Pragenſi datum, & cauſæ ſatis libere & vere expoſitæ. Nos vero jam non dicemus de Divina Nemeſi, quæ ultiones ſuas accepit, cum noſtri fori non ſit hæc indagare; verum ad Theologos pertineat; ſed potius in cauſis naturalibus manebimus, in quantum hæ ipſiſſimæ cauſæ inſtrumenta Divinæ Juſtitiæ eſſe poſſunt.

Penuria Rerum & iter Gallorum ad Germaniam, atque Bohemiam.

Audivimus intra hæc tempora, dum exercitus Gallis iter ſuum præparabat ad bella hæc hoſtilia intentanda, quod magna rerum penuria in Gallia fuerit, hinc corpora exhauſta magnam famem patientia ad oras noſtras appulerunt, quomodo vero fames, corpora ad motus putredinoſos diſponat, clarum eſt: dum deficiente novo chylo ſucci corporis noſtri, maxime ſanguis multum atteritur in maſſulis ſuis, fit alkaleſcens magis, hinc ob prævalens alkalinum principium, atque maſſulas factas minores per attritum, vel maxime ad novos inteſtinos motus concipiendos diſponitur; non enim afluente novo chylo oleoſo, mucilaginoſo, utique ſanguis antiquus in attritum majorem deducitur, & plures maſſulas alkalinas atque ſubtiles oleoſas producit. Iter longum atque continuatum, paria facit, imo concurrente duplici cauſa malum auget, nam motu circulatorio, per iter adaucto major fit attritus maſſularum ſanguinem conſtituentium.

Frigus.

Dum milites ſub tentoriis in libero campo degunt, atque caſtra ſua locant, frigus nocturnum male tecta corpora affligit, atque inſenſibilem tranſpirationem cohibendo ea mala producit, quæ ſupra attulimus in parte generali, quando noxas inſenſibilis tranſpirationis deſcripſimus.

Inordinata diæta.

Quid inordinata diæta fecerit Gallorum ad morbos hos producendos, modo conſiderabimus. Jam non dicam de venere, corpora debilitante, motum ſanguinis circulatorium imminuente, & per conſequens motui putredinoſo occaſionem dante; verum de cibo & potu inordinato dicemus. Galli enim ſive fame, ſive inconſueto clymate ſtimulante, enormiter voraces fuerunt, & quidem quandoque per inconſueta edulia; Gallum enim per urbem obambulantem finge tibi taliter; quod præter arma militaria, ſemper ollam pro eduliis in manibus portaverit. Jam non dicam, quod per ſeptem ſeptimanas, imo ferme duos menſes equinam carnem cum magna fame, atque horrenda rerum penuria (quæ nos adhuc magis torquebat) comedere debuerint. Quid enim ex his omnibus ſequebatur? quam cacochylia in primis viis, cacochimia in ipſa maſſa ſanguinea, & omnibus humoribus, unde repleto enormiter ventriculo cibi non digeſti ex mente Boërhaavii, naturam ſuam ſequebantur; qualem ergo? putridam nempe, in loco calido & humido, deficientibus viribus vitæ, quæ in aliam naturam edulia tranſmutare potuiſſent. Si hæc in primis viis ſint facta, in ſecun-

ſecundis non melius, verum pejus, hinc facilis apparet ratio; quomodo ad morbos putridos diſpoſiti fuerint. Jam non dicam de carne equina comeſta, ab initio cum nauſea, tandem, rabida fame ſtimulante avide; quid hæc ad putredinoſum motum ſanguinis excitandum contribuerit, nolo hic pluribus exagerare.

Vigiliæ.

Vigilias perpetuas; atque labores ad fortalitia extruenda, & periculum imminens avertendum ſuſtinere debuerunt. Hinc corpora vigiliis fracta conſumpto nempe liquido nerveo, & per conſequens imminuto ſanguinis circulo; magis apta reddita fuere ad motus putredinoſos concipiendos.

Sordities Gallorum & alia.

Inter cauſas etiam ſorditiem Gallorum ponimus, ſi enim vidiſſes Noſocomia tanto numero infirmorum repleta, imo in uno cubili tantum numerum infirmorum, qui; cum maxima ex parte diarrheas conjunctas habuerint, & ſordes ſuas ſæpiſſime ante lectos ſuos depoſuerint, ſic aliter fieri non potuit, niſi quod ingens fætor in Noſocomiis fuerit. Aër in clauſis cubiculis tot effluviis putridis repletus, partim ex ſtercoribus, partim aliunde ex corporibus infirmorum exhalantibus, denuo inſpiratus, tanquam efficax fermentum putredinoſum motum hunc ipſiſſimum in humoribus auxit; imo intrantes infecit, ſaltem maxima ex parte (morbus enim ille ſimul magnopere contagioſus fuit) imo per contagium in corpora propagabatur. Unicum audi exemplum, non tantum medici & chirurgi Galli: qui maxima ex parte infecti hoc morbo periverunt; quod pauciſſimi remanſerint; ex tanto numero medicorum, atque chyrurgorum Gallorum: verum etiam omnes noſtri medici, excepto unico, medicinæ candidati, atque ſtudioſi, qui ſe exponere debuerunt, infecti & mortui ſunt. Nemo ex his diu ſubintravit hoſpitalia; qui non infectus tandem brevi fuerit. Maxime autem conquerebantur in vita adhuc, jam in Domino defuncti ſuper fœtorem & ſorditiem Noſocomiorum, præterea mortuo uno, & lecto adhuc a ſudore madido, alter novus infirmus imponebatur. Et hæc de cauſis dicta ſufficiant, ad hunc morbum producendum; animi enim pathemata, timorem nempe perpetuum; nolo in apricum proferre.

§. III.

Epicriſis ſuper morbos Gallorum. V. S. Frequens.

Epicriſim noſtram in medium adferimus, ſuper nihil aliud, quam ſuper inconſuetam methodum Gallorum febres malignas tractandi. Primo ergo conſiderabimus tam frequentes venæ ſectiones, quas Galli adminiſtrarunt

ſtrarunt in ſuis febribus. Indicationes illorum neſcimus quidem, videntur autem omnes febres acutas pro inflammatoriis habere, hinc ad ſtaſes inflammatorias minuendas, & ne illæ ulterius augeantur, tot frequentes videntur facere venæ ſectiones. Nam impetu circulatorio imminuto, urgens à tergo ſanguis, tanta vi in vaſa minima capillaria impelli aut intrudi non poteſt. Imo etiam Galli nobis objecerunt, quod inter eoſdem nulla prodeant exanthemata, bene vero noſtra methodo curandi. Dicunt enim impetu febrili vaſcula minima ſub epidermide latitantia dilatari primo; ſecundo ſanguinem in hæc ipſiſſima vaſcula impetu febrili adactum, ultra eorum oſcula propelli, atque ſub epidermide extravaſari; omnia vero hæc impediuntur, ſi per frequentes venæ ſectiones impetus febriles retundantur. Verum tota hæc theoria falſa eſt, atque in maximam Gallorum perniciem ab ipſis Gallis inventa. Libenter concedo, multas inter eoſdem Gallos graſſari febres inflammatorias, utpote cum plethorici ſint, potui vini generoſi aſſueti; verum omnes febres acutas inflammatorias poſſe dici, aut pro fundamento inflammationem habere, falſum eſt, & pluribus inanitas hujus theoriæ demonſtrari poteſt. Jam modo conſiderabimus tantum, quam male tot frequentes venæ ſectiones adhibitæ fuerint, ad febres has malignas curandas. Primo enim falſum eſt, quod febres malignæ originem NB. ſumant a ſtaſi inflammatoria, unde non poſſunt pro febribus inflammatoriis ſimpliciter tractari, per conſequens nec tot venæ ſectiones adhiberi. Imo poſito, non conceſſo febres omnes malignas etiam inflammatorias eſſe, ſic adhuc locum non poſſunt habere tot frequentes adhibitæ venæ ſectiones; nam impetu febrili nimium retuſo ſtaſes illæ inflammatoriæ in minimis vaſculis diſcuti non poterunt, ergo inflammatio in gangrænam & ſphacelum tranſibit; quo enim alio inſtrumento, natura inflammationes ſolvit, niſi hoc ipſiſſimo ſanguinis motu circulatorio proportionato. Deinde cum febres malignæ pro primo ſuo fundamento non habeant ſtaſim inflammatoriam, verum motum inteſtinum putredinoſum atque ſpecificum in maſſa ſanguinea, ſic ruit totum fundamentum Gallorum. Quid enim ad motum putredinoſum cohibendum faciet repetita venæ ſectio? nihil, imo eundem motum putredinoſum plus augebit: nam motu circulatorio imminuto (qui tamen natura ſua reſiſtit motui putredinoſo inteſtino) motus putredinoſus augmenta accipit, unde malignitas augetur. Ut taceam maximam virium proſtrationem, quam tot frequentes venæ ſectiones cauſant, unde natura neceſſario ſuccumbere debet. Hinc apparet etiam ratio, cur Galli nulla acceperint exanthemata: nam tantopere retuſo ſanguinis impetu circulatorio, grummuli illi per putredinem producti, nunquam in peripheriam protrudi potuerunt; verum potius in ipſa maſſa ſanguinea manſerunt, atque ad vaſa capillaria partium internarum delata, ibidem hærentia manſerunt, ſicque gangrænas, ſphacelos atque mortem cauſarunt. Præſertim cum majori in quantitate in maſſa ſanguinea oberrantes, plures ſibi ad invicem adhæ-

adhærere potuerint, ſicque craſſiorem maſſulam conſtituere, quæ minus tandem proportionata fuit, ut vaſa capillaria tranſeat.

Vomitoria.

In progreſſu morbi adhibita vomitoria ineptiſſime applicantur, facillime enim inflammationem ventriculi, atque inteſtinorum cauſare poſſunt: deſtructo enim per motum putredinoſum ſanguine, ille minus aptus redditur, pro motu circulatorio debite ſubeundo, prouti etiam ad congruam miſcelam; omnium vero minime capax fiet, ut per vaſa capillaria circuletur (nam etiam in ſtatu naturali tardiſſime per hæc vaſcula circulatur) aut ſaltem cum magna difficultate. Quapropter irritato per vomitorium ventriculo, ſanguis talis fortius in vaſa ſanguinea ventriculi, atque inteſtinorum propellitur, & quia difficile vaſa capillaria tranſit, fortiuſque vero ſimul in hæc impellatur per vomitoria, facillime ibidem hærens manebit, atque ſtaſes inflammatorias producet.

Clyſteres.

Clyſteres cum diſtinctione debuerunt adhiberi, non ſuſque deque abſque omni diſtinctione, & quidem NB. tam frequentes: ubi enim aut putris cacochylia, aut crudorum humorum ex priori inordinata diæta apparatus in volumine inteſtinorum jacuit, ibi cum prudentia unus alterve clyſter applicatus locum habere potuit. Verum omni die & quidem repetiti clyſteres, non video, quid profuerint. Aut enim præſens fuit diarrhæa, ſic applicati clyſteres eandem auxerunt (ſive fibras irritando, ſive laxando) & vires magis proſtrarunt. Quodſi vero diarrhæa non adfuiſſet, ſic huic tandem occaſionem dederunt. Atque quod caput eſt, diarrhœæ in febribus malignis præſentes non tam ab infarctu primarum viarum a crudis humoribus originem ſumunt, verum potius a putredinoſa colliquatione maſſæ ſanguineæ. Unde ſi criticæ ſint, dum per clyſteres inteſtina irritantur magis, criſes ultra modum fiunt, atque laudabilem naturæ intentionem turbant, & vires nimium proſternendo in futurum naturam inhabilem reddunt, ad morbum reliquum ſuperandum. Si ſymptomaticæ ſint diarrhææ, tunc adhuc pejus eſt, quæ per tot injectos clyſteres potenter augentur, atque vires conſumendo naturam ipſam proſternunt, & ſic patientem ad mortem deducunt. Idem ſentio, imo fortiori cenſura perſtringendi medici Galli ſunt, quod laxantia dederint in febribus malignis. Libenter tandem indicationes ſciremus, quæ medicum perſuaderent, ut in febribus malignis laxantia det? Si enim fuerint præſentes diarrhææ, ſic laxantia ſtimulando volumen inteſtinorum, vel maxime affluxum colliquati ſeri putredinoſi ad inteſtina auxerunt, hinc vires ultra modum proſternendo naturam ſuccumbere fecerunt. Imo aucto affluxu ſeri putredinoſi (cui grum-

muli illi innatant) ad vaſa capillaria ſubtiliſſima inteſtinorum, ſtaſes atque exinde inflammationes, gangrenas atque ſphacelum harum partium introduxerunt; quod non mirum ſit, quod tanta quantitas militum mortua ſit. Et hæc pro tenuitate noſtra & propoſito compendio dicta ſufficiant &c.

FINIS.

CLXXII.

JOSIAS WEITBRECT,

DE

FEBRILI CONSTITUTIONE

PETECHIZANTE PETROPOLI

ANNO MDCCXXXV. GRASSANTE

Regiomonti 1736.

CAPUT PRIMUM.

Hiſtoria Morbi.

§. I.

PRimo quidem hoc tene: *Incepit* febris noſtra phlegmatica & petechizans, *ſub ipſum* anni *principium*, & *eodem* ferme *tenore* continuavit per menſes Februarium, Martium, Aprilem. Primo anni trimeſtri tempeſtas *humida & procelloſa* regnabat. Menſe Aprili ac Majo ingeſſerant ſe morbilli & variolæ. Illos magis *ſcarlatinam* febrem dixiſſes; hæ *benignæ* erant, & methodo *Sydenhamiana* facillime curabantur. Menſibus Majo, Junio, Julio non niſi leves efflorеſcentiæ ſine *notabili* commotione apparebant: Æſtas erat *calidiſſima* refocillante ventorum frigore nonnunquam temperata, & *conſtans.* Auguſto & Septembri *priſtina* redibat conſtitutio, ſymptomatis *qualitate iiſdem*, ſed *non* tanto ægrorum *numero*: ingruebat autem aër magis *varius* ac *frigidus.* Octobri & Novembri *pleuritidis* ac febris continuæ ſimplicis *faciem* induebat; donec tandem Decembri forma ſua poſtliminio rediret.

§. II.

Invaſit hæc lues abſque diſcrimine *ætatem quamcunque*, homines ac feminas, *plus* tamen *feminas* quam homines; atque ita, ut utriuſque ſexus *adultiores* non ſolum numero *reliquos* ſuperarent, ſed *gravius* etiam decumberent, imo plane ſuccumberent.

§. III.

Quamvis autem numerus decumbentium in ſe *non adeo magnus* eſſet, nec morbus, ad *cujuſque* ſortis homines penetraret; ſiquidem nonniſi *cives*, victui non adeo crudo aſſuetos, & eos quidem maximam partem indigenas, tantummodo ſporadice invadebat, e contra ex quingentis ægrotis, qui in Noſocomiis Petropolitanis, tam marinis quam militaribus, quotidie degunt, *ne unicus* petechizans reperiebatur: hoc tamen nomine febris *epidemica & contagioſa* haberi meretur; quia *ſingularibus* ſymptomatis ſtipata erat, *nec* tum temporis *ullus alius* morbus, niſi quos ſub finem anni (§. I.) ingruere dicebam, ſe exeruerat, & denique, quia, ſi quam domum intraverat, non prius decedebat, quam *omnes propemodum* ex familia aggreſſa fuerat.

§. IV.

Morbus ipſe ſequentibus ſtipatus erat ſymtomatis. Ægrotans ab *initio* non niſi *laſſitudinem aliqualem*, *tenſiones* rheumaticas & vagantes, *anguſtias* circa præcordia, *dolorem* capitis, *gravedinem* vel *coryzam*, & *tuſſim* perſentiſcebat. Quædam horum remittebant, quædam augebantur uſque dum circa veſperam *febris* ipſa, *horripilatione* in his, in aliis rigore vehementiore, cum ſubſequente *calore æſtuve* ac *ſudore* manifeſtaretur, cui ſeſe dolor capitis *acutiſſimus*, *anxietates* tenſivæ circa præcordia, & debilitas *ſumma* adſociabant tamquam *individui* comites, & ſi cephalalgiam excipias, nonniſi ſub ipſum finem morbi, & cum illo ſenſim evaneſcentes. Urina plerumque ſedimentum deponebat fere *roſacei coloris*, in quibuſdam *albi* ac *furfuracei*.

§. V.

In *augmento duplex* morbi ſchema adparebat. In quibuſdam efflorescebant *petecchiæ*, ſeu maculæ rubræ, pulicum morſibus ſimiles, in his minores, in illis latiores, vario coloris gradu rubentes; in aliis iſtiuſmodi maculæ plane nullæ, ſed illarum loco, morbo diutius decurrente, & quidem in ſolis feminis *purpura*, ſeu puſtulæ miliares, in puerperis *ſolæ rubræ*, in reliquis indiſcriminatim, *albæ* & *pellucidæ*, aut ſolæ, aut rubris interſtinctæ. Petecchiæ plerumque die *quarto* & *ultra*, atque in iis, qui calidiori utebantur regimine, citius; purpura rubra *undecimo*; alba ſerius decimo quinto, imo *decimo octavo* demum prorumpebant. Maculæ *vix diem unum* alterumve durabant; puſtulæ contra ad *decem* uſque dies perſiſtebant. Petechizantes febrem experiebantur continuam quidem, ſed tamen *mitius* & *ordinatius* exacerbatam: purpuraſcentes autem paroxyſmis valde *irregularibus feracioribuſque* vexabantur. Imprimis feminæ dolorem capitis, atque anguſtias illas pro *affectu hiſterico* habebant. In *utraque* morbi ſpecie *promiſcue* aderant pro diverſitate ſubjectorum pulſus *parvus*, *citus*, in aliquibus *intermittens*, *ſitis*, *inquietudo*, *jactationes*, *vigiliæ*, *ſudores* ingruentes, urina magis ad *naturalem* accedens, alvus hic *adſtricta*, ibi *libera*.

§. VI.

In morbi *ſtatu* omnia (§. 4. 5.) plerumque *pejora*; *vigiliæ* continuæ; *ſomnolentia*; *phantaſmata*; *ſermones* inepti atque incongrui, aliique deliriorum *prodromi*; *iracundia*; *ſurditas*; *oculi* turbulenti & mucum potius tenacem quam veras lacrymas fundentes, *a luce* abhorrentes; *lingua* alba, ſubhumida, mucida; *dolor faucium* ac malarum; ptyaliſmus *incipiens*;

incipiens; *nares ſiccæ*; *tuſſicula*; *diarrhœa*; *urina* naturalis, & pallidior pro ratione reliquarum circumſtantiarum; *dolores* tenſivi *ſurarum*; *tremores* artuum; *ſubſultus* tendinum; in *morituris* ſudores vehementes; in *aliis temperata* tranſpiratio.

§. VII.

In *declinatione* ptyaliſmus ad ſanitatem uſque *durans*; purpura; in illis, qui *evaſuri* erant, paroxyſmorum febrilium *mitigatio*; pulſus *vegetior* nec adeo citatus; ſudor *periodicus allevans*; *caput liberum*; *ſurditas diminuta*; faucium ac præcordiorum *dolor* ſenſim *evaneſcens*; *alvus moderata*; urina *ſuſpenſam* in medio vitri *tenerrimam* membranulam, & *pulvere* quaſi *conſperſam* exhibens. In *morituris* contra, febris *quavis* periodo *vehementior*, ſudores *imminuti*, *coma*; *delirium*; doloris ullius *ignoratio*; lingua arida, aſpera, *nigreſcens*; alvus *adſtricta*; urina *pallida*, ex *improviſo* repetitis vicibus *copioſe* excreta, & *repente aquoſa*, ſignum *fatalis* metaſtaſis, & actus tragœdiæ ultimus.

§. VIII.

Qui ad *ſanitatem* rediere, illorum pauciſſimi notabili quadam & *ſpecioſa* excretione levabantur: unus vel alter ſudore ingenti perfuſus, vel urina turbida ac ſubſidente ſalutariter judicatus eſt. Quidam febrem *remittentem* mox vero *intermittentem* experti ſunt; & hi quidem *difficulter* at *perfecte* tamen reconvaleſcebant. In plurimis omnia organa ſecretoria atque excretoria *ſenſim*, ſed *lento* gradu, atque abſque *ſenſibili* commotione ad officia ſua redibant. *Moribundi* aut letargo ſepulti, ventre tumente; aut delirantes; aut repentina gangræna, uti ſectio docuit, in viſceribus correpti erant; & plerumque *abſque* ullo *ſudore* colliquativo die morbi *decimo quinto* exſpirabant.

§. IX.

Remedia, quibus ægrotos, qui meæ ſe curæ tradiderant, ſublevare, & periculo liberare conatus ſum, erant ſequentia, pro diverſitate ſubjectorum diverſimode exhibita: *Caſcarilla*, *camphora*, *cortex peruvianus*, *nitrum*, *mater perlarum*, *ſpiritus vitrioli*, *mixtura ſimplex*, *ſuccinum*, pulvis *e chelis cancrorum*, *cantharides*, *gargariſmata*, *enemata*, *potio* communis *purgativa* Sydenhamii. Labaſcentes autem vitæ vires ſuffulcire tentavi remediis *analepticis*, ſed veris, non imaginariis, qualia ſunt: *aqua florum tiliæ*, *acaciæ*, *aurantiorum*, *pulvis ad guttetam*, *amygdalæ*, *papaver*, *opium*, & quod omnium cardiacorum, diaphoreticorum, princeps dixeris, *vinum rhenanum*, ſed exquiſite *bonum*; quibus rite ſubordinatis *raro* deſtitutus exſpectato ſum auxilio.

CAPUT II.

CAPUT II.

Conjecturæ de origine & cauſa hujus febris.

§. X.

Difficilis eſt quæſtio: *unde*, non in genere *febres*, ſed ſpecialiter iſtæ *populares* & in locis multum diſſitis *eundem* fere *typum* ſervantes, *eadem medela* ſuperandæ oriantur? Si ex vulgo quæras, reſpondebit, frigus admiſſum fuiſſe corpori. *Sie haben ſich verkälter.* Plerique doctiorum certum quodpiam *miaſma* ſubtile naturæ inimicum, ex aere inde inquinato & conſpurcato deducunt, quod pro receptivitate ſubjecti effectus ſuos edat.

§. XI.

Hoc miaſma aereum locum forte obtineret in *iis* potiſſimum, ubi *nulla manifeſta* cauſſa allegari poteſt, quare hic & nunc, quod dicitur, ægrotent. Sed dantur alii, in quos illud agere non valet, qui tamen *tum* demum obnoxii morbo fiunt, quando aut ægrotantibus *aſſident*, & quidem in conclavibus juſto *calidioribus* ac *humidis*, aut illis *miniſtrant*, aut eadem cum illis *ſuppellectile*, culinaria imprimis, ſtraguliſve utuntur; cujus rei exempla plura expertus ſum, unde contagioſa morbi indoles (§. 3.) ſe manifeſtavit. Unde autem, qui *primi* ægrotabant hac noſtra febre, fomitem morboſum hauſerint, *hæreo:* partim, quod illa non ad *adeo ingentem* numerum civium penetraverat; partim quod ii, qui aeri quam *maxime* expoſiti eſſe ſolent, quales ſunt nautæ, & milites, quam *minimum* cum hoc morbo conflictabantur (§. 3.). Ut concludendum inde mihi videatur, aut plane *nullum* tale miaſma, aut illud ſaltim valde *mite*, *debile* ac rarum fuiſſe.

§. XII.

Fuere quidem aliqui, & in ſpecie *duæ* ancillæ *ſorores*, in eodem conclavi ſimul decumbentes, quibus *Hera* ſua miniſtrabat & *ipſa* poſtmodum correpta, quas malum ex aere hauſiſſe non adeo improbabile eſt. Illæ enim menſe Martio, cœlo frigido, tempeſtate humida ac procelloſa rure domum redierant, in quod abiverant ſepultum patrem ruſticum, ſeniculum, *eodem* morbo, ut iſtæ quidem perhibebant, defunctum. Sed primo hoc exemplum *non neceſſario* aerem miaſmate quodam peregrino inquinatum teſtatur, cum & *alius* quidam agendi *modus* ſubeſſe poſſit; deinde,

deinde, qui *omnium primi* ægrotabant, longe *aliis* occaſionibus morbum ſuum debebant, aut certe debere autumabant. Sub ipſum enim initium Januarii corripiebatur febre miliari *puerpera* ex difficillimo partu. Aliquot autem dies poſt accidit, ut in alia domo & Pater & Mater, & matris fratres duo, & filius duodecim annorum *uni* menſæ aſſidentes anguillam frixam comederent, unde *omnes* ægrotare, alter citius, alter tardius, inceperunt. Fratrum alter dies aliquot tantummodo languebat; alter hoſtem eadem ipſa adhuc hora propellebat, devorando decem integra piperis grana, & circum ambulatione ad ſudorem uſque corpus exercendo. Pater autem & mater, ambo ſexaginta quinque annorum & filius, febrem petecchiaſque exhibebant, unde parentes moriebantur, filius autem vix evadebat. Divulgatum erat fama, periiſſe hos homines *éſu anguillarum*; quamvis autem non negarem fieri poſſe, ut inde *occaſio* morbi nata ſit, cum & alibi (*a*) exempla proſtent piſcium cum periculo comeſtorum; quia tamen *typum* adeo accuratum *febris petecchizantis* præ ſe ferebat, ut tam ratione ſymptomatum, quam ratione termini mortis (§. 8.), ſubſequenti conſtitutione exacte reſponderet; numquam mihi aut aliis perſuadere paſſus ſum, omnem morbi culpam in anguillas devolvi debere.

§. XIII.

Quemadmodum vero in indagandis iſtiuſmodi cauſſis imprimis etiam *locorum ratio* haberi debet, in quibus talis morboſa conſtitutio regnat: ita hoc monitum ſpeciatim de ſitu Petropolis valeto. Eſt enim hæc urbs ſita ſede humili, humida, mari proxima, fluvii Nevæ alveis diviſis circumcincta, ipſi *aquæ*, paludibus, uligini ſuperinſtructa, *ventis* raro quietis undequaque expoſita ac patula; qua ratione partim aliquæ morborum ſpecies *avertuntur*, partim vero aliæ *inducuntur*. Dum enim ventorum *continuitas* ac vehementia *nulla* montium vicinia *intercluditur*: illi effluvia maligna ex paludoſis iſtiuſmodi locis evaporantia, ac ipſa putrida humidaque, ſimul *everrunt* atque *abducunt*, aeremque ſerenum ac purum reddunt; hinc rariſſime febres *tertianas* quartanaſve aut ſimiles ex aere ſtagnante deduci ſolitos morbos Petropoli deprehendes; imo, ſi fortaſſe in ægrotum talem incideris, ille ſi non febrem ipſam, certe fomitem ſecum ipſe ex Polonia, aut Oriente attulit. Hoc vero aliquale commodum pluribus aliis incommodis *obliteratur*. Non enim de eo nunc dicam, quod venti ipſi alias particulas corpori ſano æque nocivas, e. gr. *ſcorbuticas*, e peregrinis locis ad nos advehant, vel quod illorum *rapiditas* ac vehementia *calorem* a corporibus animalium ſibi expoſitis mira celeritate *auferant*: ſed potius de illorum *inconſtantia* ac *variatione*, & *ſpecifica* aliqua *frigida qualitate* pauca commemorabo, quæ forte uſu ſuo practico non deſtituuntur.

§. XIV.

(*a*) C. L. N. H. XXV. 1734.

§. XIV.

Tanta certe eſt ventorum *viciſſitudo*, ut maximam partem quovis die *triplex* ſaltem quadruplexve tempeſtas nobis imminere ſoleat. Sæpe poſt noctem tranquillam, ſole orto, ſurgit *Eurus*, qui ſimul cum hoc lumine verſus meridiem in *auſtrum* deflectit, donec ex oppoſita plaga *Zephyrus* aliquot horas furere incipiat, & nonniſi cum occaſu ſolis deſinat. Sæpe *ſuperficiem* terræ *aquilo* verrit, cum nubes in *ſuperiore* regione ex *meridie* ſeptentrionem verſus ferantur, quæ vero, vel eodem vel ſequente die, retrogrado curſu, vento priori obſequentes, procelloſo impetu in pluvias niveſve funduntur. Sæpe media æſtate te ex uno latere *æſtus* ſolis propemodum *extorret*, ex altero ventorum borealium irruentium *frigore* tantum non *necaris*. Raro *inſignis* calor *æſtate*, raro *intenſum* frigus *hyeme*, ultra *tres* dies durant, ſed utrumque mox & quaſi ex improviſo *remittit*, & quidem minime mediocriter aut lente, ſed gradu aut paſſu ſumme inæquali, ita, ut æſtate illis, qui tenerioris ſunt habitus, de cubiculis *igne* temperandis, & veſtibus mutandis cogitandum ſit, hyeme autem aura tepida nivem *regelet*, ut nec Itali mitiores brumas poſſint experiri. Atque hæ continuæ, & conſtantes dicam an inconſtantes, aeris, ventorum tempeſtatumque viciſſitudines non poſſunt non detrimentum valetudinis corporibus afferre vel ſaniſſimis. Diſcunt id ſuo damno multoties incautiores, qui veſtimento leviori *ſolis æſtum* arcere ſatagunt, ſed eo ipſo contra *aeris injurias* quam minime ſe defendunt. Hinc non niſi febres acutæ continuæ, anginæ, catarrhi, tuſſes, pleuritides ac peripneumoniæ, phthyſis.

§. XV.

Præter dictas (§. 14.) variationes ventorum, & ſimplicem inde ſequentem caloris abſentiam aut privationem, conſideranda mihi videtur *ſingularis* aliqua frigiditati ipſi ſuperaddita *qualitas* aeris commoti, quæ fortaſſe *cauſſa* proxima tam *congelationis* quam damni in corpora noſtra exinde redundantis haberi poteſt: in quam ſententiam ut deſcenderem, varia argumenta ſunt, quæ me commovere, & quorum *nonnulla* ſaltim indicare hoc loco ſufficiet. Nam primo quidem ſimplex frigidi aeris *admiſſio* nulla ratio *ſufficiens* mihi videtur effectuum, a refrigeratione vulgo deduci ſolitorum. Quamvis enim facile concedam, quæ Cel. *Boerhaave* (*b*) de vi ventorum in corpora animalium diſſerit: ſi quis tamen ultra ſimplicem caloris *ablationem* iſta extendere velit; Cl. *Jac. Keillius* (*c*) in homine veſtito *inſufficientiam* argumenti dilucide ſatis oſtendit; quin potius

(*b*) Vid. Elementa Chemiæ Ed. Lugd. pag. 192. 193.
(*c*) In Diſquiſ. de frigoris ſuſcepti cauſſa.

potius conſtrictiones *inflammatoriæ*, aut *enecatio* partium vel totius, quam ullum aliud malum inde ſequeretur: cujus rei, ingruente intenſo gelu, hic locorum quotidiana exempla proſtant. Deinde experientia docet, *non omne* frigus hanc nocivam qualitatem ſecum vehere, imo *maximum* frigus ſæpe *minime* noxium exiſtere: ſiquidem plerumque accidit ut in regionibus noſtris certum aeris frigidi gradum, atque illum quidem ſatis *intenſum*, imprimis ſi aliqualiter *conſtans* fuerit, abſque notabili *incommodo* per omne brumale tempus tolerare poſſimus. E contrario vero, cum frigus aeris ita remiſerit, ut nives in pluvias & glacies in aquam converti incipiant vel ſaltim vix perſiſtant, id eſt, quando mercurius in thermometro circa illum gradum hæret, quem aqua gelaſcens indicat; ſæpe turmatim illæ moleſtiæ corporibus noſtris inducuntur, quæ vulgo impeditæ per admiſſum frigus tranſpirationi attribui ſolent. Ut brevibus me expediam, non nego *phænomena*; ſed nego *conſequentias* duci *ſolitas*, nego *nexum* prætenſarum *cauſarum* & *effectuum*. Neceſſario igitur aliud ſuperadditum aeri frigido eſſe debet, cui tanquam cauſſæ effectus iſti tribuantur. Satis *dubitanter*, ſed meo quidem judicio, non ita improbabiliter *Keillius* l. c. *frigorificas* aeris particulas, quibus aqua glaciatur incuſat, utpote quæ non quantitatem humorum tranſpirabilium ſed qualitatem immutant. Eſt ſane longe alia conſtitutio *aquæ*, quæ reſoluto frigore e glacie *liqueſcit*, quam illius, quæ *recens* in *glaciem* erat converſa, quod fieri non poſſet, ſi non niſi nuda caloris abſentia aquam congelaſſet. Adeſt igitur aliquid in aere frigido *ſuperadditum*, cujuſcunque illud ſubſtantiæ denique fuerit. Latet ſane iſtiuſmodi particulis ratio, quare aqua non lente ſed momento, non ubique ſimul, ſed in ſuperficie ſola in glaciem convertatur. Latet in illis cauſſa phænomeni hactenus *inauditi*, quare nix & glacies *conſtantem* quendam & æqualem caloris gradum ſervent, ſi vel intenſiſſime *augeatur* frigus ambientis aeris.

§. XVI.

Quemadmodum vero cognitio noſtra nondum eo uſque procedit, ut *determinatam* iſtarum particularum (§. 15.) *figuram* aut *eſſentiam* aſſignare poſſimus: ita nec *modus agendi* in corpora hominum ſpecialiter patet. Nec *ſubjectum*, *in quod* agunt, an ſolida ſola, an fluida, an utraque ſint, nobis hactenus innotuit indubitanter. Hoc *unicum* ſenſu diſcimus, ita *affici* corporis noſtri *partem*, ut ſimul etiam *totum* trahatur in conſenſum; aliunde autem novimus, non affici ſolida, quin & ſimul fluida patiantur alterationem, quæ non neceſſario & ſimpliciter acceſſionem atque admiſtionem qualitatis alicujus peregrinæ ſupponit. *Quicquid* igitur ſubjectum ſenſationis ita *afficit*, ut ſpaſmi cieantur, & cohærentes partes ſimul vellicentur, humores autem a ſtatu ſuo deflectant: id omne

tanquam effectus hujus *cauſſa* admitti poteſt. Cum vero id tam a *figura*, quam interna conſtitutione ac *eſſentia*, itemque & a *modo* applicandi dependeat; nec *alterum* abſolutam *neceſſitatem* aut *contradictionem* involvat; ex effectu quoque ſolo principium actionis hujus ſtrictius determinare non licet. *Qualecunque* autem *principium* illud fuerit, illa ipſa partium ſenſilium *commotio* ac vellicatio ſufficiens plurimorum malorum fomes eſt. Hinc enim *ſenſu refrigerationis*, in corpore toto, etiam bene *tecto*; hinc *horripilationes*, non a ſuſcepto frigore, utpote, quod vix centeſimam ſuperficiei partem corporis attigit, ſed quia totum ſyſtema *cutis nervoſum convellitur*; hinc non impedita tranſpiratio, ſed *texturæ* & craſeos lymphæ *immutatio*; hinc emunctoriorum glandularumque non tam conſtrictio, (qui proximus frigoris effectus eſſe deberet,) quam potius *irritatio*; hinc non retropulſa in naribus, ore, palato, œſophago, trachea ſecretio, ſed accumulata humorum *congeſtio* & accelerata illorum *excretio*: hinc gravedo, coryza, catharri, tuſſes humidæ, pituita autem omnis ſalſa, acris, *rodens*; hinc febres non inflammatoriæ a turgeſcente ſanguine, ſed *phlegmaticæ*, lentæ, pulſu non forti aut magno, ſed *celeri* & parvo; hinc tendinum *ſubſultus*, & membrorum *tenſiones* dolorificæ, &c. hinc vera *origo* febrium iſtiuſmodi popularium petecchizantium ac *miliarium*.

§. XVII.

Erunt, quibus iſtæ *ſuperinductæ* aeri particulæ (§. 15. 16.) non placebunt: ſed nec mihi *viciſſim miaſma* placet. Erunt, qui contradicendi rationes prægnantes invenient:[a] ſed & mihi reſponſiones in promtu eſſent, ſi vacaret; nondum enim ad ſaccum & peram, quod ajunt, excuſſus ſum. Nemo autem putet, me de nomine ſolo diſputare; *particulas* dicat aut *corpuſcula*, au *vim*, quicunque id velit, hæ enim voces indifferentes ſunt; atque ubi primum definitionem rei *geneticam* inveneris, facile nomen cudi poterit. Hactenus in ſolis effectuum *phænomenis* ſubſiſtimus, donec in cauſſæ *naturam* intimius penetraverimus. Tum vero fortaſſe nec mea ipſa mihimet placebunt.

CAPUT III.

CAPUT III.

Conſideratio phænomenorum ſpecialior.

§. XVIII.

Dolor capitis, anxietas præcordiorum, laſſitudo* (§. 4.) plerumque *primas* morbi invaſiones conſtituebant. Quemadmodum vero dolor capitis ſæpe primis quinque diebus mirum in modum allevabatur: ita e contrario *anxietates* ſi non intendebantur, certe ſatis graviter *perſiſtebant.* Paroxyſmi autem uno alterove die adeo *ſubdole* ſe ingerebant, ut potius omne aliud, quam febris fomitem ſubeſſe putarés, ni pulſus *celer* rem prodidiſſet. Hinc in aliquibus omnis res adhuc intra *terminos horripilationis*, quando æger ſtragula dimovere aut ſurgere tentabat; & nonnunquam *caloris* mediocriter aucti, continebatur. *Hera* illa, (§. 12.) dum lecto quidem affigeretur, non adeo enormem patiebatur cephalalgiam; quin, ſanam ſe reputaverat, ſi modo per importunas illius inſtantias vomitorium mihi extorqueri paſſus eſſem: at ſi vel leviſſimis *jectigationibus* caput motitaret, aut plane ſurgeret; non niſi *vertigo* ſenſus occupabat, ægramque humi proſternebat. Alius ſenex nonniſi contra oppreſſionem pectoris remedia eadem poſcebat, quæ ipſi decem menſes ante in tali caſu præſcripſeram. Debilitas non modo a principio ad finem morbi, ſed etiam adhuc multo poſt duravit. Conſiſtebat autem illa in difficultate movendi membra artuſque, quæ ſine dubio non ab impedimento in articulationibus aut illarum ligamentis orto, ſed a prohibito influxu ſucci nervei in muſculos proveniebat.

§. XIX.

Dum *exacerbationes irregulares* (§. 5.) & nulla ſervata diei hora aut vehementia invadentes, non maculas ſed *puſtulas* miliares indicabant: hac ratione confirmatur experientia *Davidis Hamiltoni* (*d*), qui ſimiliter calorem & frigus ſe mutuo irregulariter excipere tradidit. Neque minus juſtam attentionem promeritum eſt illius monitum, ne per accidentia *hyſtericos* affectus aliqualiter æmulantia imponi nobis patiamur, atque ita in diagnoſi decipiamur, ſed potius eo ipſo contra nequitiam febris miliaris nos munire addiſcamus.

(*d*) In tractatu de febre miliari.

§. XX.

Purpura alba (§. 5. 7.) Ita ακυρολογως dicuntur puſtulæ candicantes, *limpidæ*, diſtinctæ a puſtulis *rubris* merito *miliaribus* dictis. Vidi in aliqua albas rubris circa pectus intermiſtas, magnitudine ſibi æquales; vidi in altera rubras ſolas; vidi in tertia albas ſolas, ſine ulla humoris flavedine, vere candicantes, abſque ullo ſtigmate rubello, magnitudine lentis dimidiatæ; ſed has mediocriter ſparſas, non cumulatas, & quidem circa ſolum pectus & collum. Fundebant albæ lympham tenuiſſimam, quando abſtergebantur, ita ut cuticula quaſi *putrefacta* poſſet detrahi, nec ullum veſtigium puſtulæ relinqueretur. Sin illibatæ ſervabantur, ſimiliter poſt unum alterumve diem omnis nota *evanuit*; dum e contrario puſtulæ miliares *ſcabritiem* quandam poſt ſe reliquerant. Ceterum obſervavi, puſtulas rubras, quum primum homo moritur, eo ipſo momento ſtatim albas videri, remota omni rubedine; hinc multi fortaſſe ex purpura alba mortui dicuntur, quos purpura rubra tamen necavit.

§. XXI.

Vigiliæ (§. 5. 6.). Anceps ſymptoma & moleſtum, ſed magis tamen periculoſa proclivitas ad ſomnum. Illud ex dolore lancinante continuo obortum, *inordinatum* motum ſpirituum animalium, *irritationem* εγκεφαλȣ, & determinationem uberiorem ſucci nervei ad ſenſoria organa indicabant; *ſomnolentia* contra, *congeſtionem* lymphæ intra cranium & extravaſationem minitabatur. Vidi, qui mortui ſunt etſi vigilarent, ſed paucos; tres ex anguillæ eſu decumbentes (§. 12.) ſomnolentia infeſtabat, quorum nonniſi unicus & quidem puer ſalvatus eſt: adeo dubie de morbi eventu exinde poterat judicari. Quodſi autem oculorum *turbulentia* cum ſubſequenti lacrymarum *pituitoſarum* excretione accedebat, quod in omnibus fere accidit, ſemper *bene* ſperare de *vigiliarum* decremento licebat. Ni igitur cephalalgia ſimul perdurabat, aut *deliria* funeſta *ſuperventura* eſſe metuendum erat, plerumque nihil ſpecifice opponebam; modo, quo uſus eſt Cel. *Stahlius* in caſu (*e*) ſimili.

§. XXII.

Lacrymæ, *ſurditas*, *faucium dolor* cum ſubſequente *ptyaliſmo prognoſticon* ſanitatis indubitatum conſtituere. Lacrumatio quidem & ſurditas ſolæ *non adeo ſtabile* ſignum extiterant, ſiquidem juvenis, de quo infra

(*e*) Vid. ejus obſ. Pract. quas edidit Goezius. Cl. I. obſ. 13.

ſra (§. 38.) dicam, quamvis laudabiles iſti nuntii aderant, nihilominus mortuus eſt; ptyaliſmus autem *nunquam* me fefellit. Excernebatur autem in aliquibus *pituita* magis lenta & mucoſa, in aliis puriſſima, ſpumeſcens ac tenuis *ſaliva*; cujus quidem excretionis ſalubritas uti cuivis attendenti luculenter patet, ita fateor, me non poſſe explicare, quare ſurditas pro laudabili ſigno habeatur, & vi experientiæ merito haberi debeat, ut in rationibus, quas ſubeſſe ſuſpicor, adquieſcam? etſi cauſſam ſurditatis facile cum aliis aſſequar.

§. XXIII.

Tuſſicula, *dolores ſpaſtici ſurarum*, *ſubſultus tendinum* vagi, (§. 6.) uti hæc temporaria accidentia eandem cum reliquis doloribus cauſſam arguebant; ita indicabant inprimis materiam peccantem adhuc *vagantem*, in vaſis adhuc contentam, nec in ſede quadam ſpeciali fixam, hinc facilius a partibus nobilioribus derivandam. Cedebat autem tuſſicula non ita dictis pectoralibus, ſed externis fotibus calidis; reliqua veſicatoriis.

§. XXIV.

Diarrhœa (§. 6.) ſi intra terminos *moderatos* conſiſtebat, ſemper plus levaminis quam damni afferebat. Etſi enim non pro abſolute critica haberi poterat; ſiquidem, illa non obſtante, febricula cum exanthematis nihilominus ſuo tramite decurrebat: tamen non oportebat illi imprudenter reſiſtere; imo potius omnis opera danda erat, ne e contrario alvus adſtringeretur, ſed ſemper laxa perſiſteret. Hinc omnino ex monito *Hamiltoni* (*f*) in hoc caſu, ſi moderata eſt diarrhœa, quæcunque adſtringentia & opiata exulent; quia, ut recte judicat, ſæpenumero ſatis eſt materiæ tam in ſedes, quam in puſtulas diſtribuendæ, & hæc excretio tum demum periculoſa evadit, quando tanta eſt, ut eruptionem puſtularum aut lochiorum fluxum impedit. Ego vero *nimiam* quoque diarrhœam, etſi *periculoſam*, non tamen lethalem deprehendi; cujus quidem rei *femina illa*, de qua (§. 12. 18.) mentionem feci, tale exemplum mihi præbuit. Videlicet dolor capitis immodicus perdurans & obſtructio alvi *determinaverant* me, ut *enema* injici conſulerem ex aqua, miſta cum lacte & pauxillo olei. Provocabatur hinc ſedes una vel altera non ſine notabili præſenti levamine. Hæc agebantur die morbi ſexto. Patiens rei ſucceſſu felici excitata ſollicitat maritum, ut altero mane diei ſc. ſeptimi medicinam repeteret. At vero inde non ſolutio alvi, ſed totius propemodum inteſtinorum tractus plenaria effuſio, dum intra ſex horas

(*f*) In tractatu citato.

horas ſaltim vicies dejiceret. Cognoveram inde & memineram *nequiſſimam* (*g*) febrem. Nam quæ ante ita debilis fuerat, ut pedibus inſiſtere non valeret, jam nunc hac excretione ita frangebatur, ut vix linguæ compos, vix movere artus, jectigare corpus ne vix quidem poſſet. Accedebat aliqua animi moroſitas, quæ voce rauca terribilior evadebat. Adſtantes ipſi alias cariſſimos aut negligebat aut objurgabat, & omnia, quæcunque agebantur, in malam partem interpretabatur; non ſine quadam ferocia; infallibili teſtimonio, ſe ſenſuum internorum detrimenta capere. Quis inde non omnia exſpectabat funeſtiſſima? cum per morbi indolem hoc die ſeptimo nondum exſpectare liceret illius ſolutionem, nec ipſa hæc diarrhœa, utpote *nimia*, & virium neceſſariarum *diſſipatrix*, faciem ſalutariter criticam præ ſe ferret. Interim tamen fatalis hora nondum aderat: ſiquidem continuato *caſcarillæ* uſu, adjunctis, quæ pro virium proſtratarum inſtauratione (§. 9.) indicabantur, *analepticis* remediis id obtinui, ut die nono ac *decimo* intra *binas* ternaſve dejectiones tota hæc formidoloſa excretio ſubſiſteret. Alia adhuc eſt circumſtantia, quæ attentionem merebatur, *alvus involuntaria*. Sæpe in acutis *malum* hoc ſignum eſt. Sed didiceram ſenſim in hoc morbi genere, terriculamentum potius eſſe, quam terrorem juſtum: depoſui igitur præjudicium. Supponit quidem involuntaria hæc actio animum omnium rerum obliviſcentem, ignorantem, ſed non ſemper, nec ſummo gradu, a quo tamen omnia dependent. Aliter ſe res habet in phrenitide, ubi inflammatio intra calvariam in propinquo eſt, aut jam adeſt; aut ubi totum corpus generaliter convellitur, & nulla non excretionis organa ad motum quendam quaſi valedictorium ſollicitantur.

§. XXV.

Urina (§. 4-8.) cum ſedimento lateritio comes eſſe ſolet intermittentium: ſed fateor, me talem nunquam inveniſſe in hoc morbo, nec a principio, nec in fine ægritudinis, etſi tum paroxyſmi intervallis ſatis notoriis ingruebant. Quæ autem de colore & conſiſtentia urinæ in his febribus petecchizantibus commentatur Cl. G. H. *Kramerus* (*h*), nimis vage mihi dicta videntur, quia cereviſia alba ipſa nec omnis, nec in omni ſtatu eundem colorem præ ſe fert; optarem igitur, ut *Vir*, alias *accuratiſſimus*, ſimile quodpiam magis ſtabile, imo magis notum, nec paucis regionibus alligatum, in medium produxiſſet. *Hujus* tamen, quod memorat, phænomeni *veritas*, experientia confirmatur, quod nimirum *color* urinæ numquam ad illum *rubedinis* gradum evehatur intenſiſſimo licet quoque calore; ad quem pertingere ſolet in aliis febribus *inflam-*

(*g*) Vid. El. Camerarii diſſ. de nequitia febr.
(*h*) Comm L. N. Hebd. 2. 1734. nr. 4.

inflammatoriis. In ſtatu morbi ſolo *claritas* aderat urinæ naturalis, non tamen perfecte ſtramineus color; nec quicquam exinde pro vaticinio haurire licebat, niſi quatenus continuantibus his qualitatibus indicabatur, *nullam* adhucdum mutationem morbi *adeſſe* aut inſtare. Quando ſenſim color *ſaturatior*, cum *nubecula* vel minime & in medio ſuſpenſa apparebat, ſemper *optima* quævis ſperanda erant, etſi nihil adhuc ſubſideret; at vero, ſi *pallidior* evadebat urina, ſemper *metaſtaſin* oportebat metuere, quæ periculoſa erat *pro nobilitate* viſceris; ſæpe enim diarrhœa *innoxia* ſubſequebatur, qua remittente urinæ quoque color priſtinam faciem induebat.

§. XXVI.

Specioſæ excretionis (§. 8.) unicum afferam exemplum, ob alia concurrentia accidentia *memorabile.* Dantur homines, qui hoc vel illo morbo, hoc vel illo tempore ſe morituros eſſe, & ſibi & aliis perſuadere volunt. His terrentur plerumque adſtantes & familiares. Interdum eventus præſagio reſpondet, cujus exempla memoratu digna invenis in egregiis obſervationibus Henrici ab Heer. Sed *ægrota noſtra*, quam aliquoties jam (§. 12. 18. 24.) allegavimus, ſimilem metum eluſit. Hæc enim poſt continuas quatuordecim dierum vigilias, nulloque criſeos inſtantis ſigno, valedictione & benedictione ſuorum facta, rebuſque quas poſt mortem ſuam fieri vellet, compoſitis, ita ex abrupto quaſi, jam ſe morituram dormire velle aliquot dies dixit, prohibuitque, ne quiſpiam turbare eam auderet. Dictum, factum. Claudit oculos, ſciſcitantium nulli reſpondet, aërem ſpirat ſatis æquabiliter, caleſcit, inprimis in facie, per totam noctem, *ſudatque* puſtulis *albis* ad lenticularum magnitudinem circa collum & in pectore paſſim prorumpentibus, *pulſantibuſque* arteriis & *venis* (*i*). Duravit hic inſenſibilis ſtatus uſque ad veſperam ſequentis diei,

(*i*) *Singularis eſt hæc circumſtantia, quæ omnino adtendi meretur. Pulſabant autem venæ rhythmice, ſicut arteriæ ſolent, non tremebant ex alia qualicunque cauſſa; non per minutum temporis vel horulam unam aut alteram, ſed per integrum* νυχθήμερον, *donec morbus perfecte judicatus erat. Verbo: phænomeni nullum eſt dubium. Non enim mea intereſt, ut quicquam fingam; cum perinde mihi eſſe ſoleat, ſive propoſitionis alicujus affirmativa ſive negativa vera ſit, modo veritas conſtet. Interim, quia hæc res, ut hiſtorice prolata, nonniſi experientia nititur; puto, fidem haberi mihi poſſe, qui phænomenon non per traſennam, ſed deliberata mente oculiſque a ſcientia anatomica directis intuitus ſum. Quemadmodum vero factum nude ut hiſtoriam propono: ita plane non audeo conſectaria inde deducere, quæ unica experientia nituntur, multo minus novam theoriam motus ſanguinis, (quod multis ſolenne eſt, ſi quid ſemel extra ordinem naturæ viderunt) affectabo. Crediderim vero obſervationem hanc ab aliis corroboratum aliquando iri; ſiquidem ipſe in alio quodam ſubjecto antea id animadvertiſſe mihi viſus fueram. Quia autem fallax lychnorum claritas noctu impedibat, ne ſenſibus omnino fidere poſſem: nolui ad hoc quoque exemplum provocare, ſed in unico potius adquieſcere malo, quod pleno & claro meridie obſervare mihi contigerat.*

diei, qua ex improviſo e lecto ſe proripiens in alium proxime adſtantem eſt coacta, ne muſſitans quidem, niſi quod peracta melodia quadam lugubri indignabunda effutiret: *Sie wollen mich mit gewalt tod haben*; denuoque in priſtinum ſtatum relaberetur, in quo uſque ad matutinum tempus diei tertii perſtitit. Tanta autem *ſomni* hujus & *ſudoris* fuit euphoria, ut, cum tertio mane ægra ad ſe rediret expergefacta, non nudam ſanitatis futuræ ſpem concipere poſſet, ſed illam jam ipſo facto poſſideret; dum ſymptomatis reliquis, ſola laſſitudine excepta, ſublatis, omnia ſecretionis & vitæ organa functiones ſuas debite inſtaurare perſentiſceret. Atque ita ſalvata eſt hæc ægrota ex *bonitate naturæ* potius, quam medicamentorum virtute; quæ partim ultimis diebus in ſolas vires conſervandas dirigebantur, partim ipſa denique decimo quarto die jam plane omittebantur, tantum abeſt, ut ſudoriferum propinatum fuerit. Num vero materia peccans per puſtulas quoque eliminata fuerit, hæreo: certe reſpiratio moderata, ſomnus tranquillus, pulſus fortior quam in toto morbi decurſu unquam fuerat, color faciei floridus, manuum, vaſorumque in illis reptantium humectata quædam extumeſcentia, ſudor & mador calidus etiam artuum extra ſtragula prominentium; *hæc omnia*, puto, ſatis indicant, naturam vigore quaſi novo irritatam intendiſſe, lympham morbidam æquabili humorum motu inſtituto per peripheriam corporis excretione copioſiſſima depurare; *puſtulas* autem non niſi *accidentaliter* criticas & ſalutares elevatas fuiſſe.

CAPUT IV.

Methodus medendi.

§. XXVII.

FEbricula, *dolores*, *ſpaſmi*, cauſſæ horum phænomenorum occaſionales, *evacuationes ſeroſæ* a natura ſibi relicta inſtitutæ (§. 4 8-10-16.) indicarunt non ſolum *indolem* morbi, ſed & ſimul *viam* commonſtrarunt, qua eundum erat feliciter *curaturo*. Quapropter id unicum agebam, ut *lympha* a ſtatu ſuo deflectens ad priſtinam temperaturam & miſturam cum ſanguine *reduceretur*, & per organa ſua convenientia *expurgaretur*, ne *acrimonia* ſua & lentore convulſiones totales, ſtagnationes, atque inflammationes gangrænoſas, putridas, alcalicas in corpore produceret. Quicquid his indicationibus ſatisfaceret, adhibendum duxi; quod repugnaret, exulare juſſi. Neque ſymptomatis eſſentialibus aliud quidpiam ſpecialiter oppoſui; niſi quatenus ad iſtas indicationes pertineret. Quis enim eſſentialia morbi tollere poteſt, quin & ſimul morbum ipſum tol-

lat?

lat? Hujus autem indoles cum ita comparata ſit, ut ſua *ſtadia* decurrat: hinc etiam ſymptomata illa, quæ characterem morbi conſtituunt, ante determinatum tempus tolerari quidem, non vero tolli poſſunt. Ita e. g. anxietas præcordiorum nullatenus me movebat; ſiquidem certo certius, repetita experientia mihi perſuaſum erat, hoc ſymptoma tandem evaniturum, ſi modo æger intra præſcriptum moderamen tam ratione medicamentorum, quam diætæ ſe contineret: niſi in nonnullis ſubjectis dandum aliquid vehementiæ morbi, & obſequendum precibus patientis duxeram, ut difficile hoc accidens quodammodo mitigare ſatagerem. Grave enim eſt medico, audire ſollicitationes ægrotorum, præſertim cum abſurda poſtulent aut impoſſibilia. Fit inde aliquando, ut de remediis cogitet, a quibus abſtinuiſſet, ſi patientia ſola, quæ ſola etiam ſæpe ſufficiens eſt, uti licuiſſet. Sed de medicamentis (§. 9.) ipſis ſtrictius mentem meam paucis exponam.

§. XXVIII.

Principio de iis verba faciam, *a quibus abſtinui. Vomitoria* nunquam dedi. *Venam ſecavi* ſemel, & quidem virgini viginti annorum, plethoricæ, ad hæmorrhagias narium pronæ & pulſum vehementiorem, quam in aliis ſolebat eſſe, habenti. Atque hæc quidem ſalvata eſt. Sane ſi nulla alia methodus hunc morbum debellandi ſuperfuiſſet, actum de pluribus ægris fuiſſet. At vero, quamvis iſta *duo* adminicula pro ſacra anchora habeantur, ad quam confugere licet in febribus acutis continuis ordinariis: jure tamen illa hic *exulare* debere arbitratus ſum. Neque me commovit cœcum quoddam & nimis ſcrupuloſum judicium autoritatis ſcriptorum practicorum, qui in iſtiuſmodi morbis hanc medelam rejiciunt. Sed partim *conſideratio* omnium *phænomenorum*, cauſarum, ac ſymptomatum tale conſilium ſequi juſſit, partim in quovis fere individuo *ſingularis* aliqua circumſtantia ſe ante oculos poſuit, ne quo tali ancipiti remedio uterer. Ita e. gr. ad illos, qui ex anguillarum eſu ægrotare credebantur, non niſi quinto die acceſſi, poſtquam proprio motu purgans tertio die jam aſſumſerant. His igitur anguillas *vomitu* revocare, certe fuiſſet *inſanire.* In *femina* illa (§. 12.) tanta aderat anxietas, ut, ſi uſquam, certe in ipſa vomitorii actualis efficaciam expertus eſſem, quia plura indicantia concurrerant. Aſt fluebant *catamenia.* Quia igitur crebrioribus uteri hæmorrhagiis, & paſſionibus hyſtericis, ad epilepticos motus uſque ſæpe erat obnoxia: indicationes meæ ita determinabantur, ut ſi omnia alia tentarem, certe vomitorium omitterem. Similiter nulla ratio ſufficiens aderat, quare *venæſectio* adminiſtraretur; ſed ab illa me plerumque partim ſenilis ætas, partim juventus, partim brumale tempus, partim pulſus exilitas inæqualitaſque, partim infidus urinæ color avocarant. Quod quidem ad vomitoria attinet, facile aſſen-

ſum a me obtinet G. S. *Stahlius*, qui (*k*) omni rationi contrarium putat, ſi quis ſibi perſuadere velit, quod materia ſubtilis, *halitus forma* in corpus inſinuata, & humoribus præcipuam efficaciam ſuam exſerere ſolita, craſſi muci aut cujuſcunque *proluviei ſpiſſioris* inſtar, e reliquo corpore & in humoribus univerſis per ventriculum aliquot vomitibus *exonerari* poſſit. Sive enim materia illa ſubtilis conſiſtat in miaſmate quodam ſpecifico, ſive in ſingularibus quibuſdam particulis cum aere frigido allatis: in hoc tamen mihi cum *Stahlio* convenit, quod primo ipſa *maſſa* humorum & in ſpecie lympha *turbata* ſit, deinde, quod iſtæ anguſtiæ nonniſi ſenſatione *ſpeciali & locali* differant a reliquis doloribus, ſpaſticiſque tenſionibus in capite, pectore atque artubus, & hinc revera a ſtrictura & convulſione nervorum circa præcordia potius, quam a ſimplici congeſtione humorum intra vaſa, aut colluvie in ipſo ventriculi alveo ſqualente derivandæ ſint. Qui igitur in tali caſu vomitoria exhibet, ſpaſmis ſuperaddit ſpaſmos, & oleum igni affundit, fatalemque ſucceſſum non morbi malignitati imaginariæ, ſed perverſæ methodo imputare debet. Poſſet ratiocinium ſimile adplicari ad venæſectionem, ſi vacaret. Fuere, qui nulla habita ratione genii & indolis morbi, utpote quam ignorabant, non una ſed repetita vice venam ſecabant, ſed eo ipſo mortem certo certius, non dico, *accerſebant*, ſed omnino accelerabant. Cum enim, qui moriebantur, ſibi relicti, aut caute tractati, nonniſi decimo quinto die morerentur: illi contra hunc terminum non exſpectabant, ſed mox quinto, ſeptimo, undecimo fatis cedebant.

§. XXIX.

Caſcarilla & *Cortex Peruvianus*, duo notiſſima ſunt febrifuga, ut plura verba facere de illis ſuperſedere poſſim. Neque me illi liti immiſcebo, quæ inter plures celebres medicos propterea gliſcit. De plantatione & vegetatione arborum, unde hi cortices ſumuntur, parum hactenus nobis innotuit, imo de Peruviano plane nihil; quia Hiſpani ſolertiſſime cavent, ne quid inde cum reliquis Europæ gentibus communicetur. Quæ autem de virtute illorum novimus, ex effectu deducimus, atque ad experientiam pertinent. Utar jure aliorum. En igitur quæ per ſeptem annos didici. *Caſcarilla* atoniæ ventriculi, ni a cauſſa aliena, ſed a diuturna conſuetudine vomendi provenit, mire ſuccurrit. In febribus *peripneumonicis expectorationem* ſublevat. In febribus *phlegmaticis*, quales noſtræ fuerant, *pulſum* debilem *vegetiorem* reddidit, *diarrhæas* ad *moderamen* reduxit, & pedibus, poſt morbum *intumeſcere* ſolitis *robur* naturale reſtituit. Concludo exinde, agere hunc corticem tam in *ſolidas* partes, quam in *fluidas*, & quidem ſpecialiter in *lympham*, tam *demulcendo*

acri-

(*k*) Loco citato.

acrimoniam, quam texturam *alterando*. Medium terminum, credo, quærentes facile invenient. Dare ſoleo in *ſubſtantia* pulveriſata ad grana decem, intervallis trium, quatuor, ſex horarum, pro ratione reliquarum circumſtantiarum. Aliquando ſolam eſſentiam exhibui, quum nimirum ægri pulverem nauſearent. *Famoſus* autem ille *cortex peruvianus* eminenti modo ſuam præſtitit energiam. Quia enim ea animo meo inſedit ſententia, illum non ſimpliciter adſtringendo, ſed ipſam lymphæ craſin (ſimiliter, ut caſcarilla, gradu tamen efficaciori) alterando operari, & hinc indicationibus meis, quas ex conſideratione cauſſarum conceperam, omnino ſatisfacere debere judicavi: illum eo audentius in auxilium adhibueram, quando virtute caſcarillæ neceſſaria deſtituebar. Et quidem primo cum in ſummis *anxietatibus* una alterave doſi hos ambos cortices jungerem, ægroti mirifice inde ſe *ſublevatos* prædicarunt. Deinde id ſingulare commodum attulit, ut, cum *irregulares* paroxyſmi ægrotum dies noctesque impeterent, medicinæ hujus doſi vel unica, vel ad ſummum ſemel repetita, exacerbationes in ordinem *redigerentur*, & magis æquabili commotione decurrerent; unde *virium conſervationem* obtinui, quæ in iſtiuſmodi inſultibus turbidis vehementer frangi ſolebant. Denique etiam obſervaram, *reliquias* febriles, ſuperato & judicato ſalutariter morbo, debilitatum corpus vexantes, ſoli cortici *cedere*, præſertim, quia amiſſæ vires lentam reſtitutionem aut plane ulteriorem enervationem abſque vitæ periculo minime permittebant. Atque hoc *ultimum* beneficium in omnibus febribus continuis, quæ in remittentes aut plane intermittentes tandem terminantur, Petropoli ſecure poteris exſpectare; id quod per vivos teſtes jam aliquoties ad oculum demonſtravi refragantibus. Dixi ſupra (§. 13.) raro apud nos inveniri febres intermittentes; hinc parum occaſionis eſt, corticem adhibendi. Si quæ tamen ſufficiens ratio occurrit, quæ me ad ejus uſum determinavit, publice hic teſtor, me nunquam ſiniſtrum vidiſſe effectum, quales illi remedio vulgo imputari ſolent. Sunt, qui adhibere quidem illum non dubitant, ſed *purgantia*, & alias, neſcio quas, præparationes præmitti debere volunt. Sed multi dantur caſus, in quibus iſtiuſmodi *cautelæ* manifeſta *damna* inferunt, tantum abeſt, ut utilitas aliqua ad ſalubritatem tendens inde redundet. Fateor, ſi multis *cruditatibus* ſcateant primæ viæ, neceſſe eſſe purgantibus: ſed multoties iſtiuſmodi *inquinamenta* in *imaginatione* medici potius reſident, quam in corpore ægroti. Deinde per purgantia ſæpe ſæpius magis morbus exaſperatur, & humores intimius contaminantur, ut eo difficilius fomes febrilis eradicari poſſit, cum antea levi negotio principiis obſtitiſſes. Denique tanta ſæpe eſt paroxyſmorum vehementia, ut vires vitæ amplius non pares ſint ſuſtinendis ſequentibus, ni cito ſuccurratur remedio generoſo; multo minus prudenter actum eſſet, ſi evacuantibus vires porro frangere, & tempus & medendi occaſionem inutiliter negligere velles. Ita autem me gerere ſoleo, ut primo *nulla re*

 illum

illum commiſceam, niſi vehiculi titulo aliquid addere velis: quid enim artificio opus eſt, ubi natura ſufficit? Deinde malo dare *pulverem*, quam ullam aliam formam: quamvis enim nauſeabundus videatur; tamen ægri, poſt unam alteramve doſin gratum & aromaticum potius, quam faſtidioſe amarulentum ſaporem in illo deprehendere ſibi videntur. Tandem exhibeo methodo Sydenhamiana, *partitis vicibus*, immediate *poſt declinationem* paroxyſmi antecedentis, idque tam diu, donec nulla veſtigia redeuntis exacerbationis appareant. Tum vero denique quovis *mane* doſin *unam* imperare ſoleo, nec prius deſiſto, quam *criſis* ſive per ſalivationem, ſive per ſudores male olentes, ſive per diarrhæam, ſive per aliquam quamcunque viam facta plane abſoluta ſit, ſiquidem experientia docet, omnino aſſentiendum eſſe Albertino, (*) qui ſemper evacuationem quamcunque effici nunc tardius nunc citius, uſu corticis peruviani arbitratur. Peracti autem criſi tali; purgato, per me, corpora, quantum velis: nihil enim erit, unde recidiva metuenda ſit.

§. XXX.

Camphora a longo tempore innotuit inter celebriores Medicos, tamquam excellens remedium ad abigenda deliria in febribus malignis. Ulterius ejus laudes evehere nuper ſtuduere Tralles, (**) Werlhofius, (cujus tractatus de febribus quam vellem ut jam ad oras has noſtras perveniſſet,) aliique in morbis peripneumonicis. Ego in hac noſtra febre petecchizante & puſtulari hanc eandem medicinam adhibere nullus dubitavi: hoc tamen diſcrimine, non ut deliria debellarem, ſed ut *præcaverem* inſtantia. Nec mea ſpe unquam excidi. Imo ſanctiſſime aſſevero, nullum ægrotum fuiſſe mortuum, cui Caſcarillam & Camphoram in principio & augmento morbi diligenter propinavi; nullum perfecte deliraſſe, cui camphoram & cantharides adhibui. Et ſane, ridicula an deploranda? videtur *methodus* illorum, qui talia remedia tum demum in uſum vocant, quando *deliria* jam *invaluerunt.* Quam *bonum* eſt, ægrum *mente* ſemper *conſtare!* quam *male* igitur agis, ſi ea non avertis, quæ mentem *turbare* poſſunt. Impoſſibile eſt, ut prudens Medicus deliria non prævideat: qui igitur hoc nomen tueri vis, quare hoſtem admittis, quem abigere facile poteras, & quem poſtea difficulter, imo ſæpe plane non ejicere vales? Exhibui autem hanc medicinam plerumque ita, uti jacet, duo, tria, & quatuor grana, quia emulſiones non ſatisfacere videbantur indicationibus meis; & cum cortice caſcarillæ miſcui. Quando ægrorum palato pulvis non arridebat, mixturam ſimplicem cum eſſentia caſcarillæ propinare ſolebam.

§. XXXI.

(*) Comment. Ac. Bonon. 1731.
(**) Vid. Comm. L. N. 1734. N. 33. 34. 47. item 1734. N. 4. 10.

§. XXXI.

Spiritum vitrioli inſtillavi aliquorum potui ad fallendam ſitim. Sed accidit inter ejus uſum, ut duo ægri perpetuo *vomerent*, idque per aliquot dies, cum euphoria. Id in memoriam revocavit partim commentationes Ill. *Stahlii* (*) in Elixir polychreſtum Halenſe, partim Methodum (**) Gallorum inter copias ad Rhenum, vi cujus Ypecacuanhæ *uſum repetitum* ægrotis ſuis injungebant. Quamvis autem ipſe talem medicinam adhibere nollem, ob prægnantes rationes; tamen fateor, illam non adeo irrationalem videri. Siquidem per iſtiusmodi repetitam evacuationem ſed moderatam & facilem glandulæ ſtomachi atque œſœphagi ad excernendam pituitam ſollicitantur, atque idem efficitur ac ſi glandulæ oris ac palati ad citatiorem excretionem laceſſuntur. Neque enim ad talem methodum adplicari poſſunt, quæ de vomitoriis (§. 28.) dixi, quia ibi de *intentione* medici, qui *ſaburram* tamquam febris *fomitem* ſub *initium* e ventriculo *ejicere* ſatagit, ſermo eſt; hic autem in *decurſu* morbi, glandulæ ſtomachales ad evacuationem lymphæ *criticam* determinantur.

§. XXXII.

Nitrum, *Mater perlarum*, *pulvis e chelis cancrorum compoſitus.* En omnia mea *diapnoria* & *ſudorifera.* Ultra rariſſime aſcendo, nec in febribus acutis intra hos ſeptem annos ſeptem drachmas pulveris aut eſſentiæ aut electuarii bezoardici Theriacalis conſumſi. Si ex natura morbi ſudore opus eſt, ille certe prorumpet ſine tua opera, dummodo definitum tempus exſpectes. Sin aliam natura viam intendit, quare tu artem nocivam affectas? Sin properare velis impatienter, ægrotum in ignem & gehennam conjicis. Solæ puſtulæ miliares poſtulabant, ut ſudorem ingruentem, debi is intervallis, paullo liberalius, methodo Hamiltoniana proliceres atque inſtigares.

§. XXXIII.

Commendat *Hamilton*, ut artus trementes *oleo* vel *eſſentia ſuccini* illiniantur. Feci id aliquoties; quia autem ſimul veſicatoria quoque in auxilium vocaveram: neſcio, cuinam potius rei effectum fauſtum tribuere debeam. In hunc eundem finem, cum veſicatoriis locus non erat, pulverem ad *Guttetam* cum Camphora, ſemper cum *levamine* adhibui.

§. XXXIV.

Cantharides; Optarem, ut prudens aliquis medicus, & qui in obſervando *habitum* ſibi acquiſivit, hoc thema ſibi ſumeret, ut in actionem veſica-

(*) l. cit. obſ. 14. 15. (**) Commerc. L. N. 1735. N. 23.

veſicatoriorum, & in ſpecie cantharidum, *utilem* aut *novicam*, ſolertius inquireret, & in commentarios referret, quo morbi tempore, quibus ſymptomatis vigentibus, quo corporis loco, qua quantitate, *cum fructu* (non forte ex aliis remediis concurrentibus, aut ex ipſa morbi indole illiusque determinata cooperatione, ſed) ex ipſo hoc actu immediate *ſequente*, aut *cum damno* illa applicare experiretur. Sed flagitarem, ne rem ageret ex hypotheſi, hoc eſt, ex principiis & proprietatibus veſicatoriorum nondum demonſtratis; ſed ſola *experimenta* colligeret, *ſuſpenſa* tantiſper phænomenorum *explicatione*. Animadverti, nimio ſæpius hoc remedium in abuſum verti, & quæ de hac materia ſparſim ſcripta ſunt, vix credo ſatisfactura eſſe cauto practico. (*) Dicam in compendio, quid mihi hactenus occurrit. Tres certiſſimi, & proximi effectus emplaſtrorum veſicatoriorum, cantharidibus ſaturatorum ſunt hi: primo, ut in loco, ubi applicantur, ſi apparatus omnis recte ſe habuit, debitumque regimen obſervatum fuit, *cuticula* a cute ſubjacente *ſeparetur*, deinde, ut *humor* aliquis flaveſcens *proliciatur*, atque ita quidem, ut ſi cuticula in margine circumquaque firmiter adhæreat, veſicula aut una magna aut plures diſtinctæ formentur, humore iſto turgentes. Fiunt hæc duo infaillibiliter in corpore vivo: ſi omnia nempe tam *remedium*, quam *apparatus*, recte ſe habeant. Nego enim vera eſſe, quæ vulgo dicuntur, veſicatoria non agere, ſi morituro applicentur. Non nego fieri poſſe, ut aliquando non agant: nego, id accidere ex fatiſcentibus corporis viribus. Semper deprehendi, aut *diſſolutas* apparatus ligaturas, aut remedium *male* præparatum, aut ægroti *jectigationes*, aut *nimis præcipitem* remotionem potius, quam quicquam aliud in culpa eſſe. Taceo, *mori*, ubi ſat amplas veſicas nactus eras; *vivere*, ubi male ceſſerat applicatio. Tertius effectus eſt *perceptio doloris* in loco, ubi applicantur, ſi quidem ægrotus mente conſtiterit, aut ſaltim non multum deliret. Ex illis enim, qui magno furore aguntur, vel caro ſepulti jacent, aut nullas doloris querimonias audies, aut paucas, & quidem non niſi eo tempore, quo aut veſica integra multum lymphæ & diu contineat, ut acrimonia ejus per calorem aucta extremitates vaſculoſas nerveaſque vellicet, aut, rupta veſica, impoſita linteola vulnus fricent. Et hi quidem ſunt effectus proximi phyſici, omnibus veſicatoriis communes. Sunt alii duo, qui ex his immediate ſequi videntur. *Afficitur* hoc modo totum ſyſtema *nervoſum*, & *minuitur copia lymphæ*. *Plura* mihi certo non conſtant. Qui in *ſpecie* de cantharidibus efferunt, provenire iſtam vellicationem a *ſpiculis ſalium* cauſticorum, queis etiam lympha incidatur & reſolvatur; illi multa ſupponunt, pauca demonſtrant; qui vero in *mictum* cruentum provocant, *fallaciam cauſſæ* committunt. *Efficacia* autem *practica*, & ad morbi conſtitutionem *innocua*, *ſalutaris* aut *nociva*, valde dubia eſt. In febribus acutis

(*) Vide tamen Diſſert. *Ernſt. Heinſii* de Cantharidibus, ſub præſid. *Bernh. Albini.*

acutis *inflammatoriis*, *καυσω*, pulſu vigente, æſtu humores depaſcente, veſicatoria exulare debent. Ubicunque inflammatio cerebri aut jam facta eſt aut proxime inſtat, in phrenitide, in pleuritide, jam delirantibus & muſcas captantibus, effectu irrito imo nocivo applicantur. Quando cerebrum & principia nervorum ab externa cauſſa, ut, impreſſo cranio, extravaſato ſanguine, &c. premuntur, fruſtraneo conatu adhibentur. Hinc talibus ex cauſis *apoplectici* facti iſtis *minime* commoventur aut ſublevantur. Qui veſicatoria ſuris aut femoribus applicant, dum indicationes capiti aut nuchæ imponere jubent, oleum & operam perdunt. In febribus acutis *phlegmaticis*, quando morbus viget, deliria levia ſunt & brevia, cutis arida eſt, & tenſiones aut vellicationes in corpore hinc inde vagantur, id eſt, dum cauſſa convellens adhuc intra vaſa permeabilia continetur, mobilis eſt, & humorum circulationi obnoxia, tum veſicatoria tuto & cum euphoria adhibebis; ſi jam fixa erit & impacta in loco quodam anguſtiori, accumulabis obſtructiones, & leviter delirantem in furorem & convulſiones lethales conjicies. Si veſicatoria indicantur: applica illa *ſine mora;* hac enim methodo ſi non avertes deliria, certe mirifice *minues*. Iterum teſtor, nullum eſſe mortuum eorum, quibus cantharides mox in principio morbi, ſecundo, tertio die, applicui, indignantibus licet nonnunquam ægrotis & adſtantibus, qui non niſi in ipſis deliriis id fieri debere autumabant. Hac ratione obtinui plerumque caput ſublevatum, vigilias ruptas, ſalivam copioſam. Si vero aut ægroti pertinacia victus, aut ſubdola ſymptomatum lenitate deceptus, rem procraſtines eo uſque, donec Hannibal ad portas ſteterit; tum plerumque conclamata res eſt, & cancrum lepori aptas. Sæpe animam prius efflatam vidi, quam ſatis temporis ſupererat, ut cantharides ſuam exercere actionem poſſent. Si morbus pro ratione temperamentorum & ſubjectorum, lente & difficulter, tuto tamen, procedat: abſtine, ut ab omnibus impetuoſe evacuantibus, ita ab veſicatoriis; quod enim fieri poteſt per pauca, non debet fieri per plura. In perturbationibus criticis ſi pulſus exilis de naturæ debilitate teſtatur, nec tamen ſigna moribundorum adſunt: oportet illam incitare veſicatoriis; ita enim materiam peccantem, vagantem, a loco nobiliori derivatam figes, nec effectu ſperato deſtitueris. Si criſis inſtet bona, & vis vitæ ſufficiat: noli turbare motus ſalutares per veſicatoria. Hæc de medicina iſta in febribus acutis. De affectibus chronicis taceo, ne nimis a tramite meo deflectam.

§. XXXV.

Gargariſmata per ſyringas injecta adeo neceſſariam curæ partem conſtituebant, ut ſine illis *nullum* ſalvatum vidiſſem. Hiſce enim fauces puras, a muco liberas, glandularum orificia patula, fibrillasque illarum ad excretionem diſpoſitas obtinui: illis autem omiſſis omnia difficulter procedebant. Quanti autem momenti hoc fuerit, facile intelligunt, qui, in felici ſali-

vatione (§. 22.) plurimum ſalutis poſitum fuiſſe, conſiderant. Quapropter non eouſque exſpectavi, donec exſcreationes jam incepiſſent, ſed ſi vel minima doloris ſuſpicio ſe prodebat, mox eluere fauces cœpi. Plerumque levi & ſolo mellis decocto uſus ſum.

§. XXXVI.

Enemata, quemadmodum in aliis febribus continuis, ita in ſpecie in hac noſtra febre utilitatem non contemnendam præſtiterunt. Dolor capitis, ſæpius ad miraculum uſque, inde evanuit. Eo ipſo autem, quia enematum uſus fere *univerſalis* eſt, atque inprimis apud Gallos adeo ſolemnis eſſe ſolet, ut, propter abuſus ſuſpicionem, vix evitent, quin fabula fiant calumniatoribus; eo ipſo, inquam, mirari ſatis non poſſum, quare Argentoratenſes (*a*) in lue ſua epidemica, hoc artificium ab *anicula* edoceri debuerint. Hos igitur oportet, Matronas iſtiuſmodi e catalogo medicaſtrorum in poſterum expungere.

§. XXXVII.

Vinum, a cordatioribus medicis ſemper pro confortativo inſigni habitum fuit, & in poſterum habebitur; quamvis multi, veritatem hanc agnoſcentes, in praxi tamen, ab uſu ejus abſtineant. Infelix medicus in patria mea, cujus æger moritur, quum vinum propinare auſus erat in febre. Perdidit ille tali actione, ceu vento diſperſam & eruditionem & famam, tam apud vulgum, quam apud collegas, ex alterius ruina gloriam ſibi ſtruere ſtudentes. Non meum eſt nunc, uberius explicare, *quare* & *quibus in caſibus* ad hanc panaceam recurrendum ſit, quia id partim cauto practico & principiis phyſicis diligenter inſtructo per ſe ſatis luculenter patet, partim vero ab aliis (*b*) jam factum eſt. Et quidem, cum ad umbilicum jam perducta hac diſſertatione, his diebus in Bibliotheca Imperatoria oberrarem, incidit in oculos meos liber ſingularis, de quo hactenus nullibi quidpiam legi, aut legere memini: idea febris petecchialis Laur. Donckeri, qui autor, e Carteſianorum, uti mihi videtur, ſchola, ſyſtemati ſuo ſatis convenienter & graviter hanc de vini uſu materiam perſtrinxit, illiuſque tam utilitatem quam neceſſitatem demonſtravit. Ingenue fatendum eſt, veritatem ſcripſiſſe iſtum virum. *Vinum exhilarat* & recreat *cor hominis*, & *plura* præſtat, quam ab *ullo* alio ita dicto *cordiali*, utut ſpecioſiſſimo nomine inſignito, exſpectare poteris. Suggerit robur virium, quod in margaritis & lapidibus animalium fruſtra deſiderabis. Et qualis quæſo conſequentia? Vinum exæſtuat atque exagitat ſanguinem, ſi illo te ingurgitaveris: ergo non propinandum

(*a*) Vid. Commerc. 1735. N. 8.
(*b*) Vid. Roſ. Lentilii Miſcellanea.

dum eſt illud ægro languenti. Nocet, eluere vino inteſtina: ergo nocet, refocillare labaſcentes ægri vires pocillo. Et *hic* tamen omnis *nervus* contradictionis eſt. Valeant omnes calces & lapides vel pretioſiſſimi, valeant omnes eſſentiæ vitales, dulces, ſolares, bezoardicæ; quibus nil niſi crumenam patientis emulges. Aut enim tanta exhibes doſi, ut effectum aliquem, tranſpirationem puta majorem, vel ſudorem, obtineas, tum liquida adeo neceſſaria vitæ diſſipas, & indicationem vitalem bene quidem agnitam peſſundas: aut ad guttulas & granula ſcrupuloſus es; tum multa agendo nihil efficis. *Das heiſſt recht, den Peltz waſchen und nicht naſſ machen.* Annon igitur præſtat, ægrum ſudoribus jam *exhauſtum*, & gravitate morbi pene *ſuccumbentem*, potu diluto, ſed ſpiritibus naturæ amicis repleto *ſuſtentare*, humorum motum facilitare, & *viribus vitæ*, a quibus victoria dependet, *pabulum præbere*? Quemadmodum vero hunc finem a margaritis & ceteris lapidibus nunquam obtinebis: ita multo minus illi laudandi ſunt, qui moribundo & agonizanti, viatici loco quaſi, iſtiuſmodi panaceas cochleatim infundunt, ita tamen, ut maxima pulveris pars in fundo vitri remaneat. Suſtentatur videlicet vita qualitercunque. Concedo, ſi vehiculum fluidum, tenue, fragrans, ſpirituoſum fuerit. Hac cautela neglecta omnis labor irritus erit; quantumcunque lapidem tuum moveris. Omnium minime vero excuſari poſſunt illi, qui omnia plane potulenta ab ægrotis arcent, & facile patiuntur, ut lingua in faucibus exareſcat. Vidi triſte tale exemplum in homine, qui mortuus eſt die ſeptimo, antequam vocatus adventaram, & cui, qui medebatur, vix guttulam liquidi conceſſerat. Miſereatur Deus ignorantiæ medicaſtrorum, vel potius carnificum iſtiuſmodi, qui omnia pejora promeruere.

§. XXXVIII.

Opium: papæ, *horrendum* nomen! *Itane homines occidis?* Sed audi quoque argumentum. Drachma opii lethalis eſt: ergo quindecim guttulæ laudati liquidi Sydenhamii ægrotum necant. Petrus & Paulus opium ſumſerunt, cum ægrotarent ex phthyſi, ex aſthmate convulſivo; & mortui ſunt: ergo ex opio mortui ſunt, reſtinguis quidem & compeſcis ἀταξίαν ſpirituum animalium, ſomnum inducis poſt quatuordecim dierum vigilias, colligis & conſervas vires vitæ; hoc eſt: omnia ea præſtas, quæ facere oportet ad conſervandam ſalutem hominis, imo ſcopum quæſitum obtines; (quis enim phænomena ſucceſſus felicis negare poteſt?) ſed necas tamen ægrotum. En egregiam conſequentiam, contradictoriam, & multoties experientia refutatam! Longe prudentius ratiocinati ſunt doctiſſimi ac ſagaciſſimi Viri, *Sydenhamius*, G. E. *Stahlius*, aliique emunctiorum narium practici, quorum cautelas qui fideliter ſequitur, opiata nunquam abſque fructu in uſum vocabit. *Nemo ſolis opiatis ullum morbum ſanabit; ſed plurimi quoque ſunt morbi, quos nunquam cito & tuto curabis ſine opiatis.*

§. XXXIX.

Præter dicta remedia (§. 9.) pauca alia fuere, ad quæ nonnunquam recurri. *Columbæ vivæ diſſectæ*, capiti applicitæ; *epiſpaſtica* ex fermento panis & aceto, *acetum roſatum* ad carpos, *unguentum alabaſtrinum* & ſi quæ fuerant reliqua hujus furfuris, quæ a variis circumſtantiis requirebantur. Effectus laborum plerumque fuit exoptatus, cognita morbi indole. Antequam vero id fieret, accidit mihi, quod cautiſſimi practici experiri ſolent, ut principio febrium epidemicarum evitari vix poſſit (*c*), quin aliqui moriantur. Succubuere igitur vi morbi duo illi patientes ſenes (§. 12); mortuus eſt alius juvenis, cui venam ſecaverat chirurgus die tertio. Inveneram hunc die quinto delirantem, vociferantem, trementem, toto corpore convulſum, pulſu cito, debili. Uſu caſcarillæ & camphoræ, adplicitis columbis, quietior factus erat, ut, quamvis die ſeptimo ſudor colliquativus, ſubſultus tendinum, delirium, pulſus exilis, nil niſi inſtantem mortem teſtari viderentur, nihilominus tamen ad ſe rediret. Sed quia vires fractæ, deficiente neceſſaria curatura, nullo modo ſuſtentari poterant, undecimo die fatis ceſſit. Fæmina 30 annorum ſub finem puerperii, cum in rus abiiſſet & aëri inclementi, Auguſto menſe incaute ſe expoſuiſſet, purpura rubra correpta undecimo, naturæ debitum ſolvit decimo quinto. Huic quidem a principio ad finem adſtiti. Sed nec camphora, nec veſicatoria, nec gargariſmata, nec alia neceſſaria in uſum ſunt vocata; partim quod ægrota primos morbi inſultus pro affectu hyſterico haberet, cui obnoxia eſſe ſolebat, & hinc prognoſtico meo fidem adhibere nollet; partim ob alias cauſſas, quas reticere præſtat, ne cuiquam ſtomachandi occaſionem præbeam; quippe qui facile patior, ut ſuo quiſque genio abundet.

(*c*) Vid. R. Lentilii Miſc.

FRIDERICI

CLXXIII.

FRIDERICI BRANDHORST,

HISTORIA FEBRIS CASTRENSIS PETECHIALIS EPIDEMICÆ.

Leydæ 22 April. 1746.

PROOEMIUM.

Cum primo bello Sileſiaco Magni *in omnibus Boruſſorum Regis, Domini mei Gratioſiſſimi, Caſtra per Sileſiæ Ducatum, Margraviatum Moraviæ, & Bohemiæ Regnum comitarer, ſedulo noſocomia ſub auſpiciis expertiſſimorum Virorum frequentando, & medicinam ipſe dein exercendo medicus Noſodochii Kuttenbergenſis conſtitutus, varias obſervationes circa morbos, quibus exercitus numeroſi plerumque decimantur, facere mihi licuit. Præprimis vero innumeris exemplis conſtitit ex hactenus cognitorum numero nullum, præter vulnera, (quæ ſunt militiæ præmia) majorem ſtragem edere magiſque militibus funeſtum eſſe, ac eam continuarum febrium, quam propter macularum rubrarum ſibi conjunctam ſemper eruptionem, petechialem vocant. Hæc enim cum primum caput extollat, ferociſſimo hoſte crudelior tot ſine ullo diſcrimine genuinos martis filios ſimul intrepide aggreditur, tantaque ſævitia graſſatur, ut ſat multos in orci familiam deducat, antequam caſtra deſerere, receptuique canere ſoleat. Hæc fortes non modo & ſtrenuos viros, a ferro ac igne ſuperſtites, ſed & effœminatos ac imbelles pari furore invadit diriſque modis excruciat, adeo ut raro militem ab expeditione reducem videre poſſis, qui niſi ſæpius, ſemel tamen hac febre conflictatus fuerit. Hæc tandem celebris hinc ſeu potius infamis, quod & eas civitates & oppida in quæ militares copiæ ad hibernandum ſe recipiunt, occupet ac inficiat, atque ibi more iſtius hoſtis, qui diu ſibi negata quam obſidebat arce vi potitur, primo impetu nemini parcit, ſed omnibus quibus occurrit optimis licet civibus vim infert, & interitum eis minitatur. Quanta veritatis luce de febris hujus genio dicta radient, magno verborum apparatu ac argumentorum vi ſtabilire non adnitar, quamquam facili id negotio fieri poſſet; cum non modo per ſolidos fere duos annos, aliquot militum millia ea laborantes viſitaverim, ſed & ipſe ejus ſævitiam cum vitæ periculo expertus fuerim. Id tantum curæ cordique erit ut Tibi B. L. brevem, veram, & ab ægris ipſis deſumtam ejus hiſtoriam pro Specimine academico exhibeam. Quam ut pro mea virili abſolvam, morbi invadendi modum, ejus ſymptomata, ſigna tam bona quam mala præmittam, cauſſam deinceps & proximam & remotas eruere conabor, denique quæ curationem ejus ſpectant ſubjungam. Si vero quæ promitto B. L. minus eleganter ac artificioſe te judice exequutus ſum id velim tenuitati ac, præciſo mihi otio tribuas. Vale interim & ſi lubet.*

Da veniam ſcriptis quorum non gloria nobis,
Cauſſa; ſed neceſſitas officiumque fuit.

§. I.

§. I.

FEbris definitionem tam nominalem quam realem ſtudio prætermitto, eſt enim morbus frequentiſſimus, hincque omnibus medicæ artis cultoribus dextra manu notior. Quam deſcribo, caſtrenſem vocavi, quoniam in exercitu ſereniſſ. ac potentiſſ. regis Boruſſiæ domini mei longe clementiſſimi per Ann. 1741. & 1742. populariter graſſata eſt. Petechialem dixi quia raro ſine peticularum apparitione ſtadium percurrere conſuevit. Epidemicam tandem appellavi, quod ex communi quadam cauſſa orta, multos milites ſimul invaſerit, ab uno corpore in aliud transmigraverit, & eandem illi labem communicaverit.

§. II.

Explicatis ſic verbis in titulo poſitis, aggredior jam hiſtoriam ſymptomatum quæ caſtrenſem hanc conſtitutionem præceſſere & comitata fuere. Prænuntiabant autem inſtantem ſubita mentis oborta quædam perturbatio ac ſui diſplicentia pandiculationes crebræ, oſcitationes & horripulationes frequentes, extremitatum ſuperiorum gravitas, genua quaſi fatigata, totius corporis laſſitudo & torpor ut loqui & moveri ſanum alias pigeret. Altero die ſucceſſit his capitis dolor vertiginoſus & obtuſus, manifeſtior is circa originem nervorum opticorum, quibus ut ajebant a graviore pondere compreſſis non ſine moleſtia oculos vertebant. Præcordia tunc anxietas, ventriculi regionem gravitas occupavit; ori, linguæ, palato, faucibus, ſordes amareſcentes, putridæ, inhærebant; obvolutis ita papillulis nervoſis guſtus ſenſationem efficientibus, amara ægris, inſipida, tetra, omnia dicebantur quamvis oblata talia non eſſent. Ructus inſuper emittebant nidoroſos, ventriculus exceptis acidis omne fere alimenti genus reſpuebat, & carnium, piſcium, ovorum &c. vel ſolum aſpectum nidoremque graviter ferebat. Ingeſta non invitante natura cruda una cum bilioſa, putrefacta, rancida ſub oleoſa, acri materie vomitu rejiciebantur. Hæc inter ineluctabili dormiendi neceſſitate urgebantur hoc morbo rapti; ſomno tamen, ſolito licet diuturniore, non reficiebantur, quippe ſomniis tumultuoſis pleno. Plurimi difficulter & non niſi intermixtis ſuſpiriis ſpiritum trahebant. Alvum plerumque habebant adſtrictam, qua tamen mota & medicamentis ſoluta, duras, ſiccas, nigricantes, excernebant fæces. Urinæ dilutæ, pallidæ, crudæ, paucæ, nec pro ratione aſſumti potus redditæ fuere. Cutis arida, ſicca, tenſa, tranſpiratio in totum ſuppreſſa, pulſus debilis, exiguus, frequens, inæqualis, in multis naturalem mentiens & calor primis quatuor diebus adeo tenuis ut ſæpe neque æger nec medicus quicquam diſcriminis vererentur. Quoſdam vero ita

ita proſtravit morbi vehementia, ut lecto illico affigerentur, & ſimul ac vel caput tantum erigerent lipothimiis afficerentur.

§. III.

Primum hunc ſtatum ægritudinis mox excipiebant febris valida, ſitis magna cum Linguæ & faucium ſiccitate. Vehementior tunc capitis, præcordiorum & artuum dolor, inquietudo ſumma, pulſus plenus, fortis, celer; reſpiratio difficilis, anheloſa, urina rubra, ſaturata, pauca, dejectiones nullæ. His non raro jam acceſſit præteritorum oblivio, mentis alienatio, interdum leve delirium. Somnus hac periodo parcus, brevis, interruptus, ſopori ſimilis. Quæ cum a quarto poſt invaſionem male ægros afficerent, ſeptimo tandem die auctis omni hora quoad vehementiam ſymptomatibus maculæ purpureæ inſtar pulicum morſus (excepto tamen horum centrali puncto) in pectore & collo prius, deinceps in dorſo, brachiis, ac femoribus, prævia pectoris anguſtia & levi tuſſicula, erumpebant. Non tamen roſei ſemper coloris fuere peticulæ, ſed pro humorum diverſitate ex quibus generabantur, & pro vario eruptionis tempore, pallidæ, lividæ, & fuſcæ erant. Aliæ quoque parvæ, aliæ latæ, aliæ in ſumma cute apparuere, aliæ profundius quaſi latitabant, & non niſi e tranſverſo intuenti in conſpectum venere. Atque hæ fere peſſimæ, & ut plurimum lethales fuere.

§. IV.

Tertium quod ægri ingrediebantur ſtadium periculoſiſſimum ac diriſſimis cruciatibus ſtipatum fuit. Ignis enim in homine poſſibilis accendebatur ſummus, intenſiſſimus, diu vix ſalva vita tolerabilis, continuus, ſummo mane parumper remittens ut interdiu & per noctem eo vehementius recrudeſceret. Hunc ſequebantur oculorum ardor, rubor, eorum varia diſtorſio, vox celeris, tremula, iracunda, color faciei ruber, cardialgia, ſingultus, artuum tremor, tendinum ſubſultus, reſpiratio inæqualis, frequens, cum ſibilo, aut tuſſi, ſitis inextinguibilis, pulſus velox, magnus, durus, vigilia pertinax, interdum profundior ſomnus, inſignis in lecto volutatio, mutandi cubilis deſiderium, ſenſuum externorum hebetudo, mentis ſtupiditas, delirium denique levius quidem matutinis horis, ingraveſcens, veſpertino tempore, numquam integre ceſſans. Multi hinc furibundi e lecto proſiliebant & clamantes hoſtes jam adeſſe, qui necem iis intentarent, arripiebant ſclopetum aut gladium ut vim vi repellerent. Alii contra clanculum ſeſe ſurripiebant cuſtodibus, & noctambulorum adinſtar totam domum, parietes contrectando permeabant. Nonnulli præ acerbiſſimo dolore, & nimia anxietate febrili pertæſi forte vitæ, ſtricto ferro violentas ſibi intuliſſent manus, niſi fa-

mulorum aut commilitonum convaleſcentium vigilantia vanos reddidiſſet eorum conatus. Quoſdam ſopor aſſiduus occupavit, quo detenti aliena loquebantur, ingemiſcebant, murmurabant, ſtertebant: Alii denique caro correpti ſemi mortuis ſimiles ſine ſenſu & motu eundem ſemper in lecto politum ſervabant; hi non modo difficulter excitabantur ſed & expergefacti oculos illico claudebant. Sub miſerrima hac conditione labia tumebant, in bullas elevabantur, gingivæ erant ſiccæ, fuſci coloris, fere combuſtæ, Lingua arida, craſſa, aſpera, tumida, ſubnigra, hinc inde fiſſa, fauces inflammatæ, naturali ſua lubricitate orbatæ, ſumma deglutitionis inde difficultas. Urina flammea in quibuſdam profunde rubra, fere nigra, pinguis, oleoſa, parciſſima, copia ſeceſſit. Alvus dura, ſicca, perſpiratio nulla. Toto corpore rigidi, ſicciſſimi, nec ſibi conſcii veluti ſtatuæ ore aperto, retractis cruribus, dorſo incumbentes, morbi vim ſuſtinebant, & ejus ſolutionem tam ſalutarem quam funeſtam exſpectabant.

§. V.

Difficilimum hunc ſtatum, ſub teterrimis modo enarratis ſymptomatibus quarto & decimo a primo inſultus die numerando ſequuta eſt judicatio; quæ ſi ſalutaris & perfecta, per totum corporis ambitum, largus plerumque erumpebat calidus ſudor acidum ſpirans; remittebat & illico febris, pulſus erat mollior, æqualior, & ad juſtam mediocritatem redibat, urina copioſius excreta, non intenſe rubra craſſum & ſimul album exhibebat ſedimentum. Melior quoque ſuccedebat vultus, expeditior ſpiratio, tranquillior animus & major in convertendo & levando corpore vis. Evanuit etiam oris, faucium, Linguæ, gingivarum, & labiorum ſiccitas, aridura, nigrities; ſequebatur paulatim combuſtæ epidermidis ſeparatio, horum color naturalis, volubilitas & humiditas. Rediit inſuper cibi, potus, & aſſuetorum v. g. Nicotianæ, ſpirituum vini &c. appetentia, ſomni diuturnioris deſiderium, oculorum lux & vigor, major reliquorum ſenſuum potentia, ita ut de ſummo dolore in dorſo, ſtragulorum duritie, virium plenaria dejectione, ſurditate, mentis imbecillitate & omnis tam vitæ ante actæ quam ſcientiæ oblivione conquererentur. Quod ultimum vero de medicis præſertim, & reliquis litteratis qui caſtra ſequi ſolent intellectum velim.

§. VI.

Non omnes tamen, qui ex febrili hac incurſione evaſere, excretioni per ſudorem ſalutem acceptam referre poterant. Multis enim judiciali die ſupervenit copioſus alvi fluxus, qui eo fuſior & bilioſior, quo minor tunc per alia emunctoria evacuatio facta eſt. Junioribus & in ætatis flore conſtitutis ſanguis aliquando ubertim e naribus deſtillavit cum inſigni e-

orum

orum levamine, a quibus caput male habebat. In aliis licet rarius natura & per ſputa criſin molita eſt. Quibuſdam denique abſceſſus juxta aurem oboriebatur, quem proficuum pronuntiare licebat ſi cito ſatis, matureſcens, album, craſſum, copioſum coctumque pus effunderet; exitialem contra qui maximus, planiſſimus, & verſus interiora tendens non ſupputabat. Tunc enim incluſum pus mora atque calore acre redditum, & per eroſa oſcula venarum lymphaticarum vel ſanguiferarum reſorbtum, ſanguinique mixtum, novam excitabat putridam, quæ ægrum a prima acceſſione jam debilem & extenuatum, brevi trucidavit, atque e mortalium cœtu eripuit.

§. VII.

Talis fuit hujus febris indoles, ac talia ſymptomata; quibus nunc fideliter & qua potui brevitate recenſitis non incongruum erit ea quoque proponere ſigna quæ prognoſtica dixere artis magiſtri. Ex his vero ſalutem promittebant ſeptimo poſt infirmam valetudinem emergentes petculæ, rubræ, purpureæ, minime ſibi mutuo contiguæ, lente evaneſcentes, reſpiratio a naturali non multum recedens, pulſus æqualis & non adeo fortis, vox parum mutata, mens pacata, ſomnus licet parcus, placidus tamen ac reficiens, delirium per intervalla remittens nec admodum grave, judicatio decretorio ſuborta cum notis §. 5to exhibitis. Principem tamen inter bona locum habuere, & vitæ conſervationem quam certiſſime portendebant, ſurditas in ſtatu apparens, & ſudor fœtidum acorem ſpirans. Hic enim teſtabatur tantam durante medicatione acidi copiam ingeſtam eſſe, quanta nempe requirebatur ad ſuperandam illam diatheſin qua humores in alcalinam & putridam vergebant naturam; illa autem indicio erat noxios humores, vel proprio pondere vel nimia acrimonia cerebri ac cerebelli functiones turbantes, ſalutarem metaſtaſin ab internis capitis partibus ad exteriores detruſos fuiſſe.

§. VIII.

E contrario periculo non vacabant exanthemata lata, violacea, livida, atra, tarde admodum, præprimis in lumbis & extremis pedibus prodeuntia, vehemens ſpirandi difficultas, continua corporis jectigatio, ſitis intenſa, faucium tanta inflammatio ut ægri ob hanc omnem tum cibum, tum medicamentum averſarentur, oculorum ſine voluntate lachrimæ, eorum obſcuratio, pervigilium perpetuum, & innumera alia, quorum recenſioni lubens ſuperſedeo ne in his nimius ſim.

§. IX.

Mortem plerumque prænuntiabant dyſenteria diarrhœæ judicatoriæ ſupe-

ſingultus medicamentis non auſcultans, abſceſſuum ſiccitas, eorum livor, puris quod fundebant reſorbtio, narium hæmorrhagia, vel alia critica excretio paribus diebus contingens, ſed ſtatim ceſſans; membrorum ea reſolutio ut voluntati amplius obedire recuſarent.

§. X.

Ad ultima tandem ventum eſſe demonſtrabant os frigidum, lingua frigida, ejus tremulus motus, & variæ diſtorſiones, dentium ſtridor, colliſio, vox ſubito intercepta, nares acutæ, aures languidæ, facies hippocratica, veſicatoriorum & aliorum epiſpaſticorum variis locis, ſub debitis cautelis applicatorum effectus nullus, pediculorum migratio, lotii & alvinarum fœcum profluvium involuntarium, ſudor frigidus per totum corpus, ſtertor continuus, nervorum denique rigor ac diſtentio.

§. XI.

Cito quoque lethales obſervatæ fuere petechiæ a ſubita refrigeratione, terrore inopino, errore in victu & potu commiſſo retroactæ vel quacumque demum cauſſa retro-pulſæ. Quibus autem id mali vel propria vel miniſtrorum incuria evenit, hi quaſi ex angina præfocati oculi nictu citius exſtinguebantur. Aeque mortiferum fuit, quando ægri brachiis ac cruribus nudatis, contractiſque genubus ſupini jacerent, floccos in linteaminibus aut veſtibus legerent, vel fimbrias diducere, vel muſcas & alia inſecta ſibi obvolitantia prehendere conarentur. Neque umquam ſanitatem recuperavere, quibus præter citam alvum & urinæ profluentem largiorem copiam, critico motu fuſus ſimul ſudor prorupit, aut ſputum copioſum ſanguineis ſtriis permixtum ſeceſſit. Omnes vero, quos atrox hic morbus oppreſſit, vel circa ſtatum cum acceſſio vehementiſſima eſſet, celerrima rapti ſyncope jugulati fuere, vel ex ſiccitate ſeu tabe periere, febre ad vigeſimum primum uſque protracta & ſumma ferocia ſæviente.

§. XII.

De his tamen ſignis quæ prognoſin ſpectant, cum numquam conjunctim in uno eodemque ægro apparuerint, id ſubinde commemorare oportet, quod & cautiſſimo aliquando impoſuerint. Nonnulli enim, uti aliquoties videre licuit a medicis & chirurgis jam deplorati, cum periculoſiſſimis ſymptomatibus inopinato convaluere, alii contra, de quorum ſalute non dubitaretur inproviſa morte ſublati fuere. Neque id adeo novum eſt nec in tanta hominum varietate ac ægrotantium multitudine prodigio par habendum, cum & ſuo jam ævo, divus [a] *Hippocrates*, & poſt eum elegan-

[a] Hippocrat. Aphoriſ. Lib. II. Aph. 19.

tiſſimus [*b*] *Celſus* obſervaverit, tam ſalutis quam mortis notas in acutis magis fallaces ac incertas eſſe, atque ſpem interdum fruſtrari, immo & aliquem mori de quo medicus ſecurus primo erat.

§. XIII.

Indicatis hactenus morbi ſymptomatibus, & ſignis tam bonum quam ſiniſtrum exitum promittentibus, proximum eſt ut inquiramus in genuinas ac germanas ejus cauſſas atque experiamur num detur probabili ſaltem ratiocinio eruere ſi non penitus ſtatuere, qualis fuerit in febrientium corporibus, ſanguinis & aliorum humorum ſtatus atque conditio, num ad fluorem vel ad concretionem potius vergerent; quod ex habitis obſervationibus ac a poſteriori ut ajunt philoſophi, eo ſecurius elici poſſe arbitror quo conſtat certius experientiam & eventum morborum optimos in re medica eſſe duces quos ſequi oportet, ſi tutiori ac compendioſiori via veritatem attingere velinus.

§. XIV.

Antequam autem hoc mihi propoſito ordine de ſingulis ſeorſim agam, in genere notaſſe juvabit, medicinæ proceres ab omni ævo pro ſtabilienda cauſſa proxima morborum epidemicorum adeo diſſidentes, inter ſe pugnantes, immo & parum plauſibiles protuliſſe ſententias, ut quilibet ex librorum lectione animo potius diſtractus, quam inſtructus abſcedat. Quid quæſo enim lucramur tam antiquorum, quam recentiorum medicorum oracula conſulendo? nil quicquam quod ad exactam earum cognitionem facere poſſit. Quam plurimi veterum conſentiebant epidemicas conſtitutiones, ita ut reliquos morbos exitari ab irato divino numine præternaturaliter propter mortalium delicta. Alii dicebant eas oriri ex cauſſa mentis humanæ aciem tranſcendente, hanc igitur ut manum ferientis Dei magis venerati, quam ulteriori & otioſa fortaſſis indagine ſcrutati ſunt. Nonnulli cum *Galeno* aërem peculiariter corruptum ac putrefactum, alii cœli variantes tempeſtates, aſtrorum motus varios & influentias; alii rurſus occultum aliquod ac penetrantiſſimum venenum pro cauſſa earum aſſumebant, & ad τὸ Θεῖον *Hippocratis* tamquam ad publicum abſconditarum qualitatum aſylum provocabant. *Helmontius* archæum ſuum irritatum, *Williſius* ſalem acidum, *Sylvius* contra ſalem alcalinum volatilem, & alii alia, pro ingenii ſui modulo excogitavere, atque cauſſam eſſe cenſuere. Recentiorum ſapientiſſimi, & quidem ſtrennus ille chronicorum pariter ac acutorum profligator *Sydenhamus*, Celeb. Frider. *Hoffmannus*, & ſummus *Boerhaavius*, ingenue atque aperte profitentur; materiem, peculiarem genium, ac naturam eorum affectuum, qui τὸ Ἐπιδημικὸν

 ſapi-

[*b*] Celſus. Lib. 2. Cap. 6. p. 51. Edit. Almeloveen.

ſapiunt hactenus inexplicabilem eſſe, atque nondum per accuratiſſimas obſervationes conſtare, cui ſenſibili vitio ſex rerum non naturalium, originem ſuam debeant. Ob communem tamen pluribus afflictionem, poſſibilem evitationem, & excluſionem vento vel igne, in aere eorum cauſſam reſidere putant. Cui &, (cum vix, niſi contagio humano morbos inferant, venenum ineſſe ſubtiliſſimum in auram ſe cito elevans commemorant, quod ſemel in corpus humanum, per os, nares, fauces, pulmones, & cutis ſpiracula, ſuſceptum, ibi ſe multiplicat, ſanos humores inficit, & pleroſque eorum in ſuam naturam convertit, uti id validiſſimis argumentis, petitis, ex hiſtoria venenorum, tum eorum quæ propinantur tum ab animalibus per morſum, vel alio modo inferuntur, ulterius probant ac ſuffulciunt.

§. XV.

Quæ omnia præcedenti §. adducta, cum nec id quod quæritur in propatulo ponant, ſed potius efficiant, ut horum morborum ortus atque vera indoles, æque ac antea ſuis obvoluta tenebris in Democriti puteo deliteſcant, quidam ex hodiernis Medicis (quibus cauſſæ e cœlo petitæ minus arrident) ſtatuunt, non modo contagium tamquam fictitium, e foro medico proſcribendum eſſe ſed & negant ſeminium aliquod morboſum in aere hoſpitari, quotieſcunque tam urbes quam rura mediante quadam epidemia depopulantur. Veram e contrario ac genuinam popularium ægritudinum cauſſam mortis formidinem, metum, vel ſolum dicunt eſſe terrorem quo quis, dum inſolitus & gravis quidam morbus innoteſcit & vagari incipit, vel ex aſpectu graviter ægrotantis vel ex funerum frequentia, percellitur vivideque afficitur. Quibus etſi lubentes damus, animi pathemata fœcundiſſimas eſſe morborum matres, dum cerebrum, nervos, ſpiritus, muſculos, mirabiliter & efficaciſſime mutant, figunt, depravant; ſi & concedimus, horrorem, metum, terrorem ſimileſque affectus triſtes corporis noſtri poros anguſtare, conſtringere, ac penitus claudere poſſe; ſi denique nec dubitamus quin interrupta ſic, ac in totum ſuppreſſa excretio perſpirabilis Sanctoriani unico quaſi momento circulationem mutare, cruditatem, putredinem generare, febres dein & inflammationes excitare ac accendere valeat; non adeo commode tamen exinde, niſi aliud quid accedat, ſequi videmus, cur graſſante miaſmate varioloſo in homine perterrefacto variolas, vigente morbilloſo morbillos, ſæviente petechiali, petechialem febrem, nec alium morbum procreent? Cur plurimi eorum qui non meticuloſi ad ægros accedunt, ſed ſponte aut pretio conducti, continuo illis aſſident ut eis neceſſaria ſubminiſtrent, eodem quoque malo corripiantur quo laborabant ii quibus operam ſuam locaverant? Quare & Medici, præprimis vero caſtrenſes, qui quotidiana inſpectione tot difficillime decumbentium

ita

ita eis aſſueſcunt quæ metum injicere ſolent, ut nec inhorreſcant amplius nec terrore percellantur, cur dico & hi pro ſoſtro ſeu laborum ſuorum honorario contagioſam labem reportent, atque a militari hoc munuſculo adeo male mulctentur. Sicuti viſum fuit in febre noſtra, quæ ne unicum fere ex medicis & chirurgis medicinam in noſocomiis facientibus itaque nec me intactum reliquit, nonnullos vero in ſuperum familiam deduxit.

§. XVI.

Neque ullo modo ſi quid video hac aſſumpta cauſſa proxima epidemicarum conſtitutionum, liquet, qui fiat ut & animantium quædam genera, uti canes, oves, volucres, & boves interdum peſte, & aliis epidemiis contagioſis decimentur, quamvis ut hactenus ſcimus, modo indicatis animi affectibus parum obnoxia & minus ſenſibili ſyſtemate nervoſo prædita ſint? Cujus rei luculentiſſimum & triſtiſſimum ſimul præbet, exemplum, dira illa peſtis bovina quæ præterlapſo anno 1744. in quibuſdam Germaniæ tractibus ſubobſcure obſervari cœpit, ſub finem autem ejuſdem, ac per totum annum 1745. ad hunc fere diem in omnibus Hollandiæ provinciis & Clivienſi ducatu adeo aperte ſe prodidit, & tam magnam ac ſtupendam edidit boum ſtragem ut tum rura cum civitates mœrore & metu compleverit. Quam ſi quis quoque a terrore enatam & mediante eo ab una regione in aliam translatam dixerit, non ſolum ſanioribus riſum excutiet, ſed & hebetiorum ludibrio ſe exponet. Immo ſtupidiſſimus ruſticanæ plebis, attonitus interrogabit, anne merus terror in bove, adeo terribiles effectus producere poſſit? Sciſcitabitur porro quanam de cauſſa primus ille bos qui reliquos dein eadem qua erat infectus labe fœdavit, violenter admodum perculſus fuerit, ut in tam horrendum ac exitialem inciderit morbum? Poſtulabit tandem ut probabiliter ſaltem probes quomodo indies latius adhuc ſerpere queat contagio, quæ bubulo generi bellum ad internecionem uſque indixiſſe videtur cum propter hybernum frigidus & camporum ſterilitatem (menſe enim Decembri Ann. 1744. & Januar. Febr. &c. An. 1745. in Belgio graſſari cœpit) e ſtabulis non educti, multo minus per prata circumducti fuerint boves, ſicque ſublato omni commercio ex mutuo aſpectu terreri non potuerint? Quibus quæſtionibus (§. XV. XVI.) cum vix ex nova hac doctrina ſolide ſatisfieri poſſit, facile ut puto adparet ne hos, qui illam cordidere, quæſitam rem acu tetigiſſe; mitto hinc reliquas difficultates quas ad debilitandam eam in medium proferre poſſem.

§. XVII.

Sicuti autem in determinanda malignorum morborum cauſſa in genere

re adeo inter ſe diſſentientes ſunt Autores Medici, ſic multo minus in explicanda natura, & generatione peticularum conſentiunt. Hic mihi non vacat, nec multum refert, varias variorum explicationes enumerare, atque ſibi invicem oppoſita eorum placita recenſere; ſufficiet meo ſcopo ſuperioris ſæculi ſcriptores in binas acies oppoſitas diviſos, & tamquam ex adverſo dimicantes conſideraſſe, quorum alii cum *Williſio* plauſibili ſane ratiocinio putabant, in peticulari febre naturalem ſyſtaſin ſanguinis in craſſam ac nimis lentam ſecedere ab acidi prædominium, adeo ut dum ſanguinis in orbem agitur illius fixiores particulæ a venarum extremitatibus haud rite abſorbeantur, & captivæ detentæ picturatam efficiant cutim. Alii contra *Sylvio* præeunte, majori adhuc probabilitate peticularum geneſin deducebant a fibris ſanguineis diſſolutis, e ſua ſtatione dimotis & propter ſal alcali volatile eis permixtum ad fluorem evectis, quo pacto ſimiliter cruore ab arteriolarum oſculis effuſo, dicebant non poſſe non, quin tenuiores ejus partes, tamquam transfugæ a circulari motu exorbitent, & ſui erroris notas in cute deſignent. Noſtra hac ætate puſtulas inflammatorias in cutis ſuperficie efflorefcere, credunt; quando nempe ab acri quodam ſtimulo extrinſecus applicato, vel valida febre a cauſſis internis orta, ſanguis tam bonus quam depravatus vel juſto tenuior & putridus, errore loci in arterias lymphaticas ſubcutaneas ita adigitur, ut eas non modo obſtruat, ſed &, illis aut diſruptis aut nimium expanſis, per celluloſam membranam diffundatur; In qua dein, ad majora vaſa redire non potentes globuli rubri, ſtagnant, colore & quiete purulenti, ichoroſi, rodentes, acres fiunt, tenella ſolida ſtamina deſtruunt, & pro vario putrefactionis gradu, & varios cuti calores conciliant ac imprimunt. Ex qua Theoria ſimul patet, quantum a vero aberraverit (*a*) *Diemerbroekius* dum ſtatuit exanthemata a membranis, tendinibus, ligamentis, & ipſo perioſteo initium ducere, & ex illis partibus pyramidali forma a latiore baſi, paulatim per muſculos uſque ad cutim in acumen aſcendere *inſtar fumi lampadis recenter exſtinctæ.*

§. XVIII.

Quod ſpeciatim ad cauſſam proximam febris caſtrenſis adtinet, hanc bifariam diviſit Henricus (*b*) *Screta*, & alio modo ejuſdem volatiliorem portionem, alio plane fixiorem & crudiorem agere aſſeruit. Fugitivam materiem dicit eſſe venenum ſeu ſal acidum, volatile; corrodens, efferum, arſenici ſeu realgaris inſtar; quod vel in ſanguine ac lympha, progenitum, vel foris per contagionem in cavitates corporis male diſpoſiti ſuſceptum, inſolito irritamine partes convellendo; non modo varicoſam & late ſe extendentem inflammationem excitat, ſed & corroſis ar-

(*a*) Lib. I. de Peſte Cap. XIV. p. 61. N°. VII. & in annotationibus ad huncce Numerum.

(*b*) Henr. Screta in tractatu de febre caſtrenſi Cap. VII. p. 107.

arteriolarum oſculis ſuffuſiones acrioris ſanguinis, tam in cute quam in aliis partibus internis producit. Pro fixiore autem materie, aſſumit crudiorem, indigeſtam, viſcidam, terreſtrem, fœculentam purpurei laticis & Lymphæ partem; cui & annumerat, minimos ſanguinis globulos induratos, a Nobiliſſ. *Lœwenhoeckio* ut ait detectos; a quibus arteriarum oſcula tubulos exſcreantes, ac lymphæ ductus obſtrui, & ſanguinis ac lymphæ motum impediri credit. Ad eadem fere redeunt quæ apud (*c*) *Mindererum*, (*d*) *Willium*, alios quos conſulere licuit, hac ſuper re exſtant. Unanimi enim conſenſu horum affectuum cauſſam in ſal volatile, corroſivum, peccanti oleo remixtum referunt, ideoque tradunt ejuſmodi venenum, invertendum, infringendum, ac potiſſimum pulverum bezoardicorum & acidorum medicamentorum uſu, per glandulas cutaneas abigendum eſſe. Qua perverſa medendi methodo utrum damni plus quam ſolatii attulerint ægris, mearum partium non eſt hic loci diſquirere. Id interim mirari ſatis non poſſum quod ortam quam dicunt ab acido ægritudinem neſcio quibus rationibus adducti, acidis tamen foſſilibus, utpote fortiſſimis, debellare anniſi fuerint. Contraria enim jubente *Hippocrate* contrariis curari debent.

§. XIX.

Ne vero recenſioni variarum opinionum ulterius immorer; ſed e diverticulo in viam redeam, arbitrari licet noſtræ febris immediatam cauſſam, fuiſſe acrimoniam alcalinam putridam, quæ in multis militibus ſimul, & a pravo victu, & ab aliis tam antecedentibus quam occaſionalibus cauſſis ſucceſſive generata, & accedente quodam ſtimulo ſeu fomite contagioſo, in actum deducta, omnes dein actiones fluidarum & liquidarum, partium, turbare, depravare, deſtruere, inflammatorias, putridas febres accendere, atque ex propria ſua natura univerſo corpori adeo graves noxas inferre valuit. Hanc autem acrimoniam potius quam acidam aut ſalinam in ægrotantibus, prædominaſſe, manifeſte demonſtrare videntur. 1°. Symptomata initio ſtatim invaſionis urgentia, ut nauſea, vomitus, oris amarities, appetitus depravatus, ſitis, & reliqua ſuo loco jam indicata. 2°. Febris ipſius decurſus; perfecte enim ideam Synochi putris anabaticæ referebat. 3°. Exitus ejus ſæpe funeſtus. 4°. Maculæ purpureæ, nigræ, fuſcæ, acrimoniæ & putredinis quippe indubitati teſtes 5°. Nocentia denique & juvantia, a quibus uti notum in medicina potiores petuntur indicationes. Saluberrimus enim acidorum & antiſepticorum uſus, nocivus contra terreorum, calidorum & alcalicorum obſervatus fuit.

(*c*) In tractatu de militari diſciplina.
(*d*) In tractatu de morbis caſtrenſib. inter. Cap. 3. p. 10. Sequentib.

§. XX.

Antecedentibus ejus cauſſis merito adnumeramus. 1°. Temperiem ſingularem militum; quæ calida ac bilioſa in genere eſſe ſolet. Cumque hinc præditi ſint, corpore, duro, arido, vaſis robuſtis, contractis, viſceribus validis, ita & habent humores, denſos, valde motos, acres, in putredinem & incendia pronos; quoniam ſanguis adeo tenax, per vaſorum ultima facile tranſire nequit, nec vaſcula hæc nimis arcta, illum commode ex arteriolarum finibus in initia venularum dimittere valent.

2°. Aetatem, adultam, & virilem qua ut plurimum gaudent, quæque morbis acutiſſimis ac præcipitibus generandis aptiſſima eſt, quia juvenes & viri quo plus ab origine diſtant eo rigidiora & magis elaſtica habent vaſa, eoque ſemper vitæ vigor, atque humorum impetus validior eſt.

3°. Huc & referimus labem veneream militibus adeo familiarem, ut raro germanum bellatorem videas, qui non ſemel graviter ſauciatus, læſuſque ex conflictu cum venere redierit. Hæc vero ſanos humores, depravat, immutat, corrumpit, ſenſim cacochymiam inducit atque ſic eos ad putridos morbos ſuſcitandos leviſſima ſæpe data occaſione prædiſponit. His tandem.

4°. Et accenſemus inordinatam eorum in caſtris vivendi rationem; qua humores, ex propria ſua indole & ſponte jam in putredinem vergentes, magis adhuc ad eam diſponunt. Efficiunt id autem cibos quotidie ingerendo acres, difficilioris concoctionis, ex animali regno, & vegetabilium alcaleſcentium claſſe deſumtos. Abutuntur præterea, potibus calidioribus, ſpiritibus vini, aquis ſic dictis vitæ deſtillatis, quibus ventriculum replent ac plane obruunt, ut cordi robur addant, & ſe defendant contra aëris injurias, quibus nimis forte ſubjiciuntur, exponuntur. Inediam etiam frequenter tolerare, duro, nonnumquam ſicco, ſitu jam obducto pane veſci & ſtagnantes, putridas, corruptas paludum aquas bibere coguntur. Vigiliis inſuper continuis, nimia agitatione, itineribus tam longis quam moleſtis per plana & montoſa loca, pluviis denique ac inſolationibus miris modis debilitantur, defatigantur.

§. XXI.

Enarratis quoque cauſis proegumenis, ſupereſt ut & procatarcticarum mentionem faciam, quæ licet diverſiſſimæ, commode ſatis ad quatuor vel ſex claſſes revocantur. Vid. Inſtit. Boerhav. §. 744. Principem ex his locum obtinet aer ambiens manifeſta conſtitutione peccans. Hic enim prout omnibus unam eandemque regionem inhabitantibus communis ac neceſſarius eſt, ita & plurimum ad generationem popularium morborum con-

conferre aſſolet, præſertim ubi variabilis valde, & nunc admodum friget, modo nimis æſtuat. Noſtræ vero febri anſam dediſſe videtur aer. 1°. humidus, pluvioſus, ſtagnans, parum eventilatus, & putridis (potiſſimum in caſtris diu in eadem ſtatione manentibus) halitibus, hominum, animalium, cadaverum inſepultorum, excrementorum varii generis ſcatens. A tali ejus conſtitutione ſalutiferæ excretiones, maxime perſpirabilis Sanctoriani elangueſcunt, turbantur, inutiles, ſuperfluæ, corruptæ partes retinentur, tetri, putridi & noxii vapores per ſibi patentes vias reſorbentur, quibus in maſſam humorum receptis, ac accumulatis, non poteſt non ſumma ad corruptionem & diſſolutionem prona ingigni diſpoſitio.

2°. Calidus nimis ac æſtuans; qui fluidiſſimas, ſubtiliſſimas, aquoſas, ſanguinis partes diſſipando, diminuendo, auferendo, remanentes craſſiores, immeabiles reddit, atque ad ſtagnationes, obſtructiones, & acrimoniam putridam, diſponit.

3°. Frigidus nimis aer; hic vero ſolidas fibras conſtringit, denſat, roborat, earum actionem in humores auget, perſpirationem imminuit, ſæpe in totum ſupprimit, unde tunc ſanguinis circulus augetur, acre externendum miſcetur rurſus humoribus, oriuntur cruditates, putredo, & febres, ſi validus inſuper corporis motus acceſſerit. Huc & Symbolum contulere anni tempora, & variæ cœli viciſſitudines minus ſolitæ; quas per Ann. 1740, 1741. in iſtis regionibus experti fuimus. Autumnus enim anni 1740. ſub cujus finem bellum Sileſiacum ſuſceptum fuit ob aſſiduos & copioſos imbres impenſe humidus & lutulentus in univerſum exſtitit, hincque multorum morborum auctor fuit. Adeo vero perennes ac ingentes fuere pluviæ ut Viadra ex his tumefacta, campos & ægros ad aliquot milliaria inundarit, per quos nihilominus militibus Sileſiam petentibus iter faciendum erat. Integræ ergo Legiones, per ſolidos dies ſtagnantibus & putridis aquis ſubmerſos quaſi habuere pedes, atque minus ſalubrem aerem inſpirarunt; unde non mirum quod plurimi male inde haberent & in putridas febres inciderent. Parum inſuper ſalutarem ab omni ævo autumnum obſervarunt medici, hinc apud omnes male audit. Elegantiſſimus [e] *Celſus. periculoſiſſimum ex anni temporibus* pronunciat, *& plurimos opprimere dicit.* Quod eo potiſſimum fieri credit, *quoniam meridianis temporibus fere calor, nocturnis atque matutinis, ſimulque etiam veſpertinis frigus eſt; Corpus ergo & æſtate, & ſubinde meridianis caloribus relaxatum ſubito frigore excipitur.* Eodem teſte *neque aliud majus tempus febribus incertis & peſtilentiæ patet, cujuſcunque ea generis ſit quamvis variis rationibus noceat.*

§. XXII.

Autumnum excepit hiems parum initio frigida, ſed pluvioſa & valde va-

(e) Lib. 11. Cap. 1. p. 42. edit. Almelowen.

varians; dein rigidior licet facta non obſtitit tamen, quin bellicis negotiis, expeditionibus, itineribus, vacarent his nondum adeo aſſueti milites. Quod ſucceſſit vernale tempus multum a ſibi debita temperie deſcivit, frigidum enim in totum erat atque loco pluviæ multam exhibuit nivem; ita ut 10 Aprilis anni. 1741. nivali adhuc vellere cooperta eſſet terra, cum prælium Molvicenſe committeretur, ex quo tempore tamen relictis hybernaculis, caſtrenſis vita initium cœpit. Aeſtas quæ ſequuta eſt initio fervida admodum & ſicca exſtitit, ſub finem vero adeo pluvioſa fuit ut caſtra fere inundarentur, atque meſſis ipſa in agris ad montium radices ſitis, germinaret. Autumnale hujus anni tempus, æſtatis ſpeciem exhibuit atque ſtadium ſuum regulariter percurrens, cum prima hiemis parte non admodum rigida, annum clauſit. Majori moderatione proceſſit inſequens annus 1742. quem totum temperatum, regularem, ac placidum exegimus, & minus morborum feracem obſervavimus. Hiemis ejus pars neque valde clemens, neque frigida nimis fuit. Ver ſucceſſit parum pluvioſum & perpetua fere cœli ſerenitate gaudens, æſtas ſequuta moderata nec vehementi calore, nec imbribus, aut pluviis moleſta, unde maxime favebat ſanitati militum menſe Julio, ſancita pace in patriam redeuntium, atque in cauſſa erat ut minus ſæviret quam ſuperioribus annis, caſtrenſis noſtra epidemia.

§. XXIII.

Quemadmodum vero aer & anni tempeſtates multum fecere ad militaris hujus morbi productionem, ſic etiam 2°. Cibus & potus tam copia quam qualitate peccantes. Cibus enim militum in caſtris plerumque fuit acer, ſalitus, durus, ſtimulans, calefaciens, pipere quippe, zingibere, vel aliis aromatibus conditus. Amant autem præprimis carnem bubulam, ſuillam, & recentem & fumo induratam, lardum, caſeum vetuſtiorem, piſces ſiccatos, ſalitos, marinos, fluviatiles, ut haleces, aſellum, rutilum, alioſque vilioris pretii. Ex vegetabilium claſſe, alcaleſcentia, aceſcentibus præferunt, ut raphanum, napum, porrum, allium, cepas, ex quibus utpote edulium plantarum acerrimis, raphanus hortenſis radicula dicta eorum prandia æque ac cœnas claudere ſolet. In deliciis quoque habent globulos farinaceos, in aqua ad duritiem coctos, aut ſebo vel butyro rancido frixos, & ſubinde quotidie fabas, lentes, piſa, ſimilia eſculenta difficulter digerenda & maximam partem inſuperabilia, aſſumunt. His præterea veſcuntur ſemicoctis, ſæpius, propter ſubitam caſtrorum ac frequentem mutationem, fere crudis, hæc ad nauſeam uſque ingerunt ſemper tumultuarie, non mirum ergo, quod mala a nimia ingeſtorum copia pendentia ſibi contraxerint, atque pro qualitate eorum humores ad acrimoniam putridam diſpoſuerint; accedente præprimis non nunquam inedia; quæ cum merus ſit defectus per ſe quidem

dem nihil efficit, attamen perſiſtentibus vitæ laborioſæ actionibus ſolidæ partes deteruntur, conſumuntur, ſubtiliſſimi humorum diſſipantur, reſidui vero inſpiſſati, acres & putridi fiunt, olea denique pariter ac ſales repetito attritu ſoluta, acria, rodentia, ad minima & tenerrima vaſcula redduntur, atque facile dein putridæ febres generantur. Ad potum quod attinet, hic quoque varius inaſſuetus, ut plurimum generoſus, ſumme ſpirituoſus, tam fermentatione quam deſtillatione paratus, a militibus, nullis adhibitis cautelis nimia ſæpe copia hauſtus, ac frigenti æque ac æſtuanti corpori infuſus fuit. Abutebantur autem vino generoſo admodum Hungarico, quos iis non raro (in monaſteriis præcipue) ſat larga doſi in prædam ceſſit, atque inſuper in Sileſienſi Ducatu adeo familiare eſt ut & in pagorum ac vicorum diverſoriis modico ſatis pretio comparari queat. Id tamen ſæpe adulteratum eoque magis nocivum eſt, uti peſſimo ſuo damno plurimi tam de Hungarico quam Bohemico vino experti ſunt, quod ultimum auſterum valde minus ſpirituoſum, ſuo lentore, interim notabiles calores accendit, atque ebrietatem diu perſiſtentem conciliat. Horum vero potuum defectu magnis hauſtibus, aſſidentes foco largo, luculento, ſpiritu vini ſeſe ad ſatietatem replebant, ut frigus toto die perpeſſum arcerent, vires deperditas refocillarent, frigidamque ventriculi temperiem ut ajebant in calidam mutarent. Quam peſſime ſibi hac diæta, ſeu in itinere ipſo, ſive in caſtris poſt emenſum ſtadium conſuluerint, nemini non notum, præſertim cum calorem, ſitim, &c. verbo, febrim inde natam, aqua dein frigida, paludoſa, lutoſa, torpente, aut cereviſia in Sileſiæ plurimis locis, ſi non in omnibus, minus recte cocta & fermentata, ſed vappida ſemper, temperare ac ſedare cogerentur. Feliciorem ſine dubio & ſaniorem vitam vixiſſent faciliuſque laborem tuliſſent, ſi Egregium [*f*] *Celſum* (quem ipſis ſcripſiſſe putant, quam *Plurimum Semper Cibi* ingerendum eſſe) hac in re potius ſequuti & ejus præceptis obedientes fuiſſent. Hic vero de iis quæ fatigatis conveniunt ſic præcipit. *Poſt hæc omnibus fatigatis aptum eſt cibum ſumere; eoque humido uti, aqua vel certe diluta potione eſſe contentos, maximeque ea quæ moveat urinam.* Quibus & addit *quod ex labore ſudanti frigidæ potio pernicioſiſſima ſit.*

§. XXIV.

Ex reliquis procatarcticis cauſis nunc & in cenſum veniunt 3°. Motus corporis vehemens, continuus, ſollicitus plurimum & præceps; quem ſubeunt milites caſtrenſem agentes vitam cum magno impetu in hoſtes irruere, dimicare, vel tergis fugientium inſiſtere, vel loca opportuna celeriter occupare debeant, quod ſumma ſæpe numero pernicitate fit, ut

(*f*) Cornel. Celſus. Lib. 1. Cap. 3. Edit. Almeloveen.

ut inimicis id efficere volentibus, occaſionem præripiant. A motu autem muſculari nimio, ſanguinis circulus valide augetur, major in corpore enaſcitur calor, qui aquoſam humorum partem in vapores reſolvit, diſſipat, remanentem cruorem inſpiſſat ad liberiorem circumgyrationem ineptum reddit, ſalia ad putredinem, olea vero ad rancorem deducit atque facile ſic generationi affectus noſtri anſam præbet.

4°. Vigiliæ multæ, anxiæ, ſub cœlo vario & nocte intempeſta, quæ diu protractæ (dum excubias agunt, vel alio de negotio vigiles ſunt milites) blandos de ſanguine ſpiritus nulla arte niſi ſomno reparandos diſſipant, reliquia liquida acria reddunt, atque partes ſolidas debilitando, ni minimis vaſculis ſtagnationes, & obſtructiones in univerſo corpore putredinem ac febres cauſſantur. Quibus effectibus morboſis progignendis non parvam commodat operam, ſomnus in caſtris numquam bene tutus, ſed ſæpius in totum interruptus & parum ſaluber, in aere nempe clauſo, humido, putrido ac corpore minus cooperto. Sex enim milites, non raro cum una vel altera muliere in tentorio dormiunt ſimul, in quo ſi hiems aut frigus eſt non incaleſcunt (nam ex linteo modo confectæ ſunt Papiliones) ſi vero æſtas, Syrio aduruntur, & in proprio quaſi vaporis balneo diffluunt.

5°. Animi pathemata; quæ mirifice uti ſuperius §. XV. jam indicavimus totum ſyſtema nervoſum turbare atque univerſam œconomiam animalem breviſſimo temporis ſpatio immutare valent. Ex his vero fomitem febri noſtræ ſubminiſtrarunt ira, furor, inopini terrores præſertim nocturni, horror ex lugubri aſpectu, facto crudeli, ſeu relatione eorundem. Metus ab exſpectatione ſimilium; moeror propter neglectam fortunam vel mortem patris, fratris, amici, commilitonis, aliquando gaudium profuſum & deſperatio. A quorum numero nec excludentia erit venus nimium in genere a militibus exculta totieſque ad laſſitudinem iterata; excitatis potiſſimum diæta ſtimulante, ſpirituoſa, ut & amabili ſexu, in his regionibus præſtantia habitus, pulchritudine formæ, & morum ſuavitate, præ aliis celebri.

§. XXV.

Ad hanc cauſſarum claſſem 6°. & accedunt excreta & retenta; uti nimiæ ſanguinis evacuationes, alvi fluxus diuturnior, ſudores enormes &c. Venæ ſectiones omiſſæ quotannis inſtitui ſolitæ, hæmorrhagiæ narium ſuppreſſæ, hæmorrhoidum fluxus interruptus, tranſpirabilis Sanctoriani frequens ſublatio, urinæ & alvinarum foecum retentio, ac ſexcenta alia hujus generis quæ innumeris modis corpori nocere atque facile morbum noſtrum incutere poſſunt. Hiſce 7°. forte & adnumerare licet miaſma ſuſceptum, vel ex commercio cum deſertoribus exercitus auſtriaci (quibus copiis petecchialis morbus a multis jam retro annis familiaris eſt) vel

vel allatum a noſtris militibus hinc inde captis, & aliquando per menſes inimica caſtra ſequentibus antequam de eorum mutua traditione inter ſe convenere exercituum ductores. Hoc probabiliter per late ſibi patentem vaſorum reſorbentium viam ſemel in corpus ſanum receptum, ſolida irritando, vellicando, & conſtringendo, fluida diſſolvendo & acres reddendo egit, atque hinc in omnibus idem pene dramma luſit.

§. XXVI.

Quibus nunc a §. XIX. huc uſque perpenſis, ac probe conſideratis evidenter ſatis patere videtur, ſanguinis maſſam, & reliquos inde ſecretos humores graſſante hac febre ad corruptionem putredinoſam & diſſolutionem magis quam ad concretionem pronam fuiſſe quare miſſis argumentis talem humorum diſpoſitionem ulterius probantibus, modo ſubjungam methodum curatoriam, quam adhibuere medici ad tam infenſi militum hoſtis pervicaciam oppugnandam, quamque indicationibus ſequentibus ſuperſtructam plurimis quibus cito ſatis applicaretur, ſalutarem ac proficuam deprehenderunt. Generales vero medico curaturo ſeſe offerebant indicationes hæ, ut nempe 1., hærens in primis viis putridum alcalinum, per appropriata e corpore expelleretur, ut amplius nocere non poſſet. 2. ut acrimonia humorum compeſceretur, 3tio Vires vitæ debiles conſervarentur, 4to ut periculoſiſſima ſymptomata mitigarentur atque excretiones criticæ per cutim, alvum, urinam, & ſputa modeſte promoverentur.

§. XXVII.

Priori indicationi egregie ſatisfecere, emetica, laxantibus antiphlogiſticis nupta dum fomitem morboſum non modo ſuſtulerunt, ſaburram quippe acrem, putridam, bilioſam, ventriculum ac inteſtina occupantem ἄνω καὶ κάτω elimando, ſed & primas vias præpararunt, ut medicamenta & alimenta mox propinanda, melius retinere, digerere ac concoquere potuerint. His autem præpeditis ac conſpurcatis remediis quibus debellanda erat febris, præcludebantur fores vel iis non licebat cruoris ſedem ac cordis penetralia, non niſi deturpata facie ac mutata virtute ſubire.

§. XXVIII.

Purgata concoctionis officina, ope pulv. rad. Ipecacuanh. tart. emetici, rhabarbar: cremor tartar: &c. antequam de genio & indole morbi integre, conſtaret, a quibuſdam medicis & chirurgis & venæ ſectio celebrata fuit, aſt minus laudabili & felici cum ſucceſſu, quare & dein in totum ab ea abſtinuere vel non niſi ſuſpenſo pede ad eam proceſſe-

ceſſere. Nec adeo mirum improſpere ceſſiſſe ſanguinis miſſionem, quoniam copiam liquidi arterioſi & venoſi minuendo, vires vitæ magis labefactaret, humorum circuitum, ſecretiones, excretiones ante coctionem materiei peccantis promoveret, reſiduum cruorem ad ulteriorem liquationem diſponeret, febriles motus augeret atque cauſſæ proximæ §. XIX. indicatæ non directe oppoſita eſſet. Raro enim milites boni ſanguinis copia abundant, qui uti ſuperius conſtitit frequenter inſolantur, quorum lectus per æſtatem terra, hieme durum cubile, ſomnus nimium brevis, qui inediæ, vigiliis, curis obnoxii ſunt, atque multa, ſæpe invita ambulatione, curſu, aliis vehementiſſimis exercitationibus extenuantur & a multitudine præſervantur.

§. XXIX.

Hiſce rationibus præpoſterum detractionis ſanguinis effectum in morbo noſtro curando demonſtrantibus adhuc addere licet, quod numquam fere in noſocomiis caſtrenſibus juſto ac debito tempore celebrari potuerit. Nititur hoc argumentum effato generali celeberrimorum in arte medica virorum, qui unanimiter phlebotomiam in acutis febribus ante quartum ſalutarem poſt hunc vero diem lethalem pronuntiant. Quod ſi verum, ut utique eſſe horum auctoritas ſuadet, cauſſæ adductæ veritas, ſponte ſua patebit, præprimis dum ea quæ maxime huc pertinent verbo indicavero. In genere autem notandum, robuſtos, & ad quævis dura ſatis commode perferenda aptos milites, primis diebus morbum nec rite ſentire nec curare; tribuentes forte crapulæ heſternæ, vel alio errori in ſex rebus non naturalibus, commiſſo, capitis dolores, præcordiorum anxietatem, ventriculi infirmitatem &c. fideliſſimos quippe ejus præcurſores. Securi ergo & ab omni cura ratione valetudinis vacui, negotia & publica & privata more ſolito exercent, donec ſymptomatum vehementia ſuperati ac penitus fracti chirurgi caſtrenſis ejuſdem legionis cui addicti ſunt, auxilium implorant, & illo dein curante 5to. 6to. 7timo plerumque ægritudinis die immo pro caſtrorum diſtantia ſerius aliquando ad noſocomium vicinum devehuntur. Hoc in itinere, quod ſæpe triduum eſt a coeli inclementia & febris vigore dira patiuntur, imbribus nempe, ventis, ſolis uſtioni, frigori, aliis aëris injuriis & hoſtium ſæpe numero impetui expoſiti. Omnes in genere omni auxilio aut prorſus deſtituti currui imponuntur, aut ſi quædam præſto ſunt iis tamen habita ratione conditionis in qua vivunt recte uti nequeunt. Multi hinc ſalutis loco quam in noſocomio quærebant mortem in itinere inveniunt & miſere pereunt. His feliciores qui & itineris incommoda, & morbum favente corporis habitu robuſtiore ſuſtinuerunt ſemi mortui medico caſtrenſi & ejus curæ committuntur. Quid quæſo ſolaminis miſerabili huic militiæ adtuliſſet detrahendo illi quicquid ſanguinis & humorum in exte-

te-

tenuato corpore reliquum erat? Nonne de corio humano luſiſſet ſi ægris exhauſtis, ſiti enectis, & febrem ultra ſeptimum perpeſſis ferro ſtatim occurriſſet & illis venam adaperuiſſet? Nonne militi crudelior fuiſſet viſus, hoſte, a quo ſi ſe victum dixerit nihil eſt quod metuat; ille vero trucidaſſet, quamquam ejus medicationi libens lubenſque ſe ſubjecerit? An aliud quicquam ex incongrua tali ſanguinis profuſione quam morbi in mortem judicationem exſpectare licebat? Quam vellem animum ad credendum inducere poſſem, obſtat tamen egregius Celſus, in Cap. de ſanguinis detractione dicens: *Quod ſi vehemens febris urget, in ipſo impetu ejus ſanguinem mittere hominem jugulare eſt.*

§. XXX.

Secundæ indicationi inſerviebant medicamenta acrimoniæ alcalinæ domandæ idonea, uti ſunt ex vegetabilibus, acetum vini ſimplex, deſtillatum, ejus ſpiritus, ſuccus citri, limonum, fructus horæi maturi, horum ſucci crudi vel cum ſaccharo in ſyrupum cocti. ceraſa v. g. acida, ribeſia, mora, tartarus quoque rhenanus, ejus cremor, cryſtalli &c. Quæ omnia cum ſanguinem potius diſſolvant quam coagulent, & ille tamen in febris vigore ab intenſiſſimo calore, attritu fortiore & aucta ejus velocitate ad maximam tenuitatem deduceretur, magno ægrorum emolumento ad acida foſſilia confugere medici, ut humoribus coagulum ſive majorem denſitatem inducerent & eorum plenariam diſſolutionem præpedirent. Maxime ex his in uſu fuere ſpiritus nitri & vitrioli tam puri quam dulces; cum ſpiritus ſulphuris per campanam, puriſſimum ſane, omni metallica labe expers ac ſcopo noſtro aptiſſimum præbens acidum non ubivis proſtet in officinis; caro nimis veniat, & cito ſatis debita quantitate parabilis non ſit.

§. XXXI.

Viribus vitæ conſulebatur cibis euchymis, eupeptis, aceſcentibus, humectantibus atque laudabilem ſanguinem generantibus. Primum ex his ſibi vindicarunt locum decoctiones ex hordeo mundato, avena, milio, oryza, pane &c. ptiſanæ, cremores, lac & quæ ex eo conficiuntur, item juſcula tenuiſſima carnium, quibus acetoſa, acetoſella, ſimiles herbæ incoquebantur.

§. XXXII.

Gravioribus ſymptomatibus hac ratione obviam itum. In nimio calore febrili omnia ea adhibebantur, quæ ſanguinis vehementiorem motum ac fervorem compeſcunt, coercent, & ſimul putredini reſiſtunt, qualia

ſunt, refrigerantia, diluentia, aquoſa, grato acore ſapida, relaxàntia, nitroſa, & antiphlogiſtica, ſpecie mixturæ, emulſionis, hauſtus, balnei, clyſmatis, fomenti &c. uſurpata, applicata. Et quoniam aeris cauta renovatio ac emendatio, plurimum ad mitigandum æſtum confert, nimis calidum temperarunt, aſperſione frigidæ in pavimentum, vel exhalatione ejus per ramos tiliæ, betulæ, ſalicis &c. vaſculo aqua repleto immiſſos, vel ſpargendo per cubiculum gramen, recenter falce reſectum. Putridum magis ac acrem emendarunt, accenſo pulvere pyrio, nitro, vapore aceti, ſimilibus.

§. XXXIII.

Ad exſtinguendam intenſam ſitim, plurimum ſe commendavit aqua pura, fontana, cum pane toſto, hordeo, vel avena decocta, melle, oxymelle ſimplic., rob ſambuci, ſimilibus ſapis acidulis, & acido quodam ſpiritu remixta. Generoſioribus militibus eundem in finem parabatur decoctum e pomis citri, pro potu ordinario, cujus libris quatuor vel ſex, ſyrupi cujuſdam aliquot unciæ additæ fuere. Sub veſperam iis & exhibebantur mixturæ ex aquis ſtillatitiis flor. ſambuci, ceraſor. acid. flor. borraginis, ſyrup. acitoſitat. citri, nitro, ſpirit. vitriol. &c. compoſitæ.

§. XXXIV.

In vehementi delirio, & atrociſſimis capitis doloribus, inſigniter juvarunt, ſitus corporis erectus, ut ſedentis fere formam haberent ægri; emplaſtra ex cantharidibus, ſuris, vel nuchæ applicata, pediluvia aliaque epiſpaſtica ex panis fermento, ſemin: ſinapi, cœpis &c. pedum plantis appoſita, anodyna dein ac paregorica interne data una cum antiphlogiſticis.

Pervigilium curabatur, quiete muſculari, aëre modice refrigerato, potu copioſo, farinoſo, emolliente, emulſis ex ſeminibus quatuor frigidis, amygdalis dulcib. ſyrup, papav. rhœad de nimphæa - &c. nec non opiatis lenioribus variis modis exhibitis, præmittendo tamen ſemper putredini adverſa, & cerebri inflammationi curandæ idonea.

Motus convulſivi, tendinum ſubſultus, artuum tremores, laxantibus, revellentibus, anodynis, pulveribus temperantibus, antiſpaſticis, victu & potu tenui, demulcente, acre obtundente, compeſcebantur.

§. XXXV.

Faucium inflammationi, linguæ ſiccitati ac nigredini, medebatur, collutionibus frequenter de die repetitis, ex lacte tepido, aqua tepida, melle roſaceo, ſyrup. violar. oxymell. ſimplic. ſale prunell. aceto ſtillatitio. Aridis gingivis, linguæ, labiis, illitum fuit, oleum amygdalinum recens

preſſum

preſſum, & ſyrupo mororum mixtum, vel butyrum recens cum aliqua ſalis prunellæ portione ſubactum. Sordes ori inhærentes abſtergebantur linteo molli, oxycrato, vel alio decocto detergente intincto.

§. XXXVI.

Si alvus adſtricta nimis, vel tormina ægros afflixerunt, clyſmata ex blandiſſimis herbis emollientibus ut malva, althæa, mercuriali, parietaria, verbaſco, &c. expertiſſima fuerunt. Dolendum interim quod in gregario milite non ſemper locum inveniant eique urgente neceſſitate, propter defectum pharmacopæorum applicari nequeant.

§. XXXVII.

Poſt eruptionem peticularum, cum in ſummo verſaretur periculo patiens, maxima Medicorum cura fuit, ut mobilem ſervarent materiem ad cutanea vaſa vi vitæ incitatæ deductam, ut impetum ſanguinis ad corporis ſuperficiem imminuerent, atque ſubitam macularum retroceſſionem utpote lethalem impedirent. Id autem obtinuere; potu aſſiduo, levi, aquoſo, nitroſo, antiſeptico, repetitis vicibus tepide ingeſto, quiete mentis, & corporis abſoluta, medicamentis acidis, refrigerantibus, tegendo ægrum leviter potius, quam integumentis ſuffocando, curioſe inſuper vitando refrigerium, bezoardica, & diaphoretica fortiora, adeo decantata a practicis, in curatione hujus ſymptomatis.

Retropulſis peticulis a frigore incaute admiſſo vel alio de errore, vix ſalus a ſparmaco ſperanda erat. Aliquando tamen licet rarius decoctum hordei, vel aqua mellita, ſpiritu vitrioli aut alio ſimili acida reddita, & magna, immo ingenti copia aſſiduo hauſta deſperatos & jam jam morituros ſervavit, ac excitato largo ſudore, ab omnibus quamquam graviſſimis ſymptomatibus liberavit.

§. XXXVIII.

Criſes vero quas natura ſub febris decrementum moliebatur, varia ratione adjutæ fuere. Et quidem ſi levis cutis mador ſubſecuturum ſudorem indicaret, mane doſis una vel altera, eſſ. flor. borraginis, bugloſſ. papav, rhoead. bellidis, &c. cum aqua & parca quantitate ſpiritus vitriol. aut ſulphuris, per infuſionem paratæ, militibus exhibebatur, ſimul cum decocto quodam aperiente, leniter diaphoretico.

Si Diarrhœa ſequuta critica, clyſmatibus, emollientibus, laxantibus, ex aqua vel ſimplice vel cum idoneis herbis decocta, oleo olivarum, lini, mell. roſac. ſapone veneto &c. quicquid ſordium in inteſtinorum canali hæſit, educebatur. Quandoque ſoluta adhuc magis fuit alvus per

laxantia eccoprotica ore aſſumta; quem in finem, rhabarbarum, manna, cremor tartari, ſyrup. de cichoreo cum rheo, pulchre conveniebant, quippe abſque ſtimulo agentia.

Urina prorumpens judicatorio die, promota fuit, decoctis leniter diureticis, quibus multum roob ſambuci, ſyr. de althea Fernelii, capillor. vener. pro gratia & majori efficacia addebatur. Quod ſi materies critica ad pulmones delata, per ſputa eliminaretur, omnia ſic dicta pectoralia, becchica, emulſa ex farinoſis, dulcibus, decocta ex ſol. tuſſilaginis, hyſſop. veronic, heder terreſt. ſummit. millefol, addito ſyrup. de Hyſſopo, rad. quinque aperientium, vel oxymelle; eclegmata ex oleo amygdal: dulc. ſyrup. modo nominatis, in uſum vocata egregie profuere.

§. XXXIX.

Ad virium reſtaurationem poſt exantlatum morbum fecere potiſſimum, alimenta blanda, humida, facile digerenda, ex oleribus, fructibus, lacte animalium, potus meracus bene fermentatus, lenis ambulatio, in aere puro, ſereno, motus dein corporis auctus ad initium leviſſimæ laſſitudinis, vectio in rheda, equitatio pro ditioribus, balnea pedum, frictiones caute inſtitutæ, ſomnus denique tam diu protractus, donec agilitas corpori inde enata ejus abſtinentiam ſuaderet.

Prophylactice juvarunt, purgationes lenes cum prudentia ſemel vel bis in ſeptimana reiteratæ, moderatus uſus rerum ſex non naturalium; præprimis vero ſeparatio convaleſcentium ab ægris, ne effluvia putrida ab his perpetuo exhalantia, in debile corpus recepta, & continuo inſpirata, conſopitum ad aliquot tempus miaſma febrile in novos motus cierent & priori ſemper pejorem paroxyſmum excitarent.

§. XL.

Quemadmodum autem inter arma, uti vetus dicit proverbium, ſilent leges, ſic multo magis in noſocomiis caſtrenſibus medicorum præcepta negliguntur ac flocci penduntur. Unde & evenit, ut, præſervatoriis cautionibus minus religioſe obſervatis, frequentes fuerint recidivæ, atque convaleſcentes in ipſo veluti portu jam conſtituti naufragium nihilominus perpeterentur. Cujus infelicis eventus præcipuam cauſſam, militum depravatam victûs rationem fuiſſe crediderim; quippe qui falſam adeo ac peſſimam animo fovent ſententiam, ut, fracta morbi vehementia non medicamentis ſed potius alimentis opus habeant ad ejus reliquias tollendas. Quamprimum itaque e mortis faucibus ſe ereptos vident, nullis ſe amplius artis ſalutaris legibus obligant, ſed ſanorum ad inſtar genio indulgent, carnibus ac groſſiore pane ſecalino, debilem ac contractum ventriculum, cito nimis aggravant, diſtendunt, atque præterea potibus ine-

inebriantibus, quibus integra valetudine tam frequenter ſumma cum voluptate vires coctrices (ut perperam ſibi perſuadent) auxere, debiles adhuc & laxi utuntur, abutuntur. Mox conqueruntur cardialgiam, præcordiorum anxietatem, debilitatem primarum viarum, generant novas cruditates, hinc nauſea, vomitu, diarrhoeis & lævitate inteſtinorum interdum vexantur, ac inſultibus febrilibus atteruntur. Horum ſymptomatum medicinam, fruſtraneo conatu ſæpe quæſiverunt medentes, cum ſuperſtes vita raro ſufficeret, ad vehementiam eorum ſuſtinendam: in quibuſdam ſat prompte exhibitum vomitorium, ad miraculum uſque juvaſſe viſum eſt. Et hæc mihi dicta de Febre Caſtrenſi petechiali ſufficiant.

F I N I S.

THESES ADNEXÆ.

I.

Febris petechialis gonorrhœæ virulentæ, bubonibus, ulceribus venereis, condylomatibus, ficubus &c. in ano & pudendis, ſuperveniens; ea ſanat atque radicitus eſtirpat.

II.

Miaſma petechiale, ad mulierum quoque caſtra tranſire ſolet, ſed illis non æque ac viris funeſtum eſt.

III.

Vulnera Cerebri licet profunda, non ſemper lethalia.

IV.

Vulnus ſclopetarium per medium pectus non abſolute trucidat.

V.

Leviſſimum aliquando vulnus, in quacumque corporis regione, lethale fit, ſi vulneratus cachexia laborat.

VI.

Mercurius male vocatur Medicamentum. Eſt enim venenum & alium morbum inducendo, ſpecifice luem veneream ſanat.

V I I.

Gonorrhœam tamen non tollit, licet benigna ſit.

V I I I.

Mercurius forte ſpecificum in rabie canina.

I X

Merito culpandus videtur D. D. Le (*a*) *Cat, in tractatu de ſenſibus, nuper edito, temere nimis aſſerens, fuſcum membranæ choroidis & glandularum bronchialium, colorem, pendere a ſulphure & mercurio ita in minimis vaſculis attrito, ut inde fiat æthiops mineralis. Antequam enim aliquam probabilitatem hypotheſi conciliare poſſit; chemicis experimentis mercurii & ſulphuris in corpore humano præſentia illi demonſtranda erit.*

(*a*) Vid. Traité des ſens par Msr. le Cat. De la Vuë.

CLXXIV.

GODOFRIDI WELSCH

ET

SIGISM. RUPERTI SULZBERGER,

HISTORIA MEDICA

NOVUM ISTUM PUERPERARUM MORBUM CONTINENS, QUI IPSIS

der Frieſel

DICITUR.

Lipſiæ 20 April. 1655.

IN NOMINE JESU!

FAtendum ſane, principes ſuperiorum ſeculorum medicos ſumma ſemper, in procurando poſteritatis commodo, ſedulitate eo inſudaſſe, ut caſu obſervatos quotidiano corporis humani p. n. *affectus*, non ſibi ſervarent, ſed, toti ſubinde proſpiciendo humano generi, illorum omnium *naturam*, *cauſas*, *ſigna* & *curationem*, non ſine præclara famæ ipſorum proclamatione, literis traderent publicis; ita, ut ipſorum manu-quaſi ductione, quævis morborum genera, & cognoſci, & (quantum quidem per Deum inprimis, & artem licet, & poſſibile eſt) curari poſſe, conſtet, ac manifeſtum ſit. Non negandum tamen, arbitror, quemadmodum *temporum potiſſimum mutationes* alias *morbos parere* dicuntur, plures eſſe, quibus jamdum miſeri detinentur ægroti, p. n. affectus, qui antiquis artis med. Doctoribus cogniti fuerunt nunquam, ita, ut verum proinde ſit, quod dicitur: *Multos priſca ſecula tulerunt; alios futuris ſeculis poſteritas animadvertet; cum novæ aëris, ſyderumque mutationes, atque concurſus accident, nobis prorſus incogniti.* *Hipp. Aph. 1. Sect. 3.* *Franciſc. Valleriol. Loc. Com. l. 3. cap. 2.*

Cujus rei veritatem vel ſolus, inter alios, omni ætati, & ſexui jam nunc communis, & familiaris teſtatam facere poteſt, *ſcorbutus*; qui, cum antiquis ne per tranſennam quidem notus fuerit: ſuperioribus tamen annis, in ſuperiori etiam hac noſtra Germania, eam nobiſcum inire conſanguinitatem auſus eſt, ut plurimos non tantum ſua labe, ac contagio per ſe inficere, ac exercere, ſed aliis etiam morbis pernicioſe ſeſe implicare non erubeſcat.

Sed quid ſcorbutus? *Novum* præterea, & antea *nec viſum ita, nec cognitum malum*, mulierculis noſtris, *der Frieſel*, dictum, noſtram hanc *Lipſiam* ea invaſit hactenus inclementia, ut jugulum plane Reipubl. petiiſſe viſum fuerit, & etiamnum petere videatur, dum pleraſque *puerperas*, tanta ferocia, ac lethalitate, jam inde a triennio, & quod excurrit, exercuerit, ut vix decuma evadere, ac ſuas purificationis dies abſolvere ſalva potuerit.

Morbus ſane *novus*, ſumme *periculoſus*, & qui noſtros huc uſque excruciat animos! Fecimus hac in parte, qui medicinam hic facimus, quod per *artem*, & *methodi leges*, facere licuit. *Malum*, cum primo intuitu nec *ratione*, nec *experientia* penetrare potuerimus, ex *lege methodi*, *analogice* tractavimus; ſcopum tamen, cum pleræque denatæ ſint ægrotantes, non aſſequuti.

Hinc, cum & rei gravitas, & officii ratio compellere me videantur, ut, quod vel ab aliis, & inprimis ab Excell. Domino D. *Johanne Michælis*, practico, hic & ubique famigeratiſſimo, circa *naturam* hujus

 novi

novi mali communicatum mihi eſt, vel ipſe ego in praxi mea vidi, & expertus hactenus ſum, accuratius, penitiuſque, ac pro ſumma rei neceſſitate, conſiderem, aliorumque Doctiorum, ac experientiſſimorum medicorum hac de re judicium, ſententiam, & informationem, pro me partim, partim pro multarum ægrotantium ſalute, officioſe expetam, abſtinere amplius non poſſum, quin calamo nunc demum committam, quod animo hactenus perpendi timido:

Medicam ſc. *novi iſtius puerperarum affectus*, qui noſtris *der Frieſel* dicitur, traditurus *hiſtoriam*; ita quidem ut

I. Morbi novi ideam, qua a triennio, & quod excurrit, prodiit, proponam;

II. Ipſius curationem, *hactenus* a nobis *habitam*, exponam, &

III. Meam (qualem qualem) *de ipſius natura*, *cauſis*, *& curandi modo*, ſubjiciam *mentem.*

Quod dum conor, *Dei omnipotentis imploro gratiam*, *Benevoli Lectoris ſpero faventiam*; *ac Doctiorum peto ſententiam.*

CAPUT PRIMUM.

Ideam novi morbi continens.

THESIS I.

I*Deam morbi* traditurus, vix commodiore procedere poſſum via, quam ſi *particularia ipſius tempora*, & in quas, quovis tempore, ſe convertit *malum* facies, accurate recenſeam.

II.

Principium ergo quod ſpectat, pleriſque altero ſtatim poſt partum die, quibuſdam quarto, & præſertim dum lac copioſius in mammis generatur, & colligitur; aliis ſeptimo; interdum, ſed raro, tardius, accidit; quamvis quinta etiam poſt partum ſeptimana contigiſſe, unicum ſaltem ipſe habeam exemplum.

III.

Invadit autem hoſtis, præeunte quadam interdum horripilatione, ſtatim cum corporis totius incaleſcentia, anxietate circa præcordia, inquietudine, capitis interdum dolore, oculorum rubedine, leviuſculo etiam ſudore, cum circa frontem, tum præcordia circa & dorſum collecto, pur-

purgatio imminuitur, urina plerumque vel ſanorum ſimilis, vel parum tamen a ſtatu naturali recedere, & tenuis, clara, ac flava interdum conſpicitur; alvus, vel difficulter reſpondet, vel conſtipata eſt; & ſic ad ſuum pergit

I V.

Incrementum; ubi circa præcordia, in collo, dorſo, & ſic deinceps in toto ut plurimum corpore, quibuſdam ſparſim per corpus prodit rubor, cum inſigni calore, & cutis inæqualitate, aſperitate, ac pruritu; pulſus magnus, ac vehemens eſt; appetitus ceſſat; ſitis quaſdam magis, quaſdam minus exercet; ſomnus nullus, &, ſi contingit, inquietus, ac turbulentus eſt; purgatio ceſſat ut plurimum; urina clara, aurea, rubra quandoque eſt, & reliqua ſubinde augentur ſymptomata, quæ circa quartum, quintum, & ſextum, morbi excipit

V.

Status; ubi pro inſito hujus temporis genio, omnia ad extremum quaſi vehementiæ gradum tendunt ſymptomata: calor ſumme interdum intenſus, interdum remiſſior eſt; caput inprimis, genæ, & præcordia ardent, dolent; rubor, cum cutis aſperitate, quibuſdam maximus, quibuſdam minor; modo foris permanenter conſpicuus, modo ad interiora fugitivus eſt; cutis aſperitas, quibuſdam minor, & *ſeminis milii* inſtar per cutem diſperſi; aliis major; quam in puſtulas, ſero refertas, abiiſſe, non raro obſervatur; urina plerumque turbida eſt, cum copioſo ſedimento, & a pleriſque involuntarie, cum perceptione tamen, excernitur; ſudor ſpontaneus, interdum copioſus ſatis; cordis anxietas; pulſus debilis, inæqualis; reſpiratio difficilis; virium proſtratio; quies nulla, delirium, oculorum caligo, hæmorrhagia narium; tremor, motus convulſivi, & epileptici; quorum ſymptomatum (quæ pro morbi tamen magnitudine, & naturarum diverſitate ipſa variant) dira, ac immani ferocia noſtrarum *puerperarum* plurimas, quaſdam in principio ſtatim, quaſdam in augmento, in ſtatu præcipuas, extrema virium dejectione, epilepſia, vel motibus tamen epilepticis intermixtis, catarrho item ſuffocativo, ſupervenientibus, animam hactenus exſpiraſſe ſuam, non ſine palpitante cordolio noſtra hæc dolet *Lipſia*, lugetque, quod tam paucis morbi hujus contigerit, & etiamnum contingat

VI.

Declinatio. Hoc enim ſalutare iſtud, & maxime jucundum morborum tempus eſt, quo miteſcere morbus a natura victus, & patiens ſuas recolligere vires, ac ad priſtinam redire valetudinem, incipit; quod ipſum quæ aſſequuntur *puerperæ*, in iis materia peccans, ad alvum partim, a natura relegatur, & per repetitas ſedes evacuatur; partim vero per habitum corporis ſudore, madore, inſenſilique tranſpiratione diſſipatur; rubore non minus, ac aſperitate ceſſante; cuticula, eroſa quaſi cum pruritu decedit a cute, nec æqualiter tamen in toto corpore; & ſic paulatim ad priſtinum tendit ſtatum reconvaleſcens *puerpera.*

CAPUT II.

Novi morbi a nobis habitam hactenus curationem exponens.

Thesis I.

M*Alum* hocce *novum* quot curis hactenus, quotque ſpeculationibus, medicinam hic facientium contorſerit animos, nemo facile ambiget, niſi qui de noſtra erga Deum pietate, & Chriſtiana erga proximum charitate; plane dubitet. Rei vero novitas, novas de ſeipſa in nobis peperit conjecturas, quas tamen in ſtantem abire ſententiam paſſa nondum eſt; quia nova eſt. *Utroque* enim licet *crure* inceſſerimus, *ratione* ſc. & *experientia*, pro cognitione, & curatione hujus mali, adhibitis; nec *ratione* tamen, multo minus *experientia*, ut ſupra dictum, rei novitatem aſſequi, ac penetrare ſtatim potuimus. *Analogiſmum* ergo, tanquam firmam *dogmaticæ medicinæ* anchoram, arripere interim, ſuaſit *medendi methodus.* Hinc cum *novum* hunc *morbum*, ex ſubita ipſius invaſione, motus celeritate, ſymptomatum gravitate, ac ſummo vitæ periculo, *acutum* ſatis cognoverimus, cauſaſque ipſius, nec ad *primas*, nec ad *ſecundas qualitates*, referre potuerimus, *malignum* plane judicavimus, & ea propter *analogice* eum, & *febris malignæ* inſtar, curavimus.

Gal. libr. 3. M.M. c. 2.

II.

In *principio* quidem, alvi primo omnium habendam rationem cenſuimus, ne, ſi forte primarum viarum adſit obſtructio; vel ipſum augeatur malum, vel mala inde prognaſcantur ſymptomata. Hinc, cum res *puerperas* tangat; alvum leni quodam primo citavimus ſuppoſitorio; cui, ſi

ſi non reſponderit, clyſterem applicavimus, ex emoll. refrig. aperientibus, & malignitatem inſimul reſpicientibus, ut ſunt: rad. alth. malv. tarax. ſcorzon. imper. ſcord. &c. Herb. malv. alth. pariet. violar. ſcord. veron. &c. flor. chamæm. malv. &c. in quorum decocto, vel mel roſar. ſimpl. vel elect. lenit. trypher. perſ. aut ol. chamomill. lil. alb. viol. &c. & nitri præpt. aliquid diſſolvimus, hoc ipſo tamen tempore calorem p. n. & ſuſpectam inprimis malignitatem, non neglεximus; quod factum, calorem p. n. alterando, malignitati vero reſiſtendo; ſcilicet per potiones ex decoct. hord. ſ. & cum C. C. decoct. alterant. uſit. aqua violar. acetoſ. fragor. juleb. roſ. & violar. ſyr. acetoſit. citri, acetoſell. fragorum, roſar. violar. &c. quibus ſemper tamen, malignitatis ratione, aq. ſcorz. galeg. fl. calendul. ſyr. Card. Bened. & e citr. comp. adjecimus; vel emulſiones ex ſemin. frig. maj. & min. cum decoct. hord. vel aq. acetoſ. & fragor. factas cum pulv. Bez. Senn. Ebor. ſ. igne præpt. Magiſt. perlar. vel corall. exhibuimus.

III.

Augmentum quod ſpectat, cum ex ſupra relatis ſignis cognovimus, incrementum ſumere *malum*, in eo toti occupati fuimus, ut inſtitutum a natura ſequeremur ductum. Hinc cum *natura* noxios humores ad habitum corporis movere, viſa fuerit, juvare eandem expellentibus neceſſe duximus; quem in finem *potiones* partim, partim *pulveres* præſcripſimus: *potiones* quidem ex aq. Card. Bened. fumar. veron. ſcabioſ. card. Mar. fl. ſambuc. antiſcorb. Dorn. ſcord. ſcorzoner. galeg. cum pauca quantitate ſpir. Card. Bened. bacc. ſamb. & theriacal. camphorati, mixtur. ſimpl. tinctur. fl. aquileg. &c. quibus juleb. roſar. vel viol. &c. ſyr. item e citr. comp. vel rot. man. Chriſti perlat. gratiam conciliavimus; nec raro ſp. vitrioli guttas aliquot miſceri fecimus; vel etiam tinct. Bezoart. Dn. D. Michaëlis per ſe, in vehiculo, vel cum ſupra dictis exhibuimus; vel potui tinct. roſ. & viol. pro alteratione, tinct. fl. aquileg. pro juvanda expulſione, infudimus. *Pulveres* quod concernit, uſi fuimus cornu cervi ſine igne præpt. ebor. ſine igne præpt. Magiſt. C. C. off. de C. C. ♀ diaphor. pulv. Bez. D. Senn. Pannon. rub. Magiſt. ſpinar. viper. unicorn. foſſil. bez. ſolar. lap. bez. &c. & hæcce diaphoretica ac bezoardica plerumque Magiſt. perl. corall. ſmaragd. præpt. miſcuimus. Tenuioris vero ſortis fæminis, inter alia Rob. Sambuc. cum ſpir. ſambuc. & C. C. ſine igne præpt. ac ♄. diaph. exhibuimus. Horum autem omnium uſus, cum exacta diætæ ratione, noctu, dieque, ut in malignitate convenit, repetitus, & *virium* ſimul ſedulo habita fuit ratio.

IV.

Status morbi. Cum *morbus*, ac *ſymptomata* non ſumma tantum in eo urgerent, ſed *natura* etiam omnes, ad debellandum hoſtem, nervos intenderet, plurimum nobis fecit negotii; præſertim cum *novus* hicce *ſequioris ſexus hoſtis* ſuſpecta valde facie hoc tempore ſeſe gereret; fecimus interea, quod, ex *Hippocraticis*, *Galeniciſque* fontibus proſiliens; nobis ſuppeditat *medendi methodus*; ſcilicet præcipuum negotium *naturæ*, criſin molienti, commiſimus; ſubinde tamen eidem bezoardicis, ac cordialibus, ſupra citatis, ſuccurrere, viriumque, ac ſymptomatum, prout pro temporis ratione licuit, curam habere nulli deſtitimus.

V.

Declinatio, ſi quæ quibuſdam contingit, lætabunda ſatis accidit, parumque curæ, ac ſolicitudinis amplius nobis excitavit; plerumque enim circa nonum, vel undecimum blanda quies, caloriſque, ac ſymptomatum remiſſio, fætidas, malæque conditionis exceperunt dejectiones; reliquiæ item ex habitu per ſudorem diſſipatæ ſunt; mutata in corpore qualitas, ac ſuperficies, color ſc. & aſperitas, decedente quibuſdam, non abſque ſcabioſi cujuſdam pruritus perceptione, cuticula, ceſſarunt paulatim; & ſic brevi reſtituta eſt tempore patiens *puerpera*; a nobis unico tantum, vel altero laxativo, vel leniter purgante; vel diſcutiente exhibito pharmaco; & largiori paulo conceſſo victu; quibus ipſis *naturæ* partim recte agentis ductum ſequuti ſumus; viribus partim per morbum debilitatis ſat cito proſpeximus.

VI.

Et hæc curationis noſtræ ſumma eſt; quæ ſi non arridet omnibus, *bonis* modo ac *peritis* arrideat *medicis*; quipe qui ipſi norunt, quæ *novis*, *ac incognitis* antea *morbis*, competat *medendi methodus;* nos interea parentem
Aph. 52. *ſ.* 2. noſtrum audimus *Hippocratem: omnia ſecundum rationem facienti, ſi non ſuccedant ſecundum rationem, non eſt tranſeundum (ſtatim) ad aliud;* præſertim ſi τὸ θεῖον, ut dicitur, ſeſe immiſerit *materiæ*. Valleſ. & Heürn. in comment. hujus aph.

CAPUT

CAPUT III.

Meam (qualem qualem) circa naturam, cauſas, & curationem, mentem exponens.

Theſis. I.

Quemadmodum antem *Hippocrates* olim *ipſe* faſſus eſt, *homines neceſſitate coactos, artem inveniſſe, & inveſtigaſſe medicam*; ita nos etiam, *novo* plane *morbo*, convenientem inveſtigare curandi methodum, ſumma jam nunc cogi neceſſitate, ipſe confiteor; quæ ipſa pridem quidem inventa, & inveſtigata eſſet, modo *medicæ arti* ea, quæ aliis communis eſt inveniendi, ac inveſtigandi, vel inventa potius & ratione inveſtigata exercendi, facilitas eſſet, ac licentia. *Non enim corium, non ligna, non lateres, non lutum, in quibus periculum facere, eſt quam facillimum*; ſed corpus humanum, humanum inquam corpus, corpus vivum, tractat medicus; in quo experiri aliquid, quod probatum ante non eſt, periculoſum eſſe, quis ibit inficias? *De Priſca Med.* *Gal. in Com. Aph. 1. Sect. 1.*

II.

Aſt recordatus interea illius *Hippocratis: in quamcunque autem domum ingreſſus fuero, ad ægrotantium ſalutem ingrediar*; quid demum hocce de *novo morbo*, pro mea quidem tenuitate, *ſentiam*, dicere potius, quam tacere ulterius, ratum, conſultumque habeo; eum unice in finem, ut, *ad ægrotantium puerperarum ſalutem*, mente mea publice expoſita, vel meæ certior fiam ſententiæ, vel *aliorum rectius ſentientium* adipiſcar *judicium*, juxta ac *conſilium*. *In Juramento.*

III.

Sed vero hoc opus, hic labor eſt, dum in limine ſtatim hujus negotii, mentem enim meam circa *novi* iſtius *morbi naturam, cauſas, ſigna & curationem*, me expoſiturum dixi, cum tamen, ut verum fatear, *proprio* inſignire eum *nomine*, ac titulo plane neſciam. Verum enim vero cum & *medicis* conceſſa ſit iſta ὀνοματοποιεῖν poteſtas ac licentia, *novum* iſtum *puerperarum morbum*, quem ipſæ, a *cutis aſperitate*, quæ *Krauslicht* q. vel *Krieſslicht*, vel panni iſtius, *Frieſs* dicti, inſtar conſpicitur, ſive id euphoniæ gratia, ſive ex muliebri fiat licentia, *deu Frieſel* nominant, *febrem malignam miliarem* voco; commodius tamen, & *proprium* magis *nomen*, a *doctioribus* ſuppeditari, expeto.

VI.

I V.

Febrem voco *malum* iſtud, quia calor p. n. Cordis, àc totius corporis, a principio ſtatim omnes invadit, ac per reliqua morbi tempora urget; licet non omnibus gradu æque idem ſit, *malignam* quidem, quia pejora; quam pro eſſentiæ ſuæ ratione, & cum maximo vitæ periculo eum comitantur ſymptomata; *miliarem vero*, ab *exanthematum*, ipſi *propriorum*, *forma*; cum in ea talia in habitu corporis prorumpant *exanthemata*, quæ magnitudine ſua *ſemen milii* exacte referant, & tactui noſtro ita ſeſe exhibeant, ac ſi totus *milio* eſſet conſperſus *habitus*.

V.

Hinc propius ad rem accedens, ita ſtatim definio, *febris maligna miliaris eſt febris maligna, cum inſigni habitus, totius, ut plurimum corporis, rubore, calore, & exanthematibus, ſemen milii referentibus, ab ichore peculiariter corrupto, & maligno, ſanguini fervido confuſo, orta.*

V I.

Definitio hæc ſuo *proximo*, & *adæquato* conſtat *genere*; *genus proximum*, & *adæquatum febrem malignam* eſſe, ex ſuperioribus conſtat, & nulla prolixiori probatione opus eſt. *Differentias* item, *partem affectam*, *ſigna* ac *cauſam* continet *proximam*.

V I I.

Pars affecta cor eſt, & *habitus corporis*; illud *febre* corripitur, ac *malignitate* inficitur; hic vero ſummo *calore*, *rubore*, & *exanthematibus*, *milii grana* referentibus, afficitur

V I I I.

Cauſam quod concernit, *proxima*, in definitione poſita, ſuas etiam in ſe complectitur *remotas*, ita tamen, ut *illa* prioritatem ſibi vendicet non immerito.

I X.

Hipp. l 6. Epid. & Galen. in Comment. 4. in libr. de rat. vict. in morb. acut. Gal. 1. de Elem.

Ichoris vero, qui *proxima*, & *continens febris malignæ miliaris cauſa* dicitur, naturam, ac genium, prolixius paulo tradere, rei ferre videtur neceſſitas. ἰχὼρ *Hippocrati*, ac *Galeno*, interdum *in genere* ſignificat tenuem, ac ſeroſam humiditatem, in vaſis contentam, interdum ſerum ſanguinis, lactis ſero ſimile; *ſpecialius* vero non totius maſſæ ſerum, ſed talem denotare fertur ſuccum, qui humoris, ut Plato loquitur,

tur, facultatem adeptus eſt, cujus ἰχὼρ dicitur; unde, citato jam *authori*, ſanguinis ἰχὼρ mitis; atræ vero & acidæ bilis, ferox eſt. *Specialiſſime* autem naturam *ichoris* deſcripſiſſe mihi videtur *Galenus*, dum dicit: *ſeroſum autem ſanguinem non ſimpliciter tenuem, & aquoſum ab eo dici, exiſtimandum eſt, ſed eum, qui venenoſa quadam, & maligna qualitate ſit præditus*, ex quibus breviter colligo, naturam *ichoris* in eo conſiſtere, ut ſubſtantia tenuis; cuilibet humori proprius, & ita ſanguini, ſanguini bilioſo, ſanguini pituitoſo, ac ſanguini non minus melancholico, ſuus ſit ἰχὼρ qui tamen non in ſimplici quadam tenuitate, ac ſeroſitate acquieſcat, ſed venenoſam ſimul; ac malignam ut plurimum qualitatem conjunctam habeat. *In Comm. in lib. Epid. Hipp.*

X.

Hæc dum ad *proximam*; & *continentem febris malignæ miliaris cauſam* applico, totam ejuſdem naturam me exhauſiſſe, exiſtimo; eam ipſam enim in tenuitate; ac ſeroſitate; peculiari corruptione & malignitate conſiſtere; & fervido inſuper confuſum eſſe ſanguini, patet ex proxime ſequentibus.

X I.

Materiam vero *ichoris* hujus quod concernit, circa eam; quod præſens quidem tangat negotium; præter ea, quæ dicta jam ſunt; nihil notandum amplius videtur, præter quam quod a ſero; proprie ſic dicto, hoc eſt; ſanguinis vehiculo; plane differat, cum ſerum iſtud ſecundum naturam; ichor vero omnis p. n. generetur; & colligatur; nec idem cujuſdem ſemper naturæ ſit; ſed ſubjectorum ſequatur naturam, ac complexiones; ita ut experiamur propterea, & ſanguineas; & bilioſas; & pituitoſas; & melancholicas *puerperas*; quibus *Scorbuticam* inprimis adjicio *diſpoſitionem*; *maligno iſto* conſpergi *milio*. *Gal. loc. cit.*

X I I.

Cœterum *formam* ipſius in *corruptionis peculiaritate*, & non levi quadam *malignitatis* nota; conſiſtere, dictum eſt; *malignitatem*, cum ea manifeſta ſatis, ac ſuperius deducta ſit; amplius non tango; ſed ad *corruptionis*, vel *malignitatis Peculiaritatem* me converto. Verum; me hic quoque hærere; fateor; Nec propterea tamen ſcrutari deſino; nec; quid ſentiam, dicere erubeſco. Scilicet *peculiaritas* terminus artis eſt, & iſtis proprie competere videtur morborum, ac ſymptomatum, cauſis; quarum vis; ac lædendi ratio; ad manifeſtas, quod dicitur, qualitates referri nequit, ſed quædam propterea dici conſuevit *proprietas*. Sic ſanguis menſtruus corruptus, canes rabidos efficere, plantas enecare, & ſpecula obfuſcare, non manifeſta ſane, ſed occulta qualitate, ac *Pro-*

pria ſibi *corruptione*, dicitur. Sic vapor, epilepſiæ cauſa, malignus, venenoſus, ſibi *proprius*, & *peculiari* natura fertur præditus, ac omnino etiam talis habetur; alias omnes etiam alii vapores, ſive in ipſo generentur capite, ſive a ſubjacentibus evaporent partibus, epilepſiam generarent, vel generari apti eſſent; quod non eſt. Sic febris quotidiana, quotidie; tertiana, tertio; & quartana, quarto quovis die, ſuum repetit Paroxyſmum; quæ ratio? Nulla ſane alia; quam quod vi certæ cujuſdam, cuilibet diverſorum iſtorum humorum inhærentis, *proprietatis*, ac peculiaritatis, quilibet eorum ſuo, ac proprio ſibi, moveatur tempore. Et ſic quoque in aliis. Ex quibus ſequitur; formalem hujus *proprietatis*, ac *peculiaritatis* rationem, penes *occultas*, nobis dictas, eſſe *qualitates*; quas ipſas pernegare, vel turpe quoddam ignorantiæ vocare aſylum, tantum abeſt, ut potius a ſanioris mentis firmiter credantur omnibus: & ſic ſane huic quoque *miliari ichori* ſuam peculiarem ineſſe *proprietatem*, propria ipſius teſtatur facies; de qua in definitione dictum, & fuſius dicetur in differentiis.

XIII

Remotiores porro *cauſas*, quæ vel *externæ* ſunt, vel *internæ*, ſubjicere nunc opus eſt. Has inter ſanguinis menſtrui, per ingravidationem, ſuppreſſi collectio, vel unica, cum certa, ac peculiari corporis diſpoſitione, ſufficit; quæ ipſa tamen non leve ſtatim videtur movere dubium, dum & olim anxie ſatis diſputatum eſt, & jam nunc etiam diſputari ſolet: *an ſanguis menſtruus bonæ; an vero malæ, imo peſſimæ, malignæ, ac Venenoſæ ſit naturæ ac ſubſtantiæ?* Poſterius qui affirmant, argumenta ſua, a morborum, ac ſymptomatum, quibus p. n. Obſtructas detineri vident, gravitate deſumunt, ac vehementia, & proinde, effectum de ſua cauſa teſtari, concludunt; qui vero pro priori ſtant ſententia, unica ſaltem, ſed appoſita ſatis, ac nervoſa, diſtinctione, inter ſanguinem ſcil. menſtruum ſec. nat. & eum, qui p. n. ſe habet, diſtinguendo, totum componunt negotium. Sed hæc ipſa dubii hujus ſolutio novum, & rem quidem propoſitum tangens, videtur parere dubium; dum enim dicitur, morbos, ac ſymptomata, non, niſi a malo, ac p. n. ſe habente, ſanguine fieri menſtruo, ſequi exinde conjicio, *malignam* quoque *noſtram miliarem*, non, niſi impuris, & maligno refertis menſtruo, contingere *Puerperis*; ac fœtum etiam, peſſimo ſubinde nutriri ſanguine; cum tamen plethoricas, ac quæ optimi ſunt habitus, non minus, quam recedentes ab iſto bonitatis ſtatu, in *malum* iſtud delabi, totque fœtus ſalvos prodiiſſe, & adhuc, denatis jam pridem matribus, optime degere, videamus. Aſt vero ut breviter dicam, quid res ſit, impuras, ac crebiori menſium obſtructione antea laborantes, factas autem jam puerperas, *malum* hoc citius tangere, ac vehementius exercere, verum eſt; plethoricas vero & ipſas, quia in illis, temporis protractu,

&

& cum fœtus omne alimentum ad ſe delatum abſumere non valet, *ichor* fieri, ac colligi *malignus* poteſt, *febre* inde *miliari* laborare, abſonum non eſt; ſed plurimis hactenus confirmatum exemplis; fœtum autem ſalvum remanere, cauſa eſt, nativa ipſius, optimum quemvis ad ſe trahentis ſanguinem, providentia.

XIV.

Remotas externas, eas dico, quæ quemvis circa legitimum rerum non nat. uſum inferentes errorem, *ichoris* in corpore generandi cauſa ſunt; ſive *aſſumantur*, ut caro ſuilla, hædina, ceraſa dulcia, mala perſica, pruna recentia, fraga &c. & quæ acria imprimis ſunt, ut allium, cæpæ &c. & ſalita omnia; ſive *p. n. retineantur* ut ſuppreſſa menſtrua, hæmorrhoides, ſudor impeditus, ac tranſpiratio, & intermiſſa venæ ſectio, ac ſcarificatio conſueta. *Cauſam* autem *Procatarcticam*, partum ſtatuo; ſive enim iſte benignus, ac propitius accidat, ſive Laborioſus fiat, ac difficilis, ſemper tamen humores in corpore inſigniter movere, ac ſimul ita, quicquid *ichoris* cum ſanguine confuſum eſt, commovere ſolet.

XV.

Generatur ergo, ut ad inſtitutum redeam, *ichor* iſte, ex ſanguinis menſtrui, primis præſertim menſibus copioſius quam qui ad fœtus nutritionem requiritur, ſuppreſſi remanentia; *colligitur* in venis, & arteriis, per quas circulatur cum ſanguine; menſtruo quovis *augetur* ſpatio, in iis præſertim, quibus nobili aliqua laborantibus corporis parte, cauſa mali ſingulis menſibus ad uterum fluere, & excerni per eundem alias conſuevit, nunc vero per ingrävidationem exire non potis eſt. Protractu ergo temporis *corrumpitur*; & *movetur* tandem per partum, motu mixto; uno naturali, quo ſanguis primis diebus, & deorſum verſus, pro puerperæ purificatione; & ſurſum verſus, ad lactis generationem; altero p. n. quo conatibus iſtis parturientium totus in ſimul per vaſa movetur ſanguis, & motu iſto calidus redditur, ac fervidus.

XVI.

Quemadmodum autem ſanguis noſter, in maſſa conſideratus, unus quidem, diverſis tamen, qualitate, ac ſubſtantia, eſt partibus; ita *ichor* etiam iſte, pro humoris, cujus *ichor* eſt, diverſitate, diverſam induit faciem; in *plethoricis* quidem, vel ipſo ſupra teſtante Galeno, mitior eſt; in *bilioſis*, acer ſatis, mordax, ac tenuis; in *pituitoſis*, aquoſus, ac ſeroſus; ac in *melancholicis*, reliquis non minus pejor, quam ferocior eſt. Omnium tamen peſſimus, qui volatilis iſtius ſalis Scor-

butici, particeps, & ut plurimum mixtum reliquis hactenus viſus eſt. Singulis autem ichorum ſpeciebus, malignitatem contraxiſſe, proprium eſt.

XVII.

Confuſius denique in definitione dictus eſt *ichor ſanguini fervido*; non enim fixam quandam in primis viis, vel circa uterum, ſedem occupat, ſed ſanguini commixtus eſt, & per totum geſtationis tempus cum eo circulatur; hinc non ſimplicem excitat cutis aſperitatem, ſed ſummum ſimul inducit calorem, ac ruborem, quorum uterque commoti, ac ebullientis ſanguinis index eſt.

XVIII.

Hinc facilis patet ad *Differentias* aditus. Ubi 1. *Febrem malignàm miliarem* in ſe; & 2. ab aliis malignis Febribus differre dico. Quod primum ſpectat, eas ſaltem in præſentiarum referre ſufficiat *differentias*, quibus *malum* hoc noſtris hactenus ſeſe ſubjeciſſe ſenſibus viſum, ac obſervatum fuit; ſcil. duplici ut plurimum comparuit, & etiam num comparere ſolet facie; *rubra* plerumque; non raro *alba illud* cum inſigni, ac intenſo ſemper corporis calore, rubore, pruritu, & aſperitate cutis duriuſcula; *hoc* vero quoad calorem, pruritum, juxta ac rubedinem, remiſſius, & puſillis albicantibus puſtulis, *ichorem* in ſe continentibus, conſpicere eſt; ita ut *illud* propterea *der Rothe Frieſel*, *hoc* vero *der Weiſſe Frieſel* a noſtris vocari conſueverit mulierculis.

XIX.

Ab aliis differt *malignis febribus*. A *petechiali* quidem, quod in *hac* ſimplices tantum hinc inde, & ſine pruritu, & extuberantia in corpore erumpant maculæ; a *puncticulari* Aëtii, quod in hac circa totum corpus exoriantur vibices, culicum morſibus ſimiles; a puſticulari, quod hæc ſemper fiat cum puſtulis; ab Hippocratis aſperitudine miliacea, quæ culicum morſibus ſimiles, non tamen valde pruriginoſæ fuerunt. A *morbillis* quod in his exiguæ, & pulicum morſibus quodam modo ſimiles in corpore ſparſim effloreſcant maculæ; a *variolis*, quod hæ manifeſtis, ſatque protuberantibus, ac ſuppurantibus, conſpicuæ ſint puſtulis, a *purpura*, & *roſſaliis*, quod in his maculæ primum ignitæ, ac, ut Senn. loquitur, parva q. erumpant in principio Eryſipelata, abſque ulla tamen cutis aſperitate, laborare, conſpiciatur; *febris maligna miliaris* vero non maculis, non ſuppurantibus puſtulis, nec Eryſipelatoſa cutis quarundam partium facie, ſed *manifeſta cutis aſperitate*, *milii grana* referente, interdum cum puſillis albicantibus puſtulis, ſummoque corporis cum *calore*, *rubore*, *ac ſcabioſo q. pruritu*, ſe faciat celebrem.

Tetrab. 2. *Serm.* 1. *cap.* 129. *libr.* 2. *Epidem.* *p.* 3.

lib. 4. *de Febr. C.* 12.

XX.

X X.

Quibus præmiſſis ad dubia quædam, quæ moveri circa novum hunc morbum ſolent, reſpondere ſatago; dum enim quæritur:

X X I.

Quæ cauſa, cur malum hoc tantum a triennio hactenus, & quod excurrit, tam ferociter graſſatum ſit, cum tamen nec olim obſervatum, nec ſuperioribus annis viſum ita unquam fuerit? Omnipotentis præprimis id Dei arbitrio, & vel temporis, in quo jam vivitur, vel humorum, ac ichorum in humano corpore, & ſibi ipſis propria, & temporis peculiaritate, peculiariter corruptorum, proprietate, ac peculiaritate fieri, reſpondeo.

X X I I.

2. *Cur noſtra tantum infecta eo malo hactenus viſa eſt Lipſia?* Id cœli, & ſub eo hic degentium inclinatione, diſpoſitione, proprietate, ac peculiaritate factum arbitror; recordatus, Lichenes olim, in Italia; ſudorem Anglicum, in Britannia; ac non ita pridem ſcorbutum in Flandria, primo ſeſe perfecte exeruiſſe; quæ mala tamen omnia toti nunc (proh dolor!) Terrarum orbi ſunt communia. Et quemadmodum præſumendum omnino, mala jam recenſita non uno ſtatim impetu totam vel Italiam invaſiſſe, vel Britanniam, ſed ſpecialem primo habuiſſe Patriam; ita optandum ſane, ut *novum* quoque hocce Lipſienſium *malum* in primo ſtatim ſuffocetur nixu, ne peſſimæ mater filiæ bona noſtra evadat Lipſia.

X X I I I.

3. *Cur ſolas hactenus, & in hunc uſque diem, exerceat malum puerperas?* Dico, quod ſuppreſſus, cum ſuppreſſo, geſtationis tempore, ſanguine, *ichor*, non ſecundum quantitatem, *copioſior* tantum, ſed qualitatis etiam ratione, temporis protractu, *pejor* in iiſdem redditus ſit, ac *malignior*. Urges autem, ſi geſtationis tempore *ichor* non *copioſior* tantum, ſed & *malignior* redditur; quæ cauſa, cur gravida non graviſſimis hoc tempore tentetur ſymptomatibus? Dico, cauſam externam, quæ latentem intus diſpoſitionem moveat, deficere; hanc autem partum, utpote qui laborum, ac conatuum, ſexui huic competentium, vehementiſſimus eſt, præſertim laborioſum voco; reliquas vero omnes, iram puta, timorem, & ſimiles, pro ſufficientibus non habeo; quamvis Deum etiam,

Benigniſſimum generis noſtri Conſervatorem, ac naturam, eo ipſo, dum geſtationis tempore frænum q. inteſtino hoſti injicitur, fœtui conſervando, ſapientiſſime proſpicere, confidenter ſtatuam. Nec *labem* iſtam, fomitemque mali per aliquot menſium ſpatium abſque ulla incommodi perceptione foveri intus in corpore poſſe, mirum eſt; cum variolas, ac morbillos, quorum labem in utero ſtatim nos contraxiſſe, communis eſt medicorum ſententia, anno interdum ætatis noſtræ decimo, quibuſdam decimo ſexto, & quod excurrit, prorumpere, nullam tamen in anteceſſum q. & priuſquam erumpant, nobis inferre læſionem, ac noxam, quotidiana teſtatur experientia.

X X I V.

Et 4. Tandem: *cur non gravidis, quibus ipſa non raro etiam ſuppreſſa ſunt menſtrua, hoc malum non æque contingat, ac puerperis?* Exiſtimo, id propterea fieri, quod ea partim non adſit *ichoris* copia, ſimul ac malignitas, quippe quæ non, niſi temporis protractu, fiunt, generantur, ac colliguntur; partim vero quod natura, ut provida ſemper ſui conſervatrix, brevem ipſi concedat moram, & ſtatim, atque retentum aliquid p. n. eſt, illudque putreſcere, corrumpi, & malignam etiam qualitatem induere incipit, illud de ſe propellere ſtudeat. Hinc illæ, tot mala, ex menſium obſtructione, ſymptomata patientium, lachrymæ. Quamvis, unam, alteramve non-gravidam non minus corripere cœperit.

X X V.

Signa tandem quod ſpectat; *diagnoſtica* ſuperius abunde ſatis tradita ſunt; ita ut repetere ſingula opus hic eſſe non exiſtimem. Pro *ſigno* tamen *pathognomonico*, hanc ſignorum ſyndromen, cutis ſcil. & totius corporis calorem, ruborem, & exanthemata, ut plurimum rubra, non raro albicantia, mala ac periculoſa inducentia ſymptomata, habeo.

X X V I.

Circa *prognoſin* hæc dico: *in genere febrem malignam miliarem* pleriſque hactenus fuiſſe lethalem; reliquis ſumme periculoſam; *in ſpecie* vero benignior eſt rubra, quam alba, quia in illa calor, & rubor intenſior quidem, in hac vero major ſimul ichoris copia, majorque corruptionis, ac malignitatis gradus eſt; melior item, quæ cum levioribus ſymptomatibus eandem retinet faciem, & colore, ac exanthematibus foris ſemper conſpicua; quæ vero verſipellis eſt, ita, ut modo appareant, modo evaneſcant iterum, iterumque redeant, exanthemata, ea ſuſpecta eſt. Pulſus debilis, inæqualis; tremor; oculorum caligo; reſpiratio difficilis;

motus convulſivi, in ſtatu contingentes, lethale ut plurimum; quia malignitatem vigere, parteſque nervoſas, ac principes petere, ſignum eſt; ſic & ſudor immoderatus, ſponte proveniens, malus, & proſtratarum virium index eſt; moderatus contra, ac continuus, in habitu, & præcordiis præprimis apparens mador; repetitæ idem dejectiones ſpontaneæ, fœtidæ, malique moris; vel urina etiam craſſa, turbida, & cum copioſo ſedimento, bonum. Solutionis autem terminus ut plurimum circa nonum, ac undecimum contingit; quibuſdam etiam quartus, & quintus, fatales ſunt.

XXVII.

Tradita hactenus, & expedita breviter, *quæ methodi medendi principium eſt*, *morbi cognitione*; ſupereſſe nunc demum videtur, ut *oportuna facientem me præſtare*, & ad *febris malignæ miliaris* curationem recto nunc accingere me tramite, allaborem; quod dum expedire ſtudeo, armis iſtis convenientibus, ex *methodo medendi* petitis, *indicationibus* puta, *præſervatoria*, *curatoria*, ac *vitali* inſtructus, hoſtem ſequioris ſexus abſque mora aggredior; *præſervatoria* quidem *cauſæ*, *curatoria morbo*, ac *vitali viribus* ſatisfacturus ſedulo. *Gal. l. 2. meth. med. Hipp. l. 1. Aph. 1.*

XXVIII.

Sed cum *cauſa* hujus morbi, ut ſupra relatum, nec in inſtanti fiat, nec brevi temporis, ſed novem menſium generetur, ac colligatur, ſpatio a *methodo* me aberraturum non exiſtimo, dum duplicem curandi rationem, *unam ante paroxyſmum*; alteram *in paroxyſmo*, ipſi aſſigno; illam *προφύλαξιν præſervationem*; hanc *curationem* in ſpecie appellitans.

XXIX.

Præſervationem ergo quod attinet, iſtam ex *Galeni* quidem mente, *moderato contrariorum uſu* perfici, aſſero; & quamvis contrariorum iſtorum ratio in eo proprie conſiſtat, *ut prohibeatur*, *ne in morbos incidant homines*, *& calida quidem mutanda ſint frigidis*, *frigida calidis*, *humida ſiccis*, *& ſicca humidis*; *febris vero malignæ miliaris cauſa* in receſſu quoad *primas qualitates* non acquieſcat; & conſequenter nec calidis proprie, nec frigidis, nec humidis, nec ſiccis immutari poſſit; nihilominus tamen cum iſtam etiam humoris alterationem, ſeu correctionem potius, qua ipſius vel acrimonia, vel mordacitas, vel mala quævis etiam qualitas inhibetur, ac paulatim infringitur, mutationem in contrarium dici cenſeam, *miliari noſtræ præſervationem* non competere, tantum abeſt, ut in ea ipſa potiſſimam potius *curationis* partem conſiſtere ſentiam. *In arte medicinali. Valleriol. l. 3. Locor. com. c. 3.*

XXX.

XXX.

Duo autem eſſe videntur, de quibus circa *præſervationem* quædam ſuſcipienda eſt deliberatio; *tempus* ſcil. & ipſa dehinc *præſervandi remedia*. *Tempus* præſervandi legitimum *primi*, qui ita dicuntur, *menſes* eſſe vix poſſunt, quia præſumere non licet, hoc ipſo tempore *ichores* ea jam copia, & qualitate præſto eſſe, ut quicquam hinc inde immineat periculi; accedit fetus potiſſimum in utero conditio, qui per raram naturæ ſuæ teneritatem, hiſce menſibus, lædi citius iſtis corrigentibus, quam juvari multum, creditur; nec ipſa etiam gravida, quippe quæ primis præſertim menſibus varia ſymptomatum ſorte exerceri alias ſolet, admittere medicamenta, ſed nauſeabunda potius renuere eadem videtur, & reſpuere, ut ita, quieſcere hoc tempore, quam movere, commodius ſit.

XXXI.

Sequuntur ergo reliqui, *medii*, & *ultimi* dicti, *quartus* videlicet, *quintus*, quippe cujus finis ultimorum menſium eſt principium, *ſextus*, *ſeptimus*, *octavus* & intendum *nonus*; in quibus agere aliquid, & indicatur, & permittitur; indicatur ab indicante præſervatorio, quia copioſior jam genitus, & collectus eſt *ichor*; permittitur cum a fetu, tum a matre; ab eo quidem, quod, vegetior factus, ferre jam medicum valeat; ab hac vero, quod, quæ urgebant antea, jam deſinant, ac ceſſent, ſymptomata.

XXXII.

Ad ipſa autem accedens *præſervandi remedia*, de qualitate, ac viribus ipſorum ſumme ſum ſolicitus; cum enim ad *ichoris* partim jam facti, partim adhuc fientis mutationem, correctionem, & remotionem omnis *præſervandi* dirigatur ſcopus, ac intentio; ex ſuperius autem dictis conſtet, naturam ipſius non inprimis, ac manifeſtis, ſed *occultis*, conſiſtere qualitatibus; *novum* propterea hunc *morbum* ſibi convenientia velle remedia, certum; quæ vero, & qualia iſta ſint, incertum eſſe videtur, & dubium. At vero tanta ſolicitudine amplius me affici non patior, ſed ea ab indicationibus indicata præſcribo præſervandi remedia, quæ vel generationem *ichoris* impediunt; vel qualitatem, ſive acer, ſive mordax, ſive corruptus, ſive malignus ſit, alterant, & corrigunt; alterati, & correcti copiam educunt; & reliquias ipſius diſſipant, ac diſcutiunt; parteſque nobiles corroborant; ex trita iſta fontium triga remediorum petiturus materiam.

XXXIII.

XXXIII.

Diætam, utpote quæ reliquis prior, & *ichoris* generationem impedire apta eſt, accuratam, & gravidis omnino convenientem, præcipio: *aër* temperatus ſit, moderate tamen calidus, quippe qui vitæ humanæ commodior; craſſus, nebuloſus, malus, & ſuffitu ex thure, maſtice, ſuccin. alb. Benz. ſtyrac. calam. lign. aloes; &c. quibus ſi bene olentia non ferat gravida, fœtidis immixtis, corrigendus eſt.

XXXIV.

Cibus, in genere, coctu facilis, pauci excrementi, facilis digeſtionis, & boni ſucci ſit; ut ſunt: brodia carnis bubulæ, caponis, gallinarum, &c. Caro lactentis vituli, agni anniculi, gallinarum, caponum &c. cum quibus endiv. acetoſ. chærefol. fl. borrag. bugloſſ. decoqui; vel eadem acetariis cum rad. & fl. cichor. naſturt. cochlear. (ubi ſcorbuti ſuſpicio eſt) miſceri, & alimenta ita medicamentoſa fieri poſſunt. Proſunt non minus poma noſtra borſtorfiana; & ceraſa, ſi haberi poſſunt, acida, quæ appetitum excitant, & putredini reſiſtunt. Sic etiam gelatina ceraſorum acidorum, ribium, ac berberum menſæ apponi poſſunt. Inter piſces, ſi qui palato arrident, perca magnitudinis mediæ, truttæ, funduli &c. Pultes item ex pane bene cocto, & brodio carnis; amygdal. dulc. pulpa citr. &c. Ptiſana; & alia bonæ notæ alimenta: minus econtra conveniunt: caro *bubula*, quia *gravis* eſt; *vaccina*, quia dura & coctu difficilis, ac propterea *impetiginem parare* dicitur; *cervina*, & *aprugna*, quia ægre coctiles; ſale inprimis, vel fumo induratæ omnes habentur noxiæ; fungi item, cucumeres, melones &c. Ex piſcibus, alburnus, tinca, barbus, anguilla, carpio &c. quia excrementitia humiditate præditi; ita, ut omnia alimenta mala habeantur, quæ copioſo abundant humido, & ſerum, ac *ichores* in corpore generare apta ſunt.

Hipp. l. 2 de diæt. Avicenn. lib. 2. tract. 2. c. 145. Gal. l. 3. de alim. facult. c. 2.

XXXV.

Potus cuilibet naturæ, ac conſuetudini conveniens, optimus eſt; ſive cerevilia ſit, ſive eidem intermixtum vini poculum; modo bene, ac naturaliter ſeſe habeant.

XXXVI.

Somnus & *vigilia*, ſuam etiam ſervent mediocritatem, neceſſe eſt; ne ſomno quidem longiori lædatur corpus, colligantur excrementa, crudi humores, *ichores*; & fetus ipſe debilis reddatur, & languidus; diurnus præ-

L. 2. Prognoſt. 11. præſertim malus, ex lege Hippocratis, qui *noctu dormire, interdiu vero vigilare* præcipit; vigiliis vero immoderatis cruditates fiant, bilis, & ſeroſi humores acuantur, vires dejiciantur, fœtuſque inſigniter debilitetur. Sit ergo modus in rebus; & mediocritatis ſtudium, optima cuivis vivendi regula.

XXXVII.

Motus, & *quietis*, regulæ omnino etiam ſint conformes; motus tamen ad præſervationem, otio, & vita inprimis ſedentaria, ſalubrior; quia mediocri corporis exercitio, habitus non tantum rarior redditur, & ſerum, ichorque, leviuſculo inde ſubſequente ſudore, excernuntur commode; ſed fetus inſuper eo ipſo etiam vegetior fit, ac alacrior.

XXXVIII.

Hipp. ſect. 5. *aph.* 34. *Excreta*, & *retenta* quod concernit, quamvis *mulieri, utero gerenti, alvus ſi multum fluat, abortus periculum inſtare dicatur*; nihilominus tamen ſalutare ſatis eſt, ſi *gravida* quotidie ſua reddat, & excernat alvi, & veſicæ excrementa, ea quidem proportione, quæ aſſumptorum copiæ reſpondeat. *Gal. libr.* 3. *de cauſis ſympt.* Sic enim deponitur, quod naturæ noxium, fœtui tenello inimicum, exitum quærenti moratorium, & nullo modo in corpore retinendum eſt; cum, ſi retineatur, *inſignem* aliis quoque *ſymptomatum ſyndromen* excitare poſſit ac *concurſum*.

XXXIX.

Gal. in art. med. c. 85. *Animi* demum ſuccedunt *pathemata*; quemadmodum autem ab illis alias cavere oportet, quod *corpus alterent*, & *a naturali ſtatu avertant*; ita gravidis inprimis convenire, quam maxime videtur, ut, quoad quidem poſſibile eſt, ab omnibus ſe contineant animi affectibus; innata enim ſolet eſſe alias ex ſexui fœminino imbecillitas, ut quam facillimo in iram moveantur negotio, modum tamen adhibere plane neſciant. Ab ira ergo, quæ *febres accendit, humores fundit*, & *abortum facit*, abſtineat, eamque *ratione coërceri* patiatur gravida. Timorem non minus omnem de ſe pellat, ac triſtitiam; &, ſi quid horum contingat, ſeipſam recolligat, & firma animi conſtantia, ſpeque lætioris nixus, metum omnem inſtantis periculi abigere ſatagat.

Gal. l. 1. *de diff. febr. c.* 3. *Gal. l.* 5. *aph. comm.* 45. *l.* 2. *de ſympt. cauſſ. c.* 5. *l. de cognoſcend.* & *curand. animi morb.*

XL.

Diætetico fonti vicinus eſt *pharmaceuticus*, qui eam ſuggerit remediorum materiam, quæ indicationibus ſufficere, & ſuſceptæ intentioni reſpon-

pondere nata eſt; ſive enim humores alterandi, & corrigendi; ſive alterati educendi; ſive reliquiæ diſcutiendæ, parteſque nobiles corroborandæ ſint; nihil *pharmaciæ* deficit, quod conveniens cuilibet indicationi poſſit eſſe remedium.

XLI.

Alterantium autem dum mentionem facio, ſtricte non loquor, ſed per *alterationem* eam intelligo ſeri, ac *ichoris*, ſeu, ut generaliter magis loquar, humoris peccantis *correctionem*, qua vis ipſius, ac lædendi potentia, quovis modo vel temperatur, vel infringitur, ac obtunditur;

XLII.

Cum vero ex ſuperius dictis conſtet, *ichoris* naturam non in primis acquieſcere, ſed in occultis ſimul conſiſtere qualitatibus, non abſque ratione hic quæritur: *an*, *& qualia*, eidem conveniunt *alterantia?*

XLIII.

An conveniant, nullus dubito; ea tamen lege, & conditione, ut alteratio non ſimpliciter de ea dicatur humorum correctione, quæ nudum habeat ad primas qualitates reſpectum; ſed *occultas* quoque *reſpiciat*, & totius ſimul humoris noxii naturæ, qualitatis, ac conditionis immutationem, ac reductionem innuat. *Morell. in ſyſtem. mater. med. ſect.* 1.

XLIV.

Qualia vero ſint, quæ conveniant, certo determinare, ambigo. Tuto tamen ut procedam, naturas conſidero, ac complexiones; & ſic, cum quilibet prædominans humor, ut ſupra dictum, ſuum p. n. reddere poſſit *ichorem*, accuratam iſtius prædominii rationem habeo, ſimul tamen malignitatis concipiendæ metum non diſſimulo.

XLV.

Sanguinis quidem *ichori* nulla peculiaria præſcribo alterantia, quia ille raro datur, & ſi contingat plerumque naturam bilioſi ichoris induit, & ſimilibus propterea corrigitur alterantibus. Sic nec pituitoſum, quia & ipſe ad bilioſi naturam quodammodo accedit, attendendum exiſtimo. *Bilioſis* ergo naturis, quibus familiare magis hoc malum eſt, magiſque urgere ſolet, conveniunt endiv. cichor. tarax. acetoſ. plantag. &c. fl. roſar. rubr. violar. cichor. bellid. pap. errat. &c. ſantal. citrin. Melancholicis

vero fumar. cuſcut. ſcolopendr. chamædr. &c. fl. viol. geniſt. borrag. bugloſ. &c. *Malignitatis* vero ratione ſcorzoner. ſcord. pentaphill. tormentill. contrajerv. reliquis adjicitur.

XLVI.

Ex quibus vina poſſunt parari medicata; cereviſiæ item alterantes; decocta, potiones ex aq. deſtill. cum juleb. roſ. & viol. &c. Tincturæ, & eſſentiæ; quas inter remediorum formulas commodus ſatis bilioſis ſolet eſſe uſus tinctur. roſar. viol. & bellid. pituitoſis, & melanchol. eſſent. fumar. chamædr. &c. nec arridet minus tinctura ex rad. contrajerv. fl. roſar. rubr. & alb. violar. bellid. & ſambuc. cum affuſo phlegmat. vitrioli facta; cujus ℥j. ſi ſcorbuti adeſt ſuſpicio, ſp. cochlear. ℈j. additur. tinctur. inſuper corall. ſimpl. & antiſcorbutica Domini D. Michaëlis, ſanguini purificando inſigniter convenit.

XLVII.

Syrupos vero vix præſcribo, partim quod palato minus grati, partim vero quod dulces ſint, & propterea bileſcere facile, & corrumpi in diſpoſitis poſſint; nec, niſi magna doſi, exhiberi queant; unde cum crebriori ipſorum uſu nauſeam non tantum excitari; ſed ventriculum, & ipſum etiam uterum, cui adverſantur dulcia, lædi, & humores ſcorbuticos fermentari inde experiamur, abſtinendum cenſeo.

XLVIII.

Alterato ita, ac *correcto humore peccante*, quid agendum ulterius, non parum ſum ſollicitus; educendum autem eundem, hoc eſt, evacuandum, vel purgandum dixi; quamvis nondum probavi. Quanta enim ſit religio; *gravidam purgare*, noverit, cui & fetus in utero conditio, & noxæ, ac incommoda purgationi ſupervenientia, non ſunt ignota; de fœtu *Galenus* audiatur: *Cum utero fœtuum*, inquit, *connexus eandem habent proportionem, quam fructus cum plantis. Hi ſiquidem in prima generatione debilioribus pediculis continentur, & ideo facile decidunt, quanto vehementior ventus ipſos concuſſerit; poſtea vero aucti difficilem habent à plantis diſſolutionem; ſicuti rurſus, cum perfecti ſunt, ſine vi extrinſeca decidunt. Eodem modo, & conceptus in primo quidem ſeminis injectionis tempore, ſi aliquando ſaltare contigerit mulierem, aut in lubrico cadere, ſive quovis alio modo, vel ſecundum animam, vel ſecundum corpus, moveri vehementius, facillime dirumpuntur; ſic etiam quando jam perfecti ſunt. Tempore vero intermedio firmiorem habent coalitum.*

In comm. aph. 1. ſ. 4.

XLIX.

XLIX.

Medicamenta vero purgantia, *naturæ noſtræ inimica ſunt*, *& adverſa*; *fundunt*, *& attenuant ſanguinem*; *provocant Menſes*; & alios malos humores ad embryonem fluere faciunt; vires dejiciunt; & alias inducunt noxas, & incommoda, gravidis imprimis, quippe quibus vel *teneſmus ſuperveniens abortum facere* aptus eſt.

Gal. 2. Acut. §. 11.

Averrh. l. 7. Collect. c. 4. Hipp. Sect. 7. Aph. 27.

L.

Hæc tamen omnia, ut a ſuſcepta declinem ſententia, ſufficere mihi non videntur: cum læſio omnis, ac ſuperveniens purgationi noxa, non de moderata, ac tempeſtiva evacuatione, lenioribus, ac mediocribus provocata pharmacis, ſed de purgatione nimia, vehementi, ac fortioribus concitata purgantibus, intelligenda ſit. Quemadmodum nec *omnia quæ purgant*, *menſes movent*; uti nec omnia, quæ *menſes movent*, *abortum faciunt*; nec dum menſes gravidis quibuſdam ſponte apparent, abortum ſtatim ſupervenire, neceſſe eſt; cum plethoricas ad tertium uſque gravidationis menſem purgari, non rara ſit experientia.

Gal. l. 5. ſimpl. c. 13. & 22.

§. L I.

Obſtantem tamen ſententiæ meæ ipſum etiam video Hippocratem, qui *utero gerentes medicandas* (hoc eſt, purgandas) quidem pronunciat, ſed ea tamen conditione, *ſi materia turgeat. Turgere* autem (ὀργᾶν Hippocrati dictum) *animalibus vehementi libidine percitis proprium eſſe*, *& hinc de humoribus. p. n. in corpore genitis*, *qui motu feruntur concitatiore*, *ab una parte in alia nec quieſcere poſſunt*, *ſed cum impetu ad excretionem feſtinant*, dici conſtat. Jam vero cum, quod meam quidem ſuſceptam *præſervationem* ſpectat, fateri habeam, nihil adeſſe, quod turgeat, ſed gravida potius mea, niſi optime, tamen bene, & prout ipſius fert ſtatus, & conditio, mediocriter ſeſe habeat, nulla quoque proinde adeſt purgandi indicatio; ad quid ergo purgatio?

Sect. 4. Aph. 1.

Gal. in Comment. Aph. 1. Sect. 4. Aph. 22. ſect. 1. Aph. 10. Sect. 4. & plurimis in locis aliis

L I I.

Ad hoc Galenum pro me reſpondentem audio, dum dicit: *non tamen omnes*, *quæ hoc tempore indigent purgatione*, *permittit purgari*, *ſed ſi materia turget*; hoc eſt; (ut ipſe explicat) *urget*, & *premit*; & ita ſub *turgentia* ipſam etiam intelligit *urgentiam*. Hinc cum urgere nihil aliud ſit, quam neceſſitate quadam duci, ac cogi; mediocrem purgationem ad *febris malignæ miliaris præſervationem* neceſſariam ſatis eſſe, firmiter quidem, caute tamen, & religioſe celebrandam, ſtatuo.

in comment. citat ſupra Aph.

LIII.

Urget enim iſtam, *ſeri*, ac *ichorum* copia; quæ etiam ante partum in non paucis hactenus *turgere* quaſi, & ad externa ferri, cutiſque aſperitatem cum pruritu, ſine calore tamen, ac rubore excitaſſe, viſa fuit; urget *morbi* poſt partum invaſuri gravitas; urget tandem ſummum, quod imminet, & præſervatione evitandum eſt, vitæ periculum.

LIV.

Nec evertere ſententiam videtur, quod, purgare *gravidas*, & repurgare, novum, & hactenus non uſitatum ſit; quia dicere hoc, non ſuffi it; cum plura ſint, uſu nunc comprobata, & experientia, a quibus abhorruere veteres; qui (ut unicum tantum proferam exemplum) perſuaſere ſibi, *gravidam, in qua ſanguis mitteretur, abortum eſſe facturam; cum uſus tamen poſtea oſtendit, nihil ex his eſſe perpetuum. Sic fideliſſimo etiam compertum experimento dico, non ſolum in materia turgente, ſed quieta, & firma, ſi neceſſitas cogit, in omnibus menſibus purgationem clementem eſſe utiliſſimam.*

Celſ. l. 2. c. 10 Zacut. Luſitan. Med. Princ. Hiſt. l. 3. quaſt. 29.

LV.

Poſito ita, ac conceſſo, *purgationem*, ad *febris malignæ miliaris præſervationem* utilem eſſe, ac neceſſariam; prudenti nunc opus eſſe circumſpectione reor, ut *qualia*, & *quando* conveniant *purgantia*, accurate penſitare allaborem.

LVI.

Tempus quod ſpectat, ut rem breviter comprehendam, ex *Hippocrate*, ac fideliſſimo ipſius interprete *Galeno*, manifeſtum id ſatis eſt; dum *quarto menſe, uſque ad ſeptimum, gravidas medicandas* eſſe, pronuntiant; *a tertio* ſcil. *completo, ad ſeptimum uſque inchoatum*; a tertio quidem, quia fœtus hoc tempore robuſtior eſt, & firmioribus retinetur cotyledonibus, nec tam facile, ut primis contingere ſolet menſibus, ab externis ſe lædi patitur injuriis; ad ſeptimum uſque, quia hoc tempore quibuſdam contingere ſolet partus, ſeptimeſtris dictus; ne ergo purgantium uſu anticipet partus, ſed ad legitimum uſque protrahatur tempus, quieſcendum potius, & abſtinendum a medicamentorum uſu in iis, quibus ſeptimeſtris familiaris eſt; quæ vero conſueto tempore pariunt, iis ultimis etiam menſibus, præſertim ſi *ichor*, ut paulo ſupra dictum, turgeat, moderatam prodeſſe evacuationem, exiſtimo.

Sect. 4. Aph. 1. in Comment hujus Aph. Moxius l. 2. de Morb. acut. Cur. per Ven. Sect. in fœtis c. 21. & 33.

LVII.

LVII.

Qualia autem conveniant, indicatio præſervatoria manifeſte ſatis docere, ac innuere videtur. Scil. *cauſa morbi ichor* eſt; *ichor* autem de *ſeri* natura participat; *ſerum* ergo evacuantia & bilioſos ſimul, ac melancholicos ſuccos reſpicientia, & ea in ſpecie, quæ, cum *gravida* medicanda ſit, benigne, mediocriter, & clementer id faciant, indicari certum eſt.

LVIII.

Ex plurimis vero pauca, ut mitiora, eligo. Fol. ſen. ſcil. mechoac. alb. jalap. Rhabarb. & ebul. ſcam. roſat, & ſulphurat. ſic ſyr. roſar. ſol. viol. ſol. de pom. laxat. de fumar. comp. cum aq. appropr. Infuſum ex fol. ſen. ebul. rhabarb. rad. mechoac. gial. cum fl. epat. nob. roſar. violar. cich. bellid. in vin. alb. vel Lact. Caprill. & Juleb. roſar. vel aq. cinam. borrag. correctum; Pilulas ex maſſa Pilul. de fumar. de alöe roſat. Extr. Rhabarb. cum uno vel altero gr. ſcam. roſat. & Elix. prop. purg. fact. & pulveres demum ex Crem. & Cryſt. Tartari, Tartaro Vitriolat. Rhabarb. elect. rad. gialap. & ſcam. Roſat. quibus gutt. una vel altera ol. cinam. deſtill. vel caryophyll. & mac. adſperſi præſcribo commode. Quæ omnia tamen, ut medicis notum eſt, pro gravidæ lubitu, medici arbitrio, & virium, ac reliquarum circumſtantiarum conditione, præparari, mutari, & ad ſcopum, ac intentionem applicari poſſunt.

LIX.

Reliquiæ, ſi quæ vel naturæ robore, vel ſanguinis circulatione per vaſa Capillaria ad habitum depoſitæ ſint, aq. fl. ſambuc. ſcabioſ. fumar. card. ben. ſcorxon Linct. fl. aquileg. Tinct. Bezoard. & Eſſent. lignor. Dni. D. Mich. Rob. ſambuc. (quod cum aliis ex ſambuco factis medicinis hujus mali Alexipharmacum eſſe experimur) Corn. C. & aliis diſcutiuntur; *gravida* vero Magiſt. Perlar. Corall. Ebor. aq. borrag. bugloſſ. Cordial. Saxon. cord. cerv. vit. mulier. cum ſyr. acetoſ. cort. citr. berber. corallior. &c. *Fœtus* autem his ipſis, & balſam. imprimis Puerorum dicto, intus a matre aſſumpto, & extra umbilico cum vino malvatico & aq. vit. mulier. cruſtæ panis affuſo; ſpiritu vini item cum fermento applicato, reficiuntur, ac corroborantur.

LX.

Sed ad chirurgiam tandem pergendum; ubi opportuna ſatis ſeſe offert *venæ ſectio*; & vicaria partim, partim ſuppletoria ipſius, *ſcarificatio*

tio; quarum utraque an conveniat; & *quando* iiſdem uti liceat; ulterius indagandum eſt.

LXI.

Venæ ſectionem quod attinet, controverſiam iſtam, *an gravidæ, morbo correptæ, venam ſecare liceat?* utpote quæ hujus loci non eſt, intactam jam relinquo; & hanc tantum moveo: *an gravidæ, nullo corruptæ morbo, ſolius Præſervationis gratia, venam ſecare conveniat?* Negativam ſtatuendi, occaſionem præbuiſſe legitur Hippocrates, dum dicit: *mulier in utero ferens, ſecta vena abortit, eoque magis ſi fœtus ſit grandior.* Accedunt rationes, & argumenta, quibus abſolutam aphoriſmi veritatem demonſtrare conantur plurimi; ſcilicet detrahitur, dicunt, fœtui neceſſarium per venæ ſectionem alimentum confertim, quod ille attrahit ſenſim; unde, detracto ſanguine, vitæ theſauro, debilitatur corpus; & vires, cum fœtus, tum matris deficiunt; generoſum quippe eſt remedium venæ ſectio, *ex qua intempeſtive celebrata periere plures*; gravidæ item, ob menſtrui ſanguinis retentionem, impuri non raro ſunt corporis, cui *impuritati minime convenit, ſed inutilis eſt venæ ſectio*; hinc ipſam etiam antiquis, quibus maxima tamen gravidarum cura fuit, arriſiſſe, nullibi legitur, ſed alto potius involuta videtur ſilentio; ita, ut propterea nec jam nunc deſint medici, qui, venæ ſectionem gravidis convenire, & credere, & concedere recuſent.

Sect. 5. Aph. 31. — *Gal. l. 1. de ſympt cauſſ c. 7.* — *Gal. l. de Curand. rat. per Sanguin. Miſſ. c. 12.* — *Gal. loc. cit. c. 20.*

LXII.

Verum enim vero, ſive *aphoriſmum Hippocratis*, ſive *allatas*, &, quæ adhuc reſtare poſſint, *rationes*, accuratiori examinem trutina, *optimum* ſane *venæ ſectionem gravidis* præſervandis eſſe *remedium*, video. *Aphoriſmus* quidem veritas ipſa mihi eſt, & oraculum genuino tamen ſenſu ſi ſit expoſitus; *mulier* enim *utero gerens, vena ſecta*, non ſimpliciter ex vena ſecta, ſed *ob alimenti neceſſarii defectum* abortire dicitur; quo ipſo non moderatam, ſed inſignem ſanguinis detractionem, quæ vehementi inflammationi, & febribus ardentibus, quibus non raro ipſæ etiam detinentur gravidæ, conveniens eſt intelligi, & *Hippocratem* aphoriſmum hunc regulæ, ac cautelæ inſtar ſcripſiſſe, exiſtimo; *religioſe* ſc. *in ſanguinis miſſione in gravidis*, morbo acuto detentis, *procedendum eſſe*, &, ſi venæ ſectione omnino opus ſit, medicum ita ſibi temperare debere, ne alimentum detrahatur fœtui; id quod & præcedens aphoriſmus, & hujus ipſius quoque contextus teſtari videtur; dum dicit Hippocrates: *eoque magis, quo fœtus ſit grandior*; quaſi dicere voluiſſet, *venæ ſectio* quamvis optimum, & præſentiſſimum ſit plurimorum morborum, & ipſis etiam gravidis conveniens, remedium, nocere tamen *gravidis*, & abortum facere

Gal. in Comm. hujus Aph. — *Gal. l. de Ven. ſect. adverſus Eraſiſtr. c. 7. & l. 2. de Curand rat per ven. ſect. c. 12. 20.* — *Sect. 5.*

cere poteſt, ſc. ſi immodica, ſi tanta eſt, quæ *fœtui neceſſarium alimentum* detrahat; eoque magis, quo fœtus ſit grandior; quia copioſiore alimento indiget; ita ut propterea, *Hippocratem* hoc in aphoriſmo de venæ ſectione in *gravidis* in genere loqui abſurdum, a veritate aphoriſtica alienum, & a tot ſeculis in hunc uſque diem comprobatæ experientiæ contrarium ſit. Hinc Sennertus recenſet, *gravidæ* cuidam menſe ſecundo febre continua laboranti *ſex uncias ſanguinis* extractas; alteri *ſeptem*; item pleuritide correptæ *quater* emiſſum eſſe ſanguinem. *Omnes tamen ſalvas evaſiſſe, ſanoſque peperiſſe filios*; ſic & quarundam mentionem facit, quæ ſecta vena ab abortu præſervatæ; eadem vero omiſſa abortum paſſæ ſunt, & fœtum venæ ſectione in ſuo hortulo ſervari teſtatur Moxius.

l. 4. Part. 2. Sect. 5. c. 3. ex Amat Luſitan Roderic. a Caſtr. & Marcell. Donat. libr. cit. c. 28.

LXIII.

Rationes & ipſæ ſuo quidem, ſed infirmo ſatis ſtant talo. Detrahi enim per venæ ſectionem fœtui alimentum neceſſarium; corpus debilitari; viresque dejici, ex jam dictis ſuperflue refutatum, & de modica, ac per omnes circumſtantias approbata, venæ ſectione, intelligendum nequaquam eſt. Impuris vero, & in quibus inſignis apparet cacochymiæ nota, venæ ſectionem convenire, quis diceret? cum cacochymia non venæ ſectionem; ſed purgationem indicet. Quod vero veterum, ac modernorum quorundam exempla attinet, Illos, (quod venerandæ tamen antiquitatis pace dictum ſit) quam plurima neſciviſſe arbitror; hos vero ſuo abundare ſenſu, & genio ludere, patior. Sic multa ſcripſit Hippocrates, quæ poſtmodum auxit Galenus; cum ſimul omnia Dii non dederint hominibus. Et quemadmodum artium aliæ per gradus, & additamenta, artificum ſedulitate, ſuccreſcere quotidie, & ad majorem venire perfectionem, videmus; ita medicinam quoque perfectiorem indies evadere, ipſo ſole clarius eſt. Quare (ſunt verba Zacuti Luſitani) *ſi hæc vera ſunt, cur venæ ſectionem pro præſervatione abortus non admittemus, a claſſicis tantopere commendatam? cum a Celſi uſque ad hæc noſtra tempora feliciter, & cum magno auxilii encomio, & artis honore venas fœtarum tundimus, citra abortus incurſum; iſtudque per varia conceptionis tempora tuto paſſim exercemus, non ſolum, ut acutos earum morbos exolvamus, etiam ſimpliciter magnos, verum etiam (& quod magis eſt) ut fœtus in utero ſervemus, ne a nimia ſanguinis copia avellantur, ac ſuffocentur.* Unde ego dico, ſi hoc verum, & venæ ſectio pro præſervatione abortus admittenda eſt, quid impediet, quo minus eadem etiam ad *febris malignæ miliaris præſervationem* conveniat?

Homer. Il. δ.

De Med. Princ. Hiſt. l. 3. quæſt. 26.

Moxius cit. lib. cap. 10.

LXIV.

Convenit ergo, & *fœtus*, & *matris* gratia; permittentibus tamen circum-

Moxius cit. libr. cap. 27.

cumſtantiis; *fœtus*, cui *tutelaris dicitur*, in plethoricis per venæ ſectionem a copioſi ſanguinis affluxu, qui ipſum obruere pene, ac ſuffocare poſſet, liberatur paululum, & ſecta vena igniculi ſeſe inſtar habere incipit, qui copioſa lignorum ſtrue ſuppreſſus, dempta copia fulget iterum, atque relucet; ſic fœtus, detracto mediocriter ſanguine, florere alacriter, ac reviviſcere dicitur; ſucci inſuper excrementitii, ex quibus ichor generari poteſt, detracto ſanguine avertuntur ſimul a fœtu, & quaſi revelluntur. *Mater* vero non ab abortu tantum; ſed & a *febre maligna miliari* præſervatur; detracta enim conveniente ſanguinis copia, plethora corrigitur; ſanguis ad uterum confertim fluens impeditur, retrahitur; calidus nimis, & bilioſus, temperatur; vires, copia preſſæ, reviviſcunt; dolor capitis, & dentium, malaque alia, a ſuppreſſis menſibus ſuborta, remittunt; laſſitudo ceſſat; & tandem, ut, quod inſtituti fert ratio, dicam, tota per venæ ſectionem levatur, & ſublevatur natura; ita, ut, ſi quicquam per menſtrua ſuppreſſa inſit, quod *ichoris* cauſa eſſe, vel fieri poſſit, illud, recollectis quaſi viribus, vel a ſe, vel medicamentis adjuta, corrigere, coquere, oppugnare, ac excernere commodius valeat.

X L V.

Sed de *tempore*, ac *loco* venæ ſectioni aptis pauca denique adjicere, negotii fert ratio. *Tempus* ergo, quo vena, præſervationis gratia, *gravidis* ſecanda, commodiſſimum, *medium geſtationis tempus* eſt, quia tunc fœtus non tantum firmius adhæret utero, quam primis hærebat menſibus; ſed quia hoc tempus illud ipſum etiam eſt, quo moveri primum fœtus incipit; principium autem motus ipſius cum ſine ſanguinis quadam in gravidis commotione fieri vix poſſit; & præſumendum ſit, fœtum etiam copioſius nunc attrahere alimentum, venæſectionem propterea hoc præprimis tempore recte celebrari, venamque *medianam dextri brachii* commode ſecari, ſentio.

L X V I.

Scarificationem venæſectionis vicariam, & ſuppletoriam dixi; hæc enim ipſa cum ad morborum curationem, tum ad eorundem præſervationem, commodum eſt auxilium; quippe quæ humores excrementitios, ſeroſos, ichoroſos, ac quaſvis ad habitum decumbentes reliquias jucunde ſatis removet, & evacuat, & ſic, detractis iis, ſanguinem purificat; & mille alios præſtare poteſt uſus, ita ut ſequior præprimis ſexus, dum balnea, ac crebriores lavationes alias in deliciis habere conſuetus ſit, ſcarificationemaxim opere etiam delectari, & dum in utero habet, inſcio etiam medico, uti non minus eadem ſoleat.

L X V I I.

LXVII.

Convenire ergo & *ipſam*, imo utilem eſſe per totum geſtationis tempus, iis tamen, quibus licet, & urget, arbitror. *Licet*, ubi adeſt *plethora*, quæ blande, ac ſenſim imminuitur; *urget*, ſi ſanguis *ſeroſus* prædominatur, & acris, ac moleſti imprimis pruritus ſenſum in habitu excitat, qui *ſcarificatione* detrahitur; & eo magis, quo *gravidæ* ſcarificatio familiarior; per *totum* vero *geſtationis tempus* licita, quia modicam ſanguinis quantitatem ex partibus ſuperioribus, ſcapulis ſc. & brachiis, evacuando, fœtum in *primis menſibus* tenellum non deſtruit; in *mediis* firmum non removet; & in *ultimis* robuſtum nullo tangit incommodo, Cruribus vero ac ſuris applicatæ cum ſcarificatione cucurbitulæ fœtui exitiales ſunt, & gravidam obortire faciunt.

LXVIII.

Sed ne hæc omnia, quæ ex triplici hactenus remediorum fonte, *diætetico*, *pharmaceutico*, ac *chirurgico* mutuatus ſum, remedio, confuſe videantur ordinata eſſe, ac præſcripta: quis demum eorum ſit *utendi modus*, & *ordo*, nunc dicam, ſed paucis:

LXIX.

Diæta per totum geſtationis tempus accurata, & quoad fieri poteſt, omnibus regulis, ut ſupra dictum, abſoluta ſit; non enim cuniculos, ſed hominem, ad *Dei* imaginem formatum, gerit gravida; circa eam tamen hoc præprimis adhuc notandum eſt, victum primis menſibus paulo tenuiorem convenire; largior enim, ventriculum, & inteſtina diſtendendo, vicinum tangit, & comprimit uterum, quo compreſſo, conceptus læditur facile, facileque perditur: adde, quod ex largiore victu copioſa quoque in inteſtinis, & veſica colligantur excrementa, quæ vel copia, vel ſoliditate, ac duritie, adjacentem proxime veſicæ, & inteſtino recto, uterum ſtimulare, ac irritare, & abortum ita provocare ſufficiunt; grandiore vero facto fœtu liberalior etiam victus conceditur.

§. LXX.

Ex *pharmacia*, primis etiam menſibus alterantes potiones, tincturæ, præſertim, non nocent; mediis vero geſtationis menſibus magis commodæ; utuntur autem gravidæ iis bis ad minimum, vel ter de ſeptimana, uſque dum decreſcere luna incipiat; quo facto, digeſtivum unum, vel alterum præmittitur, & mediocriter ac benigne purgans, naturæ ac viribus conveniens, exhibetur; abdomini vero, ad hypogaſtricam regionem, inter purgandum ea, quæ fœtum corroborant, & refi-

ciunt, nec tamen, ne impediatur evacuatio, adſtringunt, admovetur commode; ſic & reficientia non minus poſt purgationem, & matri, ac fœtui proficua, exhibentur utiliter.

LXXI.

Chirurgia vero convenientem, ac moderatam medio geſtationis tempore, ut relatum ſuperius, ſuppeditat *medianæ dextri brachii ſectionem*; reliquis vero menſibus, præmiſſa alteratione, ac moderata evacuatione, ſuggerit leviuſculam in *ſcapulis* & *brachiis ſcarificationem*, quam ipſam, præſertim ſi *febris malignæ miliaris* metus jam adeſt, & ſuſpicio, ſingulis ad partum uſque repetere menſibus, præmiſſa tamen leni evacuatione, pro ſingulari præſervativo haberi cenſeo. *Ichor* enim, ut ſupra monitum, *febris malignæ miliaris* cauſa, in inſtanti, ac unico vel altero poſt partum momento, generari non creditur; ſed antea genitus, & ultimis imprimis menſibus collectus omnino præſumitur; quod ſi verum, alterandum iſtum, alteratumque educendum eſſe, vero non tantum verius, ac medendi methodo conſonum eſt, ſed reliquias ipſius, quæ poſt evacuationem relictæ cum ſanguine circulantur, & ad habitum feruntur, *ſcarificatione* educi, repetitaque, imminui, & ſic præſervari gravidam, ipſa veritate verius eſt.

LXXII.

Convenit autem, imo neceſſe eſt ante *Venæſectionem* alvi, & veſicæ excrementa reddere; & hinc juſculum aſſumere, vel ovum bene coctum exſorbere, & vini parum ſuperbibere, ne ex jejuno ſimul ventriculo, vires deficiant, vel animi inſequatur deliquium; ſcarificationi vero aqv. & Rob. ſambuci, cornu cervi ſ. Igne ebur ſ. igne præmittere & ventrem prius deponere, utile eſt. Et hæc de præſervatione.

LXXIII.

Ipſam ergo nunc demum accedo *febris malignæ miliaris* in poroxyſmo, ut ita loquar, *curationem*; non eo quidem plane modo, quo *malum* tractatum hactenus eſt; ſed quo curare illud nunc magis arridet, meam breviter dicturus ſententiam. *Indicationes* autem quas attendo, ſunt, *curatoria*, quæ morbi ablationem; *præſervatoria*, quæ cauſæ remotionem; & *vitalis*, quæ virium robur, & conſervationem, indicant; quas inter cum maxime urgere videatur *præſervatoria*; quia remota cauſa, removetur effectus; ad *eam* prima ſe convertit intentio.

LXXIV.

Cauſam itaque *proximam*, ac *continentem*, *ichorem peculiariter corruptum, malignum, & fervido confuſum eſſe ſanguini*, ſuperius dictum; quem dum remo-

removere ſtudeo, *venæ ſectione* (cum vix hic conveniat purgatio) nullum præſentius video remedium. Quod ipſum tamen cum dicere facilius videatur quam dictum probare, *an*, & *ubi* conveniat, dicendum eſt.

L X X V.

An conveniat *venæſectio*, dubium eſſe non miror; patiens enim, cui vena ſecanda, *puerpera* eſt; quam caute, imo religioſe tractare, & curare, ſumma urget neceſſitas; quippe cui *in partu*, per vaſorum uteri, quibus fœtus retinebatur, & nutriebatur, diſruptionem, alias copioſus profuſus eſt ſanguis; *poſt partum* conſueta ſanguinis per dies aliquot ſuccedit purgatio. *Puerpera* inſuper ex habitis in partu conatibus infirma eſt, ac debilis; ſpiritus diſſipantur cum ſanguine; vires proſternuntur; recens nato infanti, ſecta vena, alimentum detrahitur; lac imminuitur; accedit, quod hoc ipſum remedium, in curatione febrium malignarum in genere, raro, & non, niſi cum maxima præcautione, adhibendum eſſe, ſtatuatur a multis; & ſi quæ ſunt alia, quæ *venæſectionem puerperis non permittere*, ſed *diſſuadere* videntur.

L X X V I.

Verum enim vero bono hic opus eſt judicio, & accurata omnium circumſtantiarum conſideratione; eſto enim *ſanguinem in partu*, & *poſt partum* profluere, & *puerperam* poſt partum *infirmam* eſſe; exinde tamen non ſtatim ſequitur, has ſanguinis purgationes; & puerperæ ex partu præcedenti infirmitatem, ita ſemper urgere, & in omnibus, ut vel ipſæ opem poſtulent, vel *venæſectionem* in caſu neceſſitatis non permittant; naturaliter ſiquidem ſuccedunt iſtæ purgationes; & infirmitas, non infirmitas, ſed quædam defatigatio eſt, qualis laſſis a laboribus alias contingere accidit. Eſto *venæſectionem* in curatione febrium malignarum a *multis* non concedi; conceditur tamen a *plurimis*. Sic ſpiritus, ſecta vena, diſſipari, vires proſterni, & recens nato infanti alimentum detrahi, ac lac imminui, Nihil eſt; quia hæ læſiones omnes de intempeſtiva, inconvenienti, & immodica, non vero de iſta, quæ prudenter, circumſpecte, caute, & religioſe in *puerperis* celebratur, *venæſectione* dici, manifeſtum eſt.

L X X V I I.

Summa proinde ſi ex ſedula *circumſtantiarum collectione* adhibeatur *circumſpectio*, & *ſanguinis imprimis abundantia*, *virium conditio*, ac *tempus morbi*, permittere *venæ ſectionem* videantur, ſane non capio, *cur puerperæ febre maligna miliari correptæ venam ſecare non liceat?* Sed exiſtimo potius *ſtatim detrahendum eſſe per venam ſectam ſanguinem, & maxime, quantum fieri poteſt, ab initio. Eſt enim hæc operatio tanti momenti, ut, illa neglecta, vix fauſtum eventum in hac febre vobis liceat ſperare, quantumcunque blateret indoctum vulgus, cujus pernitioſa petulantia licentiam in hoc ſibi arripit, peritiorum etiam medicorum operationes taxandi, ac coercendi; non vos iſta deterteant, & a recto medendi tramite latum unguem avertant. Extrahite in principio alacriter ſanguinem pro plenitudinis, & virium ratione; ſummatim vero ad quartum.* *Petrus a Caſtro de Febr. Malign. Sect. 6. §. 1.*

LXXVIII.

Ubi autem *venæſectio* inſtituenda ſit; in *brachio*, an vero in *pede*, hæreo; in *brachio* enim dum ſecatur vena, lochia impediuntur, & ſanguis vitioſus, qui cum bono ſimul per uterum evacuari ſolet, ad interiora, & vaſa majora retrahitur; motus naturæ invertitur; & lac etiam interdum corrumpitur, interdum imminuitur. Si vero in *pede*, ingens ſane poteſt exinde fieri ſanguinis ex utero profluvium; quod ſumme deinde virium proſtrationis, ac debilitatis cauſa eſt. Quorſum ergo?

LXXIX.

Motum naturæ, ductumque inprimis ſequor; hoc eſt, ſi in principio hujus mali conſueta adhuc ſuccedat, vel ſuccedere tamen debeat *puerperæ purgatio*, *venam* in *pede* eligo, & ſic *copiam ſanguinis*, *& ichorum* imminuo; a partibus nobilioribus revello, & ſuppreſſam, vel imminutam tamen purgationem ſimul promoveo. Cujus ſectionis quidem inſignem utilitatem vel ex eo tantum mihi perſuaſerim, quod in plurimis, quæ hac febre corripiuntur, pauca, & inſufficiens partim, partim vero ſub prima ſtatim morbi invaſione plane ceſſare, viſa fuerit *purgatio*. Nec ullum me deterret nimii ſanguinis fluxus, & virium exinde debilitatarum, periculum; cum ſectio harum venarum non rara ſit, rariſſima vero ex eadem jam dicta ſymptomata, adde; quod & illis ipſis tuto remederi, quam febrem miliarem curare, facilius ſit. Si vero ceſſante jam, & abſoluta plane conſueta ſanguinis per uterum purgatione invadat *malum*, *medianam dextri*, & ſi repetita placet vice, *ſiniſtri brachii venam* ſecandam, & *tantum ſanguinis*, *quantum copia ipſius*, & *vires puerperæ* permittunt, detrahendum ſtatuo.

LXXX.

Sed dictum ſupra, *ſcarificationem venæſectionis vicariam* eſſe, ac *ſuppletoriam*; quo perſuaſus, non poſſum, quin, ipſas etiam *cucurbitulas* convenire, vel dicam, vel, quid dicendum de iiſdem ſit, informari expetam. *In febribus enim malignis aliis cucurbitulæ non ſcarificatæ citra inſignem virium jacturam calorem, ac ſpiritus malignitate infectos, cum ſanguine tenuiore, a centro, ad circumferentiam, & habitum evocare; ſcarificatæ* vero, quicquid noxium in habitu eſt, evacuare, & detrahere dicuntur; cur ergo brachiis, & cruribus applicatæ, ſiccæ inprimis miliari noſtræ non conveniant?

Senn. l. 4. de curat. febr. malig. in genere c. 11. & Petr. a caſtro de febr malign. Sect. 6. § 7. & 8.

LXXXI.

Detracto moderate, & convenienter *ſanguine*, *pharmaticam* abſque mora imploro, & alvo imprimis, ſi adſtricta eſt, aperiendæ, ut ſupra in *præſervatione*

vatione dictum, proſpicio; apertamque quoad fieri quidem poteſt per totum morbi decurſum ſervo; quod inter alia, ſupra enarrata, clyſt. ex decoct. hord. & ol. viol. & vitell. ov. efficit; hinc *alterantia*, & *expellentia* præcipio: ex *illis* conveniunt *emulſio* ex ſem. melon. cucurb. lactuc. portul. pap. errat. cum decoct. hord. &c. *Potiones* ex aq. acetoſ. tarax. fragor. &c. cum ſyr. granator. acid. acetoſ. de rub. id. de ſucc. limon. &c. vel julep. roſar. & violar. *tinctura* item roſar. viol. & bellid. potui infuſæ.

LXXXII.

Inter *expellentia*, *potiones ex* aq. fumar. Card. Bened. galeg. ſcorzoner. Card. Mar. ſcabioſ. fl. ſambuc. decoct. C. C. cum rad. ſcorzon. & anthor. &c. cum ſyr. Card. Bened. acetoſ. fl. aquileg. calendul. fumar. ſcabioſ. fl. papav. errat. tunic. &c. & ſpir. baccar. ſambuc. miſtur. ſimpl. &c. fiunt; & admiſcentur. C. C. ſ. igne præpt. ♁ diaph. &c. vehementer tamen laudo *emulſionem* ex ſem. melon. cucurbit. acetoſ. Card. Mar. papav. errat. ſem. napi, aquileg. citr. naſturt. cum decoct. C. C. & aq. fl. ſambuc. factam, cui additur C. C. ſ. igne præpt. terr. ſigill. terr. ſolar. ver. magiſt. ſpinar. viper. ♁ diaph. &c. cujus crebrior uſus profuit hactenus plurimis; *pulveres* ex pulv. bez. D. Sennert. C. C. ♁ diaph. C. C. cum auro præpt. magiſt. ſpinar. viper. unicorn. foſſil. & lap. bez. commodi fiunt. Ex *ſalibus* ſal aquileg. cent. min. Card. Bened. fumar. ſcord. ſambuc. conveniunt; ſed palato minus grati ſunt, & propterea in cryſtallos redigi poſſunt. Quæ inter quanta virtute polleat, ac efficacia, Rob. ſambuci, ſive per ſe, ſive cum C. C. ſumptum, dici vix poteſt, ita ut non immerito a puerperis pro ſingulari haberi debeat antidoto.

LXXXIII.

Hæc autem omnia, quibus pro circumſtantiarum diſcretione uti convenit, vi expellendi partim naturam juvant; virtute partim bezoardica malignitati reſiſtunt, & cor inſimul roborare, ac vitali ita indicationi ſatisfacere apta ſunt, præſertim ſi iſtis magiſt. perl. corall. ebor. ſmaragd. præpt. ol. perlar. & corall. addantur, & alia; & topicor. etiam accedat uſus, ut balſam. cordial. ex ol. deſtillatis, roſar. rut. ſcorpion. comp. carbuncul. & ſaccul. pro pulſibus quibus radix anthor. & contrajerv. addi, & aq. fl. borrag. bugloſſ. carbuncul. roſar. fragrantiſſ. irrorati. calide applicari poſſunt.

LXXXIV.

Nec minus *diæta* viribus proſpicitur; dum aër purus, &, ut expulſio promoveatur, paulo calidior præcipitur, & qui a ventorum difflatione liber ſit; victus tenuis ſit, & morbo, ac viribus reſpondeat; inter alimenta conveniunt juſcula inſtaurantia, ptiſana, & ſem. frig. major. iiſdem emulſa;

ſecus

ſecus vero ſe habent amygdalæ. In genere autem alimentorum copia, & multa ingeſtio ſtudioſe fugienda; ne calor, & vires, alias debiles, lædantur magis, ac obruantur. Potus, ſi cereviſiæ non arrideant, ſit decoct. hordei, cum rad. ſcorzoner. & fl. borrag. & viol. factum, & ſyr. acetoſ. limon. herb. vel citr. parum edulcoratum, cui ſi lubet, ſp. nitri vel vitrioli aliquid miſceri convenit.

LXXXV.

Circa *diætam* tamen hoc ſaltem adhuc, & *coronidis* quaſi loco, adjicio; haut ſcil. commodum, conſultumque mihi videri, *lactare puerperam febre maligna miliari detentam*, quod eo ipſo motus ſanguinis augeatur; ſanguis fervens, ac maligno infectus ichore, ad cor, & præcordia attrahatur; quies ac ſomnus interrumpantur; ac medicamentorum bezoardicorum, ac cordialium vis, ſuctu, & attractu iſto, non parum imminuatur, ac infringatur, ſcil. ſi verum eſt, quod dicitur, infantem ſibi optimum ad mammas attrahere ſanguinem; de quo tamen cuilibet ſuum relinquo judicium; & hujus ita *hiſtoriæ medicæ* ultimam appono manum; *Deo Ter Sancto devotas in æternum dicturus laudes, ac gratias.*

FINIS.

POLY-

CLXXV.

POLYCARPI GOTTL. SCHACHER

ET

J. THEOPHIL. STEINFELD;

DE

FEBRE ACUTA EXANTHEMATICA ÆGRAM QUINQUIES SERIE NON INTERRUPTA INVADENTE.

Lipſiæ 1723.

PROOEMIUM.

EA eſt febrium acutarum indoles, ut eædem non modo a primo invaſionis die clientes ſuos in anceps vitæ periculum conjiciant, verum pro vario etiam genio ſuo intra paucorum dierum ſpatium ægros jugulent, nec facile ante deferveſcant, quam periodus earundem ad decimum quartum quintumve diem fuerit protracta. Eo tempore plerumque malignitatis ſymptomata miteſcunt ſilentque, ac æger non vanam ſanitatis mox recuperandæ ſpem concipit. Videas tamen ſæpiuſcule vim malignitatis ante terminum præmemoratum infringi, aliquando vero ſymptomata periculi plena ad vigeſimum, rariſſime ad triceſimum diem, mirum in modum ſævire, aut ægris exitium parare. Neque vero raro accidit, ut primæ febri conſopitæ ſecunda non minus maligni moris mox ſuperveniat, ægriſque ſanitatis ſpem præſcindat, aut dubiam incertamque reddat. Hæc & ſimilia frequens experientia nos docet, inſueti tamen, ne dicam inauditi, quid prorſus eſt, ægrotantem in febrem acutam quinquies, & quidem ſerie non interrupta recidere, morbumque iſtiuſmodi ad menſes tres protrahi: id quod aliquando accidiſſe, ſingularis mihi communicatus caſus perſpicue declarat. Itaque nos operæ pretium facturos eſſe ſperamus, ſi memorabilem hunc caſum concise candideque deſcribamus, deſcriptumque accuratiori paulo examini ſubjiciamus. Huic inſtituto ut ſummus Archiater clementiſſime adſpirare velit, ea, qua decet, animi devotione optamus vovemuſque.

CASUS.

MUlier quædam viginti ſex annorum, macilento ac phlegmatico corporis habitu, circa feſtum Michaëlis, tam exquiſitis imi ventris & lumborum doloribus corripiebatur, ut die noctuque nullum videret ſomnum, atque genibus ſubinde nixa, vix locum ſitumque corporis convenientem inveniret, qui ipſi aliquod ſolamen non diu durans adferret. Tandem quatuor circiter diebus elapſis, molas aliquot mole minores non ſine cruciatu horrendo enitebatur. Quibus excretis, paulo melius ſe habebat, atque quinto die obambulare incipiens, ſaltem de inſigni corporis languore, & alimentorum adpetitu proſtrato conquerebatur. At vix tres quatuorve dies effluxerant, ex quo in febrem malignam, ſummis inprimis præcordiorum anxietatibus & frequentioribus animi deliquiis, nec non exquiſitis abdominis doloribus ſtipatam delabebatur, uſque dum ſeptimo die ex habitu corporis purpura rubra æque ac alba affatim efflorefceret. Utraque hæc purpura magnitudine granorum milii paulatim quidem exſiccabatur, ſed ægra nil quicquam propemodum

ſolaminis percipiebat, quin potius brevi poſt purpuræ exſiccationem quævis enarrata ſymptomata tam enormiter intendebantur, ut ſummum vitæ periculum immineret. Sed accidit, ut interea temporis per univerſum corporis habitum nova purpura alba tam immmodice prorumperet, ut totum caput, ne cute capillata quidem excepta, collum, pectus, dorſum, abdomen, clunes, manus pedeſve innumeris propemodum ſplendeſcentibus veſiculis lacteo liquore turgidis, ac ad granorum piſi magnitudinem accedentibus ſcaterent. Licet autem & hæc purpura pedetentim more ſueto exſiccaretur, tamen malignitatis ſymptomata nondum evaneſcebant. Uti namque ſomnus paucus erat atque turbulentus, ſitis ſatis intenſa, adpetitus alimentorum nullus, languor corporis extremus: ita anxietates præcordiorum & cruciatus imi ventris modo remiſſius, modo atrocius, & inprimis poſt albæ exſiccationem, noſtram infeſtabant, donec nova denuo purpura, rubra & alba, priori prorſus ſimilis, per totam cutem excerneretur; ulceribus cutaneis hinc & inde ſimul efflореſcentibus. Quanquam vero ulcera illa rupta & mundificata ſolideſcebant, atque purpura paulatim exareſcebat, quilibetque propter mitiora ſymptomata ſpem de ſanitate brevi recuperanda ſibi concipiebat: tamen præter opinionem in novos febriles inſultus & dolores abdominis recidens, prævio cutis pruritu, purpuram albam ac ſecundæ ſimillimam nec minori quantitate excernebat, eodemque tempore propter frequentiores lipothymias aliaque graviſſima ſymptomata ad adſtantium deſperationem ægrotabat. Sed enimvero vicit tandem & hujus morbi atrocitatem, ita tamen, ut purpura nondum plenarie exſiccata, novas anxietates, novoſque abdominis dolores ſentiret, quos variolæ in facie, manibus, aliiſque partibus affatim prorumpentes ſequebantur. Et profecto uti variolæ adultos invadentes ſæpe eos in anceps vitæ periculum conjiciunt, aut penitus interimunt ita noſtræ, toties in purpuram malignam relapſæ, vires vix ſufficere videbantur ad earundem ſævitiam ſuperandam. Nihilo tamen ſecius puſtulæ illæ ex animi ſententia pus conficiebant: ita ut poſt earum exſiccationem foveolæ ſuperficiales effatu vix dignæ hinc inde in cute relinquerentur. Incipiente autem variolarum exſiccatione, quæ brevi ante ferias natalitias accidebat, quævis malignitatis ſymptomata cum doloribus imi ventris remittebant, tandemque huic complicato morbo finem purpura rubra, totam corporis peripheriam obſidens, ac pruritu mirum in modum moleſta imponebat. Purpura autem hæcce erat benigna, & cum febre haud complicata: hinc redeunte paulatim alimentorum adpetitu, & viribus quotidie majora incrementa capientibus, noſtra, eadem adhuc dum perſeverante, ſtatim poſt natalitias ferias obambulabat, eademque penitus evaneſcente, pedetentim priſtinam recuperabat ſanitatem. Antequam præſentem obſervationem finiamus, non poſſumus non de diæta & remediis, quibus uſa eſt, perpauca facere verba. Scilicet utut interdum rationis uſum deliria non diu durantia infringerent, tamen ab iis libera

tran-

tranquillioris erat animi, monitis medici ſat bene obtemperans, ſpemque de acquirenda ſanitate haud abjiciens. Præter juſcula nihil alimentorum ſolidorum, quæ admodum averſabatur, capiebat, cereviſia tenui ad teporem inclinante contenta, cujus uſus ſiti urgente largus concedebatur, cuique interdum infuſum fol. thee interponebatur. Alvus nunc quotidie, nunc ſingulis binis vel ternis diebus erat laxa, maxime vero, dum ex variolis & purpura benigna decumbebat, conſtipata, ita ut intra decem dierum ſpatium eam haud exinaniverit. Neque vero medicus de laxante adeo ſolicitus erat, præcipue cum ægra indies melius ſe habens parum comederet, ac dolores abdominis obmuteſcerent. Quare redeuntibus demum viribus, ipſi nodulum laxantem præſcripſit. Sudabat affatim non tam remediorum, quam morborum, quibus conflictabatur, vi. A menſium fluxu per totum morborum decurſum immunis prorſus erat. In hypocauſto morabatur calefacto, cujus aër interdum calidus ſatis erat. Ex fonte chirurgico remedia nulla, e pharmaceutico autem caſtoreata ac myrrhata, nec non terrea diapnoico-antiſpaſmodica, ſcilicet: lap. cancr. dens apri, equi marini, mandid. luc. piſc. margar. terra ſigillata alba, oſſa cordis cervi, lapis bezoar orientalis, antimonium diaphoreticum, pulvis bezoardicus Mich. ſpecificum cephalicum, pulvis marchion: depromta fuere, quibus pro circumſtantiarum varietate cinnabarina, nitrata, anodyna, ut & cardiaca ſpirituoſa, aut etiam volatilia urinoſa, ſcilicet tinctura corall. c. ſpirit. cord. cerv. ſpiritus bezoardic. &c. addita aut interpoſita fuere. Præter clyſteres alvum leniter laxantes topica adhibita fuere nulla.

RESOLUTIO CASUS.

§ I.

Ægram quater purpura maligna, ſemel variolis, tandemque purpura benigna, & quidem ſerie non interrupta laboraſſe, ex ſuperiori hiſtoria clare & perſpicue adparet. Quare quilibet vel me ſilente facili perſpicit negotio, febrem acutam exanthematicam, cujus rubrica diſſertationis meminit, ſtricto ſenſu in præſenti ſumi. Uti namque exanthema in genere efflo eſcentiam omnem aut eruptionem præternaturalem in cute denotat: ita exanthemata quævis, purpuram benignam ſi excipias, quæ ſine febre e cute effloreſcunt, uti in varis, ſcabie, maculis epaticis, lentiginibus, maculis ſcorbuticis aliiſve animadvertere eſt, huc neutiquam pertinent. Neque vero morbillos, petechias, vibices aliaque exanthemata cum febre acuta complicata volo intellecta, ſed ea ſaltem, quæ purpuræ vel variolarum titulo inſigniuntur.

§. II.

Purpuram vero cutis ſuperficiem minimis tuberculis aſperam reddentem non ſemper eandem præ ſe ferre faciem, præter experientiam quotidianam caſus præſens quoque docet. Namque intuitu coloris ea plerumque in rubram & albam diſpeſcitur: quarum illa rubris, hæc albis puſtulis ſe prodit, non obſcuro indicio, id nominis potiori jure priori, quam poſteriori attribui; cum hujus puſtulæ non purpurei ſed lactei ſint coloris. Equidem purpuræ rubræ exanthemata in principio progreſſuque rubro colore tincta adparent, donec paulatim exſiccata ſquamularum in modum decidant: interdum tamen ea pedetentim in veſiculas aquoſo vel lacteo humore turgidas elevata ſenſibiliter albeſcunt, ita ut purpura rubra in albam veluti mutetur. Atque hac ratione ea purpuræ ſpecies fortaſſis accipienda venit, qua purpura alba rubræ inſidere ad ductum nonnullorum dicitur, in eo a purpura alba proprie ſic dicta diſcrepans, quod hujus puſtulæ ſtatim ab initio eburnei ſint coloris, atque ſub margaritarum forma e cute erumpant. Id vero in noſtra memoratu erat dignum, quod bis purpura alba rubraque eodem tempore laboraverit: ſiquidem puſtulis rubris albæ erant interſperſæ, quæ alias ſeorſim ægros invadere ſolent.

§. III.

Præterea non mediocre in utraque purpuræ ſpecie diſcrimen ratione magnitudinis obſervamus. Quantumvis enim papulæ albæ æque ac rubræ plerumque milii grana magnitudine æquent; eamque ob rationem abs nonnullis febris miliaris titulo inſigniantur: tamen uti exanthemata rubræ purpuræ eo inprimis tempore, quando in veſiculas aquoſi vel lactei coloris explicantur, ſenſibiliter grandeſcunt; ita purpuræ albæ puſtulas aliquando piſorum magnitudinem indipiſci, ex ſuperiori caſu affatim conſtat, & plus ſimplici vice in aliis etiam ægris obſervatum eſt. Neque vero rationem perſpicio ſatis aptam, cur poſtremas puſtulas a purpura alba miliiformi tanquam diſtincta exanthemata diſcernere velimus, cum ratione coloris, ſitus, ſymptomatum, aliorumque accidentium inter ſe conveniant, & non niſi magnitudinis ratione a ſe invicem differant.

§. IV.

Inſuper puſtulæ jam delineatæ in ſtabiles & fugaces non incongrue diſpeſcuntur. Cum enim non raro fieri ſoleat, ut hujus generis exanthemata, ex hac illaque parte quæ effloruerunt, mox retrocedentia evaneſcant, contra alia ſemel excreta in habitu corporis ad exſiccationem uſque permaneant, ſane inde non modo diſcrimen hocce luculenter patet, verum quilibet etiam facile perſpicit, noſtræ papulas non fugaces ſed ſtabiles fuiſſe.

§. V.

Neque vero minor eſt differentia, quam in utraque purpuræ ſpecie ratione partium, quas occupat, animadvertimus. Equidem plerumque dorſum, pectus ac collum ſedem hisce exanthematibus præbent, iis tamen, & abdomen, & pedes, & manus, & frontem, ceterasque capitis partes externas infeſtari, in ſuperiori caſu luculenter obſervare eſt. Et licet paulo frequentius purpuram rubram & albam in cruribus, manibus & fronte conſpiciamus, negari tamen nequit, rariſſime fieri, ut univerſus corporis habitus, ne capitis parte capillata quidem excepta, iſtiusmodi exanthematibus albis inprimis ſcateat: quale quid in alio ægrotante purpura alba conſimilis magnitudinis laborante ſe animadvertiſſe Præſes recordatur.

§. VI.

Inprimis vero differentia, qua purpura in malignam & benignam dividitur, attentionem meretur: quarum illa nunquam non cum febre acuta eſt complicata, hæc non æque. Plerumque enim poſtrema adfecti ne quidem lecto adfixi hærent, ſed obambulant, muniis ſuis rite præſunt, ac ceteroquin bene ſe habent, ſaltem de pruritu cutaneo, diurno æque ac nocturno tempore ſæviente, conquerentes. Utrum vero hæc diviſio purpuræ albæ æque ac rubræ, an vero ſaltem rubræ competat, non immerito jam quæritur. Purpuram rubram dari benignam extra omnem dubitationis aleam eſt poſitum, conſimilis vero naturæ occurrere albam, & quidem proprie ſic dictam, non facile dixerim. Etenim uti neminem novi, qui ſine præcedente febre acuta in purpuram albam eſſet delapſus, quale tamen quid purpura rubra vexatis frequentius accidere ſolet: ita purpura alba in habitu corporis comparente, non protinus malignitatis ſymptomata ſilent; niſi fortaſſis eam benignam vocare velis, quæ interdum, mitigatis maximam partem malignis ſymptomatibus, & ægrotante in ſtatu convaleſcentiæ conſtituto, hinc & inde minimarum puſtularum albarum forma effloreſcit. Sed enimvero & hanc a reſiduo febris acutæ fomite ortum traxiſſe, quis eſt, qui non animadvertat? Ceterum febris acuta, qua cum purpura maligna eſt complicata, non ſemper ejuſdem eſt indolis: ſiquidem interdum ardore totum corpus adeo eſt perfuſum, ut febris ad ardentis naturam propius accedat, alio vero tempore in externo corporis habitu æſtus ille febrilis modicus mitisque admodum eſt, ut vix ſentiri interdum queat; quale quid in febribus malignis non raro obſervare ſolemus, id quod probabiliter ægri temperiei, qua ille ad orgaſmum & ebullitionem ſanguinis magis minuſque eſt proclivis, aut etiam variæ malignæ materiæ qualitati debetur. Interim cum noſtra per totum morborum decurſum raro intenſo febrili æſtu adfligeretur, merito febrem eam malignis accenſemus. Neque vero opus fore opinor, quævis malignarum febrium ſymptomata ordine hic recenſere: ſufficiat ſaltem hic me-

mi-

miniſſe, noſtra nulla diarrhœa, nulla hæmorrhagia, nulla angina, ſed ex inſuetis ſymptomatibus ſaltem hyſterica paſſione cum torminibus inteſtinorum conjuncta, pauco lochiorum fluxu & menſium obſtructione laboraſſe.

§. VII.

Quod ad variolas attinet, equidem & hæ ſunt nonniſi puſtulæ cutaneæ; tamen cum earundem baſis ſit lata, rubore inflammatorio perfuſa, atque pedetentim in veſiculas ſphæricas, plus vel minus acuminatas, reſpectu purpuræ multo ampliores, pusque continentes eleventur, facile eædem cognoſci & a purpura diſcerni poſſunt. Ceterum variolæ modo in benignas & malignas, modo in diſcretas & confluentes, modo in ſtabiles & fugaces, modo in depreſſas maculiſque nigris conſperſas diſpeſcuntur, quarum ſpeciali explicationi brevitatis ergo non inhærebimus. Id vero ex morbi hiſtoria adparet, variolas noſtræ ex malignarum fuiſſe genere, ita tamen, ut eædem tanquam diſcretæ juſtum excretionis, ſuppurationis & exſiccationis tempus obſervaverint.

§. VIII.

Nolo jam juſto ſcrupuloſius in tempus, quo purpura vel variolæ innotuerunt, inquirere, præ ceteris vero Cl. *Freind* (*a*) variolarum natales progreſſuſque curioſe admodum litteris conſignavit. Sed id ſilentio præterire nequeo, purpuram anno circiter quinquageſimo quinto proxime elapſi ſeculi, tanquam novum puerperarum morbum a Cl. *Welſchio* (*b*) in ſcenam fuiſſe productam. Uti vero iſte adfectus tempore illo tanta atrocitate ſæviebat, ut multæ puerperarum in ipſo ætatis flore præmaturam obierint mortem: ita ab illo tempore non modo puerperas, verum tenellos etiam adultoſque utriuſque ſexus adortus eſt, atque etiamnum frequenter incolas infeſtat, hac ſaltem intercedente differentia, quod ex eodem, genio ejus clarius patefacto, multo plures quam olim convaleſcant. An vero id mali ante annis non ita multis ex noſtra regione in Brandenburgicam, per contagionis modum, uti *Cl* Actorum Berolinenſium *Auctor* (*c*) opinatur, migraverit, iis potiſſimum Medicis, qui ante tempus illud ægros non tantum Berolini, ſed & aliis in regionibus Brandenburgicis degentes diligenter viſitarunt, dijudicandum relinquo.

§. IX.

Quæ ſit ratio, cur noſtra tam frequenter in febrem malignam exanthemati-

(a) *De purgantibus in ſecunda variolarum confluentium febre adhibendis Epiſtola Rotterodam. 1720. edita.*

(b) *Hiſtoria medica novum iſtum puerperarum morbum continens, qui ipſis die Frieſſel dicitur. Lipſ. ann. 1656. edita.*

(c) *Vol. 2 hiſt. 1.*

maticam reciderit, ita ut morbus hic complicatus ad decem hebdomadas, & quod excurrit, protractus fuerit, aut quæ ſit cauſſa, quæ febri malignæ & exanthematibus variis fomitem præbuerit, explicatu perarduum eſt atque difficile. Interim maxime dolorificam molarum excretionem, & inprimis ſanguinem in utero reſtagnantem (parum enim cruoris poſt molarum excluſionem excernebatur,) malis omnibus occaſionem ſubminiſtraſſe, a ratione non adeo abhorrere opinor. A qua ſententia eam ob cauſſam non facile diſcedo, quia exquiſitiſſimi uteri cruciatus quamlibet purpuram ac variolas tanquam prodromi nunquam non præcedebant, ac iis demum penitus conſopitis, quævis malignitatis ſymptomata plene remittebant. Quamobrem vero videtur ſimillimum, periodo purpuræ unius peracta, interea temporis ſanguinem adhuc dum in cavernoſa uteri ſubſtantia ſtagnantem malignitatis characterem contraxiſſe, atque non modo dolores moviſſe, verum miasmatibus etiam malignis reliquum ſanguinem contaminando, febri æque ac novæ purpuræ & variolis occaſionem dediſſe. Etenim a veritatis tramite me non adeo aberraturum fore confido, ſi miaſma quodpiam malignum vel in corpore genitum, vel extrinſecus advectum in iſtiusmodi febribus peccare ſtatuam: ita enim fieri ſolet, ut mixtura ſanguinis turbata, ejectæ extra mixtionis ordinem mobiliores, igneæ & elaſticæ particulæ in lenteſcentes arietantes ejuſmodi malignam fermentationem accendant, a qua vitalis circulus pro ipſius ſanguinis temperie intenſius remiſſiuſque cum majori minorique incaleſcentia intenditur, varieque turbatur; unde poſtea plurima eaque graviora promanare ſolent ſymptomata, quæ nocivis particulis per varia emunctoria nunc ſenſibiliter, nunc inſenſibiliter evacuatis, atque ſanguine ad debitas mixturæ leges redeunte, paulatim mitigantur obmuteſcuntque. Et licet ex fœtore, pruritu & exanthematibus judicari quodammodo poſſit, iſtiusmodi malignum miaſma ſulphureo-ſalinæ eſſe naturæ: nihilo tamen ſecius ſic nondum natura ejus clare patet; ſiquidem cum variolæ, purpura alba, purpura rubra, petechiæ ſimiliaque exanthemata materiam calore & indole variam complectantur, quamlibet ejuſmodi febrem exanthematicam a definitæ naturæ materia ſeu miaſmate maligno oriri & foveri, veri quidem eſt ſimillimum, ſed in quo diſcrimen ejus conſiſtit, & quo nomine idem ipſum miaſma, indolem ejus ſpeciatim declarante, ſit adpellandum, ſupra captum noſtrum longiſſime poſitum eſſe opinor.

§. X.

Hæc quoque eſt ratio, cur Medici, abſtruſiſſimis cauſis eruendis vix ac ne vix quidem pares, in definienda hujus generis febrium cauſſa parum concordes ſint atque unanimes, ſuis ſpeculationibus forſan plus damni, quam emolumenti praxin exercentibus adferentes. Id quod Cl. *Freind* (*d*) hiſce

(d) *Præfat. XV Hippocrat. de morbis popularibus lib.* 1. & 3. *præfix.*

hiſce exprimere videtur verbis: *Vides*, inquit, *ut ſimplex omnino ac perſpicua ſit illa, quam Hippocrates ſecutus eſt, ſcribendi ratio: perpendamus paululum, quam demum tenuerint, qui omnem de febribus doctrinam expoliviſſe jactitant, recentiores: Quorum hoc eſſe vitium commune advertis, quod ita ſuo ingenio indulgent; ita commentitiam quandam philoſophiam ſectantur, ut ad quamcunque ſint hypotheſin quaſi tempeſtate delati, ad eam tanquam ad ſaxum adhæreſcant: ad eam tum ſignorum omnium, tum remediorum rationem detorqueant. Itaque apud eos cauſſam febrium deductam legimus, ab humorum putredine, ab archæi accenſione, ac ſanguinis fermentatione, ebullitione, efferveſcentia, a ſulphuris & nitri incendio, a turbata ſanguinis mixtione, & ſpirituum ἀταξία, a ſucci pancreatici acore, a globulis rubris in motum excitatis, a ſpirituum vitalium expanſione, a miaſmate quodam deleterio, quod ſpiritus animales contaminat; inque eorum ſyſtemate deliteſcit. Horum ergo*, pergit, *nil quicquam me intelligere poſſe, plane profiteor.* Neque vero multum lucis nobis accenditur, ſi cum *Sydenhamio* (e) exiſtimemus, quod febris nihil aliud ſit, quam naturæ conamen, materiæ morbificæ exterminationem omni ope molientis: aut ſi febriles motus ab ipſa natura ad materiam, corpori putredinem vel ruinam minitantem, disjiciendam expellendamque excitari, cum aliis arbitremur. Etenim uti naturæ vocabulum novis diſceptationibus occaſionem dat: ita ſi etiam maxime in definienda natura conveniamus; æque tamen obſcura manet materiæ indoles, in cujus gratiam natura motus febriles ſuſcitare dicitur.

§. XI.

Quantumvis vero purpuræ malignæ & benignæ exanthemata, quoad externam faciem, aliquid ſimilitudinis habere videantur, exiſtimaverim tamen, materiæ qualitatem unam eandemque non eſſe. Id quod variolæ inprimis perſpicue declarant. Poſteaquam enim methodus, variolas per inoculationis ſeu transplantationis modum excitandi, innotuit, certe qui (f) hujus rei curam gerunt, eo operam navare ſolent, ut pus non ex confluentibus maligniſque, ſed ex diſcretis benigniori ſque indolis puſtulis eliciant colligantque: atque hoc inprimis vulnuſcula hinc & inde cuti illius, in quo variolas excitare animus fert, ex inſtituto antea inflicta innungant; ita fieri ſolet, ut variolæ non ita numeroſæ, nec gravioribus ſymptomatibus ſtipatæ, ſed more benignarum in cute efflореſcant, ſecus ac obſervatur, ſi ex malignæ indolis variolis materia exemta eum in finem adhibeatur. Ex quibus non modo diverſus materiæ varioloſæ genius, ſed & id, quod ſupra monuimus, ſatis aperte conſpicitur, quod nempe quælibet febris exanthematica peculiare miaſma involvere videatur.

§. XII.

(e) *libr. de morb. acutis. Sect. cap I.*

(f) *Conf. Diſſertationes in novam, tutam ac utilem methodum in oculationis ſeu transplantationis variolarum. Lugd. Batav. 1722. edit.*

§. XII.

Supervacaneum duco, ſigna diagnoſtica prolixe in præſenti enarrare, præcipue cum ea in hiſtoria morbi jam tum commemorata fuerint: id vero ſilentio præterire nequeo, in toto morbi decurſu non mediocre quidem vitæ periculum comparuiſſe, ſalutis tamen recuperandæ ſpem ſimul emicuiſſe. Etenim uti exanthemata quævis ſtabilia erant, nec peſſimæ notæ, ſua tempora ratione excretionis, ſuppurationis & exſiccationis probe tenentia, nec cum diarrhœa, angina, ſumma linguæ ariditate, epilepticis inſultibus, reſpiratione ſumme anheloſa, ſubſultatione tendinum, pulſu arteriarum nimis debili & vermiculari, ſopore profundo & inexpugnabili, ſenſuum torpore complicata: ita certe ipſa ægra, reliqua malignæ febris ſymptomata patienter ferens, ſpem de aquirenda ſanitate haud abjiciebat, quam etiam divina adſpirante gratia, auxiliis tum diæteticis, tum pharmaceuticis uſa paulatim recuperabat.

§. XIII.

Atque hæc ipſa remedia ut jam ad examinis incudem nonnihil revocemus, ordinis jubet ratio. Sane in noſtra animi tranquillitatem merito laudamus. Nam uti puſillanimitas, timor, ira, aliaque graviora pathemata, in ſanis non mediocres turbas excitant, animumque reddunt inquietum, corpuſque inquietantem: ita ſi quis in febrem malignam delapſus, in mediis anxietatibus tranquillioris eſt animi, criticos motus, quos natura molitur, non turbabit, ſed eo ipſo promovebit. Neque vero fiducia, quam noſtra in medicum & medicam artem poſuit, minorem meretur. Quodſi enim quis hæc omnia nauci faciens, repugnante animi ſui inclinatione, atque ideo non ſine nauſea & commotione medicamentis utatur, juſta tempora eadem aſſumendi negligat, aut ea ſuſque deque habens plane abjiciat, quid boni ex hac perverſa vivendi ratione ſperandum, aut quid mali inde ſit metuendum, nemo non vel me tacente, ſuapte intelligit ſponte.

§. XIV.

Nec in eo erravit noſtra, quod alimentorum ſolidorum nihil adſumſerit, juſculis, cereviſia tenui & ad teporem inclinante, ut & infuſo foliorum thee contenta. Vix enim ac ne vix quidem eorum morem adprobare poſſumus, qui ex inedia ægrnm interiturum fore ſibi perperam perſuadent, ideoque cibum eidem obtrudunt, quem tamen non adpetit, ſed averſatur, nec propter ſtomachi imbecillitatem digerere commode poteſt. Cum juſculis potuque res aliter longe eſt comparata. Præterquam enim quod ipſis vis nutriendi deneganda non eſt, non mediocris quoque iiſdem

 vir-

virtus alterandi competit. Profecto peſſima inter ſigna merito refertur, ſi æger non obſtante oris linguæque ariditate, ſitim non ſentiat, potuque perpauco, & nonniſi admonitus vel invitus utatur: ſic enim fieri ſolet, ut ſales in corpore magis acuantur, humores paulatim nimium lenteſcant, particularum nocivarum acque ac aliarum ſecretio & excretio impediatur, omniaque in deteriora ruant. Itaque noſtræ vitio vertendum non eſt, quod ſiti plene fecerit ſatis, uſuique potus largo indulſerit, ita ut aliquando intra viginti quatuor horarum ſpatium, potum ad menſuras quatuor, quinque vel ſex adſumſerit: ſiquidem hac ratione fieri arbitror, ut alvus magis ſit expedita, urina copioſa nec ita tincta egeratur, ſudores minus debilitent corpus, febrilis ardor miteſcat, & ſanguinis moles ita attenuetur, ut per vaſa liberius devehi, ſecretioque & excretio facilius peragi queat. Interim hæc omnia cum grano ſalis ſunt accipienda. Namque æger male ſibi conſuleret, ſi poculum magnum ſine reſpiratione exhaurire, immodicaque potus uno impetu adſumti quantitate ſtomachum enervare, aut ad ebrietatem uſque bibere velit: ſed neceſſe omnino eſt, ut partitis vicibus potum modice ſumat, viriumque ſtomachi rationem ſimul habeat. Neque vero culpanda eſt noſtra, quod potu ad teporem inclinante uſa fuerit. Quemadmodum enim potus gelidus ægris nocumento eſt inſigni: ita continua ejuſdem calidi ingurgitatione corpus præter neceſſitatem aut non ſine damno nimium incaleſcit, & quævis ſymptomata exaſperantur, motuſque critici non raro turbantur. Equidem me non latet, decoctum corn. cerv. ebor. hord. ſcorzon. &c. ab haud paucis eximie commendari: ſed neque id ignoro, ejuſmodi potum medicamentoſum febribus apprime accommodatum, non paucos ægrotantium mirum in modum averſari; ad quorum claſſem noſtram merito referimus, quippe quæ ſolam ſibi expetebat cereviſiamtenuem. Nec quidem male. Hanc enim craſſa longe eſſe præſtantiorem, genius ejuſcemodi febris non obſcure indicat. Præterea optime egit, quod quotidie potum haud mutaverit, vel uno die cereviſias, colore, ſapore & indole varias ſumſerit: id quod vix ſani, nedum deſperanter decumbentes, impune ferant.

§. XV.

Quemadmodum ejuſmodi adfectibus egregie conducit, ſi in diapnoico ſtatu conſervetur æger: ita non ſine gravi cauſſa aër frigidus & æſtuoſus improbatur; etenim illo puſtularum excretio impeditur, vel excretæ retropelluntur, hoc æſtus febrilis nimium intenditur, ſudor immodicus movetur, pectoris anguſtia augetur, ægerque extreme debilitatur. Quare temperatus aër omnium videtur convenientiſſimus, in quo tamen noſtra haud degit, in hypocauſto probe calefacto commorata. Sed enimvero ſi perpendamus, tempeſtatem illius temporis perfrigidam, ægram raro æſtu intenſo adflictam, in frequentiora animi deliquia delapſam, atque ideo

non

non mediocri frigoris ſenſu perfuſam: certe calor, aliis paulo ingratior, noſtræ gratus fuit acceptuſque, nec fortaſſis eidem quicquam mali peperit. Siquidem & caloris gradus ad ægri conſtitutionem ac conſuetudinem, nec non mali indolem eſſe reſtringendos, quis eſt, qui neſciat? Interim in lecto cubans, ſubuculaque induta brachia extra tegumentum exſerta ſervabat, nec facile iis capitique ac collo culcitulſa plumeas probe calefactas imponi patiebatur: qua intempeſtiva ſerviendi promtitudine alias ſexus inprimis ſequior vel ad minimum aëris acceſſum abarcendum plus exæſtuationis nocivæ incendit, quam ſi æger oneribus iſtis liberatus in aëre ſatis calido degat.

§. XVI.

Ex fonte chirurgico remedia fuiſſe depromta nulla, ex morbi hiſtoria elucet: id quod fortaſſis reprehenſionem meretur; præcipue cum venæ ſectionis vires in ejuſmodi febribus a quamplurimis miris extollantur præconiis. Atque ut ingenue fatear, excluſis molis, parcoque ſuccedente & plene ceſſante ſanguinis fluxu, appoſite ante febris malignæ invaſionem venæ ſectio adhiberi potuiſſet. Cum enim uterus poſt molarum excluſionem a ſanguine impuro non rite fuerit repurgatus, fortaſſis venæ ſectione id commodi potuiſſet obtineri, ut lente per cavernoſam uteri ſubſtantiam progrediens, aut hinc & inde ſtagnans ſanguis diſcuti, & vitali circulo reſtitui potuiſſet. Sed cum id remedii genus, neſcio quo caſu, fuerit neglectum, dubito omnino, an idem ipſum in progreſſu morbi locum invenerit. Sane, ad Cl. *Freind* (*g*) aliorumque mentem, ſanguis, cum adparent variolæ & morbilli ſimiliaque exanthemata, & febris, aliaque graviora ſymptomata non ceſſant, emittendus omnino venit: præcipue cum ſit experientia comprobatum, ſanguinem eo morbi tempore ex naribus aut ex uterinis viis fluentem permultis ſaluti fuiſſe: manifeſto ſatis indicio, quod hoc auxilii genus natura aliquando deſideret. Accedit, quod ſalutari hoc auxilio ex mediis veluti orci faucibus non pauci fuerint erepti. Et licet experientia pariter nos doceat, ex ſpontaneis ſanguinis profluviis, nec non venæ ſectione eo tempore adhibita ægros mox interiiſſe: propterea tamen uſum ejus non ita formidandum, multo minus rejiciendum eſſe, modo laudatus *Freind* opinatur: *Quid enim abſurdius*, inquiens, *quam ubi certum alioqui periculum imminet, dubitare, an ea ſit adhibenda medicina, quæ ſæpiſſime quidem ſalutem ægrotanti attuliſſe comperta eſt, medentis autem ſpem aliquando fefellerit?* At vero quantumvis facile patiar, quilibet hoc in paſſu genio ſuo ut indulgeat, tamen cum ipſimet hujus remedii patroni uſum ejus indiſcriminatim haud adprobent & noſtra, nec plethora, nec pleuritide, aliaque inflammatione, nec orgaſmo ſanguinis in-

(*g*) *de purgantibus in ſecunda variolarum confluentium febre adhibendis epiſtola.*

intenſo, laboraverit, & præterea moles ſanguinis decurſu morbi non aucta, ſed imminuta, vireſque haud mediocriter attritæ fuerint, cur deficiente certo indicante, & aliis circumſtantiis venæ ſectionis uſum diſſuadentibus, ambigui admodum eventus remedium hocce adhiberi, tutioraque negligi debuiſſent, cauſſam ego non video ſatis idoneam.

§. XVII.

Præterea ex morbi hiſtoria pateſcit, præter clyſmata nulla ex fonte pharmaceutico topica fuiſſe deſumta. Id quod minime adprobabunt, qui veſicantia ex cantharidibus parata in hiſce febribus magnifaciunt, quos inter laudatus *Freind* (h) haud poſtremum occupat locum: *In febribus*, inquiens, *acutis tutum maxime atque expeditum auxilium præſtant veſicantia; quæ quidem, licet materiam febrilem a cerebro potentiſſime avertant, fluxiones tamen ceteras, ſudorum præcipue atque urinæ, ſæpenumero juvant, ſaltem nullo unquam modo reprimunt. Neque in eo percurioſius hærendum, ut ſemper ad ægroti habitum aptentur: quæcunque enim fuerit corporis conſtitutio, utcumque ſive bile, tenui ſanguine fervidior, ſi febris ultra modum ſævierit, levia incommoda non tanti ſunt, ut de vita interim ipſa non ſimus ſoliciti. Sæpiſſime enim in id diſcriminis res venit, ut nihil, niſi a veſicantibus, ſpei reliquum ſit.* Itaque ægrorum, & inprimis medicorum iſtud remedium fugientium mollitiem reprobat: *Sed hoc fortaſſe*, ſcribens, *ægrotantium imbecillitati dandum, ut, cum ſuadente natura dolorem maxime reformident, etiam a medicina, quæ vix ſine aliquo dolore proficit, refugiant. Eadem in medente mollities adeo non ferenda, ut maxime in vitio ſit: quem ſane, humaniſſimum licet, ubi vitæ periculum immineat, potius tortoris vicem præbere decet, quam huic cubantium timiditati ſubſcribere.* At enimvero uti prælaudatus vir ipſemet fatetur, cantharides alexipharmaca virtute haud pollere, ideoque materiæ febris malignæ corrigendæ non ſufficere, & præterea in efficacia earundem explicanda doloris aut ſeri, quod veſicæ ruptæ plorant, rationem habet non ita multam, potiores vires a ſale earundem ſanguini immixto & coagula diſſolvente deducens: mirari pene convenit, cur ſine diſcrimine in quibuſvis febribus acutis paulo atrocius ſævientibus uſum veſicantium tantopere commendet. Crediderim potius, ea aliquando eſſe eximii uſus, aliquando autem ſupervacanea aut plane nociva. Etenim quando febris cum ſopore pene inexpugnabili eſt conjuncta, atque humores craſſi viſcidique ad coagulationes ſtagnationeſque ſe diſponunt, certe veſicantia dolorem excitando, ſeri impuri portionem evacuando, coagulaque diſſolvendo interdum præſentaneum ægrotanti adferunt ſolamen. Quando autem is dies noctesque vigiliis torquetur, ſanguis nimis eſt æſtuoſus, aut ad diſſolutionem & colliquationem proclivis in-

(h) *Commentar. 9. de febrib.*

infructuoſum perniciofumque veſicantium eſſe uſum præter experientiam multiplicem, Cl. *Baglivi* (*i*) inprimis perſpicue docet. Itaque cum ex morbi hiſtoria conſtet, noſtram gracilioris ceteroquin conſtitutionis ſopore haud fuiſſe detentam, eandemque ſudorem emiſiſſe largum, ita ut colliquativi ſudores præ foribus veluti pulſarent, non citra ſonticam cauſſam veſicantia inſuper fuere habita.

§. XVIII.

Quod ad medicamenta interne data attinet, ea quidem, uti in hiſtoria morbi videri eſt, varia fuere. Quoniam enim ſpecificum contra febrem malignam ſpiſſis adhuc tenebris circumfuſum occulatumque latet, neceſſe eſt, ut pro circumſtantiarum varietate variis quoque utamur remediis. Sed id dolendum maximopere, farragine remediorum medentes obrui, eosque in ſeligendis ordinandiſque remediis perraro concordes eſſe atque unanimes. Sane qui vires naturæ perpendunt probe, atque has ſolas, poſt habito quorumvis remediorum adparatu, febri purpuratæ aliique acutæ ſanandæ interdum ſufficere animadvertunt, ii omnes ingenii nervos eo intendunt, ut ne motus ſecretorios excretorios aliosque, quos natura in ægri ſalutem molitur, intempeſtiva medicatione turbent, totum negotium fortaſſis perlubenteripſis naturæ viribus commitentes; ita ut officioſi ſpectatoris potius, quam artificis medici munere perfungi malint. At vero licet natura ſit optima morborum medicatrix, vitalique motu extincto, nihil amplius ſuperſit auxilii, tamen cum vires naturæ profligandis iſtiuſmodi morbis perſæpe nullatenus ſufficiant, motuſque, quos ea molitur, non ſemper ſint critici, ſed in perniciem ægri multoties vergant: profecto medici utique eſt, ut motus criticos juvando, perverſoſque corrigendo naturæ judicioſe ſuccurrat. Id vero ex animi ſententia præſtare poterit, ſi ad vitalis ſanguinis motus, ſymptomatumque concurrentium qualitatem, ſuam medendi methodum, utpote aliis omnibus arcanis antidotiſque longe multumque præſtantiorem, diligenter inſtituat.

§. XIX.

Terrea diapnoico-antiſpaſmodica, papaverina, cinnabarina, nitrataque tute cauteque permixta, adque formam pulverum vel potionum præſcriſpta, data fuiſſe noſtræ, ipſa morbi hiſtoria indicat: nec quidem, ut nos opinamur, male. Cum enim hujus generis remedia exæſtuantem ſanguinem temperent, coagula diſſolvant leniter, ſpaſmis reſiſtant, acredinem humorum emendent, & diaphoriſin blandam ſine exæſtuatione moveant, adeoque opus naturæ promoveant egregie, variis ſymptomatibus ob-

(*i*) *Diſſertat. de uſu & abuſu veſicantium.*

obviam eundo: illa interdum ſola febres ejuſmodi acutas, caſque etiam cum exanthematibus complicatas depellendi vim habere atque virtutem, res loquitur ipſa. His ipſis ſi eſſentiam quampiam alexipharmacam ſimpliciorem vel magis compoſitam inprimis defervеſcente æſtu febrili addere quis velit, me minime diſſentientem habebit. Sed ex eadem hiſtoria conſtat, præterea caſtoreata, myrrhata, volatilia ſpirituoſa & urinoſa, ut & anodyna, quæ tamen non pauci omnia iis in adfectibus haud parum improbant, ſeparatis temporibus ægræ noſtræ fuiſſe porrecta: itaque a præſenti inſtituto haud alienum fore arbitramur, ſi de his paulo diſtinctius agamus.

§. XX.

Et quidem quod ad caſtoreata & myrrhata attinet, hæc ſtatim poſt molarum excluſionem fuere præſcripta: eum in finem, ut & dolores mitigarentur, & fluxus ſanguinis parcus promoveretur. Sed irritum eorundem fuiſſe uſum, ac brevi poſt ægram in febrem malignam purpuratam eſſe delapſam, hiſtoria docet. Sane non deſunt ex neotericis, qui hanc medendi methodum tanquam noxiam rejiciunt, ipſius ex illa purpuræ deducere originem nulli dubitantes. Verum profecto non temere mihi perſuaſum habeo, culpam inſequentis mali a longe alia cauſſa derivandi inſonti medicamento adſcribi quam ſæpiſſime. Ponamus puerperæ cuidam, pauco lochiorum fluxu ac doloribus poſt partum intenſis laboranti, caſtoreata & fortaſſis myrrhata tanto cum ſucceſſu fuiſſe præſcripta, ut reſtagnans ſanguis uberius profluxerit, & dolores paululum mitigati penitus remiſerint. Accidit autem, ut, puerpera in præcordiorum anxietates, &, ut paucis me expediam, in purpuram malignam delapſa, alius quidam advocetur medicus, præjudicata inprimis opinione imbutus, prædictaque remedia calidiora nauci habens: hic mox purpuræ culpam, cum omnibus pravis ſymtomatibus, in medicamina ad mentem ejus admodum nociva, rejiciet omnem, non reputans ſecum, puerperis ſæpiſſime caſtoreata & myrrhata cum euphoria & citra purpuram inſequentem ullam exhiberi, & multo plures puerperas, quibus ne tantillum quidem caſtorei vel myrrhei datum eſt, in purpuram incidere: non obſcuro indicio, purpuram ab alio longe principio oriundam minus conſiderate ab inſonti deduci medicamento.

§. XXI.

Neque vero exiſtimaverim, analeptica ſpirituoſa, & volatilia urinoſa, in morbi hiſtoria commemorata, in iſtiuſmodi morbis prorſus eſſe contemnenda. Licet enim iis vis maſſam humorum paulo intenſius movendi exagitandique competat, atque hinc nonnulli recentiorum uſu eorum criſin, quam natura paulatim molitur, turbari, æſtumque una cum cæteris

ſym-

ſymptomatibus intendi, non ſine ratione opinentur: nihilominus tamen, dummodo tempora & circumſtantiæ purpuræ obſerventur callide, tantum abeſt, ut remedia hæcce funeſtis illis malis præbeant anſam, ut potius naturam a criſi deflectentem ad eandem reducant. Quamobrem is omnino in medendi methodum impingeret turpiter, qui purpuram aut nondum aut jamjam comparentem calidioribus hiſce omni expellere niſu, & non obſtante æſtu febrili inſigni, talia nimis præcipitanter inconſiderateque præſcribere vellet: utpote quibus ſanguis jam tum exæſtuans in multo rapidiorem concieretur motum, & quævis ſymptomata exaſperarentur. Verum enim vero cum febre maligna correpti ſæpe non æſtuent, & aliquando ſumme ſint debiles, nec mediocri frigoris ſenſu perfundantur, inque frequentiora animi deliquia incidant, aut propter retrocedentia exanthemata anxietatibus verbis vix ſatis exprimendis adficiantur, an eo tempore lente progredientem humorum maſſam cardiaca ſpirituoſa, & volatilia urinoſa nimium exagitent, ego valde omnino dubito: potius exiſtimans, iisdem læſum lentumque ac impeditum humorum motum inſtaurari, naturæ in gignenda criſi majus robur conciliari, ac funeſta mala, immo mortem fortaſſis ipſam præcaveri. Quamobrem jam recitata remedia non per univerſum morbi decurſum, ſed neceſſitate duntaxat id exigente, præſcripta, eaque non ſine inſigni fructu uſurpata, ſi quis atro notare carbone velit, quid agat, quidve ſentiat, parum penſi habere videtur.

§. XXII.

Ad opiata quod attinet, & ea noſtræ quandoque fuiſſe præſcripta, in morbi hiſtoria retulimus. Sane haud pauci omnium opiatorum uſum in febribus malignis damnant, rati, iis ad ſtaſin fatalem diſponi humores, naturamque in criſi molienda reddi juſto ſegniorem, aut lethifero torpori occaſionem dari: atque crediderim ego ipſemet, ſine urgente indicante opiatum non temere adhibendum eſſe, tametſi *Sydenhamus* (k) aliique, contra communem ſententiam, opiatis in omni puſtularum eruptione promovenda vires haud mediocres attribuant; nihilo tamen ſecius, quando dolores, uti quidem in noſtra, dies noctesque ſævientes ſomnum diſpellunt omnem, hincque metuendum eſt, criſin non modo hac ratione impediri, ſed & vires jam labefactatas tandem conſumi penitus, certe opiata refracta doſi exhibita miſeris iis ſolamini eſſe maximo, locupletem habeo teſtem experientiam. Itaque cum idem morbus non ſemper ejuſdem ſit indolis, neque iiſdem ſymptomatibus ſtipatus incedat, certe methodum medendi pro illius & horum qualitate ſolerter eſſe variandam inſtituendamve, omnes cordati facile mecum fatebuntur. Et ſane anceps dubiuſque hæreo, an ii maturo conſilio, aut arti medicæ conſulant, qui ſine ullo diſcrimine in opiata, cardiaca ſpirituoſa, aliaque paulo generoſiora remedia debacchantur, diſcrimen pene nullum uſum inter & abuſum horum remediorum admittentes.

(k) *De peſtilent.* cap. 7.

§. XXIII.

Sed cum ægra noſtra quinquies in febrem malignam ſerie non interrupta reciderit, quæſtio tandem non immerito movetur, an recidivæ congruis remediis occurri potuiſſet? Sane Cl. *Freind* in epiſtola de purgantibus in ſecunda variolarum confluentium febre adhibendis, in eo eſt totus, ut probet, ſecundæ febris atrocitatem purgantibus infringendam impugnandamque eſſe. Quare ſi contra ſecundam febrem data fuiſſent purgantia, fortaſſis ægra a tertia, quartaque ac quinta recidiva libera atque immunis permanſiſſet. Et, ne quid diffitear, id experientia ſatis ſuperque comprobat atque teſtatur, interdum febrem purpuratam, varioloſam, ſimilemque cum diarrhœa ita complicari, ut hæc a principio ad finem uſque perdurans exitium ægrotanti haud pariat: inde forte collegit auctor laudatus, diarrhœa artificiali materiam malignam non ſine ægri levamento per inferius guttur evacuari, ægrumque e præſentiſſimo vitæ periculo hac ratione eximi poſſe; id quod poſtea pluribus quoque exemplis confirmat quorundam ex ſecunda febre deſperanter decumbentium, quos purgantium uſus præſenti morti eripuit. At enimvero tametſi diarrhœa cum febre ejuſmodi complicata non ſemper ſit lethifera, inde tamen exiſtimandum non eſt, eadem ſemper febrem malignam reddi benigniorem: ſiquidem & eo tempore ad adſtantium deſperationem ex ea laborare ægros, praxin exercentibus ignotum eſſe nequit. Immo vero aliquando exanthemata diarrhœa ſuperveniente revocari, ægrumque ipſi vitæ diſcrimini exponi, aut penitus morte adfici, quis quæſo eſt, qui ignoret? Itaque, niſi me omnia fallunt, ambigui admodum eventus erunt purgantia, contra ſecundam febrem data: id quod laudatus vir ipſemet non negat, ingenue potius faſſus, nonnullos febris ſecundæ atrocitate, purgantibus incaſſum adhibitis, extinctos fuiſſe. Cum vero idem in ancipiti vitæ periculo anceps remedium experiri, quam nullum conſultius ducat, hincque a purgantibus primario uſum ſalutarem ſperandum eſſe, ſibi perſuadeat unice: hæc ipſa tanti ab eodem æſtimari, nemini temere mirum videbitur. Sed enim vero hanc medendi methodum multiplex experientia nondum confirmavit, pluresque cum ſecunda febre, neglectis purgantibus, rediiſſe in gratiam, certum mihi exploratumque eſt. Noſtræ ſane Deus adeo fuit propitius, ut quintam febrem acutam exanthematicam ex animi tandem ſententia ſuperaverit.

T A N T U M.

JO.

CLXXVI.

JO. GODOFREDI SALZMAN,

HISTORIA

PURPURÆ MILIARIS ALBÆ;

CUMPRIMIS ARGENTORATUM NOSTRUM

ET VICINIAM ANTE BIENNIUM FERE

INFESTANTIS.

Argentor, 6 Auguſti 1736.

PRÆLOQUIUM.

Circumſpicienti Thema Inaugurale, quod luci publicæ exponendi poteſtas a Gratioſa facultate Medica mihi benevole conceſſa eſt, unus quidem vel alter caſus medicus notatu dignior ſe obtulit; mox vero animum inde revocavi, memor, prioribus me theſibus talem Lectori exhibuiſſe. Proinde jam lubuit affectum quendam præternaturalem pertractare, atque hiſtoriam purpuræ miliaris albæ, ſub finem anni 1734. *& initium* 1735. *tot hominibus apud nos & in confiniis funeſtæ, quantum in meis poſitum erit viribus, tradere, idque eo magis, quo rariora in vetuſtiſſimis morborum annalibus ejus veſtigia reperire licet. Neque etiam ſat multa de hac febre poſteris ſeculis annotata leguntur, quæ ante pauca demum luſtra Medicis Obſervatoribus innotuiſſe creditur. Noſtro die, cum ſatis & nimium proh dolor! cognita ſit, de illa aliquot ſchediaſmata in publicum prodierunt. Præ aliis David Hamilton Magnæ Britanniæ Reginæ Medicus Ordinarius plures easque utiliſſimas de febre hac miliari obſervationes univerſamque medendi methodum peculiari nobis tractatu reliquit. Quod ejus, ut & aliorum inſtitutum a propoſito me deterrere haud potuit, quo minus cum de hoc morbo generatim, tum etiam ſpeciatim de genio, quem noſter tenuit, Speciminis Inauguralis loco aliqua in medium proferrem, eam etiam ob rationem, quia, quantum novi, idem argumentum hic loci ventilatum huicuſque non fuit. Neque L. B. male interpretaturum eſſe confido hos Tyronis propria experientia deſtituti conatus, ſi intellexerit, aliorum obſervata defectum huncce meum abunde ſupplere, me etiam paratiſſimum eſſe, ea, quæ cum practica veritate minus conveniunt, ab illis, quorum major rerum medicarum uſus eſt atque cognitio, monitum corrigendi. Quod ſupereſt, a ſummo Archiatro, velit qualicunque meo labori ex alto benedicere, eumque in proximi commodum dirigere, devotis precibus contendo.*

---

§. I.

Purpuræ nomen accepit affectus noſter a colore purpureo ſeu rubro, quo exanthemata per univerſum corporis habitum plus minuſve diſſeminata ſeſe offerunt; qualis fere in purpura ſive piſce ex concharum familia, qui liquorem in faucibus alit tingendis lanis aptiſſimum, conſpicitur. Quæ appellatio rubræ magis quam albæ alias ſic dictæ convenit, minime illi albæ ſpeciei, quam maculæ rubicundæ non præceſſere. Miliaris nomine etiam inſignitur, quia grana milii, rectius ova piſcium quorundam vel figura vel magnitudine refert. *Joh. Thom. Minadous L.* 1. *de febr. malign. c.* 3. eam lenticularem appellare mavult, eo quod *Onomatologia.*

 efflo-

efflorescentiæ & figura & colore & mole lentium ſem en aliquando exprimant, id quod autopſiæ rarius reſpondet. *David Hamilton Anglus tr. de febr. mil. c.* 1. morbum potius febrem veſicularem nominandum autumat, ea inductus ratione, quia efflorescentiæ veſiculæ ſunt, primum ſero limpido, dein ſubalbo perlarum colore non abſimili plenæ; quæ denominatio de alba potiſſimum valet. Alii eum papularem, quoniam papulis ſimilis excretio, aliqui morbillos igneos vocant, vid. E. N. C. *l. 6. obſ.* 42. Germani præſertim Saxones eundem appellant *den Frieſel* a panni aſperi *Frieſs* ſimilitudine, quia cutis ſuperficies ab earum eruptione aſpera redditur, *vid. Chriſt. Jo. Langii Oper. P. II. c.* 14. §. 9. qualis etiam aſperitas in cute a frigore conſtricta papillulis nerveis, radicibus pilorum aut etiam, uti pleriſque anatomicorum perſuaſum eſt, glandulis ſubcutaneis eminentibus obſervatur, quod *Frieſen* efferunt; quidam alii *das Hirſen*, *Pleber*, Meſomarchici & inter eos maxime Berolinenſes *Kitteln* vocant vid. *Act. Berol. Dec.* 2. *Vol.* 5. §. 3. febrem etiam purpuram, quæ noſtra in urbe ejuſque confiniis annis ſuperioribus 1734 & 1735 graſſata eſt, albam fuiſſe, aut ut curatius loquar mixtam, ſcilicet prævia rubra & alba ſuccedanea uno ore conſentiunt, quicunque ægrorum illa decumbentium curam habuerunt; id quod de potiore ægrotantium numero intelligendum eſſe cenſeo, utpote quem non latet, aliquos etiam purpura rubra, pauciſſimos alba proprie, *Huldar.*

Definitio. *Pelargo* pellucida dicta laboraſſe. Eſt autem purpura miliaris alba febris continua, acuta, exanthematica, typum catarrhalis æmulans, plerumque maligna a ſanguine ejuſque materia potiſſimum lymphatica ſeu ſeroſa corrupta originem trahens, cum papularum ſeu veſicularum eruptione conjuncta & ſubitaneo virium lapſu, præcordiorum anguſtia aliiſque ſymptomatibus ſæpius externa ſpecie lenioribus & ſubdole ingruentibus ſtipata, partium internarum inflammatione frequenter comite vel ſubſequente.

§. II.

An novus ſit affectus? Antequam ad alia progrediar, a foro meo omnino alienum haud eſſe puto, paucis diſcutere, utrum affectus noſter priſcis etiam cognitus fuerit, an vero plane novus ſit & ſuperiore demum ſeculo natales ſuos habuerit, quod noſtrates innuere videntur, dum frequenter in ore habent, *das Feleſſel ſeye eine neue Kranckheit, man habe vor* 50. *oder mehreren Jahren nichts davon gewuſt.* In veterum ſchola iſtum ne nomine quidem, nedum reipſa perſpectum fuiſſe ſunt qui contendunt, imo & ſuperiore ſeculo hoc exanthematum genus nunquam a ſe viſum, nec ab alio practico illius loci obſervatum fatetur *Car. Raygerus Phyſ. Poſnanienſ. in E. N. C. l.* 3. *obſ.* 281. & *Joh. Conr. Brunnerus III.* 7. & 8. *obſ.* 206. idem teſtatur, nempe *ſibi antea, & ab eo tempore ſimiles* (de papulis ſeu veſiculis miliaribus loquens) *nunquam in praxi conſpicari datum*

tum fuiſſe, an harum veſicularum alii mentionem fecerint Authores ſe quidem latere. Apud Sydenhamium & poſt ipſum Mortonium, Practicos in Anglia inſigniſſimos variolarumque & exanthematum ſcrutatores exactos nullum harum veſtigium ſe inveniſſe addit. Occurrere tamen mentionem pergit ſub purpuratarum titulo febris malignæ miliaris apud *Mich Ettmullerum* his verbis: *Ubi corpus hinc inde minutis tuberculis inſtar milii gr nis reſperſum apparet, vocatur febris maligna miliaris ſeu purpura, prouti grana ſunt vel rubra vel alba; quæ alba puerperis ſolet eſſe moleſta & lethalis vid. Prax L. 1. S. 15. c. 9.* Quod *Thom. Sydenham* attinet, ille in *ſchedul. monuit. de nov. febr. ingreſſ. p.* 651. meminit, *a regimine paulo calidiore petechias ſæpe efflorejcere, quandoque eruptiones miliares, quas vocant, in ſuperficiem corporis ſe diſpergere morbillis haud abſimiles. Acta Berolin. Dec. 1. Vol. 2.* §. 1. referunt, per omnes & ſingulos, quos retro numerare poſſumus annos illud exanthematis genus, quod ad purpuram refertur, & cujus puſtulæ efflorcſcentes analogice miliares nuncupantur, his locis plane fuiſſe incognitum, poſtea vero hanc febrem cives Berolinenſes adoriri & inchoaſſe & hactenus continuaſſe, ubi rationes hujus progreſſus ſubjunguntur, & *Dec. 2. Vol.* 5. §. 3. memorant, Marchicos purpuram miliarem albam puerperis in Saxonia familiarem pro portento habere. Idem ſuo confirmat calculo *Corn. Celſus de re med. L. I. præf. ſæpe nova*, inquiens, *incidunt genera morborum, in quibus nihil adhuc uſus oſtendit.* Alii contrarium ſtatuentes & vetuſtiſſimis hunc morbum haud incognitum fuiſſe volunt, ipſi etiam *Hippocrati*, e cujus ſcriptis, quæcunque a poſteris ſeculis inventa fuerunt, probare, ne dicam, extorquere allaborant, dum *Coac. Prænot. Text.* 564. *in anxietate laborantibus*, inquit, *celeriter velut culicum puncturæ in cutim erumpunt*, id quod *L.* 5. *Epidem.* repetit & *Prorrhetic. L.* 1. *S.* 11. rubrorum exanthematum mentionem injicit. Sed quis non videt, intelligenda illa eſſe vel de petechiis vel de turberculis ſimilibus iſtis, quæ ex urtica vel ſudore naſcuntur vulgo *die Neſſelſucht*; de quibus *Exc. Lochnerus E. N. C. cent. 6. obſ.* 96. an aſpredo Celſi, vel uredo Plinii & urigo Vegetii & Apuleji ſit? diſquirit. Magis idem comprobare volunt e verbis *L. 2. Epidem. S.* 3. quæ ita ſe habent: *Fiebant in febribus æſtivis circa 7. 8. & 9. diem aſpretudines in cute miliaceæ culicum morſibus maxime ſimiles*: verum affectum hunc ab Hippocrate memoratum a noſtro differre ſequentia evincunt, ſcilicet mulierem nullam mortuam eſſe, cui hæc fiebant. Similia apud *Aetium*, *Actuarium*, aliosque leguntur. Quæ exanthemata κεγχρώδεα a Coo dicta cum noſtris magis convenire videntur. *Porſchon tr. de purpur. morbill. & variol.* pariter concludit, purpuram in genere antiquitus omnino notam fuiſſe, ſed mentionem illarum in ſcriptis vel ideo eſſe omiſſam, quod olim crediderint, eſſe vel ſymptomata febrium ſynocharum & malignarum vel criſes eaſdem febres inſequi ſolitas; imo ſi quis prætendat, eruptiones in cute tempore Hippocratis, Galeni, Ælii cæterorumque Græcorum obſervatas cum noſtris

noſtris

noſtris non convenire, diverſitatem regionum, vivendi rationem, aliaſque cauſas utrobique ponderandas eſſe autumat. Eandem opinionem fovet ſupra laudatus *Lochnerus E. N. C. cent.* 3. & 4. *App.* putans iſtum, quod in aliis morbis fieri aſſolet, aliquando deſiiſſe, ſeque ſubduxiſſe, longa vero annorum peracta ſerie rurſus productum fuiſſe, ita ut quod de ſyphilide *Fracaſtorius* cecinit, purpuræ quoque applicari poſſit;

Non ſemel in ſerris vitam, ſed ſæpe fuiſſe
Dicendum eſt, quamvis nobis nec nomine nota
Hactenus illa fuit. Quoniam longæva vetuſtas
Cuncta ſitu involvens & res & nomina delet,
Nec monumenta patrum ſeri videre nepotes.

Conſentire etiam videtur *Chriſt. Jo. Langius Oper. l. c.* & *Bernh. Ramazzini de conſtit. epid. civit. Mutinenſ.* in *E. N. C. III.* 4. *App. p.* 80. his verbis: *Sicut in politicis, ut ait Tacitus, potius alii homines quam alii mores, ita in re medica potius aliud hominum quam aliud morborum genus.* Quod ſi febrem quotidianæ continuæ phlegmaticæ, item ſynochi putridæ nomine olim venientem, ejuſque ſymptomata quis conſiderat, illam a malignis noſtris parum differre deprehendet, adeo ut ſalvo aliorum judicio veroſimile mihi videatur, priſcis jam medicis non omnino ignotum fuiſſe affectum noſtrum, poſteris vero temporibus vel ſub alio ſchemate ingruiſſe, vel prætermiſſam eſſe attentam ejus obſervationem, donec ſuperiori ſeculo veluti reſuſcitatus & apertius per Germaniam inferiorem & Pomeraniam graſſatus denuo fuerit, potiſſimum vero Saxoniam infeſtarit & Lipſiæ ſedem veluti fixam habuerit. Qua vero ratione primum enata ſit hæc febris & ab una regione in aliam tranſierit per Saxoniam velut endemia vid. *Act. Berol. Dec.* 1. *Vol.* 2. §. 1. & *Exc. Alex. Camerarii Diſſ. de purpur. alb. maj. Tubing.* 1723. *habit.* Cur autem ante aliquot demum luſtra apertius prodierit & ſubinde latius ſerpat, frequentiſſimo calido herbæ thee & fabarum coffee potui adſcribit *Cel. Frid. Hoffmann Med. Rat. Syſt. tr.* 4. *p.* 1. *ſ.* 1. *c.* 9. *Hamilton l. c.* hanc febrem eadem malignitate ac petechialem apud Indos graſſari annotavit.

§. III.

Qualis fuerit morbus?

Quidquid autem ſit, de morbi noſtri indole magis ſollicitus dubio omni vacare puto, illum *continuam* febrem fuiſſe cum remiſſione quidem aliquali, ſed abſque intermiſſione reliquis continuis gradu & moribus diverſam. *Uratislavienſes Hiſt. morb. ann.* 1702. febres malignas etiam intermittentes obſervarunt conf. E. N. C. *cent.* 1. & 2. *obſ.* 163. & *Laz. River. cent.* 4. *obſ.* 39. e continua & intermittente complicatam vidit. Fuit etiam *acuta* & quidem e familia quotidianæ aut, ut alii volunt, tertianæ duplicis & cum

cum catarrhali ſeu quotidiana veterum phlegmatica magnam affinitatem habuit, ejus typum conſtanter ſervans. *Henr. Screta tr. de febr. caſtr. malign.* & *Jo. Lud. Apinus de febr. epid. quæ ann.* 1694 & 1695 *Herſprucii graſſata eſt* illam hemitritææ veterum (cujus hiſtor. *Adr. Spigelius pecul. tr.* nobis exhibuit) non abſimilem eſſe judicarunt; id quod de ipſorum morbo, non item de noſtro valere largior, utpote cujus typus plane diverſus erat. Eandem cum continente complicatam non facile fuiſſe ex hæmorrhagiæ narium abſentia ſuſpicari licet. Erat quoque *maligna* ſeu mali moris tyrannidem ſuam longe lateque in multos exercens & inopinata ſtrage jugulans, id quod ſubdola ejus indoles, de qua infra dicetur & ſymptomata præcipua non obſcure indicabant, quæ magis, quam externa ſpecie præ ſe ferebant, deleteria fuerant. Veteres morbos malignos vocarunt putridos, totius ſubſtantiæ, quam ſubrutum eunt, vel etiam morbos occultarum qualitatum vid. *Exc. Georg. Wolffg. Wedel. Pathol. Med. S.* 1. *c.* 3. Quo ſenſu & *Jo. Nic. Pechlinus L.* 2. *obſ.* 17 *ſi quis morbus eſt*, inquit, *qui periculo, magnitudine & ſymptomatum novitate terret, eſt is profecto maligna febris.* Quid malignitas ſit inferius §. 14 & 15 enarrabo. Jam annotare lubet diſcrimen inter malignitatem eſſentialem ſive intrinſecam, & accidentalem ſeu adſcititiam, illa e morbi indole & eſſentia pendet, hæc vero cauſis accidentalibus, e gr. malæ medicationi debetur. Hoc vero experientia quoque comprobat, malignitatis varias ſpecies diverſoſque ſpeciei gradus pro anni tempore, tempeſtate, ægri conſtitutione & regimine, nec non medicatione multum differre. Nam & noſtra pro varia malignitatis vehementia tragœdiam ſuam diverſimode luſit. *Exanthematicam* illam fuiſſe nemo facile ambiget, niſi qui ægros hoc morbo decumbentes nullos vidit; utpote in quibus efflorefcentiæ nunc pauciores nunc copoſiores rem ad oculum cuivis intuenti ſatis ſuperque demonſtrarunt, de quibus plura loquendi copia infra dabitur. Equidem non in omnibus præſente licet hoc morbo exanthemata apparuere, quod ipſum incontinentiæ ægri regiminique juſto frigidiori aut deficienti naturæ robori magna ex parte adſcribendum eſſe reor. Non minus *epidemius* fuit noſter affectus & plurimos eodem tempore adortus, non modo intra mœnia urbis, ſed & ruri longe lateque ſe extendens, ſed haud abſque diſcrimine, multos quippe hinc inde affligebat pluribus ab eo immunibus exiſtentibus. *Ramazzinus l. c.* a febre epidemica maligna, quam deſcripſit, frequentiora in urbe quam in proximis agris funera, & plebem ruralem ſine ullo utplurimum remedii genere vim morbi eluſiſſe narrat. Supra citatus *Fr. Hoffmanus l. c.* iſtam in certis tantum locis familiarem & quaſi endemiam ſtabilit, quod de noſtro climate per Dei gratiam minime valet; utut inficiandum non ſit, apud nos etiam hoc exanthematum genus quandoque epidemice graſſari, uti ante aliquot annos puerperis admodum infeſtum fuerat, quod aliis quoque morbis variolis & dyſenteriæ familiare eſt, verum ſuperioribus annis vix adeo longe lateque tyrannidem ſuam exercuit. An-

vero etiam *caſtrenſis* dicenda haud immerito quæritur? Febres malignæ alias apud eos, qui caſtra metiuntur, haud infrequentes ſunt, uti *Henr. Screta de febr. caſtr. malign. Tob. Coberus obſ. med. caſtr. hung.* & *Jo. Georg. Henr. Kramerus* copiarum Imperialium ad Rhenum eductarum Proto-Medicus *de morb. caſtrenſ. epid. ann.* 1734 & 1735 probatum eunt, quæ pariter ac alii morbi iis, qui ſtipendia merent, interdum magis exitiales, quam hoſtis exiſtunt. Menſibus Auguſto & Septembri anni 1734. in confiniis noſtris ob cauſas, quas infra allegabo, plura morborum genera, nempe diarrhœæ, dyſenteriæ, febres variæ indolis, præ aliis bilioſæ, tertianæ continuæ non exquiſitæ caput extulerunt, in quorum numero etiam malignas exanthematicas miliares extitiſſe experientia abunde docuit. Confirmat nos in hoc aſſerto ſchedium, in quo Dn. de Vermalle Chirurgus xenodochii Regii & militaris Spirenſis primarius hiſtoriam morbi expoſuit, quem *Illuſtr. & Exc. Helvetius Conſiliarius & Archiater Regius* febrium malignarum admodum funeſtarum catalogo adſcribere non dubitavit. Habuit ergo malum natales ſuos in caſtris atque a militibus inde redeuntibus, ejuſque ſeminia in corpore alentibus urbi ejuſque civibus, inter quos degebant & ubi hybernabant, inde etiam ruricolis communicatum fuit, imo & aliquot civium noſtrorum, qui vel in Xenodochiis vel in caſtris diu multumque verſati fuerant, idem incurrerunt. Et hoc ſenſu *contagioſum* dici quoque poterit, quia plures uno eodemque tempore corripuit, non pauci etiam a commercio cum ægrotis præſente corporis diſpoſitione, aut faſtidio vel averſatione oborta idem ſibi contraxerunt. Non vero adeo facile ex uno ſubjecto in aliud tranſiit, quin plerique, qui a febricitantium ſervitiis erant, ab eodem immunes vixerunt, hinc purpuram febrim non adeo contagioſam ac reliquas exanthematicas eſſe *Fr. Hoffmann* experientia ſuffragante teſtatur. Longe vero abfuit contagium ſenſu ſpecialiore & ſtricte dictum, quo morbum peſtilentialem vel ad eum accedentem non pauci intelligunt, quoque noſtram etiam febrem neſcio quibus de cauſis quidam inſignivere. Quod ſi enim numerus eorum, qui iſta decubuere, ineatur, & cum eo, qui ſævitiem ejus haud experti ſunt, comparetur, exiguus ſane illorum erit. Rumor, qui de morbo contagioſo hic loci & in confiniis graſſante non minimam Germaniæ partem pervolitaverat, inde forſan ortum traxit, quod plures lautioris conditionis, interque eos etiam non pauci Medici, qui aliorum curam geſſerant, in Libitinæ cenſum venerunt. Modo dictis ſubjungo, affectum noſtrum ad *morbos inflammatorios* non male referri, quod inter alia probat maxime phrenitis a meningibus cerebri inflammatis producta, tum & cardialgia atque ſingultus, quæ in malignis ſæpius obvia ventriculum, diaphragma aut inteſtinum phlegmone affectum indicant; in puerperis uterus diſpoſitione inflammatoria non raro tentatur. Pariter *lymphaticis* febribus a quibuſdam accenſetur, non eo quidem ſenſu, quo *Mich. Ettmullerus Coll. Pract. L. 1. S. 15. c. 5.* quatenus ſub ſe comprehendunt catarrhales benignas, lentas

item

item & hecticas, quin potius ex mente *Georg. Baglivi Prax. Med. L.* 1. *c.* 9. quæ a ſeri ſeu lymphæ dyſcraſia natales ſumunt, qua de re infra de cauſis agetur.

§. IV.

Morbi indoles.

Genium morbi quod ſpectat, eſt ille ſi quis alius valde ſubdolus, extus blandiens intus ſæviens; ſæpe pravum morem ſatis diu occultat, & clandeſtinus in intimis inſidias ſtruit, ſicque & ægris & adſtantibus nihil tale cogitantibus, imo & Medicis ipſis imponit, qui nihil inſidioſi metuentes ſecuri veluti ſunt, dum opinione citius malum M. S. perreptat, inficit & levidenſi etiam mora vires acquirit, atque œconomiæ animali interitum minatur, imo & præter ſpem atque exſpectationem quandoque affert, ægroſque citius fere, quam ægrotare ſe ſentiunt, in vitæ diſcrimen præcipitat; idque frequentius contingit, ſi malum in incunabulis adhuc & prima infantia eſt, quod ſi vero plures hinc inde lecto affixit, & per aliquod jam tempus ſæviit, indole ejus curatius cognita ſiniſterior eventus cautiores pleroſque reddit, ita ut, quoties aliquis de ſymptomatibus ipſi familiaribus conqueritur, mox de ejus acceſſu vel præſentia cogitent. *Baſſianus Landus in Jatrol.* verſipellem ejus morem his verbis depingit: *ad initia Medico facilis ſe malignus morbus præbet, ſed progreſſu temporis virus habet, & clandeſtinis inſidiis oppugnat, & nullum de ſe prius judicium ferri permittit, quam exitium paraverit & oppreſſerit.* Et hæc, quæ modo dixi, de prima morbi invaſione intellecta volo, ſucceſſu morbi ſymptomata ſatis gravia ſe manifeſtarunt, in aliquibus per potiorem ejus decurſum omnia mitiora fuere, quam ut periculum ingens ominari liceret, quod dein morbo mutato ſubito ſe prodidit, morte brevi ſubſequente. Quam ob cauſam Medici malitioſum ejus morem perſpicientes morbum πολύμορφον, verſipellem, proteiformem, inſidioſum, ſubdolum & deceptorium recte appellarunt, hinc febrium nequitia ſeu κακοήθεια, quam *Cæl. Aurelianus de morb. acut. L.* 1. *c.* 5 allegavit, in hunc morbum maxime quadrat. Quare ei, quantumcumque etiam blandienti, nunquam fidendum, latet anguis in herba, quo tranquillior ſtatus prima fronte videtur, eo graviore vulnere ſaucium ægrum mox relinquit. Nonnunquam vero mox in initio vehementiam ſuam prodit, & graviſſimis ſymptomatibus ſtipata adoritur, qua e momento in momentum invaleſcente æger primis ſtatim diebus de vita periclitatur; & hæc ferocia tanta aliquando eſt, ut ægrotus de felici morbi eventu mox deſperet, mortemque meditetur, adſtantes pariter atque Medicum de eo valde ſollicitos reddat atque terreat. Indolem hujus febris proteiformen inde etiam colligere licet, quod in primo inſultu varias pro anni tempore induat formas & nunc hunc nunc alium morbum mentiatur, quem morem noſtram etiam obſervaſſe experientia docuit. Quandoque eo modo invadit, ut a vulgo & ægris imperitioribus nonniſi ephe-

meram ſubeſſe credatur, interdum ſed rarius primæ acceſſiones intermittentium typum referunt, frequentius quotidianam vel tertianam duplicem æmulantur; nunc continentis larva incedit, non raro imprimis menſibus februario & martio pleuritidis vel peripneumoniæ vel pleuro-peripneumoniæ ſchema ludit, cum reſpiratione difficili & anheloſa ſtriiſque ſanguineis ſputo permixtis; aliquando menſe julio & auguſto, ſed rariſſime cum dejectionibus dyſentericis ingruit, ſæpius affectuum arthriticorum & dolorum rheumaticorum faciem in aſſuetis præ ſe fert, aut cum iis complicatur; vid. *Act. Berol. Dec.* 2 *Vol.* 5. §. 3. qui dolores rheumatico-arthritici in multis noſtra febre decumbentibus præceſſere. Omnium frequentiſſime febrem catarrhalem cum gravedine, coryza & tuſſi conjunctam primum mentitur, de quo nemo ambiget, qui arctam ejus cum catarrhalibus malignis affinitatem ſibi in memoriam revocat, vid. ſupra §. 3. quam faciem noſtra etiam præ ſe ferre viſa eſt. Ut taceam illam nunc veluti ſymptoma nunc veluti criſin in morbis obvenire, nunc vero morbum primarium conſtituere, id quod annotavit ſupra cit. *Porſchon l. c.* E quibus fluit; 1) affectum noſtrum plerumque ſchema induere illius morbi, qui ratione temporis anni congruus eſt, uti ſupra indigitavi, aut etiam qui populariter graſſatur, 2) ratione ſubjecti, illum talem in principio indiſpoſitionem repræſentare, qua quiſque plus minuſve antea laboraverat, adeo ut in noſtra quoque valeat id, quod de ſua pronuntiavit *Apinus l. c.* §. 3. natales prorſus diverſos & febris genium longe alium, aliumque multo ſymptomatum apparatum obſervatum eſſe, quin & a ſe ipſa multum diſſimilem in incunabulis ſuis apparuiſſe.

§. V.

Differentiæ ratione ipſius morbi.

Differentiæ purpuræ conſiderandæ ſunt ratione vel ipſius morbi vel aliorum affectuum, a quibus diſcrepat. Illarum aliæ ſunt eſſentiales aliæ accidentales. Eſſentiales a cauſarum proximiorum & remotiorum varietate æſtimandæ ſunt, prouti enim iſtæ comparatæ, indoles morbi hunc vel alium genium præ ſe fert, quod uti de morbis generatim, ita quoque de malignis in ſpecie tenendum eſt, qua de re in cauſarum tractatione quædam dicendi copia mihi dabitur. Impræſentiarum monere lubet ſpecificam febrium malignarum æque ac affectuum ſeroſorum differentiam nos magna ex parte latere, & inter deſiderata medica haud immerito referri; cui enim Medicorum perſpectum ſatis eſt, in quo ſcabies a ſcorbuto; hic a lue venerea eſſentialiter diſcrepet, ita pariter differentia ſpecifica morbillorum malignorum, petechiarum, purpuræ & rubræ & albæ nondum ſatis cognita eſſe videtur. Accidentium intuitu affectus noſter differt 1) ratione ætatis; quæ fuit conſiſtens atque media, dum puerilis atque ſenilis ab eo immunis obſervabatur, & ſi forſan alterutram harum adoriebatur, mitior eſſe ſolebat. 2) ratione temperamenti, plethorici & ſanguinei iique robuſtiſſimi fre-

frequentius ei obnoxii erant & facilius ſuccumbebant, dum phlegmaticis tantum periculi inde non imminebat. 3) ratione ſexus, noſtra febris majorem in maſculino quam fœminino ſtragem edidit, quæ alias puerperis valde infeſta, malignior atque funeſta eſt, id quod *Goth. Welſchius in Diſſ.* quam *de morbo iſto puerperarum novo Lipſiæ olim graſſante* habuit, teſtatur. 4) ratione moris nunc magis nunc nimus maligna, interdum inſigni nunc minore cum ferocia ſævit, benigna ab *Ettmullero Oper. T. 2. L. 1. S. 15. c. 9.* ſcorbutica dicitur; ſic & ſupra laudatus *Hoffmannus l. c. & Diſſ. ejuſd de Gener. febr.* § 28. purpuram in chronicam & acutam diſpeſcit, illamque valde quidem moleſtam ſed non periculoſam nec febre ſtipatam pronunciat, fœminis fluore albo laborantibus vel in quibus ob ætatem menſes emanſere familiarem. 5) ratione eventus, quo alia ſalutarem, alia vero funeſtum ſortitur exitum, & quidem hunc crebriorem illo eſſe experientia docet. 6) ratione ſtatus ipſius, qui vel ſimplex eſt, ſi nempe papulæ miliares ſolæ ſunt aliis exanthematibus exulantibus, quemque idiophaticum vocat Cel. *Fr. Hoffmann l. c.* vel complicatus cum aliis efflorescentiis, nempe purpura rubra, variolis, morbillis, petechiis, quæ vel præcedunt vel ſuperveniunt in morbi augmento, rarius in principio ſæpius in declinatione concurrunt, novoque periculo terrent, atque interſperſa cernuntur vid. *Dav. Hamilton. l. c.* Eadem purpura alba ſynochis quoque putridis, ardentibus & petechizantibus accedit, & a modo laudato *Hoffmanno* ſymptomatica nuncupatur, vel etiam ſymptomaticæ dicuntur papulæ, quæ mox initio morbi pullulant non copioſæ & inconſtantes. Eo tempore, quo miliaris noſtra ſæviit, petechiæ rariſſimæ hinc inde obſervatæ ſunt. De purpura aliis morbis ſuperveniente vid. *Act. Berol. Dec. 1. Vol. 2. p. 16.* & ſingularem malignæ cum variolis complicationem *Æ. N. C. Vol. 2. obſ.* 147.

§. VI.

Septimo ratione exanthematum purpura præcipue differt, & quidem 1 colore, quo alia rubra, a morbillis malignis haud multum diſcrepans, *der rothe Frieſel* alia alba, *der weiſſe Frieſel*, quæ diverſi iterum generis eſt, in una maculæ rubicundæ veſiculas præcedunt, quæ citius tardius erumpentes illarum medio inſident paulo majores, quam quæ in quodam morbillorum genere obſervantur, ab iis ſtimagtibus rubris tota quandoque cutis rubet; & hæc ſtigmata cum papulis complicata procul dubio anſam præbuerunt loquendi formulæ vulgo ſolenni, dum ſemper in ore habent: *der Patient habe Flecken und Frieſel.* Quod ſi vero rem recte æſtimamus ſtigmata petechiæ dicta a noſtris toto cœlo differre facile deprehendimus. In altera purpuræ albæ ſpecie ſola epidermis ejuſque lamella exterior veſicularum ſeu papularum magis tranſparentium & cryſtallinarum forma elevatur maculis rubicundis omnino abſentibus, hæc poſterior proprio magis ſen-

ſu alba, aut juxta *Hulder. Pelargum paſſim in Obſ. Clin.* pellucida appellanda, cum prior mixta magis ſit; & e rubra atque alba compoſita. Diſcrepat 2) quantitate tum continua, alia quippe ad lentis imo & majorem in magnitudinem excreſcit ab *Al. Camerario pecul. Diſſert. Tubing.* 1723. *habit.* purpura alba major vocata. Huc refer, quas ſupra laudatus *Kramerus in Comm. Lit. Norimb.* 1735. *hebd.* 22. recenſet, nempe ingentes in dorſo veſiculas ſero plenas, quaſi a veſicatorio excitatæ eſſent. Alia vero minor ſemen milii vix excedens, unde morbus nomen accepit; utrumque genus plerumque in eodem ægro conſpicitur, ita ut minoribus majores interſperſæ ſint. Tum differt quantitate diſcreta, qua modo paucæ numero hinc inde diſperſæ, modo copioſiſſimæ & per totam cutis ſuperficiem denſo agmine diſſeminatæ ſunt, nunquam non diſcretæ & abſque cohæſione ſeu confluxu, qui variolis confluentibus ſolennis eſt. Molem pariter ac quantitatem diverſam a ſubjectorum, temporum, locorum, ſimiliumque circumſtantiarum varietate eſſe docet modo nominatus *Al. Camerarius Diſſ. cit.* Omnes dum pullulant exiguæ ſunt, invaleſcente morbo ad decentem figuram, molem & numerum augentur. In mercatoris filio Parens meus ante plures annos rario e ſpectaculo vidit maxime in artubus puſtulas albas majores non pellucidas, ſed opacas & materia purulenta conſiſtentiæ firmioris refertas, quales in ore & faucibus, in vola manus digitorumque extremitatibus *Dn. Juch. Prof. Erford.* & *Jll. Brunnerus* inſtar variolarum ſuppurantes annotavit in *E. N. C. III.* 7. & 8. *Obſ.* 206. & hæc forſan illa eſt, quam *Act. Berol. Dec. I. Vol.* 2. §. 1. cum puſtulis quaſi variolaceis complicatam nuncupant. Alias in ſuppurationem non abeunt papulæ, ſed ab atractu facile crepantes parum madoris aquei plorant, quem humorem adeo limpidum atque diaphanum ſeri potius aut lymphæ, quam ex mente *Brunneri l. c.* ſucci nervei progeniem eſſe cenſeo. De numero earum addere liceat, quod Exc. *Stahlio* perſuaſum ſit, a medicatione & regimine calidiore eas tum celeriter protrudi, tum etiam multiplicari poſſe, quæ a leni methodo tardius eæque minores atque pauciores erumpunt. Quæſtio etiam moveri poterit, an interna quoque viſcera pariter ac cutis ſuperficies hiſce veſiculis obſideantur, pari modo ac variolis defœdari quandoque ſolent? Cujus deciſionem ulteriori demortuorum inſpectioni, quæ magna ex parte hactenus defuit, commendo; ſi autopſia id ipſum confirmat, ob indolem morbi nihil boni inde augurari poſſumus, utpote qua materia peccans ad externum corporis habitum velut emunctorium univerſale propelli debet. Cur vero illa ipſa non in hac febre uti in pluribus aliis ſola diaphoreſi expellatur, quin potius in papulas cum pruritu elevetur, cum eadem fere eſſe videatur cum ſudoris aut tranſpirationis inſenſilis materia, aliqui rationem quidem reddere allaborant, ſed minus felici cum conatu, quia hæc uti & alia multa ad *δυσνόητα* & intellectui humano imperſcrutabilia merito referuntur, de quibus optime ratiocinantem vid. *Th. Sydenham Oper. S. I. c.* 5.

§. VII.

§. VII.

Sed & diſcrimen, quod inter purpuram noſtram & alias exanthematicas intercedit, paucis indigitandum, & 1.) quidem diſcrepat a variolis, quæ ordinarie puſtulas majores, opacas, ſanioſas & pure refertas exhibent, ſæpius confluentes, cum ardore cutis & circulo rubicundo ambiente. Nothæ quidem ſeu ſpuriæ variolæ pariter ac papulæ miliares ſerum ſeu lympham in ſinu ſuo gerunt, ſed præter quod ſymptomata multo leviora exiſtant, paucæ numero & mole majores eſſe ſolent. 2) a morbillis, qui non facile ab exanthematibus miliaribus rubris ſeu mixtis modo erumpentibus diſtinguuntur, poſtea vero, ubi hæ in veſiculas abierunt, difficilis non eſt diagnoſis, præprimis ſi morbilli lati magis ſunt; acutiores vero, *ſpiſſibe Rottein*, & aliquatenus elevati externa ſpecie propius, non vero omnino ad noſtras papulas minores accedunt. Purpura rubra magis convenit cum morbillis malignis & vel figura vel ſymptomatibus ab iiſdem parum differt. 3) a febre petechiali, in qua efflorescentiæ cutaneæ plus minuſve rubicundæ vel lividæ ſe offerunt intuentibus, nunquam in altum & papulas elevatæ neque cutim ſcabram reddentes, neque ſub ſquammularum forma decidentes, pulicum morſibus, ſi punctum in medio excipias, reſpondent. 4) a febre urticata (cujus hiſtoria ab Exc. *Lochnero* deſcripta eſt) quæ benignior & urticatæ parti ſimilis exanthemata ampliora magis oblonga, opaca, cum rubedine inflabunda & pallore in medio, quæque ſine ulla noxa ſuperveniente diſparent atque iterum evaneſcunt, neque ægrum lecto affigunt. 5) a febre ſcarlatina, in qua color intenſius rutilans continuo tractu cutim defœdat maculis latioribus, neque uniformibus ac ſunt illæ, quæ morbillos conſtituunt, ac ad duos treſve dies tantum conſiſtentibus, deſcribente *Th. Sydenham. Oper. S 6. c. 2.* quamvis *Rob. Sibbaldus Scotus in Scot. Illuſtr. P. 1. L. 2. S. 2.* febrem quandam ſcarlatinam noſtratium purpuræ apprime convenientem exhibeat, quod de rubra intelligendum eſſe puto. 6.) a maculis ſcorbuticis cutis æqualitate, macularum amplitudine coloreque livido ſeu puniceo ſymptomatumque aut ſaltem febris gradu minore. Supra innui *Ettmullerum* purpuram ſcorbuticam aſſerere, de qua etiam vid. *Wedel. in E. D. C. l. 9. & 10. Obſ. 21.* quæ analogice magis quam vere talis eſſe videtur. Item 7) ab eryſipelate, in quo cutis pariter intenſe rubet & nitet, poſt in flavum mutatur. nonniſi unum vel alterum membrum affligit & non facile iterum penitus evaneſcit, puſtulæ etiam aut papulæ in altum penitus evaneſcit, puſtulæ etiam aut papulæ in altum elevatæ abſunt; pariter 8) ab erythroide maculis puſtularibus in altum etiam protenſis multiſque inſtar ſcabioſorum cum ſumma prurigine & æſtu, quæ quandoque in febricitantibus efflorescunt; nec non 9) ab epinyctidibus *Pechlino* dictis, quæ calore lecti inter ſudamina provocantur prurigine moleſtæ & in puerperarum pectore ſæpius conſpicuæ; tandem 10) ab

Differentia ab aliis exanthematicis.

ab herpete tum miliari κεγχρίας dicto, qui tumor eryſipelaceus, puſtuloſus, cutim in plures puſtulas miliares attollens, tum exedente ſeu ἐσθιομένῳ cutim & carnem ſubjectam proximam exulcerante atque depaſcente; denique 11) a peſte ipſa, quæ febrium malignarum diriſſima eſt, brevique interimit, præter bubones & carbunculos non facile tubercula aut maculas exhibet, & ſi iſti exurgunt, a noſtris exanthematibus facile a quovis diſtinguuntur. Differentias ab aliis forſan petendas ſtudio præmitto.

§. VIII.

Subjecta. Traditis jam differentiis ſubjectorum theoria qualiſcunque ſubjungenda venit. Equidem plurimos noſtra febris adorta eſt, verum non ſine diſcrimine ætatis, temperamenti, ſexus, diætæ &c. Alias ſi epidemia eſt purpura, nullus fere ſexus aut ætas prorſus immunis ab illa eſſe ſolet, invaſit tamen præ aliis juvenilem & conſiſtentem nempe homines in ipſo ætatis flore & optimo ſanitatis ſtatu conſtitutos & athletice antea viventes, ab anno ætatis vigeſimo ad quadrageſimum uſque vel paulo ultra, rarius qui quinquageſimum prætergreſſi fuerant, eam ob cauſam, quia ætas illa ob conſtitutionem ſanguinis orgaſticam morbis acutis obnoxia magis eſt teſte *Hippocr. S.* 1. *aph.* 14. *S.* 3. *aph.* 29. & 30. infantibus tenellis & pueris maxima ex parte pepercit, utut *Act. Med. Berol. Dec.* 2. *Vol.* 5. §. 3. illam pro morbo infantili venditent, & *Schulzius E. N. C. l.* 6. & 7. *Obſ.* 145. purpuram epidemiam malignam infantum exhibeat, ætate etiam multum provectis & aniculis decrepitis, quo intuitu & *Plinius Hiſt. Nat. L.* 7. *c.* 50. ſenes minime ſentire peſtilentiam tradit. Inter eos, qui ſupra memorata ætate erant, robuſtiſſimos quoſque & vegetos, quod admiratione dignum, facillime corripuit atque jugulavit, habitu corporis laxiore & ſpongioſiore gaudentes, ſucci plenos & obeſos, laute viventes, ſanguineos & plethoricos, item ſanguineo-phlegmaticos & ſanguineo-cholericos ob activiorem & calidiorem ſanguinis conſtitutionem, indeque plethoram facile commotam; e contrario viris valetudinariis & qui debilioris & gracilioris a natura conſtitutionis erant, non adeo ab hac febre metuendum fuit, non ſecus ac *Præterit imbelles ira leonis oves.* Præterea intra mœnia noſtra malum hoc non adeo ſenſere ſervitia & ſine nomine vulgus, quin potius, quibus largæ ſuppetebant facultates & propitiore fortuna opes pro voto affluebant. Ratione ſexus majorem hoc anno ſtragem edidit in maribus quam fœminis, niſi tenerioris fuerint conſtitutionis, hiſce alias maxime in puerperio infeſta eſſe ſolet, cujus rei rationem reddit *Fr. Hoffmannus l. c.* quia ſub graviditate ob retentos menſes ſanguis nimius fit & impurus, tanto certius ſi accedit inordinatum vitæ genus, vita ſedentaria, immodeſta corporis refrigeratio, animi angor &c. frequentius lochia ſuppreſſa anſam præbent, cum vel paulo

paulo poſt febrem lacteam, quæ ſubſiſtentem paſſim materiam corruptam e latibulis excutit & in ſanguinem agit conf. *Act. Berol. Dec.* 2. *Vol.* 5. §. 2. Et ſi forſan eas adoritur, plerumque gravius decumbunt ob vires a prægreſſo partu multum debilitatas, hinc eſt, quod crebrior de puerperarum mentio apud obſervationum ſcriptores injiciatur. Notum etiam ab anno circiter 1652. luem puerperas Lipſiæ ut conſuetum ſymptomata aggredi, uti & plus una vice præprimis ante aliquot annos plurimas in urbe noſtrate jugulavit. Sic & quandoque in hunc morbum incidunt, quæ fluore albo diu antea laborantes ejus ſuppreſſionem patiuntur, qui etiam a tuſſi, coryza & gravedine, quas ſæpius antea experti fuerant, ab aliquo tempore immunes vixere. Frequentius inſuper purpuram albam incurrunt, quorum corpora humorum pravorum & impurorum copia ſcatent, qui ſucci corrupti ab intemperantia & variis diætæ erroribus, non minus aëris vitioſi injuriis, quibus expoſiti homines ſunt, natales ducunt. Unde factum, ut, qui caſtra ſecuti fuerant, primum experti fuerint hoc malum, quod idem cum noſtro erat, teſte ſupra laudato *Kramero* acurratiſſimo morborum caſtrenſium, qui tunc temporis graſſati ſunt, obſervatore. Idem porro notavit, plures noviter collectorum quam veteranorum militum hac febre decubuiſſe. Conſtitutione epidemica præſente plures alexipharmacis activioribus tractati in febribus acutis eam pariter experti ſunt. Supra quidem dictum robuſtiſſimos quoſque ab ea frequentius afflictos, ſed & experientia teſtatur, illis, quorum corpus vel a morbo prægreſſo vel ab animi pathematibus vel aliis de cauſis multum debilitatum erat, malum facilius communicatum fuiſſe. Non exiguum quoque momentum confert ad generandum & propagandum hunc morbum naturalis coporis diſpoſitio, qua poſita illud magis ſuſceptibile eſt, ita ut hæc diſpoſitio levi de cauſa in actum deducatur. Hac vero abſente non pauci commercium cum ægris habuere frequens & ſatis arctum, præter quod idem ſibi malum contraxerint vid. *Sim Pauli Digreſſ. de febr. malign.* p. 73.

§. IX.

Morbi inſultus & progreſſus.

Febris noſtra menſibus Auguſto & Septembri Anni 1734. ſporadica fuerat, circa natales ſuos languidior paucos hinc inde tenuit, inſequentibus vero auctis veluti viribus violentior irruebat & plurimos adoriebatur, quæque poſt autumnale dicti anni æquinoctium majore atrocia ſævire cœpit, vernali demum æquinoctio & ſub finem menſis Martii 1735 poſt multam ſtragem receptui canere viſa fuit, quo tempore non modo multum deferbuit, ſed & pauciſſimi, qui eo corripiebantur, non ita graviter decumbebant, leviorique negotio priſtinæ ſanitati reſtituebantur. Primus morbi inſultus ſine diſcrimine & quavis diei hora ingruebat, ſcilicet ſanitate integra gaviſi & optime ſeſe habentes ſubito & inopinato horo-

re manifeſto, unico plerumque acceſſu gravi, vel potius horripilatione nunc continua, nunc per intervalla intercurrente & gradu atque duratione diverſa, utplurimum leniore corripiebantur; alii diebus aliquot ante invaſionem orthoſtadii adhuc de dolore capitis obtuſo cum aliquali vertigine conjuncto, de anxietate vix explicabili & de ſomno per aliquot noctes turbulento, de tenſiva etiam ſpaſtica dorſi ſenſatione, puerperæ de frigore abdomen percurſante conquerebantur. Horrorem ſeu horripilationem excipiebat calor continuus pro temperamentorum diverſitate & frigoris gradu nunc admodum lenis, ſecundo plerumque vel tertio paroxyſmo exacerbatus, nunc valde exæſtuans, ſiccus mordax, mox ſupervenit extraordinaria & ſubitanea virium proſtratio, anguſtiæ & preſſiones circa præcordia, animique anxietas & reſpiratio laboroſior, quæ & præcipue capitis dolor e momento in momentum invaluere. In aliis ſtatus tranquillus per notabile tempus perennavit, intercurſante & alternante horripillatione atque calore levi, poſtea ſenſim obrepit ſtatus præternaturalis & ægri animoque & corpore languebant. Sequentibus paroxyſmis frigus & horripillatio aberant, niſi forte in auricularum, naſi, digitorum extremis aut per dorſi longitudinem deſcendens, ac ſi aqua frigidiuſcula ſenſim deflueret; ſub veſperam exacerbatio ſingulis diebus redibat & per noctem ſubſiſtebat, qua ſub diluculum miteſcente remiſſio febris veſperti tempore diurno in his major in illis minor obſervabatur; quod ſpecialiſſimum invadendi ſeu exacerbationis tempus nempe num non ultima ſed ſpecifica circumſtantia eſt, quæ tum noſtrum tum alium morbum malignum catarrhali affinem manifeſtat. Redeunte ſub veſperam calore pleraque ſymptomata, inprimis deliria, anxietates & anguſtiæ præcordiorum non parum invaleſcebant.

§. X.

Symptomata. Symptomata, quæ morbi effectus & producta ſunt, pariter pro diverſitate ætatis, ſexus, temperamenti, anni temporis aliarumque circumſtantiarum multum inter ſe diſcrepant, ſic & alia horum pathematum omnibus ſubjectis communia, alia vero huic vel illi individuo magis propria obſervantur. Hæc accidentalia, illa eſſentialia, quædam huic morbo peculiaria, non pauca aliis etiam febribus familiaria. Ad illa refero, quod caput & cerebrum una cum genere nervoſo mox invadi cœpit; initium quippe ſumſit noſtra febris cum dolore capitis gravativo, obtuſo atque vertiginoſo per totum ejus decurſum perennante, quæ cephalalgia non ordinaria erat, qualis in omni febre acuta obſervatur, ſed prorſus extraordinaria cum ſenſuum obnubilatione, ſomnolentia, ſtupore, & rerum plerarumque oblivione, in aliquibus ſoporoſi quid atque lethargici conjunctum erat, quæ uti & alia ſtagnationes humorum in cerebro & meningibus factas non obſcure indicant. Summa etiam & ſubitanea vi-

rium

rium proſtratio a primo ſtatim invaſionis momento aderat citra cauſam manifeſtam, eaque major, quam morbi genius externa ſpecie præ ſe ferebat, malignitatis exquiſitæ argumentum certiſſimum, cum artuum gravitate, dolore totius corporis contundente, quam languor atque torpor præcedebat. Hic virium lapſus per totum morbi decurſum ſubſtitit etiam in illis, qui robore alias inſigni pollebant, & in ſenſibilioribus ad animi fere deliquium aut cordis palpitationes invaluit, quæ lipothymiæ aut ſaltem ad eam diſpoſitiones creberrimæ erant. Summa inſuper corporis ſenſibilitas ad leviſſimum aëris actu non vel parum frigidi acceſſum, a quo manifeſtas alterationes perceperunt. Alii gravius in lecto decumbebant, membrumque movere aut caput erigere vix poterant, alii inquieti corpus hinc inde jectigabant. Non minus malignitatis indicium præbebant anxietates & ſummæ circa præcordia anguſtiæ, quæ vel indeſinenter ſubſiſtebant, vel tranſitoriæ nunc remittebant, nunc rurſus intendebantur, reſpiratio laborioſa & anheloſa, pectus item magno veluti pondere oppreſſum ſuſpiria frequentiora ægro extorſit. Hæ anguſtiæ in aliis ſatis inſignes, in quibuſdam leviores, nempe in quibus congeſtio humorum in capite magis quam circa præcordia facta fuit, ſimul inquietudo animi anxia & de morbi eventu deſperabunda inprimis in melancholicis, & triſtitia tanta, ut ſpem reconvaleſcentiæ omnem mox abjicerent. Animi inquietudini acceſſit in aliquibus illa corporis & continua in lecto jectigatio, ita ut varios in habitus compoſiti nunc pulvinari inſidere, nunc ad lecti inferiora devolvi, nunc ex illo proſilire viſi ſint, maxime ſi quarto, ſeptimo vel etiam nono die delirium plerumque comatoſum ſupervenit, quod nocturno tempore exacerbari ſolebat in ſanguineis levius, in cholericis vero gravius, neque prorſus continuum, ſed per intervalla licet breviora recurrens, & ſi in hoc ſtatu ſermo cum iis inſtitueretur, in viam ſed per breve tempus redacti ſunt. De noſtra verum utique erat, quod de ſua pronuntiavit *Sydenham. ſched. monit. de nov. febr. ingr, p.* 651. ita proclivis eſt in hoc morbo ad phreneſin lapſus, ut perſæpe ſua ſponte, nulla data anſa, illico ſubrepat. Delirium hoc in aliquibus adeo mite erat, ut dubium fuerit, utrum delirarent, an vero in ſomno minus cohærentia loquerentur? Pauciſſimi per totum morbi decurſum ſibi conſtabant, apud illos vero, qui mente alienati non videbantur oblivio omnium, quæ durante morbo agebantur, erat. Uti autem nullum dubium eſt, quin hoc delirium ab humorum in cerebro ejuſque meningibus ſtagnatione ortum traxerit, ita quoque experientia docuit, illud a regimine calidiore & medicamentis orgaſticis non parum fuiſſe auctum. Agrypniæ inſuper pertinaces nunc aſſiduæ, ita ut noctes plurimas inſomnes tranſegerint, nunc ſomno brevi laborioſo & non delaſſante interruptæ ægrum affligebant, in aliis magna ad ſomnum propenſio, præter quod ejus participes fieri potuerint, in aliis continua ſomnolentia & veluti ſopor præſto erat. Tuſſis in principio magis tum morbi tum epidemiæ quam in progreſſu pectus concutiebat, in illis potius, in quibus circa initium

diſpoſitio pleuritica vel peripneumonica aderat. *Exc. Kramerus* refert hanc febrim, quæ 1735. menſe Majo militem Germanum prope Bruxaliam afflixit, tuſſim non amplius vel rariſſime comitem habuiſſe.

§. XI.

Diarrhœa circa quartum plerumque aut ſeptimum accedebat diem, eaque tantum non in omnibus obſervabatur per totum morbi decurſum durans, materia ſæpius bilioſa, initio anni 1735 frequentius, quandoque mucoſa aut ſeroſa, variegati interdum coloris excernebatur; non torminoſa erat neque inſalutaris, ſed critica, levamenque ægro afferens nempe in ſtatu aut decremento morbi, in principio vero non adeo tuta, vid. *Laz. River. Prax. med. L.* 17. *c.* 1. *Acta Med. Berol. Dec.* 1. *Vol.* 1. *p.* 13. *de febr. petech. ann.* 1716. memorant: lenem diarrhœam præ ſudoribus ſalutarem fuiſſe & ſponte venientem ægros potius ſublevaſſe, quam mali quid poſt ſe traxiſſe, quæ alio tempore ſumme noxia fuerat; cum e contrario illi, quibus alvus adſtricta erat, calore interno magis exæſtuabant, & præcordiorum anxietate atque preſſione cardialgica angebantur. Ad hunc alvi fluxum tum miliarem noſtram, tum etiam petechizantem multum inclinare confirmat *Exc. Stahlius menſe majo ſupra citat.* Non vero omni tempore criticam illam eſſe, quin potius noxiam atque puſtularum eruptionem impedire, atque in puerperis lochiorum ſucceſſum ſupprimere experientia edoctus aſſerit *Dav. Hamilton. l. c.* adeo ut exinde etiam pateat, quam diverſus ſit harum febrium & ſymptomatum pro anni temporis aliarumque circumſtantiarum varietate genius. Calor febrilis potiſſimum in cholericis major, in ſanguineophlegmaticis mitior, ſub veſperam exacerbatus perque totam noctem ita perdurans & ſub diluculum paulo remiſſior factus, intenſior plerumque in complicata, quæ ad ardentem magis accedit, quam in ſimplici, quandoque ſuppreſſus & extrinſecus minus ſenſibilis, intus æſtuoſior deliteſcens, cum dolore fixo ardente & urente, incendium ſeu inflammationem internam manifeſtans, in quibuſdam ſiccus erat & cutis arida, in aliquibus vagus & ſæpius per diem modo intenſior modo remiſſior obſervatus. Sudore ii maxime diffluebant, in quibus ille ab æſtuoſo regimine & remediis calidis prolicitus erat, in aliis moderatus & ſub prudenti temperantium uſu udor atque mador lenis aderat, eo minor, quo major æſtus aut corporis inquietudo aderat, nunc continuus & haud interruptus nunc vero vagus & modo multum remittens, modo profuſior iterum erumpens; in his univerſalis, & per totum corporis ambitum diffuſus, in aliis particularis magis, & in fronte potiſſimum, thorace ac dorſo conſpicuus, reliquis partibus ab eodem liberis manentibus. Odorem ſpecificum ſpirare ſudorem in hoc exanthematum genere annotavit *Fr. Hoffmannus l. c.* interdum viſcidus & multum gelatinoſus erat, æque ac ſaliva glutinoſa tenaxque

in

in ore deprehendebatur. Lingua modo arida & aſpera, modo lento ac glutinoſo ſucco obducta ſqualebat, plerumque alba, rarius nigra, oris fauciumque ſiccitas & ardor, prouti æſtus urgebat, in paucis ptyaliſmus præſto erat; ſitis aliquando ſed rarius inexorabilis, nunc paucæ de illa querelæ exaudiebantur, nunc plane nullum potus deſiderium. Appetitus omnino dejectus, ciborumque indiſcriminatim omnium faſtidium. Hæmorrhagia narium non facile accedebat neque in principio neque circa dies criticos, niſi in iis, qui in juniore ætate ad illam proclives, calida diæta vel medicatione eo adacti fuere. In paucis numero aliquid non vero multum ſanguinis e naribus exſtillabat. Neque vomitus actualis in pluribus obſervabatur, ſi biliofum in quibuſdam excipias, niſi quia fortiori emetico circa morbi progreſſum aſſumto proritatus, aut a nauſea, quam a medicamentis conceperant, ortus erat, quin potius frequens vomendi conatus cum preſſione & anxietate cardialgica conjunctus. Aphthæ & affectus anginodes, qui cum febre miliari frequenter complicati alias ſunt, non multum concurrebant, neque, ſi vel maxime acceſſere, diuturni vel pertinaces fuerant, niſi in ſubjectis huic congeſtioni prægreſſo jam tempore obnoxiis, inſuper pituitoſi magis quam ſanguinei erant. Multo minus bubones, parotides aut carbunculi aliaque febris peſtiferæ ſigna obſervabantur, certiſſimo documento, noſtram febrim ab ac lue prorſus alienam fuiſſe. Præterea ab æſtu continuo facies inflata & rubore ſuffuſa, præprimis in vehementer plethoricis, oculorum pariter rubor eo major, quo copioſior ad caput congeſtio facta, tremulus manuum motus, ſi quando illas Medico porrigebant, nec non linguæ, ita ut cum tremore loquerentur, quod præ aliis annotavit *Hamilton l. c. c.* 2. tendinoſarum partium ſubſultus in omnibus fere obſervabiles, rariores ſpaſmodicæ & convulſivæ artuum agitationes, ſenſus tam externi quam interni hebetiores, ſpaſtica manuum pedumque tenſio ac veluti ſtupor macularum erupturarum indices, dorſi & regionis lumbaris laſſitudo, quam tamquam ſymptomata vix fallens in febre petechiali epid. ann. 1692. & ſeqq. Mutinens. ditionis recenſet *Ramazzini* in *E. N. C. III. 4. App. p.* 72. Vermes ſubinde excreti non quidem ab iis, qui in urbe, quin potius in xenodochiis & caſtris decumbebant, quod de febre ſua epidemica pariter perhibent *Vratislav.* 1699. *p.* 5. *conf. Comm. Lit. Nor.* 1735. *hebd.* 20. §. 1. quos tamen jam antea in corpore extitiſſe & effectum potius fuiſſe vero ſimile eſt, vid. El. *Camerar. Diſſ. Taur. XII.*

§. XII.

Progredior ad ſigna diagnoſtica, quorum plura jam in tractatione ſymptomatum tradidi; pathognomonicum & character ſpecificus, quo ab aliis malignis & exanthematicis diſtinguitur, effloreſcentiæ ſunt, improprie puſtulæ vocatæ, utpote quæ a pure nomen acceperunt, rectius veſiculæ ſeu papulæ dicendæ. Erumpebant in quibuſdam mox ſub initium infauſto *Signa diagnoſtica.*

infauſto omine ſed rarius, plerumque die 7. 9. 11. vel etiam 14 die, quandoque tardius, uti in illa febre, quam ſupra laudatus *Kramerus* deſcripſit; circa 21. demum diem ſeſe manifeſtabant; ſed computus ſæpe incertus eſt primo morbi initio non ſatis perſpecto; maxime circa collum, dorſum, pectus atque femora, ſæpius in ſcrobiculo cordis primum aut cito apparebant, in vegetioribus & in quibus magnus erat impulſus non modo in abdomine ſed & fronte circa partis capillatæ limites, in naſo & digitorum extremis. Ante & ſub earum eruptionem cutis pruritus ſeu ardoris aut tenſionis ſpaſmodicæ moleſta ſenſatio, qui pruritus quando rumpuntur atque exſiccantur, denuo recurrit, ſub egreſſum cutis præprimis faciei aliquatenus turgebat, magis ſi aer ambiens paulo calidior fuerit. Rarius ſimultaneo, ſed ſucceſſivo utplurimum actu efflorеſcunt, & plures plerumque dies omnimodæ expulſioni impenduntur; quod in cauſa etiam eſt, ut ſucceſſive exſiccentur atque primum decidant, quæ primo loco eruperant. In aliquibus novæ ſeſe prodiderunt, poſtquam priores ruptæ & exſiccatæ fuerant, idque ſecunda vel tertia vice, ſi quando primo actu non omni materia evacuata novus affluxus ad externum corporis habitum factus, vel pruritus contemperandi gratia cutis paulo immodeſtius fricta eſt. Quam purpuræ epigeneſin ſeu varias ſucceſſiones præter experientiam *Act. Berol. Dec.* 2. *Vol.* 10. *p.* 18. & *Behrens in E. N. C. Vol.* 2. *obſ.* 32. comprobant. In non paucis utut morbus idem fuerit, vel ob debiliorem corporis conſtitutionem, vel regimen minus exactum & liberius nulla prorſus exanthemata apparuere, id quod in petechiis quandoque etiam contingit, unde diſtinctio inter febrem petechialem & petechizantem enata eſt Dictæ papulæ non exiguam cuti aſperitatem conciliantes figuræ hemiſphæricæ & granis milii non abſimiles exiſtunt, unde miliares ſeu miliaceæ nuncupantur, uti ſupra dictum, tantæ etiam tenuitatis ſunt, ut cum ſubtiliſſimo vaſe lymphatico certent, ſero limpido acri & lymphatico refertæ, hinc tranſparent & cryſtalli aut ramentorum adamantinorum inſtar ſplendent, atque hydatidibus minimis ſimiles ſunt, id quod de pellucidis §. 6. ita nominatis maxime valet. Poſtquam per aliquot dies ſubſtiterant humoris intus contenti color in ſubalbum & illi perlarum non abſimilem mutatus, dein papulæ opacæ magis redditæ in ſiccioribus exſiccabantur, in phlegmaticis vero a majori ſeri affluxu multum diſtentæ tandem rumpebantur & humore effluente ſquammulas poſt ſe relinquebant, quæ veluti ramenta furfuracea deciderunt, quia epidermidis portio a reliqua cute elevata & ſeparata cum hac accreſcere & in gratiam redire haud potuit. Et ita ſe res habuit in iis, qui morbum feliciter ſuperarunt; in illis vero, in quibus res male ceſſit, dictæ papulæ vel plane non vel exigua in quantitate vel non ſufficienter effloruere materia peccante in viſceribus internis detenta.

§. XIII.

§. XIII.

Alia ſigna deſumuntur a pulſibus, qui uti omni febre, ita & in hac frequentiores erant atque celeriores, magis in cholericis, in quibus intenſiores, mitiores in phlegmaticis æque ac ſymptomata in univerſum omnia, in ſanguineis medio modo ſeſe habebant. Hæc celeritas cum inæqualitate inconſtanti majore minoreve conjuncta erat, & tantum non in omnibus ſub veſperam intendebatur, inſuper plerumque duri, denſi & paululum ſerrati, perque totam noctem eodem gradu decurrebant, qui interdiu mitiores atque lenes fuerant. Morbo aut etiam ſubjecto languescente parvi, juſto exiliores & languidiores, in aliis valde compreſſi & concentrati, haud raro nunc æqualiter nunc inæqualiter intermittentes, ita ut quinque vel ſeptem aut pluribus rythmis peractis poſt plura aut pauciora intervalla, frequentius poſt unum tantum redirent, interdum matutino potiſſimum tempore a naturali parum recedebant; poſt felicem exanthematum eruptionem molliores & remiſſiores plerumque undulabant. Quæ pulſuum differentia ægrotantis temperamento, variæ humorum conditioni, morbi genio, nec non diſpoſitioni naturali debetur; pulſus quippe intermittens, qui alias uti in omni morbo, ita magis in hac febre medicum terret, periculo vacabat, ſi idem in ſtatu ſano antea fuerat. Urina, quæ in malignis plerumque vix mutata illique ſanorum ſimilis eſſe ſolet, quia materia peccans tenuior renum colatoria prætèrlabitur, ſicque non, uti quidem fieri debet, ſequeſtratur. In noſtra talis quoque ſed in pauciſſimis ſe offerebat intuentibus, in pleriſque intenſe rutila erat ad lixivioſam fere accedens, ſpiſſa, non multum tranſparens cum ſpuma & cruſta gelatinoſa ſupernatante, poſt mutata & minus turbida, præprimis in morbi augmento & tantum non in omnibus crocea atque multum bilioſa, quem colorem huic febri proprium & ordinarium a prædominio, exaltatione, commotione & impedita ſecretione bilis derivandum eſſe puto. In paucioribus ſigna coctionis circa dies criticos exhibens ſedimentum in fundo deponebat, turbida nihilominus uti modo dictum. In aliquibus decolor, tenuis, cruda & pallida & plus minuſve limpida, quæ vero rarius conſpiciebatur, niſi a potu aquoſo intemperantius & frequentius ingurgitato. Ratione quantitatis ordinariam plerumque non excedebat, circa dies criticos quidam copioſius, alii largo ſudore diffluentes parcius mingebant, uti & illi in quibus ab humorum in capite congeſtione inſignis partium inferiorum conſtrictio facta; in quibuſdam ordinaria ponderoſior, interdum etiam odorem magis minuſve fœtidum ſpirabat. Sanguis V. S. emiſſus, vel quod rarius contigit e naribus profluens non floridus, coccineus & impenſe rutilans, qualis in malignis eſſe ſolet, quin potius aliquid gelatinoſi intuentibus offerebat & mox poſt emiſſionem firmiter concreſcens nullo apparente ſero, ita ut vix dilui & reſolvi arte potuerit, qualem etiam deſcribit *Simon Pauli*

Digr.

Digr. de febr. mal. §. 14. ſerum cui thrombus in aliis innatabat, intenſe flavum & particulis bilioſis impraegnatum erat, idem thrombus in aliquibus pituita alba tenaci ſeu cruſta gelatinoſa nunc craſſiore nunc tenuiore obductus in ſuperficie fuerat, qualis in pleuritide ordinarie conſpicitur, non obſcurum inflammationis fientis vel jam factae documentum. Uti autem ob ſubdolum febris morem quaevis fere ſigna incerta ſunt, ita pariter haec memorata, & a pulſu, urina atque ſanguine emiſſo deprompta toto die fallunt, & adſtantibus non modo ſed & medicis ipſis, iiſque peritioribus imponunt, quod cum toto medentium choro probe intelligens *Caſp. Hoffmannus Exerc. Juvenil. L.* 3. *c.* 1. utrum ſignum pulſus an urinae ſit certius? paucis reſpondet: *utrumque aeque fallax eſt, ut inde natum ſit proverbium, pulſus bonus, urina bona* (adde ſanguis bonus) *aeger moritur.* Quod πολυθρύλλητον in noſtram non ex omni parte quadrat. Plurima alia indicia a facie, ore, oculis, naribus &c. colligenda exhibet *Henr. Screta l. c. S. I. c.* 10. quibus recenſendis ſuperſedeo, quia aliqua eorum in prognoſi enumerabuntur; hoc unice ſubjungens, quod ea, quorum mentionem feci, & ſi quae alia dantur, non ſingulatim attendenda ſint, utpote non in quovis ſubjecto eadem aut ſimilia, quin potius ex omnibus ſimul ſumtis mali dijudicatio inſtituenda, quia ſi vel maxime hoc obſervamus, judicium nihilominus difficile eſt, quod longe difficilius erit, ſi uni vel alteri unice inhaeremus atque confidimus.

§. XIV.

Cauſa proxima. Hiſce praemiſſis mihi jam incumbit, ut in affectus noſtri cauſam proximam & immediatam inquiram, utpote cujus cognitio non exiguum felici curae momentum affert. Malignitatem in febre noſtra ſubfuiſſe ſupra innui, ejus vero naturam & eſſentiam, cimaeriis velut tenebris obvolutam eſſe inter alia tam veterum quam recentiorum de illa diſſenſus comprobat, proinde ejus inveſtigationem valde abſtruſam & a ſagaciſſimorum cognitione remotam nemo non intelligit. Veterum ſchola putredinem actualem vel ſaltem diſpoſitionem ad eam olim accuſavit, unde & antiquiſſimis febres putridae dictae *Fr. Hoffmannus Diſſ. de febr. malign. epid. petech. Hal. graſſ. c.* 2. quid putredo ſit definit, atque ſanguinem animantium ad eam maxime proclivem eſſe docet. Verum ſunt, qui hanc putredinem negant, eo quod nulla ejus proprie ſic dictae indicia appareant. Plerique recentiorum fermentum quoddam peregrinum ſeu miaſma ſpecificum M. S. fermentativum mixtionem, craſin atque motum turbans & diſſolvens deleteriaque virtute praeditum introduxere; aliqui eo progrediuntur, ut venenatum quid aut ſaltem veneni aemulum admittant, quod modo non abſimili ac venenum actuale in corpore humano ferocit, vid. *Th. Willis. de febr. c.* 12. *Henr. Screta l. c. S.* 1. *c,* 7. Qualis vero ejus natura ſit atque conditio, utrum ſalſum, acidum vel

acre,

acre, an vero ſulphureum & vaporoſum adhuc diſputant, & quia a priori non ſatis innoteſcit a poſteriori nempe ſymptomatibus idem colligunt, voluntque eſſe illud proſapiæ ſalinæ volatilis & quidem tenuiſſimæ, uti præ aliis id ſtabilit *Sim. Pauli Digr. de febr. mal.* paſſim, eamque vel acrem ad naturam cauſticam fere accedentem, uti *Fr. Hoffmann. Diſſ. de Gener. Febr.* §. 28. quam e pleriſque ſymptomatibus probant, nempe cutis pruritu, ſanguinis e vena ſecta emiſſi fluxilitate & colore coccineo, viſcerum inflammatione facile ſuperveniente, item a juvantibus nempe acidis & lædentibus ſcilicet acribus atque volatilibus; vel acidam pariter volatilem corroſivam, a qua M. S. viſcida & fere grumoſa evadit. Pro differentia cauſæ hujus materialis ſtatus ſanguinis in his febribus malignis juſto plus reſolutus, in aliis magis coagulatus eſt, dum principium acidum coagulando, acre reſolvendo potius agit. *Apinus l. c. de febr. epid.* §. 32. ſal volatile acre compoſitum, quod nec ad ſalis acidi nec alcalici proſapiam referre proprie poſſis, ſed quod mediam quaſi naturam participet & forſitan alius etiam generis particulas, ſulphureas ſcilicet & pingues in ſui compoſitionem admittat, tanquam cauſam proponit, additque illud principio quodam viſcido involutum eſſe, adeoque diu abſconditum latere & tenacius inhærere. Huic ex parte aſſentitur *Th. Willis l. c. c.* 9. partem ſulphuream nimis excalefactam & ſupra modum turgeſcentem pro cauſa agnoſcens. *Exc. Stahlius menſ. cit.* materiam peccantem mole quidem parvam ſed ſumme ſubtilem, quæ colatoria præterlabitur, energia quoque corruptiva valde efficacem accuſat, cujus vero indolis illa ſit ac naturæ non definit. Plures alii humorem orgaſticum plus minuſve activum adeoque nunc citius nunc etiam paulo tardius motus vitales & œconomiam animalem deſtruentem allegant. *Hamilton l. c. c.* 3. Anglorum placitis inſiſtens præter ſanguinis dyſcraſiam ſuccum nervoſum vel nimia ſeroſitate vel acida acrimonia vel motu juſto majore peccantem aut etiam ſpirituum depreſſionem ut cauſam probabiliorem in ſcenam producit, hocque ſuum aſſertum ex morbi hiſtoria, remediorum tam juvantium quam nocentium effectu, nec non cadaverum diſſectione multis ſtabilire ſatagit. Verum hæc Hamiltoni ſententia curatius examinatur atque refutatur in *Diſſ. de febr. veſicul. ſub Præſ. Cel. Gœlike Francof. ad Viadr.* 1732. *habit.* Quod ſi ſucco nerveo, quem ille tanquam cauſam ſtabilire conatus eſt, humorem ſeroſo lymphaticum ſubſtituam, argumentis experimentiſque ab eo prolatis ſuam forſan conſtare veritatem judico. Aliorum ſententias ab allegatis non multum diverſas ſtudio prætermitto.

§. XV.

E dictis liquet, ſcriptores cum priſcos tum noſtri ævi in cauſa febrium malignarum definienda in plures veluti acies diſtributos & ex adverſo dimi-

dimicantes eſſe, adeo ut in hoc opinionum diſſenſu, in quæ caſtra tranſire velit, fere neſciat tyro, memor & ſagaciſſimorum naturæ myſtarum ingenia torſiſſe hoc argumentum, quod dudum agnovit & paſſim expoſuit *Bernh. Ramazzini loc. ſupr. cit.* Qua difficultate aliqui deterriti magis ſapere ſibi videntur, ſi ignorantiam ſuam fateri non erubeſcant, *ſatius eſſe*, cum *Scaligero* autumantes, *quædam æquo animo ignorare velle, quam vano conatu umbratili rerum ejuſmodi abſtruſarum ſcientiam intellectui noſtro adſcribere.* Quia vero mearum partium eſt aliquid ſaltem hac de re ſtatuere, *Fr. Hoffmanni, Viri laude mea majoris*, placitum, utpote cum phænomenis, quantum ego judico, convenientiſſimum tandem amplecti conſtitui, qui loc. ſæpius cit. purpuræ rubræ cauſam in ſero acri ſalino-ſulphureo æque ac alii, albæ vero in lympha acido-vappida ſpecificæ indolis ponit, effectuſque in illa occurrentes explicat, utut non diffiteatur, ſpecificam a priori accurate determinare utpote ſenſibus minus obviam admodum arduum eſſe. Scilicet arbitratur ille, acidum hic peccans ſanguini inſinuatum partes ejus craſſiores in coagulum mittere, ſeroſis ſeceſſum facientibus, quæ ſalutari naturæ conſilio ad loca cutanea ceu conveniens emunctorium cum aliqua ſanguinis portione amandantur atque eliminantur, eum in finem, ut viſcera interna & nobiliora ab iiſdem liberentur, id quod ſudores effuſi & exanthemata humore ſeroſo turgida noſtroque affectui propria palam faciunt. Præterea portionem ſeri iſtius ad glandulas inteſtinales delatam diarrhœam peperiſſe facile concipere licet; idem hoc ſerum, quia ſalia tam in ſtatu naturali quam præternaturali in corpore genita in ſinum ſuum recipit atque diſſolvit, dyſcraſia pariter acri vel potius acida laborare, utpote quam irritationes moleſtæ in partibus membranaceis, tendineis atque nerveis ſe exerentes, pruritus item ſub efflorescentia atque exſiccatione papularum perceptibiles produnt. Secedentibus in copia particulis ſeroſis reliquam ſanguinis maſſam inſpiſſari in propatulo eſt, quæ minima vaſcula ſanguifera transfluere non valens illa diſtendit, quo facto humor iſte ad partes propulſus per venas utpote compreſſioni minus reſiſtentes debito modo refluere nequit, lympha pariter a compreſſis vaſis eam vehentibus in motu ſuo impeditur atque lentorem contrahit. Quibus poſitis admittenda in noſtro morbo eſt reſolutio non quidem totius maſſæ ſanguineæ, quin potius ſeri ab eadem facta ſeceſſio, magis vero coagulatio dictæ maſſæ a ſeroſa relictæ, quam ſectio cadaverum hac febre defunctorum arguit, in quorum vaſis majoribus & cordis thalamis ſanguis grumoſus & concretus viſus teſte eodem *Hoffmanno l. c.* huic etiam ſpiſſæ atque lentæ ſanguinis & lymphæ ſeroſæ conditioni tanquam cauſſæ genuinæ morbum rectiſſime adſcripſit relatio medica de conſtitutione epidemica hujus loci annorum 1734 & 1735 juſſu *Inclyti Urbis hujus Magiſtratus* ab *Ampliſſimo Reipublicæ Phyſico Ordinario & Gratioſa Facultate medica* ſuperioris anni menſe februario exhibita. Talem humorum ſtatum p. n. primo excepit notabilis humorum in corpore

pore orgaſmus, ſecundo non potuerunt non variis in partibus ſtagnationes atque ſtaſes preſſo pede inſequi, uti *ill. & Excell. Helvetius* bene ratiocinatur. Quæ ſi quando in cerebro ejuſque meningibus hærent, uti id in noſtra epidemia factum, liquidum nerveum in debita quantitate non ſequeſtratur, neque ſufficienter ad ſingulas partes amandatur, hinc viſcerum reliquarumque partium tonum atque elaterem multum imminui, cephalalgiam etiam, phreneſin, virium lapſum, aliaque ſymptomata oriri neceſſe eſt. Potiſſimum vero inflammatio, quæ morbo noſtro crebrius ſupervenerat, ex hac theoria facile explicatur, quæ plene formata vel apoſtematodes eſt & ſalutari eventu ad ſuppurationem tendit, ægrumque, ſi puri exitus datur, reſtituit, uti in pleuritide atque peripneumonia id ſæpius fieri obſervamus; vel ſphaceloſa, quæ in νεκρωσιν abit, & nunquam non lethalem exitum habet; a partibus quippe ita ſideratis iiſque nobilioribus, quales cerebrum ejuſque meninges ſunt, non poteſt non prompta deſtructio œconomiæ animali imminere. Quo reſpexerunt *Th. Sydenham ſched. monit. de nov. febr. ingr.* malignas appellans febres, in quibus intenſioris præ cæteris inflammationis gradus conſpicitur, & *Georg. Bagliv. de febr. malign.* certo affirmans, *ſe diligenti obſervatione & matura meditatione didiciſſe a duabus potiſſimum cauſis malignas febres pendere, nempe viſcerum inflammatione & malorum crudorumque humorum inprimis viis vel M. S. apparatu.* Hanc ergo inflammationem & cerebri ejuſque meningum conſtitutionem ſphaceloſam ſupervenientem præcipuam cauſam fuiſſe, ob quam febris noſtra miliaris in pluribus numero ægrotantibus lethalem exitum ſortita eſt, concludo.

§. XVI.

Sed & cauſas remotiores ad affectum huncce diſponentes, procatarcticas alias dictas exponam. Inter quas primum locum obtinet aër, miasmatum vector jure meritoque vocatus, qui particulis infeſtis impregnatus natales huic morbo utique præbet (morbus quippe epidemicus communem cauſam præſupponit) dum reſpiratione per os naresque attractus pulmones, vel mediante ſaliva primas vias, forſan etiam per poros cutis corpus noſtrum ſubit, inque totam M. S. ſe diffundit. Ipſum hoc fluidum non uno eodemque modo eo confert, nunc frequenti & inſolita viciſſitudine, dum modo calidus eſt modo frigidus: ille ſanguinem plus juſto rarefacit poroſque aperit, hic liquores condenſat corporiſque habitum conſtringit, unde tranſpiratio inſenſilis non parum ſufflaminatur. Comprobatum hoc eſt Coi effato *S.* 3. *aph.* 1. *mutationes anni temporum maxime pariunt morbos & in ipſis temporibus magnæ viciſſitudines aut frigoris aut caloris;* quæ mutationes frequentes ſubitaneæ aut ex præcipiti variæ præter alia derivandæ ſunt, primo a ventorum natura ipſa, e. g. a vento auſtrino aut noto zephyro ſeu auſtro-favonio. Quem auſtrum *Cauſſæ remotiores.*

Hippocrates S. 3. *Aph.* 5, morborum feraciſſimum eſſe, & *de aër. aq. & loc.* §. 28. ſi æſtas pluvioſa ſit & auſtro multum perfletur, ſimilisque ſequatur autumnus, hyemen morbidam inſequi docet. Hic auſter integra æſtate anni 1734. regionem noſtram perflans, crebrioreſque pluvias & tempeſtatem valde humidam inferens inter cauſas conſtitutionis epidemicæ, de qua ſermo mihi eſt, allegari utique meretur, cui eundem effectum tribuit ſupr. laudat. *Kramerus.* Secundo etiam a ventis contrariis eorumque mutatione frequenti, nempe auſtrini in aquilonium aut zephiro-boream. Modo memorata conſtitutio auſtrina notabilem æſtivo tempore effectum haud exſeruit, ubi vero autumnale & hyemale acceſſit, atque noctes roſcidæ factæ dicta tranſpiratione magis cohibita, morbi eos, qui ſtipendia meruerant, invadere cœperunt, imo & per urbem, qui æſtate non obſervabantur, circa autumnum & toto hyemis decurſu caput extulere. Nunc etiam & quidem potiſſimum inter cauſas allegari meretur humidior juſto & pluvioſa nec non humido-frigida tempeſtas, quæ maxime apta nata eſt ejuſmodi morbos gignendi, qualem totius fere anni ſupra memorati decurſu hic loci & in confiniis experti fuimus, quibus imbribus creberrimis menſe auguſto elapſis & per autumnum perennantibus febrim epidemicam, quæ annis 1694 & 1695 oppidum Herſpruccenſe devaſtavit, pariter acceptam refert *Apinus.* Quo non leve momentum conferunt fluviorum exundationes locorumque confinium inundationes extraordinariæ, quas morbis epidemicis fomitem ſemper ſuppeditaſſe e Padi Italiæ fluminis eluvione luculenter demonſtrat *Cel. Ramazzini* & poſt ipſum *Georg. Baglivus Prax. Med. L.* 1. *c.* 9. §. 5. *de febr. mal.* dum ait: *certa Romanorum obſervatione conſtat, poſt ingentes Tiberis inundationes oriri febres epidemicas in urbe valde graves ac perniicioſas.* Cum ergo circa medium anni 1734 Rhenus noſter campos aquis exundantibus longe lateque occupaverat, atque intra alveum tardius redierat; quid mirum? Milites in obſidione Philippoburgi ejus aquis diu multumque immerſos, humique particulis aqueis multum infarctæ cubantes diverſi generis morbis correptos fuiſſe, nempe diarrhœis, diſenteriis, tumoribus pedum œdomatoſis, febribus tam intermittentibus quam acutis malignis. In urbe noſtrate & hinc inde ruri humida hæc aëris tempeſtas affectus catarrhales, febrimque malignam præcipue miliarem albam peperit. Siquidem ab hac ejus conſtitutione humida fibræ & pori corporis noſtri partim relaxantur, robur fatiſcit, ſecretiones & excretiones minus feliciter ſuccedunt; colluvies ſeroſa augetur, humores vappeſcunt depreſſoque ſulphure activitatem & ſpirituaſcentiam amittunt, partim ſi frigida aëris intemperies acceſſerit, corporis ambitus conſtringitur, tranſpiratio inſenſilis aliquatenus ſufflaminatur & particulæ heterogeneæ in corpore detinentur, quæ M. S. permixtæ non poſſunt non craſin ejus turbare atque invertere & humoribus juſto ſpiſſioribus redditis congeſtiones atque tandem ſtaſes poſt ſe trahere. Quæ conſtitutio utpote corruptionis humorum mater præ aliis ad producendos morbos

bos malignos potentiſſima eſſe videtur, unde *Hippocrates L.* 3. *Epid. S.* 3. ſimilem tempeſtatem auſtrinam & pluviam ventis perpetuo quieſcentibus multis expoſuit & tempore belli Peloponneſiaci peſti, quæ a Thucydide major vocatur, quam ut exprimi, & acerbior, quam ut natura humana tolerari poſſet, anſam præbuiſſe contendit, Hæc eadem cauſa fuit febris petechialis, quæ anno ſuperioris ſeculi ſeptuageſimo quarto Argentoratum noſtrum infeſtavit. A qua etiam febris caſtrenſis malignæ, quæ ann. 1734 & 1735 in caſtris graſſata eſt, natales deducit *ſup. laudat: Kramerus.* Non minus confert aër ventis non agitatus, nec non effluviis malignis e corporibus hoc morbo decumbentium exhalantibus inquinatus.

§. XVII.

Præter aërem 2) alimenta & potulenta fomitem quoque noſtro malo ſuppeditant quantitate & qualitate peccantia, præ aliis quæ ad corruptionem humorum prona & fermenteſcibilia ſunt, cruda & ventriculi actioni refragaria, victus ratio præter morem prava vel a neceſſitate vel ab aliis cauſis dependens; qui diætæ errores præprimis in caſtris aut diuturna obſidione & annonæ charitate preſſis regnare ſolent, ubi plerumque leges debitæ diætæ negliguntur; aut ſi poſt alimentorum inopiam rerum affluentia fit & famem ingluvies excipit, λοιμὸς μετὰ λιμὸν frequenter obſervatur. Ut taceam uſum carnis animalium morbo infectorum quandoque in cauſa eſſe, uti *Borellus Cent.* 2. *Obſerv.* 32. annotavit. Neque ſilentio prætereundus eſt potus ſpirituoſus & vinum generoſum (unde febris Hungarica vappidum item & non bene fermentatum; nec non aquæ turbidæ ſtagnantes & paludoſæ aut alia qualitate vitioſa præditæ; quam aquarum inſalubritatem ad languorem pannonicum diſponere contendit *Tob. Corberus de morb. caſtr. Hung. Dec. I. Obſ.* 7. imo & numeroſos exercitus ab ejuſmodi aquarum uſu morbis popularibus devaſtatos fuiſſe hiſtoriis proditum eſt. Potus quoque calidus theiformis in copia ſorbillatus eo confert, cui *Cel. Hoffmannum* frequentiam purpuræ noſtris diebus obſervabilem attribuere ſupra innui. A prava hac diæta corrupti in corpore ſucci in copia generantur, a quibus purpuræ geneſin Idem derivat. 3) Motus corporis uti moderatus optima medicina eſt, ita nimius nocet; violentior corpus enervat, quod debilitatum citius quam aliud in ejuſmodi morbum incidit; hæc etiam ratio eſt, quod milites in ſupra dicta obſidione continuis fere belli laboribus defatigati magno in numero ægrotarint; id quod certius contingit, ſi ſubjecta vel a prava aëris temperie vel diætæ erroribus cacochymiam antea contraxere. Experientia quippe conſtat, eos qui humores male diſpoſitos in venis alunt facilius a febribus uti in univerſum omnibus ita quoque malignis corripi. Non minus e contrario otium multum & ſomnus diutius protractus ſanguinem inſpiſſando eo quoque, ſed rarius diſponit. 4.) Inter animi pathema-

ta mœror & triſtitia ſumma vid. E. N. C. *Dec.* 1. *ann.* 3. *obſi* 235. timor etiam & pavor ingens, unde meticuloſos frequentius adoritur & jugulat hic morbus: nec non terror, qui uti peſtis propagatæ cauſa eſt, ita etiam febrem malignam generandi aptus vid, *Act. Haffn. Vol.* 1. *Obſ.* 85. a quo terrore oborta etiam, ſi morbus præſto eſt, exanthemata facile diſparent. Præ aliis vero animi commotionibus illa, quæ ab ira excitatur, ad febres malignas diſponit; relatum mihi eſt, febrem petechialem, quæ ſub initium hujus ſeculi plurimos corripuit, hunc affectum plerumque prægreſſum eſſe.

§. XVIII.

Quinto in hunc cenſum etiam veniunt ſinceri ſanguinis excretiones ſive artificiales præprimis a longo tempore aſſuetæ & neglectæ, ſive naturales ſponte vel arte ſed male ſuppreſſæ, unde humores vitales non parum corrumpuntur, ſicque diſponuntur, ut miaſma malignum veluti fomes levi de cauſa arripiant. Sunt autem illæ fluxus menſtruus in ſexu ſequiore, hæmorrhoidum in viris, ſi ſubjecta inſigniter plethorica fuerint, præprimis vero lochiorum retentio aut impeditus ſucceſſus frequentiſſima cauſa eſt, ob quam puerperæ febri miliari ſæpius obnoxiæ ſunt, ſive refrigerationi corporis ſive etiam pellentibus fortioribus ad partum difficilem promovendum ſtrenue adhibitis aut aliis uteri affectionibus malis poſt partum originem debeat, vid. *Th. Willis de febr. c.* 16. *Exc. Stahlius Diſſ. de puerp. affect. Sect.* 1. hanc febrem directe inter puerperarum affectus male referri cenſet, ſed ſolum diſpoſitionem eſſe, qua poſita puerperæ uti ad omnes, ita etiam ad hanc febrem ſubeundam magis diſpoſitæ ſunt; additque in uno vel altero tantum loco ſeu regione morbum puerperis familiarem exiſtere; alii lochia obſtructa non tam cauſam, quam ſymptoma eſſe volunt. Sic & impedita ſeri excretio eo confert ob tranſpirationem & ſudorem cohibitum aut retropulſum & ab improvido regimine vel incongrua medendi methodo turbatum, eo potiſſimum tempore, quo corpus madore diffluit, & in iis qui ad eum valde proclives ſunt. Neque ſilentio prætereunda eſt excretionis hujus frequenter alternans viciſſitudo, nempe ſi quis ſudore nunc diffluit, rurſus alget, conſuetas evacuationes modo intermittit, mox iterum plus juſto iiſdem indulget. Purpuræ a fluoris albi cohibitione adſtringentibus inducta ortus ad rariora referri meretur. 6) Non minus experientia docet, remediis calidioribus & æſtuoſis in febre acuta adhibitis (bona quidem intentione, ſed mala executione materiam peccantem ab interioribus & nobilioribus partibus ad ignobiliores & externas expellendi) exanthemata noſtra provocari poſſe, tum in plethoricis atque cholericis in genere, tum etiam in ſpecie in puerperis, item ſi hæ a mulierculis ad largos ſudores plus una vice adiguntur, perſuaſis quamvis puerperam purpuræ experiundæ fato veluti deſtinatam eſſe, quam opinionem in Thuringia vigere *E. N. C. Vol.*

2.

2. *Obſ.* 146. docent, unde fit, ut concurrente humorum dyſcraſia ſerum vitioſum ad corporis peripheriam copioſius propellatur. Id quod de medicamentis modo dictum, de balneis æſtuantibus & ſæpius in uſum vocatis quoque valet. Quæ morborum metamorphoſes in praxi clinica haud infrequentes ſunt, dum nempe febres intermitentes in acutas & hæ æque ac catarrhales benignæ medicamentis volatilibus, ſpirituoſis imo & bezoardicis fixioribus ſæpius repetitis in malignas tranſmutantur, uti id multis proſequitur *Fr. Hoffmann Diſſ. de converſ. morb. benign. in malign. per imperit. medic.* & *Th Sydenham. ſched mon. de nov. febr. ingr.* invehitur in eos, qui *morbum ex ſua natura brevem facilemque in diuturnum & difficilem ruditer convertunt, omnia tumultu & metu conturbantes, & fluctus, quod aiunt, excitantes in ſimpulo*; quo ſenſu *Bagliv. l. c.* febres malignas frequenter methodi depravatæ ſobolem, non vero naturæ morbi eſſe recte docet. Recenſitis cauſis remotioribus ſeu prædiſponentibus a rebus non naturalibus deſumtis par eſſet ad res naturales & præternaturales ſeu morbos antecedentes, quæ pariter eo diſponunt, pedem promovere, inter illas referenda ſunt, temperamentum, ætas, ſexus, diſpoſitio naturalis, regio, cum in hac frequentior ſit, quam in alia; inter has cacochymia, plethora, lochia ſuppreſſa, febres acutæ male tractatæ aliique morbi; quia vero de his actum ſupra eſt, iis, ne nimium hæc tractatio excreſcat, non immorabor.

§. XIX.

Signa, e quibus de morbi magnitudine pariter ac ejus eventu judicium formare Medicus poterit, non minus probe attendenda ſunt, utut pariter admodum infida, dum & ægrum & adſtantes, imo frequentius Medicum ipſum fallunt. Etenim ſi in nullo morbo acuto, in hoc valet illud HIPOCRATIS velut e tripode dictum *S. 2. Aph.* 19. *acutorum morborum non omnino tutas neque mortis neque ſalutis eſſe prædictiones.* Multiplici quippe experientia edocemur, non paucos cum periculoſiſſimis ſymptomatibus præter omnium ſpem & exſpectationem evadere, alios e contrario, quibus ſalutem polliciti omnes fuerant, pacata etiam, uti prima fronte videbatur, ſymptomatum tempeſtate in ipſo veluti portu naufragium paſſos eſſe. Quare Medicus rebus ſuis optime conſulit, qui in reddenda prognoſi nunquam temerarius judicium ſuum ſuſpendit, utpote quam LAZ. RIVERIUS *Prax. Med. L.* 17. *c.* 1. adeo incertam pronunciavit, ut de eventu nihil certo conſtitui poſſit, idque eo magis, quo verius eſt, eandem æque ac reliqua hujus morbi indicia ratione ſubjectorum, cauſarum, ſymptomatumque multum differre. Sunt autem plurima eorum, quorum præcipua ea, qua fieri poterit brevitate tradam. Et primo quidem, quo mitiora primo aſpectu ſymptomata ſunt, & quo tolerabilius æger eſſe videtur, eo minus ſecuri eſſe debemus, quo magis vero hic de eorum moleſtia *Prognoſis.*

nem,

nempe doloribus ſpaſticis, laſſitudine &c. conqueritur, eo melior ſtatus non male judicatur, hinc recte Apinus *l. c. p.* 76. *malim*, inquit, *ego ſemper patientem querulum, quam nihil mali ſentientem.* Sic & aliqui apud nos per maximum morbi decurſum ſatis bene ſeſe habebant a ſymptomatibus gravioribus immunes mox præter omnium expectationem & abſque cauſa manifeſta ſubitanea morbi mutatio ægrum in deterrimum ſtatum conjecit & letho dedit. Quicunque priſtinam ſanitatem recuperarunt, robori fere naturæ, nec non exacto regimini leniter diaphoretico haud interrupto id debebant. Non inepte quadrat huc illud *Celſi de Med. L.* 7. *Proœm. poteſt dubitari, ſecunda valetudo Medicinæ an corporis beneficio contigerit.* Majus vero diſcrimen in imbecillitate ſive natura, ſive ex morbo, ſive alia de cauſa affectis, maximum in iis, qui genus nervoſum debile & ad ſpaſticos anomalos motus concipiendos proclive habuerunt, vid. Fr. Hoffmann. *l. c.* qui & chronicam periculi fere expertem, acutam diſcriminis plenam eſſe judicat. Sed & experientia multiplex comprobat, ſubjecta robuſtiora & vegetiora, ſucci plena, ſanguinea, in flore ætatis conſtituta plerumque fatis ceſſiſſe, qua de re legi meretur Gerbezii *meditatio de febr. petech. melioris conſtitutionis hominibus funeſtiore* in E. N. C. *III.* 4. *obſ.* 114. magis quæ acrioribus æſtuoſis remediis & calidiore regimine tractata fuere. Rarius etiam evaſere meticuloſi & de felici morbi eventu deſperantes. In genere miliaris alba ancipitis magis ſucceſſus & eventus eſt, quam rubra, gravioribusque ſymptomatibus ſtipata, gravior etiam in conſtitutione epidemica. Georg. Baglivus *accuratiſſimus Obſervator* febres lymphaticas omnium pernicioſiſſimas pronuntiat, præſertim ſi lympha nimium viſcida concretaque fuerit, qualem in noſtra fuiſſe ſupra §. 15. probatum ivi. De vita periclitabantur corpora minus perſpirabilia, aut quicunque pulmonum vel alius viſceris nobilioris labe laborabant, vel quibus diarrhœa critica intempeſtive cohibita fuit, quæ ſi non actu utilis nihil tamen vel parum periculi attulerat. In puerperis alvus cum torminibus fluxa nimis mala, in quibus etiam purpura periculo nunquam vacat, quia corpus a partu debilitatum & vires multum proſtratæ ſunt, vid. *Willis de febr. c.* 16. maxime in iis, quæ gravidæ V. S. neglexerunt; cur iisdem adeo maligna *Fr. Hoffmann l. c.* exponit.

§. XX.

Præterea mali præſagii erant pulſus frequentiſſimi, debiles, duri, inæquales, intermittentes, (niſi a natura tales fuerint) nec non naturali ſimiles; reſpiratio item laborioſa, parva & frequens, deliria continua & mentis abalienatio, etiam ubi ſermo cum iis inſtituebatur, lingua valde ſicca & aſpera, ſubſultus tendinum convulſionum prodromi, ipſi etiam motus convulſivi, ſitis implacabilis, nec non omnino deficiens, rubor & ferocia oculorum, caligo & ſcintillulæ velut igneæ obſervantes, tremulus

mulus manuum labiorumque motus mature ſe prodens & ingraveſcens vid. *Uratisl. Hiſtor. morb.* 1702. *p.* 41. Item uti ſudor profuſior præprimis in principio vires multum dejiciebat, congeſtione in capite & deliriis non parum auctis, ita calor ſiccus & madoris abſentia nihil boni de morbi eventu ſperare jubebat. Circa dies criticos vero paulo diffuſior prorumpens ſymptomatum ſævitiem mitigavit, vigore animi ſimul redeunte. Etenim *Fr. Hoffmann Diſſ. de febr. mal. petechiz. epid. Hal.* 1699. *graſſ.* §. 5. annotante, eos qui e periculoſiſſimo hoc morbo evaſerunt, mediante ſudore vel diarrhœa, vel utraque ſimul excretione a malo fuiſſe liberatos. Quod de ſudore modo dictum, id de urina quoque valet, quæ, ſi in principio effuſius prorumpit, aut perpetuus ad mingendum ſtimulus adeſt, malum, imo & largius lotii profluvium, ſi vel maxime criticum fuerit, reliquis criſeos ſpeciebus periculoſius judicat *Screta de febr. caſtr. S.* 1. *c.* 11. §. 6. Urina tenuis & ſine coctionis ſignis *Hippocr. S.* 4. *Aph.* 72. item quæ ſedimentum antea habuerat, circa diem criticum vero inſtar aquæ limpida evadit, vid. *Petr. à Caſtro de febr. lentic. S.* 3. §. 16. niſi potus in copia ingurgitatus fuerit; non minus ab initio morbi ſedimentum non adeo bonum eſt ac circa dies criticos. Neque ex urinis exploratum morbi indicium & judicium datur, efferebantur quippe, in quibus optima coctionis ſigna aderant, alii viciſſim qui crudas reddebant urinas, præter ſpem evaſerunt. Sanguis V. S. emiſſus quo magis ad ſtatum naturalem accedit, eo pejor, impenſe rutilantem, coccineum pauco cum ſero mortem denunitiare *Baglivus* Romæ obſervavit, cui ſuffragatur *Sim. Pauli Digr. de febr. mal.* §. 11. Corporis item inquietudo & jectigatio, papularum inconſtantia, quæ nunc diſparent, nunc rurſus erumpunt, aut a quacunque cauſa retrocedunt; quo citius etiam erumpunt, & quo pauciores elevantur eo pejus; febris pariter reliquorumque ſymptomatum mitigatio nulla eruptionem imo & exſiccationem inſequens. Quidam ſatis ceſſere in quieto corporis ſtatu, optima mentis conſtantia & cum promto & felici papularum egreſſu; non enim copia ſed qualitate & euphoria ægri æſtimandæ ſunt. *Hippocrates Coac. prænot. S.* 1. *aph.* 48. febres e præcordiorum dolore malignas eſſe, & ſoporem in his peſſimum judicat. Lachrymarum effuſio involuntaria, obmuteſcentia, agrypniæ, pavores in ſomno, decubitus in lecto gravior reſupinatus, divaricatis cruribus trunco deorſum ſedulo volvente vid. *Apin. l. c. p.* 76. nihil boni portendunt & *Fr. Hoffmann de febr. mal. epid. Hal. graſſ.* §. 11. rem maximi momenti, cujus nulla apud Authores mentio reperitur, inculcat, nempe ſi in malignis ægri diutius in erecta corpus teneant poſitura ſive ſurgendo ſive in lecto ſedendo morbi vehementia mirifice mox adaugeatur, ita ut mors brevi ſecuta fuerit. Status complicatus cum variolis aut petechiis ſimplici pejor, item purpura aliis morbis ſuperveniens e. g. hæmorrhoidum, menſium aut lochiorum ſuppreſſioni, metaſtaſi etiam facta in alios affectus tranſiens; febris miliaris eo periculoſior, quo graviores illi fuerint, id quod pluribus hiſtoriis proſe-

quitur *Hamilton faſc. hiſt. febr. mil.* Peſſimi etiam ominis ſunt involuntaria fæcum alvinarum & urinæ excretio ; ſingultus, ſudor frigidus, frigus extremorum dum interiora uruntur ; præprimis in puerperis, uti & abdominis tenſio atque durities inflammationis in utero fientis vel jam factæ indicium, & viciſſim extremorum æſtus frigoris ſenſu indabdomine percepto, floccorum collectio, linteorum convolutio aut aliæ actiones extraordinariæ manibus tentatæ, liquidorum in ventriculum delapſus veluti profundior murmure & borborygmo mox ſuccedente ; eos, quibus ab initio vermes per os prodiere in febre petechiali omnes fere extinctos eſſe *Ramazzini loc. ſupr. citat.* annotavit. Inter peſſima etiam auguria ponit *Petr. à Caſtro* ; ſi remedia in principio neglecta ; & *Screta l. c.* quod a juvantibus deſumitur ; ſi veſicatoria non operantur, & cutis a cantharidum applicatione ſicca manet aut elevatis veſiculis nigra comparet.

§. XXI.

Aliquam ſalutis ſpem pollicebantur ſigna modo deſcriptis contraria ; papularum facilis & copioſa ; eruptio in ultimis etiam extremitatibus die ſeptimo vel etiam tardius facta, ſubſequente & perenniante euphoria (in quibus vero dorſi fines non tranſiliere, plerumque perierunt) neque feſtinanter propulſa exanthemata ſed ſenſim prodeuntia neque inconſtantia. Auditus difficultas, circa dies criticos vid. *Bagliv. Prax. l. c. Apinus l. c.* §. 45. *Riverius* omnes, quibus in ſtatu obſurdeſcentia ſupervenerat ; evaſiſſe teſtatur. Lingua humida ; ſigna coctionis die quarto in urina apparentia & ſubſiſtentia *Hipp. S. 4. Aph.* 71. In puerperis lochiorum ſuppreſſorum recurſus. Sudoris aut urinæ excretio copioſa circa dies criticos ; aut diarrhœæ acceſſus ſine torminibus ; uti obſervatum in noſtra febre fuit ; alvi fluxu non immodico affectos tolerabiliores fuiſſe iis ; quibus eadem obſtructa erat ; uti & *Exc. Kramerus l. c.* difficilius decubuiſſe eos perhibet, qui iſtam non experiebantur ob materiam malignam interioribus firmius inhærentem. *Henr. Screta l. c. S.* 1. *c.* 11. quatuor ſigna, ad quæ præ aliis attendendum Medico eſt, exhibet, ſcilicet reſpirationem facilem, pulſum æqualem, promtam ſudoris cum levamine eruptionem & ciborum atque potus appetentiam non penitus dejectam, nec nimis auctam. Denique probe tenendum, quod *Uratisl. Hiſt. morb.* 1699. *p.* 8. ſuffragante experientia inculcant, nempe unum e ſignis parvum multis ſignis bonis anteferendum eſſe & in enecando ægro plus virium habere quam plura ſimul bona in eo liberando. Quoad morbi eventum plerique die nono, aliqui ſeptimo, plures decimo quarto in melius mutati vel interierunt. Quo vehementior fuerat morbus in principio, eo citius terminabatur, quo remiſſius vero ejus initium, eo diutius is protrahebatur, teſte *Th. Willis de febr. c.* 9. Plerumque non intra quatuordecim dies finiebatur morbus, ſed utplurimum ad vigeſimum primum imo & ultra extendebatur, præſertim in iis, quibus nova puſtula-

rum

rum epigeneſis facta eſt. Quod ſi criſis in lunæ mutationes inſigniores inciderat, in ſummum vitæ diſcrimen conjecti maxime ſenſibiliores morbo utplurimum occubuere, imo & extra dies criticos ejuſmodi phaſes omnia exacerbarunt. De lunaris ſideris effectibus vid. *Ramazzini l. c. p.* 70. ubi & febrem, quam deſcripſit, epidemiam, poſt plenilunium & ſilente luna magis ferociiſſe perhibet. Ob verſipellem indolem ſuam ſtatis diebus indicibus criticisque difficulter includi notavit *Screta l. c.* §. 3. *c.* 5. quamobrem ſcrupuloſiores horum dierum obſervatores eſſe haud debere Medicos monent *Uratisl. l. c. p.* 14. Quos jugulavit hæc febris, vel inter deliria atque convulſiones diem obierunt, vel ſine ejuſmodi motibus lipothymia correpti placide expirarunt. Qui e contrario cum ſanitate in gratiam redierunt, poſt decimum quartum diem melius habuere, ſed vires tum mentis tum corporis ſuperato etiam morbo tardius recuperarunt, & nonniſi intra plures hebdomadas ſanitati priſtinæ reſtituti ſunt.

§. XXII.

Quod tandem curam, in qua cardo rei ſita eſt, attinet in genere monendum eſſe duco (1) medelam in morbo adeo periculoſo non procraſtinandam eſſe, ſed quantocyus auxilium ægro ferendum, ſi nempe illud expoſcit, ſed quando quæſo recurſus ad verum, prudentem & conſcientioſum Medicum ſumitur? nonne demum poſt vulneratam cauſam, morbum ſcilicet protractum & fere adultum factum, vid. *Miſcel. Uratisl. Tent.* 15. idque eo magis, quo magis morbus in incunabulis malitiam ſuam levibus ſpecie ſignis occultat, nihilque præter laſſitudinem & languorem præ ſe fert, & ubi altas jam in corpore radices egit, ſymptomataque multum invaluere, nullus amplius vel exiguus medelæ locus eſt, multique ægri culpa ita ſua pereunt. Uti autem cunctandum non eſt, ita etiam nihil præcipitanter agendum, ſed caute & circumſpecte omnia ſuſcipienda, quia levis etiam error initio commiſſus toto morbi decurſu vix reparatur, (2) leniſſimam methodum & regimen quam maxime temperatum conducere, & omne exceſſivum in regimine pariter ac medicatione, ſanguinis ebullitionem atque orgaſmum excitans multum nocere, dum morbum, qui in motu ſanguinis aucto conſiſtit, pejorem in ſtatum conjicit, & ſtagnationes ſtaſesque imo & inflammationes citius infert, (3) magno remediorum apparatu præſertim circa dies criticos ægrum non eſſe obruendum, utpote quorum farraginem æque ac varietatem potius obeſſe quam prodeſſe compertum eſt; quo pauciora & ſimpliciora remedia præſcripta fuere, eo certius citiusque ægri evaſerunt, (4) rationalem atque ſollicitam medicamentorum ordinationem, uti in aliis ita etiam in hac febre omnem fere paginam abſolvere, ita quidem ut exacerbationis ratio maxime habeatur & remedia verſus paroxyſmos dirigantur, urgente æſtu temperantibus inſiſtatur, miteſcente illo & ſudore *Methodus medendi generalis.*

prorumpente lenia diapnoica propinentur, rebus tranquillioribus exiſtentibus ſudorem promoventia non æque nec multum repetantur (5) ſedulo inquirat medicus in morbi indolem; cujus diſſimilis adeo facies eſt, & pro anni, ſubjecti epidemicæque conſtitutionis conditione alium habitum induit, proinde neceſſe eſt, ut genium ejus ſymptomatumque naturam probe expiſcetur, eorumque naturæ curam accommodare ſtudeat. Veriſſimum enim de his febribus eſt, quod *Th. Sydenham S.* 1. *c.* 2. de continuis generatim ex multiplici obſervationum fide compertum habuit; ſcilicet illas ita toto, quod aiunt, cœlo differre, ut qua methodo currente anno ægrotos liberaveris, eadem ipſa anno jam vertente forſan e medio tolles. Documenti loco allegare lubet diarrhœam, quæ præjudicium morbo quandoque affert, interdum critica eſt & ſalutaris, nunc abſque periculo haud compeſcitur, alio tempore cum ægri emolumento cohibita. *Exc. Stahlius l. c.* febrem epidemicam petechizantem, de qua agit, primo ſine omni medicatione 2) cum medicatione leni; 3) cum medicatione tumultuaria & imperita aliter ſe habuiſſe obſervavit.

§. XXXIII.

Indicationes curativa. Jam ut propius ad rem accedam; ad quatuor potiſſimum indicationes in morbo hoc curando reſpiciendum eſt, ut (1) materia peccans corrigatur diluendo, attenuando & temperando atque ad ſecretionem faciliorem diſponatur, (2) quæ præcipua indicatio eſt, prævia ejus præparatione excretio citra inſignem humorum commotionem per habitum corporis juvetur atque promoveatur, (3) ſpaſticæ fibrarum ſtricturæ relaxentur; (4) ſymptomatibus gravioribus & vere urgentibus absque tamen affectus primarii præjudicio obviam eatur, & quantum poſſibile vires conſerventur. Priusquam hiſce ſcopis ſatisfiat, præſidia artis univerſalia, heroica alias dicta, præmittenda certis ſub cautelis ſunt. Quo intuitu primæ viæ a ſarcina ſua liberandæ ſunt; ſed quæritur, an, quando & quæ vel emetica vel laxantia medicamenta locum habeant? *Seb. Aliſcher Med. Jaurin.* eorum methodum improbat, qui nihil aliud agunt, quem ut ἄνω & κάτω evacuantia atque V. S. in ejusmodi morbis ſuadent & imperant, vid. *Miſc. Uratisl. Tent.* 15. *p.* 140. & *Sileſius Anonymus reſp. de meth. hact. uſit. febr. mal. cur. abſque purgatione, vomitu atque V. S.* vid. *ibid. p.* 142. ubi *Ortlobii Prof. quondam Lipſ.* judicium annectitur, qui in omnibus malignis a purgatione & V. S. abſtinendum eſſe putat. Sic & *Onuphr. Bonfigli Diſſ. de abuſ. cur. febr. malig.* eos reprehendit, qui in principio iſtorum morborum purgantia propinant. Alii eadem concedunt, non vero indiſcriminatim, ſed certis ſub cautelis, ita *Sydenham ſched. monit. de nov. febr. ingr. p.* 655. *in hac*, inquit, *aut alia quavis febre epidemica ſtatutum mihi eſt, alvum non turbare in principio morbi ſtatuve niſi V. S. præmiſſa*, & *Hamilton* illa raro admittenda eſſe judicat, niſi grande aliquod ſymptoma indica-

indicaverit. Quod ſi ergo ſuſpicio eſt ſaburram vitioſorum humorum a diætæ erroribus contractam in primis viis hoſpitari, aut malum contagio deberi & miaſma in ventriculo adhuc dum hærere, ſi porro nauſea, gravitas & repletio ſtomachi cum magna pectoris anguſtia conatuque vomiturienди præcipue in phlegmaticis aut melancholicis robuſtis animadvertitur, uti *Hiſt. morb. Uratiſl.* 1699. *p.* 10. volunt, remedium ἄνω purgans cum euphoria datur, ſed nonnisi in morbi inſultu, primis 24 ad ſummum 48 horis, quo tempore non modo proficuum ſed & neceſſarium illud eſſe experimur. *Exc. Gundelsheimerus in Act. Berol. Dec.* I. *vol.* I. §. I. ſancte aſſeverat, primo vel ſecundo ſtatim ab acceſſione die datum vomitorium plures febre petechiali decumbentes ſtatim iterum ad orthoſtadiam relevaſſe, & in E. N. C. *III.* I. *obſ.* 19. petechialis epidemia emetico præcipue curata refertur. Valet hic illud: in principio ſi quid movendum, move, poſtea vero quieſce. *Quod ſi vero principium negligas*, verba ſunt *Apini loc. ſupr. citat. & præceps illud temporis, in quo juvari potuiſſet momentum, emetica cane pejus & angue fugienda*; rem enim in ſummum adigunt diſcrimen & naturam jam proſtratam certiſſime enecant, idque eo magis, quo certius eſt, hanc febrim ſibi relictam lenem eſſe & ab omni commotione vehementiore liberam. Quare conſultius duco illud omittere morbo ad aliquot dies protracto & viribus jam fractis, ne anxietates cardialgicæ augeantur ægrique vires magis dejiciantur. Quocunque autem tempore datur emeticum, lene illud ſit atque tutum. *Act. Berol. l. c.* vitriolum album in aqua calida copioſa ſumtum commendant, magis conducere videtur pulvis decantatæ illius rad. Ipecacuanh. c. tart. emet. gr. j. aut ſal. abſynth. gr. iij. acuatæ. Supra laudatus *Helvetius* eam in morbi etiam decurſu ad tria, quatuor aut quinque grana ptiſana ſolutam quavis hora tertia exhiberi ſuadet, eum in finem, ut humores viſcidi reſolvantur alvusque ſollicitetur, forſan etiam quia virtute alexipharmaca gaudet. *Vomitoria.*

§. XXIV.

Quod de vomitoriis modo dictum, de iis, quæ per alvum purgant, quoque valet, nempe illa nonniſi ſub initium morbi danda, eorumque uſum, monente *Mercato*, in tertium ad ſummum diem procraſtinandum. Verſus dies criticos atque exanthematum eruptione jam facta eadem præſcribere religioni ſibi ducat Medicus, quia iſtis nil temere movendum, nec natura in opere ſuo turbanda. Equidem ſunt, qui illa æque ac emetica omnino proſcribunt, ea ratione inducti, quia naturæ intentioni contrariantur, materiam peccantem, quam illa per corporis peripheriam eliminare conatur, ad centrum propellendo, tum etiam quia his malignitas, quæ M. S. ſubiit, haud tollitur. Quod ſi vero in primo principio propinantur, metus hic abeſſe poteſt. Neque dentur, niſi manifeſta cacochymia præſente, aut ſaburra vitioſorum humorum in primis viis ſtabulante, *Purgantia κάτω*

quæ, quia pro hodierna vivendi ratione plerumque præſto eſt, non facile prætermitti poſſunt. Exulent vero, ſi quæ adhibere conſultum videtur, draſtica, reſinoſa aliaque acria, ſed illa tantum in uſum vocentur, quæ alvum non tam proritant & ſtimulant, quam potius leniter ſolvunt atque ſollicitant, nempe leniora imo leniſſima e manna rhabarbaro ejuſque tinctura, ſal. catarct. am. magnes. alb. parata conf. *Hiſt. morb. l. c.* in puerperis pilul. Becch. A quibus eo minus ſiniſtri quid pertimeſcendum, quo magis obſervatum, diarrhœas abſque morbi præjudicio concurriſſe, aut ſi forſan metus eſt, ne exanthematum eruptio impediatur aut regresſus inde fiat, mercur. dulc. grana aliquot miſceantur, ſuadente *Gælicke Diſſ. de febr. veſicul.* Ad inteſtina eluenda quoque conducunt clyſteres, quos adhibere & imperare haud dubitet Medicus; quia ægri alvum lubricam facilius ferunt, quam adſtrictam; hinc ſupra laudat. *Gælicke Diſſ. cit.* §. 24. confidenter aſſeverat, inter omnes febres exanthematicas nullam eſſe, quæ alvum liberam ac ſubinde laxiorem æque bene ferat ac purpurata & quidem alba facere conſuevit abſque retroceſſionis periculo; qua ratione etiam motus *Hochſtetterus* & cum eo *Riverius* iſtos per totum morbi decurſum non obſtante alvi fluxu deprædicat ad materiam viſcidam bilioſam acrem educendam. Eodem vero modo comparati eſſe debent, quo purgantia, ſcilicet non irritantes aut ſtimulantes neque laxantes ſint, ſed lenientes, emollientes, demulcentes, multum oleoſi e juſculo carnis decoct. hort. ol. amygd. d. nitr. aut ex aq. pluv. & butyr. abſque ullo ſale, de quorum enematum demulcentium & blandiorum uſu prorſus innocuo in febribus hiſce notabili euphoria ſubſequente vid. *Comm. Lit. Norimb.* 1735. *hebd.* 8. & *E. N. C. Cent.* 3. *Obſ.* 16. Sunt autem injiclenda juxta *Cel. Hoffmann.* tempore matutino & ſub ſymptomatum remiſſione, melius forſan poſt meridiem tribus vel quatuor horis ante exacerbationem ad impetum ejus infringendum. Suppoſitoria ſi arrident, e butyro recenti & ſale parari poterunt.

Enemata.

§. XXV.

Venæ ſectio.

E fonte chirurgico ad evacuantia univerſalia pertinet V. S. de cujus adminiſtratione & uſu magis quam de ullo alio remedii genere Practici Clinici in diverſiſſimas opiniones abeunt, aliis eandem multum extollentibus, aliis vero penitus proſcribentibus, quorum nomina, ne dicam, argumenaa hic recenſere longum nimis foret. Sunt qui illam commendant non ſolum in principio morbi, verum etiam in augmento, imo & exanthematibus jam apparentibus adminiſtrari jubent, vanum illum metum eſſe rati, miaſma a corporis peripheria hac ipſa ad interiora invitari, cujus opinionis eſt *Porchon Medicus Gallus tr. de purpur. morbill. & variol.* Sæpius laudatus *Hoffmann l. c.* recitat caſus in puerperis, qui illam præcipiunt, eaque facta eruptionem expedite & cum levamine ſuccedere probat; alii

alii contendunt, virium proſtrationem, congeſtiones ad caput & fauces, inflammationes imo mortem ipſam uſum ejus ſubſequi, & ne quidem ad ſymptomata urgentiora, reſpirationem difficilem, præcordiorum anguſtias mitiganda iſtam ſuadent. Iterum alii V. S. ſi non ſumme noxiam, ſaltem inutilem & ſupevacaneam, nedum neceſſariam, ſæpius autem lethalem eſſe pronunciant, uti *Stahlius Mens. cit.* conf. *Miſc. Uratisl. Tent.* 15. *p.* 143. *Williſius* vult *P. II. S.* 3. *c.* 1. ſanguine detracto ſpirituum penum diminui, proinde uti omnia in diſſolutionem exitialem tendere, & *Ambr. Paræus Oper. L.* 21. *c.* 24. anno 1565. quo peſtilentiales morbi toti fere Galliæ incubuere, omnes, quibus ſanguis liberalius detractus aut corpus validius purgatum deterius habuiſſe tandemque interiiſſe refert, id quod de peſte Noviomagenſi confirmat *Isbr. Diemerbræck de peſt. l.* 3. *c.* 3. Idem ſentit ſupr. laudat. *Kramerus l. c.* aſſerens, febrem malignam in caſtris ad Rhenum graſſantem V. S. non tuliſſe, ſed ægros ab illa in reiteratas invaſiones ipſamque mortem præcipitatos, quod in *Conſil. Med. Heidelbergenſi* confirmatur. Hanc de ſanguinis miſſione controverſiam pertractarunt *Uratislav. Hiſt. morb.* 1699. *p.* 9. memorantque in illis, qui proprio conſilio, uti non raro fit, venam ſibi pertundi fecerant circa dies criticos congeſtiones ad caput, deliria phrenitica, anginam, convulſiones obſervaſſe Helwighium. Quia ergo morbi eventus ſymptomatumque apparatus pejor phlebotomiæ vel neglectæ vel etiam celebratæ imputari ſolet, magnam circumſpectionem in illa decernenda adhibeat Medicus, uti *Apinus l. c.* §. 38. ſerio hortatur. Illam ſuadere mihi videntur (1) ſubjectum inſigniter plethoricum (2) evacuatio hæc a longo tempore aſſueta (3) morbus in tempus æquinoctiale, quo alias facta fuit, incidens (4) major febris præſentia quam malignitatis ſuſpicio (5) ſtatus ſanguinis ad coagulationem magis quam reſolutionem vergens, (6) hæmorrhagia præſens aut inſtantis metus, (7) inflammationis fientis aut jam factæ indicium, ad quam utpote crebrius imminentem avertendam adeo commendavit Ill. Helvetius, (8) morbus ſub pleuritidis aut peripneumoniæ larva incedens (9) evacuationes ſanguinis naturales ſuppreſſæ & artificiales ab aliquo tempore neglectæ. Quod ſi vero illa e re eſſe ducitur, fiat in prima morbi acceſſione & quidem largior, ſi æſtus febrilis malignitati, parcior, ſi hæc illi præpollet, uti *Menjotus Diſſ. Pathol. I.* recte diſſerit; item ſi inſtituta illa fuerit, regimem diaphoreticum paulo curatius ſubjungatur.

§. XXVI.

Ea vero abſtinendum eſſe puto, ſi quando vires multum exhauſtæ vacillant, utpote a quarum lapſu malignitas æſtimanda; item in morbi progreſſu, maxime circa dies criticos, etiam poſt eruptionem papularum, quia tunc habitus cutis laxior eſt & tranſpiratio liberior, non minus ſi copioſi ſudores urgent, denique ubi malignitas magna eſt, quia illa tunc potentius

do-

dominium acquirit. Non adeo neceſſaria etiam eſſe videtur, quin potius noxia, ſi non tam copia & viſciditas ſanguinis ad coagulationem tendens quam ipſius reſolutio cum ſumma virium deperditione urget. Hinc meo judicio *Steph. Piccolus Med. Veron. exam. venæſ. & purgat.* recte ratiocinatur *diſtinguendo prudenter & urgentia indicantia & momenta horaria ipſa & gradum malignitatis aliaque, nec abſolute concedens, nec ſimpliciter eandem denegans, ſed dexteritati Medici cuncta relinquens.* Revera enim pro morbi indole & ægri idioſincraſia in his utilis eſt: in aliis funeſta V. S. Si quid ergo in re tam difficili definire licet, ſalvo aliorum melius ſentientium judicio arbitror, in noſtro affectu, in quo ſanguinem coagulatum magis quam reſolutum, lympham etiam lentam & viſcidam ſtabilivi, ſanguinis miſſionem certis ſub cautelis adminiſtratam non modo non noxiam, quin potius utilem extitiſſe, quo ſenſu etiam *J. White Med. Anglus* eam ſuaſit, quatenus febrium malignarum cauſam, quæ plethora eſt, indeque pendens lentor & humorum viſciditas, removet. Ut taceam, eandem ad inflammationem præ occupandam fere neceſſariam fuiſſe. Denique extra omnem dubitationis aleam poſitum non eſſe volunt aſſertum illud tralatitium, hanc evacuationem a circumferentia ad centrum revehere miaſma jam expulſum vid. *Septalius Animadv. L.* 5. §. 35. *Sydenham. Oper. p.* 178. *edit. Lipſ.* Et ſi ab hæmorrhagia narium ad V. S. argumentari licet, uti fecit *Klaunig.* in E. N. C. *Cent.* 5. *obſ.* 63. cataſtrophen illam non adeo inde metuendam quis crederet, quod ipſum nonniſi de illo caſu, in quo malignitas magna non eſt, valet, vid. E. N. C. *III.* 1. *obſ.* 138. Quia vero purpura alba, ſuffragante experientia, præ aliis exanthematicis inſtabilis eſt & crebro atque celeriter retrocedit, vix a me impetrare poſſum, ut huic aſſerto ſubſcribam.

§. XXVII.

Veſicatoria Veſicatoria quidem delirio profligando ſoporique diſcutiendo adeoque ſymptomati urgentiori dicata ſunt, quia vero etiam ſerum, humorem univerſalem ad loca, quibus imponuntur invitant, quædam hic loci de eorum uſu afferam. Horum efficaciam tantum non omnes Practici Clinici uno ore & communi ſuffragio laudant, moti forſan authoritate Hippocratis, qui in febre acuta oborto in ſuris dolore graviora conticuiſſe deliria memorat. Præ aliis *Borellus, cent.* 1. *obſ.* 40. *Borrichius Act. Hafn. Vol.* 3. *obſ.* 44. *Dav. Hamilton l. c. c.* 6. & *Helwich E. N. C. III.* 7. & 8. *obſ.* 132. non obſtante aſſerto *Roder.* à *Fonſeca* hoc remedii genus calorem, vigilias & deliria intendere affirmantis, item *Baglivi Diſſ. de uſ. & abuſ. veſicant. c.* 2. *delirantes*, inquientis, *ab uſu veſicantium plures mortuos vidimus quam ſanatos*; teſte etiam experientia in nonnullis dolorem & ardorem intenſiſſimum excitarunt, ſupervenientibus convulſionibus vid. E. N. C. *II.* 9. *obſ.* 131. Verum hos uti & alios ſiniſtros eventus, quorum modo cita-

tus

tus *Baglivus* l. c. meminit, idioſyncraſiæ aut intempeſtivæ applicationi adſcribendos eſſe cenſeo. In febre noſtra miliari eo magis commendanda erant, quia notabiles congeſtiones ad caput ſoporem inferentes complicatæ fuerant, ſcopo evacuatorio ſimul ac revulſorio, ut ſcilicet ſerum partim evacuetur, partim a capite derivetur. Locus, cui applicari ſolent, eſt utraque ſura tibiæ primum, poſt in nucha, aut quod melius inter ſcapulas, quod præſentaneum in multis effectum edidiſſe a Parente meo didici. *Hamilton* eadem pone aures, brachiis femoribuſque, alii ulnæ parti internæ, carpis manuum, imo & natibus applicari jubent, ſed minore plerumque cum ſucceſſu. Sint etiam, quod bene notandum, ſolito majora & ſatis ampla inprimis inter ſcapulas palmæ latitudine & ſpithamæ longitudine; nec non diutius aperta ſerventur, nempe per quatuor, ſex vel plures dies, ut ſuppurent & multum humoris evacuetur, ſuperimpoſito unguento digeſtivo, uti optimo conſilio id ſuadet *Ill. Helvetius*. Parari poſſunt e pulv. catharid. empl. de melilot. cum pauxillo balſ. peruv. Quod ſi duobus in locis apponenda, juſtum intercedere intervallum debet, poſtquam ulcus prioris exſiccatum fuerit, neque eorum uſus ultra primi ſeptenarii decurſum protrahatur, multo minus circa aut in diebus criticis adhibeantur, aut quod *Comm. Lit. Nor.* 1734. *hebd.* 14. bene annotavit, ut criſi ſe manifeſtante removeantur, licet nullum adhuc effectum præſtiterint. Non minus cito & mature in uſum vocentur, priuſquam deliria ejuſque indicia ſe manifeſtarint, tunc enim iſta vel præcavent vel ſaltem mitiora reddunt. Sed & hic æque ac circa purgantia & V. S. cautelis opus eſt. Minus conveniunt in regione calidiore, in ſubjecto inſigniter plethorico, æſtuoſo & ſucci pleno, vaſorum depletione prius non facta, item cholerico, in quo immanem dolorem excitant; in macilentis & valde gracilibus, lingua multum arida exiſtente, in conſtitutione ſanguinis acri & colliquativa, quæ in diatheſi ſeri aut lymphæ craſſa & viſcida maxime proſunt, ſi mente abalienati & immoti plane jacuerunt ægri. Denique non prætermittendum eſt certiſſimum ab operatione veſicatoriorum ratione eventus morbi prognoſticum, quod ſi enim torpent nihilque ſeri educunt, robore naturæ fatiſcente mortem in propinquo eſſe metuendum. Præterea non infimi ſubſellii Practici ad ſudorem promovendum & exanthemata ad corporis ambitum propellenda magnifaciunt frictiones in variis corporis partibus adminiſtratas, nec non cucurbitulas tum ſiccas tum ſcarificatas in quibus maximam ſpem & fiduciam collocaſſe, quod a V. S. abhorruit, vulgus Italum memorat *Ramazzini l. c.*

§. XXVIII.

Primam nunc indicationem adimplent remedia corrigentia & ſecretionem materiæ peccantis promoventia; obtinetur hoc præparantibus ſic dictis nempe digeſtivis, abſorbentibus, diluentibus cum nitroſis in principio adhi- *Prima indicatio.*

bitis; ſalia media neutra dicta, quæ alias in malignis raro ſuadentur ad ſanguinis & lymphæ lentorem reſolvendum præſente etiam diarrhœa mitiore non diſſuadenda, vid. *Kramer. l. c.* hinc pulv. bezoard. ſeu temperans uſitatus e tart. vitriol. nitr. conch. præp. antim. diaph. &cinnab. ſingulis 4 vel 6. horis propinandus primis maxime diebus eſt. Infuſa calida theiformia e radicibus, herbis & floribus anticatharralibus temperatiſſimis eundem ſcopum reſpiciunt. Quidam ſpecifice laudant marum, & *Kanoldus* rad. olſenitii, quia, uti volunt, lympham ſpiſſam egregie attenuant; non vero liberalius aut nimis calida dentur, ne ſudor nimium moveatur, adeoque ſerum plus juſto exhauriatur; locum habent paroxyſmo miteſcente, quo tempore natura ad ſudorem maxime diſpoſita eſt, non neglecto potu ſufficiente ſed diluente & humectante, de quo infra. Sunt qui etiam ſerum lactis dulce prodeſſe credunt. Secundum vero & præcipuum curæ momentum in eo conſiſtit, ut materia orgaſtica aliquatenus præparata ad externum corporis habitum tempeſtive expellatur; abſit vero ut alexipharmaca illa & bezoardica calidiora, multo minus ſpirituoſa volatilia, efficaciſſima alias remedia commendem, quippe quæ ſanguinem & humores quoſcunque exagitant & congeſtionum inflammationumque cauſa evadunt, tum & anxietates & præcordiorum anguſtias intendunt, hæmorrhagias, deliria, convulſiones aliaque ſymptomata provocant, unde fit, ut teſte *Baglivo l. c.* iisdem *periculum, quod præcavere volumus, advocemus & augeamus*, inprimis ſi regimen ſudoriferum acceſſerit. Intentio quidem bona eſt, nempe malignitatem prompte expellendi, verum ab altera parte ob orgaſmum, quem ſuſcitant & augent, plus nocere illa quam prodeſſe experientia compertum eſt. Oleum quippe igni addunt, ſudorque copioſus & vi propulſus vires multum proſternit, quo facto natura circa dies criticos fatiſcit. Ut taceam, illa ipſa initio morbi acuti non maligni (quo valde ſuſpecta eadem eſſe *Ramazzini l. c.* judicat) uti exanthemata haud raro generare, ita in malignis eadem vi expellere & inconſtantia reddere, ut mox retrocedant, mox iterum appareant. Hinc *Cel Hoffmann. l. c.* experientia edoctus affirmat, *ingruente primum hoc morbo omnes fere ab alexipharmacis calidis æſtuoſo regimine juncto periiſſe*, imo & ea præſervationis gratia ſumta cum ſudoris regimine corpus ſimili contagio infeciſſe, & *Th. Sydenham* l. c. p. 631. ita inquit: *Medici ſe ad uſum cardiacorum & alexipharmacorum neſcio quorum ſe contulerunt, quo ſcilicet per cutis poros expellant, quod ſomniant, venenum: ex quo factum, ut regimen calidiſſimum methodumque huic parem iis morbis adaptaverint, quæ frigidiſſima tum remedia tum regimen præ cæteris poſtulabant.* Non minus *Ged. Harveus Tr. de vanit. Medic.* diaphoreticorum nempe activiorum uſum ante declinationem materia nondum cocta interdicit.

Secunda indicatio.

§. XXIX.

§. XXIX.

Equidem fateor, non tantum damni quin potius auxilii paulo activiora afferre in ſubjectis phlegmaticis & ſegnioribus, aut quibus potus ordinarius cereviſia vel aqua eſt, item in quibus calor febrilis mitior & malignitatis ſuſpicio major, pulſus etiam languidior exiſtit, nec non deferveſcente exacerbatione, quo tempore ſudor ſeu mador paulo copioſior conducit, præprimis ſi exanthemata a quacunque etiam cauſa retroceſſere, tunc caute & moderate data cumque analepticis maritata opem ferunt, aut ubi criſis inſtat & naturæ motus paulo languidiores obſervantur. Quod ſi vero ſine diſcrimine ſubjectorum, temporis, morbi &c. liberalius propinantur, verſus etiam & in paroxyſmo plus utique nocent quam proſunt. Magis autem proficua & commendanda ſunt bezoardica ſic dicta fixa cum lenibus diapnoicis & abſorbentibus vel ſolis vel acido vegetabili ſaturatis terreis, alcalinis fixis maritata, quales pulveres alexipharmaci plures in officinis pharmaceuticis proſtant, nempe Sennerti, Wedelii, Rollwagii, Ludovici, pannon. r. in forma pulveris vel cum aquis deſtillatis diapnoicis C. B. C. M. ſcorzon. fl. ſambuc. ſcord. galeg. ſcabioſ. propinata add. aq. C. C. citr. Circa quos vero notari velim, adſtringentia, quæ illos ingrediuntur, non omnino tuta eſſe, adeoque nonniſi correctos convenire. Exulent ergo terr. ſigill. bol. or. corall. r. &c. vel quia poros cutis conſtringunt, vel diarrhoeam cohibent, quæ ſi nimia fuerit, locum aliqualem habere poſſunt. Abſorbentibus addantur antim. diaph. bez. miner. ceruſſ. antim. rad contrajerv. ſerpentar. Virg. regul. antim. medic. nitroſis parca ſed repetita doſi additis; quæ nitroſa diarrhoeam in forma pulv. non tam excitant quam in mixtura, cui ſurperbibitur; nihilominus in purpura alba maligna ſi refrigerationes externæ cum æſtu ſubinde intercurrente præſto ſunt, iis plane abſtinendum putat *Hoffmann*. In caſtris pulvere pyrio ob nitri ſulphuriſque miſcelam non male utuntur. *Hamilton* pulverem ſuum e chelis cancror. compoſitum mire laudat. Mixtura ſimplex ſumma cum cautela adhibenda, nempe in phlegmaticis, ſi natura in expulſionis negotio tergiverſetur aut minus activa eſt, aut materia expulſa retroceſſionem minetur; aut in declinatione morbi, eaque correcta ſpiritui theriac. camph. eſſentiam alexiph. Stahl. temperatam ſubſtituendo.

§. XXX.

Ad orgaſmum nimium temperandum conveniunt (1) acidula ſeu blanda acida præcipue in ſubjectis ſanguineis, magis vegetabilia quam mineralia, utpote quæ plus inſpiſſant & coagulant, nempe acidum citri, quod tanquam ſpecificum in morbis malignis commendari meretur, ſyr. acetoſ. citr. de tot. citr. tab. e ſucc. citr. ſucc. citr. granat. acid. ceraſ. acid. berber. rib. oxyſacch. ſimplex c. ſubc. granat. acid. acetum vini à Dioſcoride

de laudatum vel aquis diapnoicis vel julepis vel potui ordinario permixta, quorum uſum in ſimili epidemia jam familiarem *Maur. Hoffmanno* fuiſſe docet *Comm. Lit. Nor.* 1735. *hebd.* 5. noxium vero proſcribit *Hamilton l. c.* Sunt autem illa ipſa parca manu & cum grano ſalis danda, ne humores magis incraſſentur, circumſpectius ſi diarrhoea urget aut labes pulmonum ulceraſcens concurrit; ad hæc refer tincturas flor. cum phlegm. vitriol. paratas, quæ uti in variolis, ita quoque in his febribus valde proficuæ ſunt, (2) julepi refrigerantes & uti modo dictum aciduli, inter quos commendari meretur maxime ille, qui e floribus, ſpirit. nitr d. conſperſis per infuſionem paratur additis ſucc. citr. ſyr. rub. id. & granat. acid. ſimilem fere deſcribit *Screta l. c. ſ.* 3. *c.* 19. (3) emulſiones dilutiores & multum ſaccharatæ è ſem. card. ben. card. mar. citr. & in eruptione minus felici ſem. nap. aquileg. cum aquis temperantibus & lenibus diapnoicis paratæ additis abſorbentibus. Sed & circa horum uſum cautela opus eſt, ne cum acidulis uno tempore adhibeantur nec nimis largiter dentur ob majoris ſpiſſeſcentiæ metum (4) ad æſtum ſanguinis compeſcendum, ſimul etiam lympham ſpiſſam reſolvendam quoque faciunt cinnabarina, e. g. cinnab. nat. & antim. ſpecif. ceph. Mich. quorum virtutes divinas extollunt *Vratisl. Hiſt. morb.* 1699. *p.* 12. (5) nitroſa, ſi non omnem paginam, præcipuam tamen obſolvunt, parcis ſed repetitis doſibus data, & cum ſupra nominatis maritata. Spaſticæ fibrarum nervearum ſtricturæ, circa quam tertia indicatio verſatur, relaxantur pulveribus antiſpaſmodicis, quos cinnabarina & nitroſa modo laudata ingrediuntur, infuſis item calidis theiformibus, nec non emulſionibus, julepis, quarum omnium mentio ſupra jam facta eſt; idem quoque præſtant humectantia alia nempe potus diluens, attenuans ſufficiente in quantitate, parco una vice ſed repetito hauſtu aſſumtus, de quo plura in ſequentibus. Conducunt etiam oleoſa, uti ol. amygd. d. c. ſperm. cet. gelatinoſa, juſcula carnea ex animali juniore parata; cremor hordei & avenæ, hac cum cautela, ut parca manu dentur, ſi quando diarrhœa multum urget.

Indicatio tertia.

§. XXXI.

Quarto medici quoque officium eſt, ut ſymptomatibus urgentioribus medeatur, ita tamen ne morbo primario præjudicium afferat; inter quæ primum ſit diarrhœa, quæ utut critica fuerit in noſtra febre, attamen ſi vehementior vires maxime atterat, aliquantiſper mitiganda addendo pulv. bezoard, & nitroſ. corall. r. cryſtall. mont. pulv. pannon. r. cort. caſcarill. qui a ſæpe alleg. *Apino* multis laudibus extollitur, in refracta doſi, uti etiam nitrum, cavendo ab adſtringentibus, quorum uſum gravia ſymptomata inſequi ſolent; gelatinoſa, item acida plane non vel parciſſime adhibendo, uti modo dictum, diaphoretica vero paulo largius, ut

ut humores ab inteſtinis, ad corporis ambitum propellantur. Ad cephalalgiam mitigandam & pellendas agrypnias continuas nullus ſaniorum medicorum commendabit opiata, utpote quibus vires multum proſternuntur, humores incraſſantur, motus figuntur & miaſmatis expulſio impeditur, præcipue ſi ſomnolentia conjuncta eſt; & ſi vel maxime ſolamen afferunt, illud non eſt durabile, quin potius periculoſæ ad varia loca metaſtaſes fiunt, quare etiam cum el. diaſcord. Frac. caute mercandum. *Hamilton l. c.* pravos hoſce affectus præcaveri vult, ſi diaphoretica iſtis miſceantur, verum nec hac cautela obſervata tutum eorum uſum eſſe arbitror. Interne potius ſpecif. ceph. Mich, infus. theiform. externe mixtur. Hoffmanni ex acet. & ſpir. roſac. cum camph. unguent. alabaſtr. cum croc. & ol. hyoſc. lenium diaphoreticorum continuatio, emulſiones in morbi & æſtus augmento, alvi reſeratio modica. In ſopore gravi, utpote cui prompte obviam eundum, quia facile altas radices agit, præter veſicatoria, & clyſteres ſupra commendatos ſpirituoſa naribus admoveantur capitis vertici, temporibus & nuchæ illiniantur, aliaque, quæ *Screta l. c. S.* 3. *c.* 10. commendat, in uſum vocentur. Sic & in deliriis præter lenia diaphoretica & veſicatoria ſupra laudata pro interno uſu copioſa diluentia & humectantia, pro externo volatile vivum capiti impoſitum, ſinapiſmi ex herb. rut. ſem. ſinap. naſturt. acet. & ferment. aut quos aliqui mire extollunt, cepæ ſub cineribus aſſatæ & aq. Reg. Hung. irroratæ pedum plantis applicentur. Ratione indicationis vitalis ſi ſumma virium debilitas & lipothymia affligunt analeptica diapnoicis interpolata, non vero calidiora & ſpirituoſa, neque in vigore paroxyſmi, ne æſtus augeatur, ſed ſub finem & tempore intercalari, quo omnia tranquilliora ſunt, hoc etiam cum diſcrimine, ut in ſanguineis acidula reliquis omnibus præferantur. Omnibus ſubjectis conveniunt aquæ ſic dictæ cordiales additis conf. alk. de hyac. julep. roſat. gemmat. Neque negligantur externa cordis regioni & carpis manuum vel naribus applicari ſolita magis ſpirituoſa, quæ etiam conveniunt, ſi quando frigus partium extremarum acceſſerit. Ad fallendam ſitim conducunt nitroſa, acida, emulſiones, julapia, infuſa theiformia ſupra commendata, &, qui eam maxime ſolatur, potus ſufficiens parcis ſed repetitis doſibus exhibitus. *Uratislav. l. c.* male rem gerere medicos judicant, qui ægrorum æſtu fere exuſtorum precibus nihil moti potum denegant & nonniſi fumoſis ſuis ſudoriferis & turgefacientibus bezoardicis tantum non enecant. Alvus quæ nec nimis ſtricta nec nimis laxa eſſe debet, ſi non reſponderit, ſuppoſitoriis aut clyſteribus non irritantibus ſollicitanda, ſed iis tantum, quos ſupra deſcripſimus, vel quod melius ol. amygd. d. quod fibras nimium ſtrictas egregie relaxat. Siccitati & ariduræ oris ac linguæ conſulitur os ſæpius eluendo decocto herbæ thee cum pauxillo lap. prunell. potu copioſo, lenibus acidis, mucilag. ſem. cydon. & pſyll. cum ſyr. conveniente, item gelatinoſis. Convulſiones aut tendinum ſubſultus,

ſi præſto ſunt vel metuuntur, mitigare laboramus antiſpaſmodicis, ſpecif. ceph. Mich. pulv. antepil. March. & Kuff. lap. bez. or. & occid & cinnabarinis, quæ ſub initium ingruunt, conatus naturæ in expellendis exanthematibus prænuntiant, & lenibus bezoardicis tolluntur; quod ſi vero a metaſtaſi materiæ morbificæ ad interiora ſunt, modo dicta remedia diaphoretica paulo activiora & cucurbitulæ adhibendæ ſunt; externe nihil ab *Hamiltono* expertum, quod motus ejuſmodi convulſivos felicius compeſcat, quam omnes artus ſuccini eſſentia illinire, ſed hoc minus tutum mihi videtur, æque ac internus ejus uſus ad gtt. XX. Tuſſis ſi urget & pectoris infarctus ſperm. cet. in forma pulv. vel eclegmatis detur.

XXXII.

Inflammatio futura præcavetur aut præſens avertitur continuato diapnoicorum, diluentium & infuſorum calidorum uſu; neque reformidandum puto illum camphoræ, qua ad ſtaſes diſcutiendas non datur præſentius remedium judice *Cl. Werlhofio* in *Comm. Lit. Norimb.* 1734. *hebd.* 33. & & 34. *Conf.* 1735. hebd. 4. 20. & 27. & *Dn. D. Tralles Diſſ. de virtute camphoræ refrigerante.* Sic & *Exc. Heucher Diſſ. de igne per ignem exting.* in malignis febribus eam commendare haud dubitat, ſed parciſſima doſi nempe dimidia aut tertia grani parte eaque cum bezoardicis mixta. Uti & anxietates & oppreſſiones pectoris, item cardialgiæ præter infuſa theiformia & acetoſitatem citri nullis epithematibus cordialibus, nullis linimentis pectoralibus ſed ſolo uſu camphoratorum externo miteſcere videbantur a *Uratislav. l. c. p.* 13. De ſingultus medela aliquid addere ſuperſedeo, vel quia raro præſto erat, vel inflammationem inſequebatur, qua profligata ſponte ceſſit, vel ſi ſubſiſtit citrata interne & camphorata externe adhibita æque conveniunt. Hæmorrhagiæ in noſtra febre pariter infrequenti, ſi critica & non nimia fuerit nulla cura debetur; ſymptomatica nitroſis, temperantibus lenibuſque adſtringentibus compeſcenda, uti & euporiſto externo nempe manuum in aquam tepidam immiſſione ſcopo humores revellendi. Faucium & tonſillarum affectibus medendum topicis diſcutientibus, reſolventibus & paregoricis nec non gargariſmatibus appropriatis. *Foreſtus l.* 1. *de febr. obſ.* 17. gargariſmate e lact. caprill. & aq. plantag. p. æq. anginas ad miraculum a ſe curatas perhibet. De memoratorum aliorumque ſymptomatum cura hoc ultimo loco tenendum, quod morbo primario rite tractato atque profligato pleraque ſponte & abſque medela miteſcant. In puerperis lochiorum ratio habenda quam maxime eſt, præprimis ſi morbum ab eorum ſuppreſſione ortum traxiſſe conſtat, poſt pediluvium vena pedis incidenda, pilulæ Beccherianæ aut aliæ ad harum normam paratæ dandæ, pulveribuſque diapnoicis hyſterica & lenia emmenagoga, ſi circumſtantiæ

tiæ id ferunt, maritanda ſunt, regimenque paulo curatius obſervandum. Quoad reliqua medicatio ſupra præſcripta mutatis mutandis inſtituantur. Quæ a variis laudantur ſpecifica virtute veneno reſiſtentia, uti ſunt rad. Ginſeng, lap. bez. de Goa, lap. hiſtric. pedra del porco, rad. mungos prætermitto, arbitratus genuinam medendi methodum omnibus ſic dictis ſpecificis longe anteferendam, uti & arcanis, de quibus valet illud *Capivaccii* morbos feliciſſime curantis, qui auditoribus arcana ab ipſo expoſtulantibus velut indignabundus reſpondit: *diſcite meam methodum, & habebitis mea arcana.* Laudatus *Kramerus l. c.* medicamentum abſque omni æſtu reſolvens, temperans & putredini ſimul reſiſtens verum ſpecificum eſſe ſibi aliiſque ſuadet. Neque ut hoc ὡς ἐν παρόδῳ moneam, interna alexipharmaca proprie ſic dicta & ſpecifica virtute gaudentia nobis ſuppetere, ſed quævis adeo celebrata nonniſi diaphoretica eſſe arbitror, uti & in febre noſtra venenum vere ita appellandum ſubfuiſſe haud opinor.

§. XXXIII.

Ultimo denique loco pauca quædam de diæta ſubjungam, quæ uti in aliis, ita in hoc potiſſimum morbo fere plus quam magnus remediorum apparatus ad felicem curam confert, dum febris a leviſſimo ejus errore commiſſo funeſtum toto die exitum ſortitur. Conſiſtit illa ipſa in legitimo ſex rerum non naturalium & ad hunc morbum accomodato uſu. Et primo quidem, quod aëris moderamen caloriſque regimen ſpectat, ſit ille in conclavi ægrum ambiens multum temperatus, & calidus, qui omnem frigoris ſenſum, quem vel leviſſimum ejuſmodi ægri mox percipiunt, excludat, præſertim frigidiuſculæ auræ admiſſio puerperis ſumme noxia eſt, omnibus pedum e lecto protractio, pectoris ad ſcrobiculum cordis uſque denudatio; præſente jam morbo extra lectum ſe continentes, aërique liberiori ſe exponentes fere omnes periiſſe experientia docuit. Ab hac quippe aura improvide admiſſa pectoris anxietates & oppreſſiones intenduntur, exanthemata miliaria vel in excretione impediuntur, vel facillime retrocedunt, & funeſtos poſt ſe effectus relinquunt, cujus rei triſtia ſi opus eſſet. documenta allegari poſſent, aliqua vid. apud *Hamilton Hiſt.* 5. & 11. Uti autem aër frigidiuſculus, ita e contrario nimis calidus tranquillo morbi ſucceſſui obeſt, ad quem evitandum præ aliis ſollicite hortatur *Th. Sydenham in operibus ſuis paſſim.* In hoc peccatur, ſi cubicula nimium calefiant, ſtragulis amplis plumarumque copia infarctis ægri non tam obteguntur, quam potius obruuntur, unde corpus exæſtuat & ſudore diffluit, deliria accerſuntur vel augentur, vires fatiſcunt & placidus morbi typus in præceps agitur, papulæ etiam præcipitantur expulſæ inſtabiliores ſunt, & nunc apparent, nunc iterum diſparent. Quin potius id ſollicite agendum, ut tam lecti quam conclavis calor moderatus ſit & æqualis, tranſpiratio placida haud interrupta

Diæta & victus ratio.

non

non tam in ſudore quam potius madore leni conſiſtens tempore intercalari, exacerbatione vero ad finem tendente idem paulo major & copioſior eſſe poterit; & ne aër liberior janua conclavis aperta ad ægrum appellat, lectus conopeo muniatur, aut in certa ab eodem diſtantia paries interpenſivus collocetur. Merito ergo improbantur perverſi quorundam mores, quibus vel ſemel de die vel aliquoties lectum ſterni aut ex uno in alterum transferri cupiunt, ſuſque deque habentes, quicquid medicus in contrarium moneat & damna ab hoc agendi modo metuenda exponat. Sunt quidem ægri pariter ac adſtantes, qui jactitant, ſe genio ſuo ita indulgentes mire ſublevatos eſſe, morbumque feliciter ſuperaſſe, adduntque ſudorem a neglecta hac permutatione frigefieri inque corpus retrocedere. Quod ipſum vero metuendum minime eſt, ſi calor moderatus, quem ſupra inculcavi, obſervetur, quo æger abſque damno ſubſequente alleviatur. In memoriam his & ſimilibus revocanda ſunt *Celſi* verba: *ſæpe quos non reſtituit ratio, temeritas adjuvat.* Verum illos ipſos edicere pudet, quot numero alii ſtatu morbi hac ratione derepente mutato occubuerint, quare tutius eſt, quod *Fr. Hoffmann* ſerio etiam hortatur, ſtragulorum & induſiorum, quantum fieri poteſt, mutationem evitare, ac potius jam trita, ſicca & fumigata injicere. Quod ſi vero periculo rite expoſito precibus decies repetitis reſiſtere amplius nequeunt adſtantes, circa meridiem lectum ſterni curent, quando omnia tranquilla ſunt. Præ aliis notari meretur epidemia fere ſed mala puerperarum conſuetudo, quæ elegantiæ & munditiei plus juſto ſtudentes induſia frequenter cum reliquis linteis commutant, unde fit, ut facta corporis refrigeratione haud raro hunc affectum incurrant. Non minus monendi ægri ſunt, ne erecto corpore in lecto ſedeant, unde dorſi refrigerium & animi defectio facile obrepit, vid. *Uratiſlav. Hiſt. morb. 1699. p.* 14. Præterea corporis jectigatio fere continua ſollicite evitanda, utpote qua lenis ſudor madorque adeo neceſſarius ſufflaminatur, placiduſque morbi ſucceſſus impeditur, tranquilla vero corporis continentia quovis modo imperanda, quæ ad dipnœn halituoſam feliciter perennandam præcipuum momentum affert. Uti autem corporis ſitus ad quietem compoſitus, ita pariter animi in voluntate divina acquieſcentis tranquillitas frequentius inculcetur, animi pathemata, præ aliis mœror, ſollicitudo de morbi utut ancipitis eventu, quæ ægros in hoc morbo plerumque exagitat, mortiſque futuræ metus, quantum in medico & ægro eſt, animo excutiatur.

§. XXXIV.

Victus, uti *Hippocratis* effato *S.* 1. *aph.* 7. in morbo peracuto omni, ita quoque in noſtro tenuiſſimus eſſe debet & humectans, nempe juſcula non adeo ſaturata, ſed tenuiora e carne vitula, capone, gallo gallinaceo cum crem. hord. oryz. aven. vel ſola vel pauco cum pane parata

&

ſubinde aſſumta; conſummata, gallis *conſomés* dicta, calorem intendentia exulent. Sed & tenendum, cibos etiam convenientiſſimos parce nec largiter una ſed particis vicibus dandos. Eupepti nec multum euchymi ſint, quo plus enim juxta Hippocr. impura corpora nutriveris, eo plus læſeris. Abſint carnes, aliaque, quæ ventriculo negotium faceſſunt, magis ſalſa, aromatica, viſcida; etiam poſt dies criticos & præcipuo morbi periculo ſuperato victus tenuis per aliquot tempus continuandus, ſolidiorum quippe in copia aſſumptorum uſus etiam in ſtatu reconvaleſcentiæ vel recidivæ cauſa eſt vel novam febrim parit, quare alimentis paulo firmioribus ſenſim aſſuefaciendus ventriculus eſt. Potus ſit tenuis, diluens, attenuans, non frigidus actu utut potentia, tepidus potius, quem in finem infuſa theiformia optime conveniunt. Ille ex aq. fontan. hord. mund. rad. ſcorzon. gram. liquirit. acetos. fl. til. cichor. C. C. uſt. raſ. C. C paratus & acid. citr. ceraſ. acid. granat. limon. parum acidulatus ſit, non vero nimium, ne tormina excitet aut diarrhœam augeat, neque copioſius uno hauſtu ſed repetito aſſumtus. Sunt qui noſtro die aquæ frigidæ potum uti in quibusvis fere morbis commendant, ita pariter in malignis haud interdicunt, de qua aqua, medicina univerſali aliqua haud ita pridem ſchediaſmata in lucem prodierunt, & *Act. Berolin. Dec.* 2. *vol.* 3. pro febrifugo magno venditari ejuſque hauſtu magnum quondam medicum febre maligna detentum ſpe citius convaluiſſe memorant. Ceréviſiam nullus minus fert morbus quam purpura ob craſſas & heterogeneas partes, verba ſunt *Fr. Hoffmanni l. c.* aſſuetis faciilus forſan quam aliis indulgenda. Vinum plane non vel parciſſime concedendum, quidam unum vel alterum ejus cochleare cardiaci loco propinant, moti forſan obſervationibus de ejus ſalubritate in febribus malignis, de qua vid E. N. C. *II.* 4. *obſ.* 169. & *I.* 6. *obſ.* 20. verum præſtat ab eo penitus abſtinere, ægrique precibus & palato non indulgere; calore febrili profligato, parca ejus quantitas detur, illam ſubinde ſed ſenſim adaugendo. Alvus ſi non reſpondet, officii ſui admoneatur auxiliis de cura ſymptomatum præſcriptis, præprimis ſi dolores abdominis & præcordiorum anxietates ab ejus obſtructione fiunt, cavendo, ne ſollicitetur aut quovis modo irritetur. Et ut totum negotium verbo complectar, talem ſe gerat ægrotus, ne naturæ intentioni contrarietur aut medici operam eludat. Superato morbo & viribus redeuntibus lene purgans præſcribatur & pro re nata repetatur, eum in finem, ut, ſi quid vitioſi in corpore reſtitat, illud evacuetur, & ventriculi concoctio remediis ſtomachicis juvetur lenibus alexipharmacis aliquandiu interpolatis.

§. XXXV.

Regulæ Prophilactica.

Colophonis loco regulas aliquas prophylacticas præſcribam iis, qui ægroto adſtant vel ejus curam habent, quæ in eo potiſſimum conſiſtunt,

ut

ut nunquam jejuni accedant, ſalivam exſpuant, non deglutiant, qua mediante miaſmata M. S. facile communicantur, conclavis aërem ſuffimigiis è lign. aut bacc. junip. mane & veſperi ventilent & corrigant, rad. vincetox. maſticent, aut trochisc. ſublingual. in ore detineant, os & nares ægroti vultui non propius applicent, aut ſi hoc facere officii ratio poſtulat, vel ſtragulum lecti ſuperius paululum levatur, aërem in illo momento non attrahant, neque ſudatorio, quo ægri vultum & confinia deterſere, utantur, alimenta prope ægrum non aſſumant, frequenter etiam os eluant, & vultum manuſque ſæpius lavent. Prophylaxis, qua morbus futurus præcavetur, vel in hominis poteſtate ſita non eſt, vel provida cauſarum procatarcticarum & eo diſponentium remotione abſolvitur, nempe juxta monitum *Scretæ l. c. S. 2 c. 1. & 2.* (1) obſervatione debiti ac decentis vitæ regiminis diætæque exactæ, ne avida ciborum ingurgitatione aut vini generoſioris abuſu viſcerum robur deſtruatur, aut ſaburra vitioſorum humorum in primis viis generetur. Intemperantia quippe morborum præcipue caſtrenſium mater eſt. Caveant ſibi ab immodica corporis refrigeratione, a nimia venere, quo magis enim exhauſtum corpus eſt, eo facilius huic malo expoſitum eſſe ſolet. Animi pathemata iram, metum atque terrorem cane pejus & angue fugiant, uti & optimum præſervativum eſt mentem tranquillam & inconcuſſam habere; ſomno non nimium indulgeant, neque diu protractis vigiliis vires proſternant; vitam etiam neque nimis agilem neque nimis otioſam agant, excretionibus vacent, non ſuccedentes promovendo, liberiores in ordine ſervando, (2) debito remediorum uſu nempe laxantis aut pro circumſtantiarum ratione emetici, V. S. leniter diapnoicorum aut ſic dictorum alexipharmacorum, quæ per aliquod tempus continuentur, cavendo, ne periculum, quod præcavere volumus, calidioribus accerſamus. Quibus præſidiis puerperæ ab hoc malo præſervari poſſint ac debeant, ſollicite præſcribit *Fr. Hoffmann l. c.* (3) mutatione loci & regionis, ſi contagium in aëre velut vehiculo hoſpitari conſtat & hominis conditio id permittit. Sapientiſſimos in antiquitate Medicos graviſſimis in affectibus, magis chronicis quam acutis mutationem aëris & peregrinationem ſalutari conſilio & felici cum ſucceſſu ſuaſiſſe Veterum monumenta fidem faciunt. Infectus namque aër quovis momento inſpiratus humoribus diatheſin hanc morboſam facile infert, quod ſi vero quis præſente in corpore diſpoſitione ſeminium morbi jamjam in ſinu ſuo gerit, nullibi locorum ab hac lue immunis utique vivet.

TANTUM.

WILCH

CLXXVII.

WILH. ULRICI WALDSCHMIDT

DE

SINGULARIBUS QUIBUSDAM PESTIS HOLSATICÆ.

Kiliæ 1721.

P R Æ F A M E N.

SEcure magis e longinquo mala prævidemus, quibus aut plane avertendis, aut mitigandis conſilia dare volumus; præſertim ſi acuta illa fuerint, quæ plerumque ſub ſui principium ſtatim extrema minari, adeoque non multum temporis deliberationi concedere ſolent. Hoc de peſte quoque verum eſſe nemo dubitat, cui natura ejus quodammodo perſpecta eſt, & qui peculiares ejus proprietates, ſubitam ſc. invaſionem, nullam cunctationem, multorum oppreſſionem; urbium & provinciarum devaſtationem probe agnoſcit. Lues hæcce abominabilis, cum in Galliis adhuc ſæviat, nec in Polonia plane ſileat, revocat nobis in mentem, triſtem ante paucos annos, horum Ducatuum imaginem, & devaſtantis mali memoriam: quare non ſine omni utilitate eſſe arbitror, ſi obſervationes quaſdam ſingulares, de graviſſimo hoc affectu, a Præſide hujus diſſertationis & parente venerando ſuppeditatas, loco ſpeciminis publici, Academiæ huic valedicturus proponam. Sicut enim, ut loquitur Eraſmus, jucunda cuique eſt, anteactorum malorum aut periculorum ſecura recordatio; & ſecundum Senecam in tragœd. quod fuit durum pati, meminiſſe dulce eſt: ita nauta procellas, miles pericula, non modo refert, ſed cautior factus, periculis tam propriis quam alienis, experientiam ſibi acquirit aut evitandi, aut reſiſtendi ſi ſimilis occaſio ferat. Veneramur ſimul ſummam Dei clementiam, qua factum eſt, ut malum hoc nobis adeo vicinum, urbem hanc noſtram aut plane non tetigerit, aut levia ſaltem ſui ſigna intra mœnia ejus nobis exhibuerit. Quin & non omni carebit utilitate, ſi ſingulares quædam obſervationes ab interitu vindicentur, quibus & morbi indoles, cauſa, præſervandi & curandi ratio, magis magiſque innoteſcant. Faxit divinum numen, ut omnia feliciter!

I.

Origo peſtis ſatis obſcura eſt, vixque crediderim, aſtrorum influxui aut ſoli, aut ſemper eam eſſe adſcribendam. Uti enim ab iis omni ex parte diſſentio, qui ſtellas in tellurem noſtram influere cenſent, indeque omnia bona & mala derivare conantur; ita cœlum aut raro aut nunquam in cauſa hic eſſe exiſtimaverim, & ridicule in partes vocari Martis & Saturni conjunctionem in ſigno aliquo humano, quemadmodum olim Marſilius Ficinus, philoſophus Platonicus, peſtis, quæ anno 1478. totam Etruriam depopulata eſt, cauſam in talem conjunctionem retulit. Ramazz. de contagioſ. epidem. pag. 788. op. Nec e telluris cavernis per exhalationes peſtem communiter produci credimus; faſque erit etiam aërem a culpa hac abſolvere, ſiquidem illa omnia, quæ de aëris infectione aut contagio paſſim venditantur, rariſſime peſti conveniant. De noſtra

 Holſa-

Holſatica certiſſimum id eſſe vel inde patet, quod quamvis per junium & julium anni 1712. quo contagium in vicinia vigebat, aquæ in lacu ſalſo, urbem ab occidentali plaga alluente, propter ſui ſtagnationem computruerint, cuticula viridi tectæ, turbidæ plane & lacteſcentes, atque ingentem fœtorem, accenſo ſulphuri quodammodo ſimilem, per aërem ſparſerint; nihil tamen inde aut contagii, aut ad id facilius ſuſpiciendum diſpoſitionis, eidem acciderit, tempeſtate licet calidiſſima; donec fætor iſte, ſuccedente pluvia copioſiore, penitus ceſſaret.

Vero autem maxime videtur ſimile, peſtem per contagium, aliunde advectum, de loco in locum tranſportari, atque originem ſuam ex oriente utplurimum habere, nominatim ex Ægypto, & aliis imperii Ottomanni provinciis Aſiaticis, ut & ex Africa, ubi malum eſt endemium, & unde diverſis modis Europæ noſtræ infertur. Agnovit hanc veritatem Plinius lib. 7. cap. 50. Contagium ex Africa & Ægypto Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ invehi: & Cardanus lib. 15. cap. 78. de varietate: ſolet peſtis, inquit, ut reliqua, quaſi motu cæli diurno ab oriente in occidentem procedere. Inter recentiores, eandem veritatem hiſtorice evicit Kanoldus, medicus Uratislavienſis doctiſſimus, partim in chronologia medica peſtis, partim in animadverſionibus, litteris medicorum de peſte Maſſilienſi nuperrime editis, adjectis: & Alardus Mauritius Eggerdes, peculiari de peſte tractatu. Confirmat hanc ſententiam recentiſſimæ Maſſilienſium peſtis hiſtoria, ex Sidonia Syriæ per navem, bombyce & ſerico onuſtam, infeliciſſime invectæ.

Neque alia ratione, quam contagio materiali, malum Holſatiæ noſtræ illatum eſt, cujus propagationis veſtigia facile apparuere. Serpſit iſtud ex orientalibus locis in Poloniam, & Dantiſcum, inde ad alia maris Baltici loca, & præcipue Hafniam, indeque cum navibus, apparatum bellicum Fridrichſortum vehentibus in Holſatiam, Rendsburgum, Itzhoeam, Gluckſtadium, Altonavium, Hamburgum, & per viam aliam Schleſvigam & Flensburgum.

Speciatim, in vicino nobis caſtello regio, ex commercio militis præſidiarii cum nautis, & rei tormentariæ præfectis Hafnia adventantibus, præſertim per mulieres, linteam nautarum ſuppellectilem lavantes, quarum plurimæ inficiebantur, lues hæc ortum habuit, & longe lateque ſeſe deinde extendebat, & antequam ulla de contagio ſuſpicio oriretur, firmas radices agebat. Simile quid, anno ſuperioris ſeculi 59. factum eſt, quando claſſis Suecica morbum, ut vocarunt navalem pago Leboe, ab altera parte ſinus Kilienſis, e regione fere hujus caſtelli ſito intulit, referentibus ruſticis quibuſdam ſenioribus, ita ut intra 18 dies 72 homines fuerint demortui.

Quamvis autem de morbo contagioſo, tum in caſtello iſto, tum alibi vigente, rumor ſpargeretur, nihil tamen certi intra aliquot ſeptimanas, imo menſes innotuit, gliſcente ſub cineribus igniculo, in flammam lu-

culen-

culentam mox mox erupturo. Renſburgi enim circa finem anni 1711. octodecim homines, propter delicta ad operas publicas damnati, morbo maligno cum bubonibus erant demortui, quem peſtem eſſe præfracte negabant chirurgi viſitantes, donec circa æſtatis ſubſequentis medium, creſcente in dies mortuorum numero, malum celari amplius non poterat, & circa Auguſti menſis initia omni commercio cum urbe iſta interdiceretur. Simili ratione, vicini noſtri in caſtello regio, ex eadem cauſa male nobiſcum agebant, negando contagium, & urbem noſtram quotidie frequentando, donec milite excubitore claudebatur iſte locus, id quod circa autumnum & finem menſis Octobris anno 1711. factum eſt.

Divinæ clementiæ id ſane adſcribendum eſt, quod in præſenti, & adeo vicino periculo, immunis evaſerit civitas hæc noſtra, cui, ex commercio locorum infectorum, facile communicari potuiſſet contagium, antequam de eo avertendo conſilia iniri poſſent. Simile quid, anno ſuperioris ſeculi 64. factum eſſe, ex relatione fide digniſſimi viri conſtat, quando plures pagi circa Kiliam, peſte Hamburgo delata, infecti fuerunt, urbe hac noſtra prorſus immuni, quamvis commercium cum Hamburgenſibus non fuerit ſublatum. Non erravero, ſi & loci ſalubritati aliquas hic tribuam partes, cum triginta annorum experientia Præſidi conſtet, morbos malignos, in ſpecie petechiales, quamvis quandoque hic appareant, non late tamen ſeſe extendere, & intra terminos unius vel alterius domus ſe continere. Vid. diſſ. de temperie aëris & inde orta ſalubritate Athenæi Cimbrici.

Poſteaquam vero, aucto tam ægrotantium quam demortuorum numero, luis epidemicæ præſentia negari amplius non poterat, Reverendiſſimus & Sereniſſimus Lubecenſium Epiſcopus, Dux & Adminiſtrator horum Ducatuum, laudabilem in id intendebat curam, ut omni ratione contagium intra cancellos ſuos coërceretur, & ulterior ejus progreſſus, cohiberetur. Initis igitur cum Miniſterio regio conſiliis, milite cingebantur Fridrichſortum, Rensburgum, Itzehoea, Glückſtadium, Altonavium, pagique una cum caſis hinc inde de contagio ſuſpectis. Juſſi etiam ſunt medici, communicatis conſiliis ſcripto deſignare, quæ & præſervationis & curationis ſcopo neceſſaria & utilia eſſe exiſtimarent, atque in id intendere curam, ut remedia neceſſaria, quantitate ſufficiente, qualitate laudabili in publicis pharmacorum officinis proſtarent. Verbo: quicquid ad remediorum ſubſidia, alimentorum copiam, ægrotorum a ſanis ſeparationem, domuum, vicorum, urbium infectorum præcluſionem, mobilium de contagio ſuſpectorum expiationem & mundificationem, & demortuorum ſepulturam, tempore & loco conveniente inſtituendam pertinebat, id omne quam exacte, & ex mandato Sereniſſimi peractum eſſe, ipſe loquitur eventus.

Optimum autem in peſte remedium eſt præſervatio, & quidem politica potius

potius quam medica: arcendum eſt contagium quod aliunde aſportatur, omni opera; cum averti facilius poſſit peſtis, quam curari, quemadmodum conſultum magis eſt hoſti acceſſum denegare, antequam in reipublicæ viſcera irrumpat. Qua ratione peſtem in prima herba ſuffocari poſſe, ipſa comprobavit experientia. Poſtquam enim loca infecta milite & ruſticis excubantibus cingerentur, malum intra ſuos limites fuit coërcitum, nec ſerpſit ulterius, & licet veſtigia ejus hinc inde apparuerint, laudabili tamen cura intra limites ſuos coërceri potuit; ſimulac enim domus quædam vel leviſſima etiam contagii veſtigia oſtenderet, claudebatur ea protinus, cingebatur vigilibus, quibus ſeveriſſime injunctum erat, ne ullum incluſis cum extraneis concedant commercium. Sepultura demortuorum caute peragebatur, ſani ad xenodochia & tuguria in campis exſtructa relegabantur, ſex hebdomadum ſpatio probatum daturi, nihil amplius infectionis de iis eſſe pertimeſcendum. Lecti, veſtimenta, utenſilia, quibus venenum cohærere potuit, imo ipſæ ædes, ſi citra vicinarum pericula fieri poterat, igne cremabantur. Hac ratione Schleſvigæ & alibi contagium in ſui primordio fuit ſuffocatum, domus enim aliquot a lectis Rensburgo illatis infectæ, poſt mortem incolarum nonnullorum, ſollicite claudebantur, obſervatis cautelis aliis jam modo recenſitis, id quod in aliis locis horum Ducatuum, vel levi etiam exorta ſuſpicione hinc inde factum eſt, cum plenaria contagii ſuppreſſione. Optima itaque eſt præſervatio, quando contagium, quod foris accedit arcetur, & quando præcavetur, ne venenum peſtilentiale a locis infectis inferatur, aut quod illatum eſt, ſtatim ſuffocetur.

Magna tamen in principio mali, opus eſſe circumſpectione exiſtimo, ne vel citius rumor ſpargatur de contagio, antequam illud adeſt; aut præſens jam malum, maximo cum reipublicæ damno occultetur, eidemque latius ſeſe expandendi mora concedatur: quorum illud & timorem auget, & corpora ad ſuſcipiendum contagium magis diſponit; hoc vero totam urbem aut provinciam, vehementiſſimo periculo exponit. Idque eo magis fieri oportet, quia ſigna peſtilentiæ in principio ſatis plerumque ſunt obſcura aliiſque morbis communia, imo protheiforme eſt hoc malum, & talem ſæpe oſtendit morbum, ad quem corpus quod invadit eſt prædiſpoſitum. Hinc mirum non eſt, ſi in principio infectionis, unus vel alter intereat, nullis apparentibus ejus indiciis, quæ tamen aucto contagio ſatis apparent. Contigit hoc in pago Leboe, ubi in iis, qui primi fato conceſſere, chirurgus juratus nulla peſtis veſtigia reperire potuit, cum tamen poſtea ſatis evidentia illa facta fuerint. Ita prudenter egit Senatus Gedanenſium, quando circa initia anni 1709. gliſcentibus licet luis contagioſæ igniculis, publico edicto prohibuit, ne quis de morbis periculoſis & extraordinariis rumorem ſpargat, civibuſque terrorem, commerciis impedimenta, citra neceſſitatem imponat.

Gottwald.

Gottwald. memor. Loim. pag. 4. Satius enim eſt ipſum etiam morbum quandoque diſſimulare, præſertim peſtem, in cujus principio plures reſtituuntur, antequam morbum intelligunt, & in progreſſu, qui animo præſentes ſunt, evadunt plerumque, ut loquitur Rivinus de peſte. cap. 3.

Quare, cum graſſante in vicinia noſtra peſte, famulus viri primarii die 17 Nov. 1712. poſt triduanam ægritudinem, vomitum, pectoris & dorſi dolorem, mane in lecto mortuus reperiretur, noluerunt medici cum chirurgo præſentes, de peſtilentia teſtimonium ferre, quamvis ſigna quædam maximæ putredinis, ipſiuſque forte peſtis adfuerint: ſiquidem peſte demortui, dum nondum intepuere, mox turgeſcunt, liveſcunt, nigreſcunt, molleſcunt, putreſcunt. Obſervabatur ſane in hoc cadavere, poſt horam a morte ſextam fætor ſatis moleſtus, totum corpus tumidiuſculum erat, cutis purpureo-cœrulea, ut a frigore eſſe ſolet, & ſi crura digito paulo fortius tangebantur, decedebat cuticula: taceo bubonum veſtigia ſub alis tactu explorata; quare haud levis oriebatur de peſtilente contagio conjectura. Quoniam autem nullum aderat indicium, unde puer iſte hauſerit virus, & ſimul ſpuma ante os conſpiciebatur, cum pollicis ſiniſtri contractione ſpaſmodica, ut epilepticis ſolenne eſt, tale ferebatur judicium: laborare infantes in hac domo variolis, unde vero quam maxime ſimile eſſe, demortuum eodem morbo correptum, cum exanthemata, propter regimen frigidius, & neglectum medicamentorum erumpere non potuerint, epilepſia obiiſſe: maximam ſimul adfuiſſe malignitatem, ut in variolis quandoque fieri ſolet, teſtimonio ſubitaneæ putredinis. Præterea cadaver, una cum veſtimentis, quibus indutum erat, terræ mandabatur, & lecti, quibus æger incubuerat, debito more mundificabantur, unde factum eſt, ut nihil plane mali ulterius in iſta domo aut in urbe apparuerit. Ecquis igitur negaverit, ſatius eſſe, ſi adhibitis legitimis præcautionibus, ubi pauca ſaltem funera ſuſpecta contigerint, celare ſtudeamus contagium: quod ſi tamen ulterius ſerpat, latiuſque ſeſe extendat, non niſi ſummo cum periculo civium totiuſque regionis illud ſupprimitur. Id quod Maſſiliæ factum eſſe patet ex litteris Audonii, medici iſtius loci, hic enim magiſtratus, contra medicorum fidem, teſtatus eſt, morbum urbem devaſtantem non eſſe peſtem: quare cives nimis ſecuri in viſitatione & converſatione cum infectis, neceſſaria circumſpectione non uſi ſunt, & multi per hanc negligentiam in mortis fauces incurrerunt.

Severiſſime autem, & ſub capitis & vitæ pœna commercium cum perſonis ſuſpectis eſt prohibendum, atque leges iſtæ quam ſtrictiſſime ſunt ſervandæ, etiamſi quandoque iniqui aliquid his ſubeſſe videri poſſit. Salus enim populi ſuprema lex eſto, & qui miſericordiam exercet erga illos, qui leges violant, hoſtis eſt & inimicus conterraneorum. Beatus

Lutherus peculiari de peſte ſcripto, *im Bericht über die Frage, ob man vor den Sterben flihen ſolle?* Eos, qui contra amorem Chriſtianum, malum hocce aliis citra neceſſitatem communicant, ſicariis comparat, dicitque: *Daß, wo mann ſolche Leute finde, ſolle ſie der Richter beym Kopff nehmen, und überantworten ſie Meiſter Hanßen, als die recht muthwillige Mörder und Böſewichte.* Et tanto magis hæc omnia, quæ arcendo periculo inſerviunt, obſervanda ſunt, quanto certiſſimum eſt, unicum in his quærendum eſſe præſidium, & hac tantum ratione malum a finibus arceri, incolaſque præſervari & immunes præſtari poſſe. Hæc univerſalis præſervandi ratio omnium optima eſt, reliqui præſervandi modi inſufficientes plane ſunt & inutiles, ita ut omnes inefficaces atque irriti deprehenſi ſint. Amuleta, cujuſcunque fuerint generis, ex argento vivo, arſenico, magnete arſenicali, radice colchici, circa præcordia geſtata, nullo fuerunt præſidio; nec odorifera aut inſpirata, ſive univerſalia, quæ vicos & totam domum replent; aut particularia, quæ naribus admoventur, laudatam fidem ſuſtinuerunt, ſive fœtida illa fuerint, & quæ hircum olent, ſuffitus ex ungulis, cornubus, corio animalium; ſive graveolentia ex ſulphure, myrrha, pice, camphora; aut ſuaveolentia ex ſtyrace, ladano, benzöe ullius utilitatis deprehenſa ſunt. Imo nicotianæ fumus, cujus duplicem effectum laudat, Diemerbroeckius de peſte p. 263, 273. quod ſc. & ſalivam moveat, & aërem nidore ſuo corrigat, inſufficiens fuit; milites enim & nautæ, quibus tamen fumus iſte pabulum eſt quotidianum, morbo hoc ægrotarunt, plurimique eorum mortui ſunt. Quin & remedium præſervatorium Dobrezensky, quando in præſentia hominum morbis contagioſis laborantium ſalivam continuo ejicere, & deglutitionem ejus ſollicite cavere jubet, parum promittit præſidii, ubi miaſma venenatum adeo ſubtile, per vias alias quam per fauces, corpus noſtrum ſubire poteſt, licet iſtud forte in aliis malignis non plane ſit contemnendum.

Simile eſto judicium de præſidiis chirurgicis, venæſectione & fonticulis, quibus præſente jam peſte utuntur ſani: quam infida enim ſit V. S. teſtantur obſervationes Diemerbroeckii; fonticulos vero inutiles plane fuiſſe obſervavit Lic. Heinichius in peſte Elſingnoræ graſſante, ubi ſimul notavit, eos, quibus hæmorrhoides fluxerunt, immunes fuiſſe a contagio.

Nec interna multum in præſervando præſtiterunt, cujuſcunque illa fuerint generis. Spirituoſa enim calorem augent & caput diſponunt ad vertiginem: acida dolores colicos, tuſſimque producunt & humores côagulant; ſudores præſervativi ſuperflui ſunt & vires dejiciunt, laxantium vero uſus promiſcuus, & abſqûe ulla indicatione ridiculus plane eſt. Vera autem præſervatio triplici abſolvitur capite (1) animoſitate, ut fugiatur terror, nauſea, & animus exhilaretur; (2) laudabili diæta, vitando omnia, quæ vires enervant, inediam, crapulam, labores nimios; adhi-

adhibendo ea quæ vires conſervant, cibos lautiores, potum ſuavem, vinum excellens, cujus beneficio medicus celebris Henricus Sayerus apud Williſium tractatu de febribus c. 13. malum evitavit, præſertim rhenanum: hujus vero loco pauperes aceto uti poſſunt. Sylvius, practicus feliciſſimus calendulæ aceto adſcribit, quod peſtem evitaverit. 3 Pſalmus nonageſimus primus, ſeu alia quævis ad Deum oratio devota, cum firma & Chriſtiana in eum fiducia.

Videmus ex his, quæ modo ſunt dicta, peſtem eſſe morbum peculiaris indolis, qui remedia ordinaria malignitati alias contraria eludit, atque tum ratione præſervationis, tum curationis peculiare quid & diſtincti habet: & proprie loquendo febris vocari nequit; eſt enim ſæpiſſime ſine febri, & ſub varia larva ſua ludit dramata. Dixerim etiam, mali hujus cauſam non in putredine, quod nonnullis placet, quærendam, ſed eam productum morboſum eſſe. Quin potius pro vera ejus cauſa agnoſco venenum contagioſum, non in corpore genitum, ſed aliunde advectum & foris hauſtum, & vel per gulam ad ventriculum, vel per aſperam arteriam ad pulmones & cor, vel per poros corporis ad M. S. admiſſum; ubi aër medium eſt communicativum, ſeu vehiculum, cujus ope contagium de corpore in corpus tranſvehitur: & inde factum eſt, ut aërem infectum crediderint, quod ipſum, ſi cum grano ſalis intelligatur, verum quandoque eſſe deprehenditur teſtimonio Sorbaiti, hic enim in tractatu de peſte refert, auram intolerabilem redoluiſſe fœtorem, ſed ex putredine mortuorum, & paſſeres Canarienſes in caveis ſuis expiraſſe.

Venenum autem peſtilentiale facile cohæret veſtibus, laneis & lineis potiſſimum, ut & ſericeis, & quod mirandum, hac ratione a ſano homine tranſportari aliiſque communicari poteſt. Notabile hujus rei exemplum retulit vir fide dignus, de cive & ſculptore Tonningenſi, hunc, cum peſtis ſuperiori ſeculo Viennæ graſſaretur, Ratisbonam iter feciſſe, atque in diverſorio ſculptorum, cum alio in eodem lecto dormiviſſe, qui altero die peſte infectus interierit; iſtum vero iter ſuum proſecutum & alibi idem habuiſſe fatum, idque vice tertia, donec remotis veſtibus priſtinis, & toto corpore aquis loto malum ceſſarit. Vid. etiam Schenckius, obſ. l. 6. p. 791. Simile quid in vicino nobis pago *Ruſſee* factum eſt, quando menſe Februario anni 1712, quo tempore Rensburgi, qui ad operas publicas damnati ſunt captivi, morbo peſtilentiali laborarunt, atque unus ex his fuga ſibi conſuluit, & in bubulci caſa in pago iſto per noctem eſt commoratus; altero mane poſt ejus diſceſſum puer reperit tibialia vetuſta, humore madida, ab homine iſto relicta, & dum hæc exſiccanda foco admovet, ſtatim corripitur nauſea, & gravi capitis dolore, quare lectum petit & moritur die ſexto cum bubone ſub alis. Secutæ deinde eum ex eadem domo, intra breve temporis ſpatium perſonæ quatuor aliæ. Maritus cum uxore, juſſu magiſtratus ad tugurium in ſylva exſtructum ſeſe contulerunt, ubi ille etiam fatis conceſſit, ſola muliere

ſuperſtite; caſa vero cum omni ſupellectili concrementa eſt, quaque idem ratione malum in ſui principio fuit ſuffocatum.

Quin & animalibus brutis adhæret venenum hocce, & cum iis de domo in domum ſæpe tranſportatur, quare in conſtitutionibus antipeſtilentialibus, *in denen Peſt-Ordnungen*, merito prohibetur, ut peſtis tempore canes, feles, columbæ & ſimilia animalia, quæ domi contineri non poſſunt, alantur. Gluckſtadii peſtis tempore moritur femina cum filio unico, cujus maritus illo tempore hic Kiliæ commorabatur; rogabatur autem per litteras a viro erudito Gluckſtadii habitante, ut ſibi liceret paſſeres Canarienſes, quorum plures iſte alebat, in domum ſuam recipere, id quod permiſit alter, ſimulac vero aviculas iſtas domui ſuæ intulit, ipſe cum familia peſte correptus eſt, qua etiam obiit. Illud præterea notabile eſt, venenum peſtilentiale hominibus infeſtum non nocere brutis, & e contrario brutorum peſtem non nocere hominibus, quamvis homines in veſtibus ſuis malum de loco in locum transferant & bruta inficiant. Nonnunquam tamen hominum peſtis, brutis quoque eſt exitioſa, id quod obſervatio Sorbaiti jamjam citata comprobat; & Itzehoæ obſervatum fuit, canem, poſtquam cum pannis vetuſtis, e domo infecta per plateam projectis luſiſſet, ſtatim mortuum; gallinam etiam ſtramina infecta pedibus diſpergentem protinus demortuam fuiſſe. Simile quid refert Boccatius de peſte Florentina, projectis, inquit, in viam publicam laceris attritiſque cujuſdam pauperis viri pannis, quem peſtis abſtulerat, duo porci forte in eos incidentes, pro more ſuo primo roſtris verſare eos aliquandiu, mox dentibus prehendere, & circum circa caput concutere, unde exiguo interjecto ſpatio ambo in terram exanimes conciderent.

Ipſis quoque metallis, & adeo etiam pecuniæ venenum iſtud ſolet cohærere, cujus rei exempla aliquot habet Eggerdes de peſte pag. 96. Et ancilla quædam ruſtica e pago *Sachſenbande* haud procul a Wilſtria Holſatiæ oppido, dum pruna in urbe iſta divendit, nummos acceptos ori indit, ut pruna ſua a militum quorundam furacibus manibus defendere poſſet, domum deinde petit, & poſt paucas horas moritur. Pater vero ejus & mater, cum duobus liberis aliis eam brevi ſequuntur. Prudenter igitur præcipitur in conſtitutionibus antipeſtilentialibus, ut pecuniæ, a perſonis aut locis ſuſpectis acceptæ, aceto prius immergantur, antequam a ſanis contrectentur.

Cujus vero naturæ ſit venenum iſtud peſtilentiale difficulter determinatur; peculiare enim quid habet præ aliis deleteriis, cum ſeſe accomodet conſtitutioni & temperamento ſubjecti, & ſub diverſiſſima forma effectus ſuos oſtendat, quare nemo dicere poteſt; cujus illud ſit naturæ, an arſenicalis, antimonialis, acidæ, alcalicæ, volatilis, fixæ? Immo vera peſtis definitio difficulter etiam dari poteſt, vixque in practicorum libris reperitur: inter omnes tamen, quas videre licuit, nulla mihi

magis

magis adæquata, & quæ naturam mali æque exhauriat, eſſe videtur, quam hæc: peſtis eſt intoxicatio hominis, facta a veneno contagioſo & multiplicabili, pleriſque quos apprehendit exitiali. Eggerd. de peſte p. 35. Quin & ſigna peſtis admodum ſunt obſcura, præſertim in principio ejus, & inprimis pathognomonica, quæ ſcil. ſoli peſti & ſemper conveniunt, niſi forte hoc unicum pro determinanda peſte ſufficiat, quando plures, communi aura & mutuo commercio fruentes, ſimul ægrotant, & plerique moriuntur: atque ſi accedant ſumma virium proſtratio, bubones, carbunculi, vibices, petechiæ, tunc demum certi eſſe poſſumus de luis præſentia.

Solent vero plerumque peſtis contagium præcedere morbi alii, febres mali moris & peſtilentiales, variolæ etiam malignæ. Quid alibi locorum in Ducatibus hiſce contigerit, de eo non uſque nobis adeo conſtat. Intra urbem hanc noſtram, antequam in locis vicinis vigeret malum, graſſabantur febres catarrhales benignæ, intermittentes etiam, nec non variolæ e diſcretarum genere, & ſatis ut plurimum tutæ, ita, ut præter unam puerperam & paucos infantes nemo iis fuerit mortuus.

Morbi peſtilentiam concomitantes in locis infectis nulli fere fuerunt, ibi enim pro conſtitutionis morboſæ diverſitate, peſtis varios ſuſcitavit morbos, & ſub diverſo ſchemate apparuit, pleuritidis ſc. aut peripneumoniæ, diarrheæ, dyſenteriæ, affectuum ſoporoſorum, quæ omnia ſi quis pro peſtis ſymptomatibus habere velit, non habebit me refragantem. Medici quoque Maſſilienſes, nullius alterius morbi veſtigium peſte graſſante obſervarunt. epiſt. p. 11. Apud nos vero, qui per Dei gratiam immunes fuimus a peſte, illo tempore & quidem Julio menſe anni 1712. alius morbus epidemius, & quidem ſub ſchemate febris catarrhalis, plures intra breve temporis ſpatium invadebat, idemque malum per totam Germaniam tam ſuperiorem quam inferiorem eodem fere tempore graſſabatur: ex Batavia enim Auguſto menſe publicæ relationes referebant: obſervari in Flandria morbum quendam peculiarem, fauces hominum plerumque invadentem, ex quo tamen nemo Libitinæ ceſſerit, ſed poſt tres aut quatuor dies omnes iterum convaluerint. Morbus invadebat cum dolore capitis & dorſi, faucium levi inflammatione, aderat plerumque plus frigoris aut horroris quam caloris, ſumma virium proſtratio, cum ſudoribus frigidis fere continuis, ſequebatur tuſſis ſatis violenta ſæpius cum coryza, triduo aut quatriduo ſua tempora percurrebat, remanente tuſſi & proſtratione virium, per quatuordecim & plures dies. Pleroſque in hac urbe invadebat, ſæpeque decem & plures in una domo ſimul ægrotabant, quorum tamen pars maxima extra lectum ægritudinem tolerabat. Quidam vero ex neglecta in principio V. S. incidebant in febrem continuam quotidianam vel tertianam, cum animi deliquiis. Neminem novi, qui ex innumeris mortuus ſit, præter ſtudioſum plethoricum: ille ex eadem negligentia incidit in gravem narium hæmorrhagiam, per aliquot dies durantem, & moriebatur die undecimo. Venæ ſectionem enim plures bene tulerunt, quamvis pleroſque ſine ea, reſtitutos eſſe certiſſimum ſit. Dominus

Krugius de Nidda p. m. Conſiliarius intimus & Archiater primarius Regis Boruſſiæ Berolino ſcribebat ad Præſidem: præmiſſa in principio V. S. ſe dediſſe ægrotantibus ſpiritum bezoardicum & pulverem pectoralem Ludovici, deinde eſſentiam aſthmaticam ſine opio. Noſtrates novum appellabant morbum, cujus tamen veſtigia ante duo ſecula innotuerunt. Autor enim *derrer* Novellen *aus der gelehrten und* curieuſen *Welt* Tom. II. p. 1557. refert: *Fürnemlich könte wol dieſes eine* National *Kranckheit Teutſchlandes genennet werden, da im vorigen* Seculo 1580. *eine Seuche, der Bremer Pip, in Teutſchland regieret, welcher auch gantz* Europam *durchgelauffen, und allein zu Rom* 40000 *Menſchen damahlen daran niedergelegen ſind. Es iſt eben die Kranckheit geweſen, die Johann Bange in ſeiner Thüringiſchen Chronicke beſchreibet, daß ſie* 1574. *ſic im Teuſchland hervor gethan, da er ſie eine ſeltzame, geſchwinde und unerhörte Kranckheit nennet, die erſtlich die Leute mit Froſt, und etliche mit Hitze ankommen, davon wäre der Huſten und Heiſerkeit entſtanden, und wären ſie in denen Hälſen wund worden, hätte aber nur drey oder vier Tage mit einem gewähret, die, welche ader gelaſſen, wären davon kommen, die andern nicht, man hätte es den Nürnberger Pipff genennet, und ſey keine Städt noch Dorff in Deutſchland damit verſchonet blieben.* Atque eundem morbum Valleriola, Bockelius, Stenglinus & alii exacte deſcripſerunt.

Quantum vero ad ipſam peſtem in Ducatibus hiſce graſſatam attinet, ut chirurgorum præſentium fide conſtat, conſuetis ea ſtipata fuit ſymptomatibus, ſumma ſc. virium proſtratione, capitis dolore maximo, vomitu, diarrhœa, bubonibus, carbunculis, petechiis & aliis. Nec defuerunt ſcintillæ, coruſcationes & colores varii, oculis peſte laborantium obverſantes, de quibus Deuſingius de peſte, & Boyleus de coloribus Part. I. cap. 2. §.7. Quod ipſum in malignis aliis nonnunquam obſervatur: aliquot enim exempla petechiali morbo laborantium Præſidi nota ſunt, quibus omnia objecta, & alba potiſſimum viridia apparebant. Præſertim vero triplex circa morbum obſervata eſt diverſitas; nonnullos enim invaſit cum frigore, capitis & dorſi doloribus, anxietatibus circa præcordia, nullis aliis apparentibus periculoſioribus ſymptomatibus: atque hi, ſubortis in tempore bubonibus quandoque evaſerunt mortem. Deinde alii, ſtatim ſub initia, delirio furioſo, phrenetico laborarunt, & horum etiam nonnulli reſtituti ſunt. Denique in aliis ſopor profundus fuit obſervatus, ita ut vix excitari potuerint, quorum plerique fatis conceſſerunt. Notarunt præterea chirurgi bini, alter in præfectura Hutten, alter Neomonaſterii infectorum curæ operam dantes, quorum hic Dantiſci, ille Regiomonti curando hoc morbo præfectus fuit, bubones in noſtris hiſce locis pejoris longe fuiſſe notæ, & qui in Pruſſia pugnum magnitudine æquarint, vix apud nos ad juglandis molem acceſſiſſe.

Curam ipſius peſtis difficillimam eſſe, & veram curandi methodum nos latere vel ex eo certum eſt, quod licet remedia neceſſaria, ſecundum methodum medendi ſtudioſe adhibeantur, pauci tamen mortem evadant:

dant: plures autem ſine medicamentis, ſolius naturæ beneficio reſtituantur. Cum enim natura veneni peſtilentialis ignota hucuſque nobis ſit, atque de eo præter admirationem nihil ſciamus, ut cum Galeno ingenue fatear, evidentiſſimum eſſe exiſtimo, veram & genuinam peſtis antidotum & curandi rationem nondum nobis innotuiſſe. Hoc certum eſt, quod, ut in aliis morbis obſervatur, ſi medicus ſequatur intentionem naturæ ejuſque ductum, quod inquam lues hæc quandoque cedat: & quoniam bubones & carbunculi motu critico producuntur, & venenum mediantibus his ad habitum corporis propellitur, laudabilis hæc naturæ intentio promovenda omnino eſt, ſed remediis blandioribus, alexipharmacis, ſudoriferis: quicquid enim violentum eſt, illud criſin aut præcipitat, aut impedit. Videmus hoc in variolis, quarum expulſio, ſi calidioribus remediis nimis urgeatur, fieri id ſummo cum ægri periculo; duci enim vult natura non cogi, & violentæ excretiones, antequam materia cocta ſit, infidæ ſunt. Leniora igitur remedia, temperamento ægrotantis proportionata, optimis cum ægri rebus in peſte adhibentur. Generoſa vero ut vocantur, vix conveniunt, ut de purgantibus omnes fere practici conſentiunt: de venæ ſectione idem ſentiendum eſt, quam præter plures alios, quoque in peſte Maſſilienſi ſumme noxiam fuiſſe loquuntur litteræ medicorum inde perſcriptæ pag. 16. 32. Laudantur tum ab his tum ab aliis quoque practicis emetica, in principio adhibita. Et modo citatus Boyleus l. c. mentionem facit medici cujuſdam, cui ſolenne erat ægris, peſtilentia laborantibus, in principio propinare emeticum, ex octo vel decem drachmis infuſionis croci metallorum, & dimidia circiter drachma vitrioli albi, tanto cum ſucceſſu, ut vix unus ex decem, cui tempeſtive fuerat propinatum, ex morbo illo moreretur. Verum juvat quandoque fortuna audaces, ſed exemplo inimitabili. Liceat hic referre curam paradoxam officialis cujuſdam annorum ſexaginta, viri robuſti, temperamenti ſanguinei; hic peſte correptus ſentit capitis gravitatem & dolorem, cum totius corporis laſſitudine, & pedum quaſi impotentia; admiſit venæ ſectionem, & bonam theriacæ quantitatem devoravit, manibuſque miniſtrorum utrinque ſuſtentatus, in campos excurrit, donec ſudore difflueret: domum reverſus in lectum ſe contulit, & novam theriacæ quantitatem aſſumſit, pro ſudore ulterius eliciendo. Altero mane pilulas chirurgi cujuſdam deglutiit, a quibus 17 ſedes habuit, eandemque doſin bis reiteravit. Tandem ſub poplitibus bubones perſenſit, quibus veſicatorium applicatum eſt, ſed nulla ſubſecuta eſt ſuppuratio, veroque videtur ſimile, per enormes iſtos ſudores & purgationes illos fuiſſe diſſipatos. Quis vero talia audeat?

Theriaca, cujus jam modo mentio facta eſt, peſſime audiit in peſte Dantiſcana, ita ut mandato magiſtratus divendere illam fuerit prohibitum, remedium alias aliquot ſeculorum experientia inter alexipharmaca primum. Dubium vero eſt, an culpa medicamenti, an eorum, qui præpoſtere eo

ſunt

ſunt uſi? ſiquidem complexionibus calidioribus, bilioſis, ſanguineis forte nocuit, quod frigidioribus maximo potuit eſſe emolumento.

De vino, præſertim rhenano, quod in antecedentibus tanquam præſervativum commendavimus, hoc notari liceat, illud inter alexipharmaca non poſtremum obtinere locum, adeoque in malignis ipſaque peſte, ſi medice aſſumatur, magnarum eſſe virium. Plutarchus in vita Cæſaris refert, Cæſaris exercitum, cum in eo peſtilentia humidi comes victus graſſabatur, vino largiter hauſto morbum alteraſſe; & in exercitu Antonii vinum oleo permixtum profuit, teſte Appiano de bello Parthico. De muliere quadam Glückſtadienſi certa relatione conſtat, eam contagio correptam, vini Rhenani cantharum unum cum dimidio, ſeu libras medicinales ſex una vice exhauſiſſe, & cum ſanitate iterum rediiſſe in gratiam.

Sed longius a ſcopo aberro, cui erat propoſitum, ſpecialia quædam de peſte noſtra afferre: unde de ea ſingularia quædam adhuc attingam, quæ inter memoratu quam maxime dignum eſt, infantes aliquot ubera peſte infectarum ſugentes, immunes manſiſſe a contagio. Rensburgi infans viri inter cives primarii, ſuxit ubera nutricis peſte laborantis, antequam parentibus quicquam conſtaret de contagio: altero mane mortua eſt fæmina, puſione incolumi. Idem Itzehoæ factum eſt, ubi uxor ſutoris cujuſdam peſte laborans, cum carbunculis & bubonibus, per totum morbi decurſum infantem uberibus admovit, ſine ulla hujus noxa, mater vero mortua eſt. Simile exemplum refert Schenckius obſerv. lib. 6. 793. de infante duabus nutricibus lactato, quæ ambæ peſte ſunt exſtinctæ, infante permanente in vivis, & optima valetudine fruente. Hic ſane ceſſat omnis ratio, cur infantes iſti immunes fuerint a contagio? Sanguine infecto lac ſimul contaminatum eſt, hoc enim nihil aliud eſt quam lympha pinguior, ſecreta a ſanguine invaſculis mammarum. Forte igitur magis inhæret ſanguini proprie dicto & ſpiritibus quam lymphæ: quod ſi hoc, cur a veſtibus & lecto non hauſerunt contagium, quod per lac non eſt communicatum? Confugiendum hic eſt ad peculiarem parvulorum iſtorum temperiem, qua fieri potuit, ut, quæ Dei fuit clementia, intacti manſerint. Videmus enim adultos nonnullos peſtis tempore, citra ullam noxam & abſque infectionis periculo cum ægrotantibus converſari, id quod naturæ ut loquuntur bonitati, & peculiari eorundem temperamento in acceptis ferendum eſt. Ancilla Rensburgenſis in domo infecta poſt mortem ſeptem perſonarum incolumis, aliam ingreſſa eſt domum, cujus omnes incolæ peſte ſunt demortui, ſola hac a contagio libera.

Præterea mali hujus in Holſatia ceſſatio, ſi non miraculi, certe inſoliti quid & vix auditi habuit. Poſtquam enim exercitus Suecicus ſub Steinbockio Ducatus hoſce ingreſſus eſt, quem Ruſſi preſſo pede ſunt ſubſecuti, id quod factum eſt poſt fatalem Danorum cladem ad Gadebuſchium, & circa initia anni 1713. Glückſtadii, Itzehoæ, Rensburgi & aliis locis, ubi peſtis nondum penitus exſtincta erat, hæc ſua ſponte præter omnium exſpectationem

ita

ita ceſſavit, ut ne veſtigium quidem ejus poſtea apparuerit, licet nulla ædium vel veſtimentorum, aut aliorum utenſilium facta ſit mundificatio, ita ut tum cives, tum Ruſſi Itzehoam, Rensburgum tranſeuntes lectis, in quibus paulo ante infecti demortui erant, ſine noxa & contagii periculo incubuerint. Ceſſare quidem ſolet peſtis poſtquam diutius deſæviit, & quemadmodum contagium, quod ſui eſt multiplicativum in infinitum, eundo creſcit, ita cum ad ſummum devenerit ſenſim ſenſimque iterum decreſcit, teſtantibus catalogis eorum, qui tum Hafniæ, tum Dantiſci & alibi peſte ſunt exſtincti. Et Roboretus de febri peticulari pag. 152. ex autopſia refert, a medio Junii, quando Nilus incipit creſcere, & calor imminui, infectionem in Ægypto ſubito ceſſare, quamvis antea maxime ſævierit, nec quemquam ab alio porro inſici, quamvis bubones adhuc in corpore habeant. Idem confirmat Razivilius epiſt. 3. In peſte Corcyræa cum omnes domûs repletæ eſſent ægrotis ac funeribus, Varro immiſſo feneſtris aquilone, & obſtructis peſtilentialibus, januaque etiam permutata, cæteraque ejus generis diligentia peſti obicem poſuit. 1. de R R. 4. Verum ubi hic Nilus, ubi ſimilis diligentia, quibus effectus iſte tribui poſſit. Sed ceſſavit forte contagium, quod vires eundo amiſerat, & præſens terror ob militem peregrinum terras noſtras invadentem ſubortus, peſtis ideam & formidinem tollere potuit ex hominum animis: contagium autem veſtibus & utenſilibus reliquis, domibuſque inhærens, & quod poſt plures annos ſæpe reviviſcit delere non valuit. Nemo igitur cauſam phyſicam facile determinabit, niſi multa velit fingere, & meras conjecturas in medium proferre. Agnoſcimus Divini Numinis miſericordiam, quæ duplici virga ſimul patriam plectere noluit, ſed in medio iræ peſtilentiæ obicem poſuit, ita ut omni fomite ejus ſemel & in momento exſtincto truculentiſſimus hicce morbus plane evanuerit. Simile quid obſervavit, quem antea laudavimus Lic. Heinichius, medicus doctus & longiori vita dignus: Elſignoræ ſcilicet lectos infectos extra urbem in domum publicam, annonæ ſervandæ deſtinatam ad tempus mundificationis depoſuerunt, unde poſt aliquot ſeptimanas, cum extraherentur, debitæ purificationi deſtinati, meliores eorundem furto ablati erant, nullo ſubſecuto veneni ulteriore progreſſu. Videant autem ii, qui peſtem contagioſam eſſe negant, num patrocinium quoddam ex his obſervationibus habere poſſint? Quos inter Peclinus declamationem adverſus morborum contagionem circa initia ſuperioris ſeculi edidit; e recentioribus Bartholdus Florianus Gerſtmannus in tumulo peſtis hactenus metu veneni, ut loquitur, occluſo, nunc per principia recentiorum, per rationes, per ſanam experientiam, & exempla aperto, & innoxio demonſtrato: ſcopus hujus tractatus unicus eſt, demonſtrare peſtem non eſſe contagioſam, ſed oriri tantum ex terrore aut imaginatione, atque his ſolummodo propagari. Ubi autem rerum teſtimonia adſunt, & tot ſeculorum experientia, ibi fruſtra ratiunculis dimicatur. Atque certiſſimum eſt, neminem peſte corripi, niſi ex commercio cum hominibus aut rebus infectis. Vid. Deuſing. diſquiſit. de

 peſte,

peſte, an contagioſa? Ipſi Turcæ contagium non negant; ſed non metuunt, unde plurimi peſte intereunt, evidenti teſtimonio, non metum ſed contagium peſtem producere. Si mori fatum ſit, inquiunt, referente Augerio Busbequio ep. 4. fruſtra declinatur; ſin contra, ſtulte metuitur. Itaque veſtes & lintea, in quibus peſte ægri animam exhalarunt, etiamnum a peſtifero ſudore madentes contrectant, immo iis perfricant faciem. Si Deo, inquiunt, viſum ut ſic moriar, fieri neceſſe eſt; ſin minus obeſſe non poterit. Sic contagioni latus patet aditus, totæque interdum familiæ ad unum emoriuntur. Hinc vero tanta ſtrages hominum oboritur, hinc tanta hominum pernicies, ut vel una nocte, ſeptem, octo, novem millia per urbem Cairum concidant. Sic ergo Turcas a peſte ſecuros ſed non tutos præſtat opinio.

TANTUM.



CLXXVIII.

ANTONII COCCHI,

DE

MORBO VARIOLARI,

QUO AFFECTATA EST PRÆNOBILIS MONIALIS

MARIA LIVIA BURGHESIA,

SUB FINEM ANNI MDCCXXXIX.

ACerbiſſima animi affectione vexabatur prænobilis monialis D. Maria Livia de excellentiſſima Burgheſiorum familia, quia dilectiſſimam ſororem, cum qua diu unanimiter vixerat, peſſimo variolarum genere ſibi ereptam oblivifci non poterat. Ambæ ſcilicet in primo formæ, atque ætatis flore terrenis ſe curis abdicaverant, ſacrumque divi dominici habitum tanquam nuptialem veſtem ſimul induerant, ut cæleſti ſponſo vacarent. Quas igitur non ſola neceſſitudo naturæ, ſed etiam virtutis amor conjunxerat, mors præcox, atque invida ſeparavit. Unde etiam contigit, ut in moniali noſtra ſopitus jam & prope extinctus reviviſceret dolor, quum aliam nuptui collocatam ſororem ſimili morbo interiiſſe recordaretur. Acceſſit & juſtiſſimus metus, ne ipſa quoque firmiorem agens ætatem, in hanc veluti vernaculam luem incideret: nondum enim naturæ perſolverat vectigal iſtud, quod teneris ut plurimum annis ſolet unuſquiſque perſolvere. Satis compertum eſt, quantum æger animus lege conſortii poſſit in machinam, cui tam arcto vinculo colligatur: *omnia namque* (loquitur Plato in Charmide) *vel bona, vel mala ab anima in corpus, & hominem totum manant.* Hinc variæ convulſiones, ſive hyſterici motus monialem cœperant infeſtare, itaut ſanguis ille quovis menſe deciduus, ſteterit interceptus. In hoc rerum diſcrimine inclitus ejus frater cardinalis Burgheſius, egregiis animi dotibus non minus, quam externa purpura eminentiſſimus, ſororis curam mihi committere non dubitavit.

Itaque D. Maria Livia carnoſi habitus, & plethorici temperamenti in clauſtris degens, ubi olim erant balnea Paulli Æmilii, luctu, ac mærore confecta non amplius emiſit ſanguinem, quem emittere conſueverat velut in tributum. Quo autem modo ſteterit ſanguis intelligo, advertens quod inciſa vena aliqua in homine puſillanimi tale vulnus exhorreſcente; certe ſanguis ob validam contractionem, quam univerſo vaſorum ſyſtemati metus infert, exilire quandoque non poteſt. Nil ergo mirum, ſi vaſis integris, & immani animi pathemate contractis, ſanguinis excretio fuerit impedita. Hinc faucium anguſtia, cordis, & arteriarum palpitatio, multiplex pulſus differentia, reſpiratio brevis, & crebra, denſa ſuſpiria, alternus lumborum calor, & frigus, & quod morbo hyſterico ſingulare, quod proprium, urina plane limpida, aquæ de rupe ſcaturienti perſimilis, quum renum ſuperficies a ſpaſmate connivens, aqueo tantum, non craſſioribus urinæ principiis aditum præberet. Rationem reddere videtur Hippocrates in libro de virginum morbis, dum ait: *ſanguis non habens effluxum, præ multitudine reſilit ad cor, & ad ſeptum tranſverſum. Quum igitur hæc repleta fuerint, cor fatuum fit, deinde ex fatuitate torpedo.* Ad rem quadrat eximie id, quod Livius dixit dec. 3. lib. 10. *Nulla magna civitas diu quieſcere poteſt: ſi foris hoſtem non habet,*

domi invenit. Ut prævalida corpora ab externis cauſis tuta videntur, ſed ſuis ipſa viribus onerantur. Immo ſubſiſtente ſanguine ſubſiſtunt etiam in ſanguine mille heterogeneæ, ac maleficæ particulæ, ideſt ſub ejus purpura non ſeparantur, nec expelluntur, ſed mutato ſitu mutant & nomen, & hunc aut illum morbum efficiunt. Adde herpetica quædam veſtigia, quæ in vultu, collo, & alibi ſe produnt. Adde imminutam perſpirationem ob cutis tubulos compreſſos, aut diſtortos a contractione animaſtica, & primarum viarum pondere, itaut maſſa ſanguinis magis crudeſceret, & magis magiſque aſperaretur. Adde anorexim, ſeu læſam digeſtionis officinam, nempe ſtomachum, qui animo male affecto diſtrahitur, & vexatur, quemadmodum adunco vulturis roſtro Titii *immortale jecur*, ut cecinit Maro, pertunditur.

Cauſæ pars maxima erat in ſubſtantia cogitante, ideoque dare hortabar ſuppetias animo per contrarias paſſiones, aut ſaltem animum ab illa divertere, qua magis affligebatur: non ſecus viridis virga incurva in partem oppoſitam curvari ſolet, ut recta iterum fiat. Miſſus illico eſt ſanguis ex ſaphena ad libram, & ultra; exhibitum poſtea diatartarum Petri Caſtelli, ut dejectis fæcibus pateret iter decoctioni, quæ ex rad. Chin. tragopog. & bardan. cum aliquot juniper. baccis violaceis contuſis, foliiſque chamedr. & meliſs. parata erat. Hujus quidem decoctionis uſu liquidorum diatheſis correcta, & ſanguinis excretio, quam orbi lunari vulgo attribuunt, revocata eſt: ita convaluit ægra nobiliſſima, ut toto Septembre ad nonum uſque & vigeſimum Octobris diem optime ſe haberet. Sed latebat adhuc hoſtilis materia: etenim die veneris & ejusdem menſis triceſimo ubi jam veſperaſceret, quatiente frigore correpta eſt, quod mox in calorem ſe ſe explicuit: dolebat capite, dolebat & dorſo perinde (ut cum ipſa loquar) acſi vapulaſſet: injuſſas, & mordaces lacrimas, auris utriuſque ſibilum, ſeu ſtridulum ſonum (dum ſtapes acuſticus, qui baſi ſua ovatam feneſtellam obſtruit, tacita vi in tremorem agitur, & ſubſultat, ſibilum mentitur) aridam tuſſim, difficultatem ſpirandi, & plura alia ſymptomata, quæ in ipſius moleſtiam convenerant, ea comitate, quam permittebat ægrotatio, referebat. Inclinata jam febre circa horam ſextam decimam fuit pro refectione pulticula; altera elapſa hora, dum febris recrudeſcebat, vomitu illam rejecit; & ſequenti, quam vigil, & anxia duxerat, nocte in ſudorem aliquo cum levamine profuſa eſt. Interim accuſabatur externa cauſa, a qua pendere poterat febrilis motus, nam excellentiſſima monialis mane per domeſticam vineam, flante licet Borea, obambulavit: porro intercepta inſenſibili tranſpiratione *manantia corpuſcula*, ut Celſus ex Aſclepiade contendit, *per caeca cutis foramina ſubſiſtendo iter claudunt, & motum efficiunt qualis in febre eſt.* dubio malo Dubiam curationem Fabii imitator adhibui, adprobante illuſtriſſimo, doctiſſimoque viro Antonio Leprotto ſummor. pont. *Clementis XII.* & *Benedicti XIV.* nunc fauſtiſſime regnantis

ar-

archiatro, & intimo cubiculario. Juſſi cucurbitulas ſiccas, ut ſcilicet cutis, quam Gliſſonus *univerſale corporis emunctorium* appellavit, ex plana curva fieret, & diductis poris perſpirabile eliderettur; & juſſi decoctum c. c. limat. cum foliis ſonchi, vel aquam deſtillatam card. benedict. in potum largiorem. At quoniam variolaris epidemia nondum erat extincta, ideo etſi nulla effulſerit macula, ſuſpicio tamen de variolis mihi incidit, invaluitque a diagnoſi, quam ſtrenuus obſervator Sydenham perhibet in adultis: *cum rigore, atque horrore invadunt, quos mox excipiunt calor intenſus, capitis, & dorſi vehemens dolor, vomituritio, ingens ad ſudores propenſio.* Currebat ſecundus Novembris, & quartus ab invaſione dies, qui terminus ebullitionis eſt, & variolarum exordium. Sub finem quarti præter quaſdam antiquas maculas novæ, & coloratæ in vultu, collo, & artubus emerſerunt, & defluxit rubicunda purgatio. Pulſus erat undoſus & mollis, facilis reſpiratio, & ægra ſe minus illaqueatam ſentiebat. Quintus dies, & præſertim pars ejus obſcura cum agitatione, & anxietate adventavit: deinde ſudoris copia ejecta eſt, & mole potius, quam numero augebantur puſtulæ, & puſtula ſatis conſpicua cum uva pendebat in fauces. Mane febrem fatiſcentem invenimus, & proſperam criſim: idque excellentiſſimæ D. Carpineti Duci de ſorore ſuperſtite multum ſollicitæ ſtatim retulimus, ut cenſuit qui mecum aderat litteris cultiſſimus comes Julius-Cæſar Mœrenda. Aquam hordei, in qua candens ferrum ſuffocabatur, pro gargariſmate uſurpabat ægra; bibebat autem modo vitulina jura inſulſa, modo aquam cardui benedicti, modo lacteſcentes expreſſiones ſeminum peponis, & papaveris albi, quibus non ſemel parum nitri ſtibiati adjunximus. Fovebantur interea ſpongiis calida imbutis pedum, & manuum volæ, ut nimirum laxatis apud illas extremitates fibris, & poris, a facie variolæ averterentur. Sextus pacatior, & nox fere quinque horarum ſomnum induxit: gliſcebant puſtulæ ſilente alvo, ita ut morboſa cutis fertilitas cohærentiam quodammodo affectaret. Videre erat quaſi teſſellatam puſtulis cutem, inflatas atque occiduas palpebras, manus digitoſque diſtentos & rigidos. Septimus, & nonus victoriæ ſigna latius aperuere. Undecimo ad ſuam tranquillitatem reverſus eſt ſanguis, & febris omnino deſiit. Succeſſit poſtmodum alia febris, quam ſuppuratoriam vocant, opportuna ut crudæ veſiculæ, ſeu puſtulæ maturarentur. Medium puſtularum genus neque confluens, neque diſcretum, ſed urticæ inſtar adurens. Hæ puſtulæ velut in metam aſſurgentes ſummum maturitatis gradum attigerunt, & luteo colore a favis, ſeu apum cellulis non abludebant; denique circa quartumdecimum in ſcorias tanquam ſcabioſas exuvias dilapſæ ſunt, & jam res in vado conſtiterat.

A D-

ADNOTATIONES.

INter alia, quæ efflorefcunt in cute, variolæ & morbilli recenſentur. Affectiones iſtæ fere cognatæ ſunt, & pueros præcipue infeſtant; habent commune ſeminium, communem ortum, & curationem non abſimilem ſæpe merentur: etenim ambæ per febrem acutam promotæ, noſtri peripheriam inflammant, elevant, & prurientem efficiunt. In morbillis oblonga, cubica, vel polnigona intervalla; in febre vulgo *Scarlatina* continuata eſt rubedo, quæ indolem eriſipelatis præ ſe fert. Sic lepra differt a ſcabie, nam lepra in tot veluti racemos diſperſa eſt, qui ex plurimis puſtulis conglobantur; & ſcabies, ut ait Celſus, *eſt continuata exulceratio pruriens:* nempe ſingulares ubique ſunt puſtulæ, & exiguis ſpatiis diſtinctæ. Morbilli parum extuberant, ita ut ſatius digito, quam oculorum acie deprehendi poſſint, & variolæ ſunt elatiora tubercula. Rurſus morbilli ex ſubtiliori, & magis æſtuante materia geniti, occulta perſpiratione diſſipantur, variolæ vero ſuppurari ſolent & in ſaniem abſcedere. Igitur variolæ non ſunt, niſi metaſtaſis quædam ſeu critica inflammatorii & plerunque epidemici fermenti in cutem translatio, ita ut primo ſe prodant rubentes maculæ, in augmento extuberent, in ſtatu materiam purulentam vel puri ſimilem contineant; in declinatione tandem areſcentes emoriantur, & ſquamularum inſtar decidant.

Veteres Græci affectiones hujusmodi fortaſſe norunt, etſi diverſo nomine earum naturam explicaverint: porro omnes, quæ ad cutim fiebant, eruptiones phymata, echtymata. & exanthemata præſertim vocabant, ut ipſe necdum barbatus inſpexi apud Hippocratem 1. epid. ſect. 2. *Papulæ parvæ, & non pro dignitate rationis excretionis morborum, & ſtatim rurſus evaneſcentes, aut juxta aures tumores, qui non ſolvebantur, & nullam de ſe ſignificationem præbebant: quibusdam in articulos, maxime vero in coxendicem, paucis judicatorio modo ceſſantes, & ſtatim rurſus ad habitum ab initio invaleſcentes. Moriebantur autem ex omnibus, & plurimi ex his pueri jam ablactati, & majores natu, octennes, ac decennes, & nondum puberes.* Et quidem Valleſius textum examinans ita concludit. *Veriſimile eſt ergo pueros, qui ſemitertiana laboraverant, in quibus pituita variolis, in quibus vero bilis prævaluerat, morbillis laboraſſe.* Nominis varietas rerum naturæ non officit. Puſtulæ ſeu eruptiones, quæ florum inſtar in cute emicant, unde exanthemata Græcis nominantur, febribus præſertim malignis, & peſtilentibus ſuperveniunt. Sed Hippocrates omnino variolas intellexiſſe videtur, dum in Coacis ait: *quibus in febribus exanthemata erumpunt per corpus univerſum, lethale, ſi non purulentus abſceſſus fiat.*

Præcipuum inter variolarum ſymptomata eſt dorſi dolor ſine manifeſta cauſa, & provenit ab æſtu ſanguinis aortam diſtendente, Variolæ ſunt puſtu-

puſtulæ in cute aut diſcretæ, aut cohærentes; aut confluentes; & puſtulas imitantur, quæ a combuſtione inſurgunt. Virulentum ſerum, ſicut fæces a muſto, ad corporis ambitum extruditur: ebullit ſane multum, ut defæcetur, & vini nomen acquirat: haud ſecus ebullit ſanguis, tendens ad variolarem deſpumationem; non tamen in muſto, ſicut in ſanguine ebulliente dies impares ſeptimum, undecimum, quartumdecimum adeo religioſe intuemur. Quæcunque in cute ſecretio non per glandulas miliares, ut hactenus opinati ſunt, ſed per ſolos laterales & quaſi ſpurios arteriarum ramuſculos fieri ſolet, quemadmodum ſecretio maxima, nempe chyli ſecretio, fit per ſola vaſorum lacteorum oſtiola. Variolarum ſedes eſt cutis; idque probatur ex reniſu tuberculorum, ex maturatione eorundem, & cavis cicatriculis: fomes vero in hoc aut illo viſcere deliteſcit, nimirum extra ſanguinis ſphæram. Uteri hoſpes chiloſo latice, in quo innatat, nutritur; ſed iſte latex non adeo ſincerus eſt, quia diutius hæret inter membranas fetum involventes, neque in ipſo fetu repurgari poteſt ob denegatam inſenſibilem perſpirationem, denegatumque ſanguinis per pulmones circuitum. Propterea pars chyli impurior in ſeceſſu aliquo reſidet jacetque, & lapſu temporis naturam induit ſanguini plane inimicam, & nonniſi certe ætheri, ſeu certe aëris mixturæ obtemperat, ut Jo. Jacobus Waldſchmidt indicavit: *Quæ labes*, inquit Daniel Sennertus de febrib. lib. 4. cap. 12. *ſi a cauſa cæleſti in actum deducatur, & ab aeris vitio natura ad expulſionem ſtimuletur, aut ſi per contagium, quod ſæpe fit, malum hoc diſſeminetur, tunc variolæ, & morbilli infantibus epidemii ſunt. Si vero natura ſolum a cauſa interna excitata, & ſtimulata hanc expulſionem tentet, nihil obſtat, quin etiam privatim, & ſparſim morborum ſporadicorum modo, diverſo tempore nunc hos, nunc illos infantes variolæ, & morbilli invadere poſſint.*

Ecquid dicam de variolarum inſitione? de hac ſatis ſcripſerunt Maitland, Pilarinus, Le Duc, Vaterus, Wreden, Harris. Denique Heiſterus de operat. Chirurgic. cap. 15. poſtquam inſitionis modum, & inſitionem ipſam in Regia ſtirpe tentatam retulit, ſic habet: *creſcere cum ætate abditi veneni illius vim non ſine maxima veritatis ſpecie dixeris: namque id ipſum in cauſa videtur eſſe, quare longe gravius adulti, quam infantes divexari a variolis utplurimum ſoleant. Igitur quando variolarum benigniorum inſitio præſtat, ut citius atque in ipſa ſtatim infantia deferveſcere ſanguinis venenum iſtud queat, dubium ſane haud eſt quin homines quam plurimi præſertim nobiliores, ac principes non a graviſſimis tantum malis, ſed ab ipſo mortis diſcrimine per novum iſtud medicinæ genus defendi poſſint.* Nemo autem inficias ibit, quod firmior ætas majus ex variolis periculum ſubit, tum quia liquida acriora ſunt, tum quia denſior cutis, & pori magis anguſti.

Materia extra ſanguinis ſphæram collecta, latens diu & otioſa, ſi poſt hominem natum provocetur, & efferveſcat; tanquam bellatrix ad

ſanguinem redit, & inflammatoriam, ſeu puſtuloſam febrem inducit. Variolæ, quas confluentes vocant, ita cumulantur in cute, ſeque invicem ſtringunt, ut aliis erupturis exitum, & iis, quæ jam eruperunt, elationem, ac maturationem impediant. Sic populus dum per pontem aliquem veluti undatim fertur, ita ſe invicem urget premit collidit, ut nec ire nec ſtare libere poſſit. Confluentes & pernicioſæ variolæ turpem ſui memoriam relinquunt, nempe cicatriculas; & ratio eſt, quia partem cutis exteriorem abſumunt: contra nulla ſupereſt a ſcabie deformis cicatrix, nam acris & rabioſa materia ultimam dumtaxat ſuperficiem (epidermida vocant) corrodit, & ulcerat. Omittere nolo id quod ſubdit Sennertus: *poſtquam ſatis maturatas eſſe ex mollitie, albedine, & doloris remiſſione apparet, id quod poſt ſeptimum diem ab exitu earum, qui eſt morbi dies undecimus, contingit, Arabes eas aperiri jubent, niſi ſua ſponte aperiantur, ne ſanies diutius retenta ſeu coercita vel retrocedat, vel acrior reddita cutem profundius exedat. Aperiantur ergo puſtulæ, ſanieſque molliter abſtergatur. Aperiunt autem acu in primis aureola.*

Urgente plethora, & ſimul febrili orgaſmo, ſanguis tumet & inſolenter aſſurgit diametro major ſeu capacitate canalium; tunc niſi mittatur ſanguis, ea materia quæ cute capi non poteſt, intro reflectitur, & vel in faucibus decumbit, & anginam, vel in pulmonibus, & pneumoniam, vel in inteſtinis, & fluxum dyſentericum gignit. Verum ad ſanguinis miſſionem ante quartum diem, aut ſane priuſquam variolæ adpareant, veniendum, ut nempe canalibus vis elaſtica, ſanguini fermentationis libertas vindicetur, & ttmultuoſæ particulæ dirigantur ad cutem: educto enim ſanguine, pars etiam materiæ peccantis educitur. Tolle igitur opprimentem ſarcinam, ut id quod remanet ſeparetur, atque expellatur. Avenzoar filio ſuo tertium annum agenti non pepercit, & Raſis imperabat, ut etiam pueris ſupra quintum menſem ſanguis per cucurbitulas detraheretur. Nonnulli venæ ſectionem in adultis admittunt, docente id natura, quia ſæpe narium hæmorrhagiam excitat proficuam, & ſalutarem: *quibus large ſanguis e naribus erupit, per hoc maxime ſervabantur.* Hipp. 1. epid. ſect. 2. graſſante tunc febrium ardentium genere, ad quod febris variolaris reduci poteſt. Harris vero in tenerrimis homunculis, ut objectionem diluat, ſacram memorat hæmorrhagiam, nempe venæ ſectionem, quæ *circumciſio* appellatur, olim a Summo Numine inſtitutam.

Deinde ſi alvus adſtrictior ſit aut cathartico, aut ſaltem enemate, abjecta viarum ſtatim exoneranda ſunt. Jo. Helfricus Junghen ex gr. decenni puero ſublimatum dulce cum diacrydio ſulphurato, vel emeticum vult exhiberi. An nimis audacter? Quippe ſi accidat vomitus ante variolas, & diarrhæa in pueris quovis variolarum tempore, ſicut ſalivatio copioſa in adultis, quandam morbi ſecuritatem pollicetur.

Morbilli citius, variolæ tardius erumpunt: ex his ſanies, ex illis nihil humoris manat. Quo Natura diutius variolas expellit,

dummo-

dummodo non deferbuerit ſanguis, eo certius atque exactius ſeparationem abſolvit & perficit; quia ſenſim expugnat & ſubigit quod incongruum, quod heterogeneum; quod malignum eſt & cum ſanguine intra arterias, & venas alte confuſum. Sic etiam in aliis acutis febribus criſim ante coctionem ſeu devictæ materiæ ſeparationem, moliri nequit.

Si vero febris, dum jam erumpunt variolæ, ſupra modum exardeat, & ſimul accedant vigiliæ contumaces, dira ſitis, anxietas, deliria, tendinum ſubſultus &c. *ſtatim cucurbiculæ in ſcapulis*, juxta Baglivi præceptum, *ſcarificentur; & momento facta quaſi furentis ſanguinis revulſione, omnia prædicta ſymptomata veluti in ovo ſuffocantur, & paullo poſt feliciter erumpunt variolæ.* Diluente præterea & acidulo remedio uterer, ut aqua oxalidis cum ſucco citri, aut mali Punici; vel aqua ſonchi cum vitrioli ſpiritu, vel ſola frigida. Dignum denique eſt uſurpari laudanum liquidum Thomæ Sydenham, quo tanquam Helenæ pharmaco reliqua curatio expleatur. Impendente maturatione vinum e cochleari ſumi lubenter permittimus.

Aqua frigida prodeſt papulis rubicundis, quales alia, atque alia ex parte erumpunt. Hippocrates lib. de humidorum uſu. Igitur ſi Græcus Pater in papulis rubicundis frigidam commendabat, quum papulæ in pueris rubicundæ nil aliud revera ſint quam variolæ, gliſcente & ad ſtatum vergente febre plurimum juvare poteſt frigida: etenim effervcſcentias moderatur, humores demulcet placatque, & ſeparationes melius promovet. Perperam nonnulli in variolis, & morbillis valentiora diaphoretica propinant: nam ſanguis auctis ſtimulis fundi, & colliquari potius; quam repurgari ſolet. Jure optimo ſapientes conclave calidum, & lectum ipſum ante quartum diem abhorrent, ne ſcilicet ſeparationis motus diſtrahatur, ſed ſemper æqualis ſervetur. Quapropter lodix lodici addenda non eſt: ſub eodem veſtium pondere; ſub quo cæpit ægrotare, perſiſtat æger, ne Tiberii incurrat calamitatem, de qua Tacitus Annal. lib. 6. num. 50. *Cæſar in ſilentium fixus, a ſumma ſpe noviſſima exſpectabat. Macro intrepidus opprimi ſenem injectu multæ veſtis jubet, diſcedique ab limine. Sic Tiberius finivit octavo & ſeptuageſimo ætatis anno.* Dictator Anglus cap. de variolis aſſerit, *plures in calidiori regimine mori, quam in frigidiori: ex calidiori enim regimine nihil boni naſci poterit, ſicut ex præcipiti fructu nihil frugi:* idem eſt, ac ſi ficus vi pollicis maturetur. Adhibebat proinde non diſſolventia; ſed diluentia, nempe decoctum album ex pane, & cornu cervino crudo in aqua plurima paratum. *Nec eo* (proſequitur Sydenham) *tantum profecit ingeſti liquoris copia, ut inſignem colorem cum maturationis febre præcipue vigentem reſtingueret, ſed quatenus ptyaliſmum etiam promoveret, & diutius quam fieri ſolet, protraheret, ſi æger nimium æſtuaret. Præter hæc omnia ſæqe numero ita bene ceſſiſſe liquores hoſce affatim hauſtos obſervavi, ut eorum uſu variolæ, quæ cum peſſimis confluentiæ ſignis exibant, progrediente morbo diſtinctæ ſint factæ puſtulæ, quæ matureſcentes rubram*

primo, mox nigram materiam aliter evomuiſſent, flaviſſimæ comparerent, pro efferatis inſuper, atque minutulis benigni atque optimi moris haberentur. Contra ex calidiori regimine flacceſcunt puſtulæ, ſubſidunt, & in medio ſui nigricant, & maculæ purpureæ (petechias dicunt) interſperſæ mox vibicis inſtar liveſcunt; & ſuperveniunt phrenitis, & coma. Purpureas maculas, tanquam minutas ecchymoſes deſcribit Carolus de la Font de venen. peſtilent. diſſert. 1. cap. 15. *ſubtiliores veneni corroſivi particulæ quaquaverſum per ambitum corporis avolare nituntur, & in tranſitu veluti totidem ſpicula ſubtiliſſima partes ubique ſauciant, atque vulnerant, unde ſanguis ſub cutem per particulas effunditur, ibidemque ſtigmatum illas apparentias creat.*

Arabes lentem, caricas, & tragacanthum in variolis prædicabant, ne ob nimiam fuſionem vires fatiſcerent, & villi, ſeu ligamina ſanguinisdetererentur. Noſtra etiam intereſt id præcavere *Anglici ſudoris* exemplo, cujus originem & remedia exponit Baco Verulamius Britannici ſigilli cuſtos. Ecquid poteſt legumen illud, quod ſignatura ſua, ſeu forma variolis ſimile eſt? poteſt, quia poſſe videtur, niſi dixeris, poſſe ob terream, & ſtypticam vim. Lentes tanquam funebre edulium luctus tempore Judæi accipiunt: porro lentium eſt, improbum ſanguinem atque melancholicum gignere. & mentem turbare, teſtante Amato Luſitano in Dioſcoridem. Nondum Cardanus lib. 2. de tuend. ſanit. cap. 12. mirari deſinit *eorum Medicorum tam ſtupidam cæcitatem, qui lentes ægris exhibent & maximo, ut dicunt, juvamento, quum ſæva ſecum ſymptomata, quæ Dioſcorides recenſet, afferant; nec ſolum in morbis chronicis quamplurimis, ut quartana, ſcotomia, vertigine, cephalea, ſed etiam in acutis, ut pleuritide, & variolis, & morbillis exhibere audent.*

Simon Paullus Hilſcherius de radendo in variolis capite diſſeruit, & proluſioni ſuæ anſam præbuit felix hujus raſuræ ſucceſſus, *quem Hiſpaniarum Princeps Carolus ex Medicorum Hiſpanorum conſilio, atque jam ante biennium alius Saxoniæ Princeps ex Medici Galli ſententia, experti ſunt.* Vide Commercium litterarium Norimbergæ editum anno 1732. Utique ſudor, aut tranſpiratio liberior fit, amputatis capillis, & deliria arceantur, & multum adimatur morboſæ materiæ, quæ redundat in ſanguine. Imo capillorum ſuccus viſcoſior eſt, oleoſis, ſalſis, terreisque particulis conſtans; & huic affinis videtur eſſe variolaris materia, quæ ſerum eſt viſcido-oleoſum multas acres particulas involvens; obſervamus præterea bruta, quibus natura corporis habitum valde piloſum, aut pinnatum dedit, variolis non corripi, ut homines, qui glabro, nudoque habitu corporis prædití ſunt. Sed tu forſan objicies quod narrat Ramazzinus in conſtitutione epidemica rurali: *tubercula autem illa, quæ in capite, collo, & cruribus pecudum viſebantur, revera variolas fuiſſe licet profecto aſſerere, quando nec colore, nec liquore in illis contento, nec magnitudine, nec modo, quo ſolvebantur, poſt ſupurationem nigra cruſta ſuperſtite*

quic-

quicquam a puerorum variolis diſcrepabant. Addo capillorum examen a Malpighio, Chiraco, & Bergero deductum, nempe unctuoſæ, & falſæ tranſpirationi capillos famulari. In caſu noſtro abſciſſa jam coma eſt, forma non prohibente, & raſura capillorum, quam opportune morbus invenit, juvare potuit, ne facies variolis temeraretur, nam in verticis cutem utpote viciniorem variolarum ſeries expulſa eſt.

Reliquum eſt, ut referamus haud contemnendam obſervationem. In variolarum confluxu non ſemel a Clinicis obſervatum eſt, pueros illos, qui ſupercilium ſibi alte lacerarunt, convulſos & aphonos periiſſe; contra, ſi epilepſia anteverterit, variolas raro confluere: id quod palpitatio in corde, eſt in dura matre epilepſia. Vulnera ſupercilii, & carbunculi, ſeu papulæ veluti inuſtæ ſupercilio; epilepticos motus, & mortem ipſam non tantum pueris, verum & adultis inferre ſolent. Nimirum lacerato ſupercilio convulſiva undulatio æſtuat in dura matre, quæ nervum orbita egreſſurum circundat, & cingit. Inter externa cranii foramina in aſſurgente oſſe frontis duo ſunt, per qua tranſit *nervus ophthalmicus*, ſcilicet propago quædam nervoſa, ut muſculo, qui ab uno ad alterum oculi angulum in orbem ductus eſt, inſeratur; unde etiam ad frontis cutem pertingit. Hæc quinti paris propago eſt. Par quintum nomine guſtatoris primi vocitabatur, ſed a quibuſdam potius linguæ motor habitum eſt, nam ex lateribus proceſſus anularis in muſculos, qui linguam conſtituunt, ſe diffundit. Nonum vero par, quod pluribus filis exit olivaria inter & pyramidata corpora, ſemicirculi ſpecie in linguam inſeritur, *linguale* ab Heiſtero, & *guſtator* a Boerhaavio appellatur: hoc linguam penetrat, & deſinit in papillas. Utcunque ſit, dura mater vitæ automatum facile princeps, jure conſenſus laceſſita & plus æquo contracta, ſive inflammatorie affecta movetur ſupra duos reniſus cerebri, & cordis: in falcato tamen tendine, & lacertoſis hemiſphæriis vectis momentum prævalet: quippe ſucceſſivo atque inordinato impetu ſolida colliduntur; ſive nerveus ſuccus nedum in par vagum, ſed etam in par nodoſum, quod Thomæ Willis & Franciſco Bayle ante alios innotuit, violenter exprimitur, & ſic, ut Hippocrates lib. de gland. adnotavit, *cerebrum convellit, totumque hominem diſtrahit.* Muſculi vero, qui morbo ſerviunt, dum artus huc illuc rapere coguntur, iidem ſunt, qui ſerviunt voluntati, dum citharœdus fila harmonica variis digitorum motibus pulſat, & ſaltator numeroſis pedum jactamentis ſolum percutit. Nil ergo mirum, ex lacerato ſupercilio per epilepticam veluti ſtrangulationem multos ſupremum diem obiiſſe. Sed Aegra noſtra præmonita etiam ſupercilio parcebat, quaſi ſibi dictum exiſtimans quod ſcripſit Seneca epiſt. 78. *Quid porro? nihil agere te credis, ſi temperans æger ſis? oſtendes morbum poſſe ſuperari, vel certe ſuſtineri: Eſt, mihi crede, virtuti etiam in lectulo locus.*

FINIS.

CASP-

CLXXIX

CASP. GUILIELMI BEUSSER

ET

JOAN. THEODORI FABER,

DISSERTATIO SISTENS

HISTORIAM MORBI

ET

SECTIONEM CADAVERIS VARIOLIS CONFLUENTIBUS DEFUNCTI CUM EPICRISI.

Heidelberg. 1731.

PRÆFATIO.

B. L.

QUi divinam illam artem ſanitatem hominis integram conſervandi, & labefactatam reſtituendi profitetur, ille non ſolum corporis humani ſtructuram naturalem, ſed & ejuſdem præternaturalem ſtatum debet intelligere; utrumque præſtat anatomia; illud quidem docet ſectio cadaverum violenta morte peremtorum, hoc vero morbis defunctorum; hinc etiam ab eo tempore, quo magis excultum fuit ſtudium anatomicum, ars medica uno anno majus ſumſit incrementum, quam multis antea ſeculis; inprimis autem anatomia cadaverum morbis extinctorum, quam practicam vocare ſolent, duplicem habet uſum, non ſolum enim abditas morborum cauſas ob oculos ponit, ſed & uſum omnium partium corporis humani, imo non raro minimarum in ſtatu naturali inviſibilium veram ſtructuram detegit; hanc etiam ob cauſam, dum mihi diſſertatio inauguralis conſcribenda fuit præ cæteris thema anatomico practicum delegi, cujus occaſionem dedit præmaturus obitus ſereniſſimi cujuſdam principis variolis confluentibus defuncti; hiſtoriam igitur hujus morbi & cadaveris ſectionem breviter deſcribam, & ſimul meam qualemcunque ἐπίκρισιν addam; ne vero diſſertationis Academicæ limites excedat tractatio, de ipſo morbi decurſu non agam, at ſaltem, quæ ſectio cadaveris exhibuit, breviter explicaturus. Faxit Deus, ut omnia cedant in ſui nominis gloriam & proximi ſalutem! Tu vero B. L. ſpecimen hoc Academicum æqui bonique conſule!

CAPUT PRIMUM.

Siſtens morbi hiſtoriam & cadaveris ſectionem.

ANno 1728, d. 3 Maii Sereniſſimus quidam princeps viginti ſeptem annorum, dum iter decem circiter milliarium una die fecerat, gravem oculi ſiniſtri inflammationem contraxit, hinc lectum petiit, noctem autem, ſub præcordiorum anxietatibus, inquietam tranſegit.

2. Morbi die ophthalmia quidem aptis remediis fuit mitigata, ſed veſperi circa horam 6tam S. P. inopinato ſenſit laſſitudinem, oſcitationes, horripilationes, dolores dorſi & artuum, cum immani cephalalgia atque præcordiorum anguſtiis, quibus immediate ſucceſſit calor febrilis cum pulſu celeri ſed æquali; quare propinatus fuit pulvis. Ex abſorb. c. ☽. & cinabris nihilominus hæc ſymptomata ſequentem noctem reddiderunt valde inquietam; neque die morbi.

3. Remiſerunt, ⊡. erat clara ſed naturali tinctior, & alvus obſtructa; contra ophthalmiam nondum ceſſantem ſecta fuit vena & ℥vj. vel vij. ſanguinis craſſi & viſcidi emiſſæ, & mixtura quædam ex ▽is diaphoreticis & bezoardicis terreis propinata; quo facto ſymptomata paululum mitigata fuerunt & nox tranquillior.

4. Die ſymptomata omnia recrudeſcebant, pulſus erat celer, ⊡ craſſa & turbida, ſine ſedimento, alvus obſtructa & S. P. tota die ſomnolentus erat, atque ſub ſomno deliravit; circa veſperam ophthalmia oculum etiam dextrum occupavit, noctu præcordiorum anguſtiæ invaleſcebant, & S. P. tam hac nocte, quam ſequente die uſque ad meridiem cum ſumma inquietudine frequentes, imo uſque ad viginti vomitus bilis & pauci muci patiebatur.

5. Die in facie & pectore apparebant copioſa exanthemata, inſtar ſeminis milii, ſub cute latentia, quæ magis magiſque prodibant, imo in ſiniſtro latere jam vera puſtula varioloſa conſpiciebatur, pulſus erat celerior, ⊡ clara; poſt meridiem accedebat diarrhæa, qua hac die & ſequente nocte (quam rurſus inſomnem & valde inquietam tranſegit) 8 ad 10 ſedes habebat. Interim ſupra dicta mixtura diaphoretica & mixtura ſimplex cum eſſent. ſcord. mixta, in infuſo fol. thè alternatim propinabantur.

6. Die ſymptomata omnia, & inprimis præcordiorum anxietas mitigata, & S. P. alacrior videbatur; variolæ copioſiſſime prodibant, pulſus erat naturalis; circa veſperam accedebat moderata tuſſis & faucium aſperitas, cum leni ſalivatione, quæ tamen paulatim aucta nocte ſequente ſomnum turbavit.

7. Die variolæ adhuc copioſiſſimæ in cute conſpiciebantur, cum leni corporis

poris madore, pulſus paulo celerior, ſomnus vero quietior erat, quamvis tuſſi & ſalivatione interruptus.

8. Die variolæ pure turgebant & confluebant, pulſus naturali ſimilis, alvus adhuc obſtructa erat, facies valde tumebat, ſalivatio continuabat, & S. P. alacrior videbatur atque loco prandii juſculum ſumſit & poſtea aliquot panes ſaccharatos (biſcuits) vino imbutos; veſperi vero redibat febrilis calor cum pulſu celeriore, dolore urente variolarum & inquietudine, quare pulv. abſorb. bezoard. S. c. ⊖ & cinab. dabatur. Nox erat inquieta.

9. Die S. P. ſomnolentus erat, febris cum reliquis ſymptomatibus adhuc durabat; ⊡ clara & ſubflava tandem in fundum deponebat parvas, albas particulas inſtar ſquamularum; variolæ in toto corpore magis turgebant, facies valde tumida oculos claudebat; loco prandii ſumebat juſculum & poſtea emulſ. amygd. d. tenue. Circa veſperam S. P. valde inquietus & impatiens redditus lectum bis mutabat, febris aucta noctem reddidit valde inquietam & inſomnem.

10. Die febris cum ſuis ſymptomatibus adhuc durabat, variolæ apparebant depreſſæ, & in pedibus hic illic puncta nigra inſtar ſanguinis coagulati habebant. In facie vero exſiccari incipiebant & valde fœtebant. Salivatio adhuc durabat, appetitus erat dejectus, & S. P. nil niſi emulſ. amygd. d. avide deſiderabat, quod etiam tenue & tepidum porrigebatur. Dum ita cum ſumma inquietudine & frequenti lecti mutatione diem noctemque tranſegit, poſt mediam noctem accedebat ſingultus, qui tamen exhibitis paucis guttis eſſent. pimpinell. alb. iterum ceſſabat.

11. Die ſymptomata omnia adhuc erant in eodem ſtatu, variolæ in facie exſiccari incipiebant, in pedibus vero depreſſæ erant & nonnullæ nigreſcebant, manente tamen circulo rubicundo; præterea conquerebatur S. P. de faucium ardore, quas proin infuſo fol. thè eluebat, imo tandem, invitis medicis, ▽ frigidam bibebat, quo facto ſtatim redibat ſingultus nunc pertinacior, interim dabatur potiuncula ex ▽is diapnoicis c. pulv. pannon. March. ſpec. ceph. Nox erat rurſus valde inquieta, & ſomnus frequenti lecti mutatione, ſalivatione atque ſingultu turbatus; quare eſſent. alexipharm. Stahl. paucæ guttæ cum largo vehiculo propinabantur, unde variolæ denuo turgidiores factæ fuerunt.

12. Die variolæ quidem adhuc tumentes & ſuppurantes videbantur, ſed ſingultus & ſumma inquietudo, non remittebant, adeo ut S. P. ſingulis fere horæ quadrantibus lectum mutaverit, vires decreſcebant, deglutitio erat difficilis, quare denuo mixtura ex ▽. diaph. theriacal. & diaſcord. fracaſt. fuit propinata; hinc quidem nox paulo quietior reddita, ſed tamen S. P. in eodem lecto detineri non potuit.

13. Die eadem ſymptomata inprimis ſumma inquietudo adhuc urgebant, variolæ depreſſæ paulatim exſiccari videbantur, poſtquam à 6to. morbi die, hucuſque alvus erat clauſa, hodie veſperi S. P. fœces alvinas egeſſit

paucas & duras; quo facto inquietudo paululum remittebat, & obrepente levi ſomno nox erat tanquillior.

14. Die omnia fere in melius mutata videbantur, S. P. erat alacrior, infuſum thè ſine difficultate deglutiebat, ſingultus ceſſabat, pulſus naturalis erat & variolæ bene conſtitutæ videbantur, aderat tamen adhuc faucium ardor, qui vero inunctis ▽. plantag. prunell. & mell. roſac. fuit mitigatus. Circa meridiem vero ſubito redibat pulſus celer cum calore intenſo & inquietudine aucta, variolæ flacceſcebant & paulatim indurabantur, quibus ſequente nocte ſuccedebant anxietas, faucium major ardor & ſiccitas, reſpiratio difficilis, tuſſis & virium proſtratio.

15. Die mane pulſus valde celer & inæqualis erat, ⊡ rubicunda, variolæ ſiccæ & duræ, lingua arida ad aphoniam uſque, reſpiratio admodum difficilis & debilis, quæ ſymptomata omnia ſenſim augebantur donec accedente ſumma virium proſtratione, pulſu debili intermittente & myuro circa horam 11. S. P. placide & pie expiraret.

Aperto cadavere deprehenſum fuit omentum totum valde inflammatum, ut & inteſtina præcipue tenuia propter imminentem gangrænam maximam partem ex atro rubebant; interior eorum tunica villoſa, humore viſcido & purulento naturali inteſtinorum muco non ſimili obſeſſa, quamvis in ea nulla exulceratio fuerit inventa; hepar, lien & renes videbantur in ſtatu naturali; in diaphragmatis ſubſtantia tendinea pars magnitudinis floreni obſcure rubebat & partim ſphaceloſa erat; lobus pulmonum ſiniſter nigricabat ut & dexter, minus tamen ſiniſtro & non niſi hic illic in circumferentia. In cordis ventriculis & vaſis majoribus parum erat ſanguinis, in utroque ventriculo autem verus polypus, quorum ille in dextro ventriculo tenaciter adhærebat & 3. digitos tranſverſos longus erat; tunica interna aſperæ arteriæ quoque erat gangrænoſa, & in interna œſophagi membrana multa & parva tubercula conſpiciebantur. Cæterum neque in cerebro & meningibus neque in aliis partibus internis præternaturale quid fuit detectum.

CAPUT II.

De inflammatione partium internarum a variolis.

Medicorum nulli non conſtat, corpus humanum admodum eſſe perſpirabile, ita ut foras intus & intus foras facile penetrent particulæ, divinum quidem hoc eſt beneficium, quo non ſolum noxium omne, vi hujus mechanicæ ſtructuræ, adjuvante humorum motu facile plerumque expellitur, ſed & externa remedia applicata in corpus magnam habent efficaciam, attamen etiam docet experientia, hanc ipſam per-

perſpirabilitatem eſſe cauſam, quod non raro morbi leviores, vel quorum periculum jam videtur eſſe ſuperatum, graviſſima poſtmodum inducant ſymptomata imo lethales fiant; teſtatur hoc præſens caſus, quo variolæ confluentes, poſtquam copioſæ prodierunt, inſigne levamen & ſpem ſalutis attulerunt, ſed dein recedentes miaſma ſuum virulentum ad nobiliora viſcera dimiſerunt, atque in iis lethalem inflammationem produxerunt.

Quod vias attinet, per quas miaſma varioloſum ex cute ad interiora viſcera adeo promte poſſit penetrare, mihi quidem extra omne dubium videtur eſſe, illud per eaſdem vias vaſa videlicet ſanguinea & lymphatica, per quæ ad cutem fuit deductum ex hac ad interiora poſſe refluere, ſanguini ſcilicet remiſcetur, & cum hoc æque ac humoribus a ſanguine ſecretis ad partes internas reducitur. Interim non dubito in multis ægris variolis decumbentibus tam in partibus internis quam in cute puſtulas varioloſas efflorescere, & non ſolum inflammationes graviores ſed & peſſima ſymptomata interdum producere quamvis nulla materiæ varioloſæ fiat receſſio. vid. Huld. Pelargi obſerv. clinicæ *von Blattern und Maſſern*, ubi non ſolum varios caſus ſed & auctores, qui ſe ejuſmodi vidiſſe teſtantur, recenſet; item *Breſslauer Natur und* medicin *Geſchichten* An. 1719. p. 567. Et ipſe noſter caſus hoc videtur docere, dum S. P. die 9no. morbi [urinam] emiſit, quaſi ſquamulas ad fundum dimittentem, quæ ex variolis in veſica exſiſtentibus non male derivantur; quare triſtem hujus morbi exitum non ſolum variolarum receſſioni ſed & earundem in partibus nobilioribus efflorescentiæ merito adſcribimus.

Notari quoque meretur, quomodo & quæ ſymptomata miaſma varioloſum partibus internis adhærens in hoc caſu produxerit: ubi primo miaſmatis hujus corroſiva & cauſtica vis conſideranda venit, quæ quamvis in benignis variolis mitior eſſe ſoleat, in confluentibus tamen & malignis adeo intenſa ſæpe obſervatur, ut non ſolum partes molliores, glanduloſas, membranaceas &c. prompte inflammet, & vel abſceſſus graviores efficiat, vel eas plane gangrænoſas & ſphaceloſas reddat, cujus multa exempla in Ephem. N. C. Boneti ſepulchreto, aliiſque Auctoribus, quos brevitatis ſtudio prætereo, leguntur, ſed & ipſa oſſa erodat, iiſque cariem curatu admodum difficilem inducat, de qua re vid. præter loca c. Ant. Sidobre var. & morb. p. 150.

Dein quoque docent obſervationes medicæ, quod vel ipſæ variolæ, vel earum miaſma retropulſum, ſi partibus internis membranoſis atque nerveis adhæreant, præcipitem & funeſtum magis habeant exitum, partim quoniam hæ partes affectæ actionibus vitalibus vel plane non amplius, vel ſaltem non debite poſſunt præeſſe, & præterea, quoniam ob copioſos, quibus gaudent, nervos valde ſenſibiles ſunt, totum corpus in conſenſum trahunt, & dum irritatis nervis vehementer ſtringuntur, reſolutio ſtaſis impeditur, inflammatio augetur & accedente peculiari acti-

tivitate miaſmatis venenati in ſanguinem hic corrumpitur & quaſi putredinem induit, quæ dein reliquis humoribus promte communicata brevi tempore totam corporis humani machinam deſtruit; idem in noſtro caſu accidiſſe teſtatur ſectio anatomica, qua omentum, inteſtina, diaphragma, pulmones, & interna aſperæ arteriæ tunica inflammata, gangrænoſa & partim ſphaceloſa deprehenſa fuerunt; imo vivente adhuc S. P. modo dictarum partium inflammationem arguebant ſymptomata ultimis morbi diebus obſervata, febris ſc. inflammatoria intenſa, variolarum ſubſidentia, & in nonnullis nigredo, inquietudo ſumma, faucium ardor & ſiccitas, ſingultus, præcordiorum anxietas, reſpiratio difficilis, tuſſis & tandem ſumma virium proſtratio. Quodſi præterea paulo accuratius dictorum viſcerum inflammationes ſigillatim perpenduntur & cum morbi ſymptomatibus conferuntur, varia ſe nobis offerunt in praxi non inutilia, e quibus inprimis inflammatio & ſphacelus diaphragmatis in parte ejus tendinea notatu digna ſunt; ſolent enim plerique medici inflammationem diaphragmatis vocare paraphrenitidem, quam cum delirio ſemper eſſe conjunctam credunt, & quidem eam ob cauſam, quia hoc viſcus multis abundat nervis præcipue a pari vago, qui, ſi irritantur, nervorum principium in conſenſum trahunt, unde ſpirituum animalium motus turbatur, ſicque delirium oritur; falſam autem eſſe hanc hypotheſin præſens noſter caſus, & ſectio cadaveris manifeſte docent; hic enim non ſolum inflammatum erat diaphragma ſed etiam partim ſphaceloſum, & quidem in parte ejus tendinea, maxime ſenſibili, & tamen nullum delirium, ita dictum, paraphreniticum fuit obſervatum; unde merito concludo vel paraphrenitidem male definiri, quod ſit inflammatio diaphragmatis, vel illam non ſemper cum delirio eſſe junctam. Non ſolum autem hoc noſter caſus teſtatur, ſed & idem jam alii nonnulli obſervarunt, inter quos inprimis legi meretur Bonet. Sepulchretum T. I. p. 187. qui exempla adducit diaphragmatis non ſolum inflammati ſed & plane corroſi & perforati abſque ullo delirio.

CAPUT III.

De materia purulenta in inteſtinis reperta.

TRanſeo nunc ad inteſtina, quæ non ſolum inflammata & gangrænoſa, ſed & humore viſcido & quaſi purulento obſeſſa reperta fuerunt; ubi primo notandum, quod in aliis quoque variolis laborantibus ejuſmodi purulenta materia per alvum ſæpe cum inſigni levamine ſoleat excerni, inprimis in confluentibus variolis, & tempore ſuppurationis vid. med. Uratislav. *Natur und* medicin *Geſchichten* An. 1719. ubi de

vario-

variolis in Hungaria An. 1718. & 1719. epidemicis ſcribunt: *alvus laxa quam maxime profuit in confluentibus, ita ut lethale fuerit ſignum in confluentibus alvus adſtricta.* Celeb. Frid. Hoffmann. in diſſ. de var. epidem. Hal. graſſ. ſcribit: *Annotavimus in plurimis infantibus, quod durante ſuppuratione tribus vel quatuor vicibus de die depoſuerint alvum, nullo detrimento vel periculo ſubſequente, quin imo excrementa cinerei coloris, etiam purulenta, ſine ullo diſcrimine excreta in nonnullis fuerint*; præterea Celeb. Stahlius in diſſ. de var. & morb. §. 27. etiam mentionem facit diarrhææ purulentæ, quæ in variolis, circa finem ſuppurationis, cum levamine accidit. Tranſeo brevitatis gratia Sydenham. qui diarrhæam purulentam in variolis confluentibus ſalutarem vocat. H. Meibomium, Fabr. Hild. qui ſola diarrhæa variolas imminentes curatas fuiſſe & nunquam rediiſſe teſtantur. Cum igitur certum ſit, materiam purulentam in inteſtinis ſubjecti noſtri repertam a miaſmate varioloſo dependiſſe; quæſtio ſaltem nunc oritur, unde hæc materia purulenta ad inteſtina fuerit derivata, cum tamen in illis nulla apparuerit exulceratio; mihi quidem videtur duplici modo probabiliter eo derivari potuiſſe. 1. Enim ipſas variolas in partibus internis æque ac externis ſæpe efflorEſcere, ſupra jam notavimus, in internis vero partibus, quamvis inflammationes producant, non tamen ſemper, inprimis in inteſtinis adeo profundas partium exeſiones ulceratorias efficiunt, quoniam ab humore continuo præterfluente emolliuntur & pus abſtergitur. Potuit igitur hanc ob cauſam materia purulenta generari in variolis inteſtinorum, abſque tamen notabili exulceratoria eroſione. 2. Recedentibus variolis, & quidem jam ſuppuratis, earum materia purulenta ad ſanguinem & humores reliquos facile tranſire, atque dein ex his ad glandulas inteſtinorum derivari, ibidemque in inteſtina exſtillare potuit. Quemadmodum enim in vomica pulmonum materia purulenta per ſanguinem interdum ad inteſtina tranſit, & per alvum ſalutariter evacuatur, (cujus rei exemplum in viro vomica laborante, e cujus vena ſecta ſanguis purulentus emanavit & dein ſimilis materia copioſiſſime per os & alvum ſalutariter fuit ejecta, novi) ita non minus in variolis idem fieri poteſt; cum igitur ex omnibus his eluceſcat, quod & cur interdum in variolis confluentibus tempore ſuppurationis materia purulenta ad inteſtina fluat & per alvum critice eliminetur, quæſtio nunc oritur; annon in variolis confluentibus, ſi tempore ſuppurationis variolæ in cute ſubſident & ad interiora recedere videntur, medicamenta alvum laxantia ſint exhibenda?

Quoniam autem hæc controverſia, in qua maxime diſſentiunt medici, altioris eſt indaginis & prolixam deductionem ex obſervationibus practicis requirit, quæ limites diſſertationis Academicæ excederet; hic ſaltim annotabo, quæ in medic. Uratislav. *Natur und* medicin *Geſchichten* An. 1728. p. 528. his verbis leguntur. *Am allermeiſten* graſſirt*en noch hin und wieder die* variolæ, *abſonderlich im Fürſtenthum Brieg im Olauichen und ander-*

enderwärts, und brachten viele Kinder ins Grab, Sie blieben hieſelbſt meiſt ſeſſiles. *und wurden* confluentes; *wobey dann, wann* circa 7 vel 9 diem alvus laxa *wurde ſelbiger allezeit* ſalubris *war; wo ſolcher aber durch* lenientia *ſo einige aus Unverſtand, wegen des beygängigen Huſtens, gebraucht,* provocirt *wurde, da lieff es einsgemein ſchlimm ab.*

CAPUT IV.

De reliquis nonnullis in ſectione notatis.

Ulterius progrediendo in ſectione ſubjecti noſtri notamus, parum ſanguinis in ventriculis cordis & vaſis majoribus fuiſſe repertum, cujus rei ratio mihi videtur eſſe, quod miaſma varioloſum ſanguinem in hoc ſubjecto reddiderit fluidiorem, quale exemplum legimus in Eph. N. C. D. II. A. 9. obſ. 218. qui propterea ultima cordis ſyſtole ex corde per arterias majores facile fuit expulſus, difficulter autem ob ſtaſin ſanguinis in pulmonibus & aliis viſceribus ad cor rediit. Cæterum quod attinet polypos veros in cordis ventriculis repertos, illos in hoc caſu nullo modo a variolis deduci poſſe exiſtimo, ſiquidem verus polypus non ſaltem eſt coagulum ſanguinis, vel confuſa maſſa ex hoc enata, ſed excreſcentia interdum plane carnea, ex ſucci nutritii e fibrarum interſtitiis exſtillatione, vel uti Helmontius vocat, ploratione concreta, ſuiſque arteriis, venis atque nervis gaudens, quæ a variolis adeo brevi tempore non potuit produci.

Tandem parva tubercula in œſophagi membrana interna reperta, pro glandulis ab humore craſſo & impuro tumentibus habeo; & quidem hoc eam ob cauſam, quoniam in multis aliis morbis ac ſubjectis tales glandularum excreſcentias obſervarunt Anatomici; ex gr. glandulas renum tumentes vid. in Hiſt. Acad. Reg. ſc. An. 1702.

FINIS.

NICOLAI

CLXXX

NICOLAI ROSEN

ET

PETRI JONAS BERGII,

DE

VARIOLIS CURANDIS

DISSERTATIO.

Upſal. 1754.

I. N. J.

§ I.

V*Ariola febris exanthematica eſt, cum inflammatiunculis cutaneis, ſuppurantibus, ſicceſcentibus cicatrices, plerumque relinquentibus.* Memoria dictos tenenti characteres, variolas, a ceteris febrium exanthematicarum generibus, facile erit diſtinguere. Bubones & anthraces *Peſtis* comites, diſtinctiſſimum conſtituunt genus. *Miliariæ* papulæ elevatæ, rotundæ, duræ, confertæ, furfuraſcentes, ſatis a variolis differunt. Pariter ab iisdem non multo cum negotio licet diſcernere, ex maculis parum elevatis, parvis, rubris, æqualibus, furfuraſcentibus, *Rubeolam Sauvag.*; ex maculis inæqualibus, latioribus haud elevatis, prurientibus, fugacibus, furfuraſcentibus, *Uredinem*; ex maculis parvis, morſus inſtar Pulicum, non prurientibus, colore maxime variantibus, non furfuraſcentibus, *Petechias*; ex ampullis ſolitariis, diaphanis cum baſi inflammata *Bulloſam Sauvag.*; denique & *Eryſipelas*, ex inflammatione leviore, vix elevata, ſed latiſſima, coloris roſei, qui, preſſa cute, evaneſcit, mox, ceſſante preſſione, rediturus; quod, æque ac cetera enumerata genera, a variolis maxime diverſum eſt.

§. II.

Species, ſi velis, eſſe poſſunt: variolæ *interſtinctæ Sydenh.* p. m. 161. variolæ *cohærentes Morton Pyret de variol. p.* 38. variolæ *confluentes Sydenh.* p. 165. variolæ *anomalæ nigræ Sydenh.* p, 250. 294. variolæ *duræ ovales Werlhof.* de var. & Anthr. p. 11. variolæ *complicatæ* e. gr. cum petechiis J. G. *Hahn de variol. rat p.* 50. *ſeqq.* c. miliaria *Act. med. Berol. dec.* 1. *vol.* 2 *p.* 18. *ſeqq.* c. morbillis G. *Harris obſ.* 7. *p. m.* 15. c. Hæmorrhagiis ut Hæmoptoe *Mort. l. c.* 142. 183. variolæ *cryſtallinæ Schenck. obſ. l.* 6. *obſ.* 112. *Rich. Mead. de variol. & morb p.* 17. variolæ *cum puſtulis ſanguine plenis Hildan. cent.* 6. *obſ.* 77. *R. Mead. l. c. p.* 18. variolæ *chronicæ*, de quibus J. H. *Schulz. act. Ph. med. A. N. C. vol.* I. *p.* 533. licet dubio non careat vera illarum exiſtentia. Alias vero ſpecies propius conſiderare, inſtituti non ſinit ratio, neque hiſtoriam dare variolarum, aut curſum illarum deſcribere: in qua re medicinam & facientibus & diſcentibus abunde ſatisfecerunt *Sydenhamus*, ac poſt illum bene multi. Nonnullas tantum obſervationes practicas, imprimis circa variolas confluentes, exponere, conſtitutum nobis eſt.

§. III.

Cauſſam tamen variolarum paucis attingere liceat. Quin valde ſit abſtruſa, variiſque illius ab auctoribus tentatæ explicationes laborent tricis inficias iverit nemo. Etenim quot fere in eam inquiſiverunt Medici, tot ſunt varietates ſententiarum; quas allegare omnes, quum nimis longum foret, paucas tantummodo libare ſufficiat. Sanguinis menſtrui reliquias in fetu cauſſam variolarum ſtatuebant olim *Arabes*, dein *Liddelius l.* 3. *de febribus c.* 8. *Willis de febr. c.* 15. *Foreſtus* &c. Morbum hæreditarium eſſe variolas crediderunt *Gentilis de Fulgineo*, *Mercurialis* &c. Acidum ex reliquiis lactis nutritivi corruptis exortum accuſavit *Sylvius de morb. infant c.* 9. & *Etmull. O. o. p. m.* 67; alcali; ſed a bilioſa & putrida lympha proveniens *Woodward. morb. ſtat. & variol. p.* 71. Salia denique fixa particulis ſulphureis maritata *Sidobrius*. A venenata beſtiola variolas eſſe putavit M. *Liſter. de variol. p. m.* 5. *ſeqq.* Sideribus aliquam ineſſe vim varioloſam materiem in motum vocandi, variolaſque provocandi, arriſit N. *Cheſneau obſerv. libr* 4. *p.* 478. Nuperrime in liquore renum ſuccenturiatorum cauſſam quæſivit *Ph. Violante de variol. & morb. p.* 21. Et pariter ex recentiſſimis eſt J. G. *Hahn.* l. c. p. 78. qui variolas actum eſſe ſtatuit, evolutionis corporis, quo vaſa ſanguinea arterioſa, motum vitalium virtute, e cute efflorefcunt; puſtulas variolarum cum plantarum gemmis & floribus, illarumque cruſtas cum fructuum perianthiis comparans. Harum vero opinionum plurimas ad levia prorſus figmenta, ceteras ad incertas conjecturas, referre non dubitaverim, quidquid in quibuſdam inſit ingenioſi, & in argumentis auctorum ad hypotheſes veri ſpecie induendas docti & eruditi. Nec fateri quenquam pudeat, cauſſam contagioſi hujus morbi, ut aliorum quamplurimorum, adhuc latere. Si qua vero ſententia ceteris præferenda, probabilitate ſe commendat illa, quæ contagium, ut cujuſcunque generis, ita & varioloſum animalculis conſtare affirmat; in ſatis quidem obſcura re cauſſam quærens, cui tamen tantum & lucis & veriſimilitudinis lucratur, præter alia, ſcabiei theoria, ut optandum ſit, diligentiori fidaque obſervatione quid ipſi inſit veri certique perquiratur.

§. IV.

Subjecta quæ variolis corripiuntur maximam partem ſunt infantes, pueri & adoleſcentes; ſed ætate quoque provectiores illas invadere haud rari caſus probant. Morbo hoc ſemel convaleſcentibus, reliquum vitæ ab ejus incurſu immune agere, fere ab omnibus ſtatuitur; interim tamen exempla memorantur, licet rariſſima, hominum bis afflictorum; quale eſt mulieris, ſepties variolis infectæ, & nihilo tamen minus ætatis ann. 118 illis exſtinctæ, quod refert *Borell. obſ.* 10. *cent.* 3.

§. V.

§. V.

Certam in morbis *prognoſin* tradere maxima medici laus eſt, plurimumque ad felicem praxin famæque amplitudinem confert. Ultra limites vero excurreremus, ſi ſingula conquireremus prognoſtica ſigna, in morbo, de quo agimus, notanda; quare vagis omiſſis, conſtantiora ſaltem recenſere animus eſt.

Stad I. Si quem variolæ adoriuntur, dum morbus aliquis gravis alius generis, epidemicus eſt, verendum, ne illis hic ſemet aſſociet, vid. *Huxham, eſſai ſur les Fiévres p.* 168. Poſtquam variolæ diutius aliquo in loco graſſatæ ſunt, ceteris paribus, naturam induunt illæ, quam ſub initio, mitiorem; quod & in Minorca ubi peſſima epidemia erat variolarum, obtinuiſſe obſervavit *George Cleghorn obſervat. on the epidemical diſeaſes in Minorc. p.* 275. *Stupor* magnus variolas bonas non præſagit. *Hydroas Sauvag.* ſatis copioſe interdum, ſimul cum variolis erumpentes, tàm in pueris quam adultioribus, ſed abſque graviori ægrorum diſcrimine, vidimus. *Inſultus epileptici* (Eclampſia *Sauvag.*) infantes corripientes vix ominis mali ſunt, vehementiſſimos ſi exceperis; ſignificant enim variolas in procinctu eſſe ad erumpendum. *Deglutiendi difficultas* ſtadio 3. annexa, malum vix præſagit; in ſtadio vero 2. attentionem meretur majorem; at ſtadio 3. periculoſa, inprimis ſi inflammatoria ſit. *Delirium* leve, huic ſtadio ſuperveniens, vix medicum terreat, eruptionem enim brevi inſecuturam antecedit. *Hæmorrhagia* narium, ſi moderata, bona, niſi febris ſtatus nimis depreſſus ſit. Variolæ *tarde* h. e. 4. die erumpentes, ſymptomate omni quod eruptionem alias remorari valet, exule, ſemper meliores ſunt *cito* erumpentibus. Ratio in promptu eſt illis, qui exanthemata varioloſa critica putant; hoc enim poſito, ſequitur quo tardior criſis fuerit, eo meliorem fore & comminutionem particularum peccantium; ſi vero animalculis debeatur ſtimulus febrim excitans, quærenda eſt tum in illorum ſtructura, tum in modo quo corpus ingreſſa vitales functiones lædere valent, qui vero non magis quam ipſa animalcula, adhuc nobis cognita. *Debilitas* ſine cauſſa manifeſta, in hoc ſtadio non adeo pertimeſcenda, quippe quæ miaſma varioloſum orificium ventriculi, quod cardiam vocant, laceſſiviſſe indicat, unde idem effectus, debilitas ſcilicet, ſequitur, ac cum ciborum cruditates illud ventriculi orificium aggrediuntur; quæ omnia irritationi plexus nervoſi, ibi degentis & a pari nervorum octavo potiſſimum orti, quod cum reliquo fere corpore communicat, adſcribenda. *Pulſus* circa finem ſtadii hujus ſolito fortior, ſignum, ceteris paribus, dat, variolas intra horarum paucas erupturas; quod etiam *Hahn l. c. p.* 13. in ægro ſuo 5. to obſervaſſe conſtat. De cetero, *ſi ægri vires tantæ ſint, ut 4. morbi tempora ſuſtinere valeant, felix; at ſi a febris & ſymptomatum magnitudine ita obruantur, ut vix at ſtatum uſque ſufficere poſſint, infelix erit eventus,* ut verbis

utar *Diemerbr. de variol. p. m.* 276.

Stad. 2. Variolæ ſemet non *elevantes*, ſed depreſſæ, duræ, pallentes, non optimæ cenſendæ ſunt; docent enim verſus peripheriam corporis turbatam eſſe circulationem, vid. *Boerh. aph.* §. 1398 Quo plures in *capite* erumpunt, eo ob cerebri viciniam periculoſiores. *Hæmorrhagiæ*, ſive e naribus, ſive alio ex loco prodeuntes, periculoſæ ſunt; hinc fluxum menſium ſuſpectum cenſuerunt Scriptores, niſi in ſtadio 1. & periodi tempore fluant; hincque mictum cruentum pro certo ſigno mortis habuit *Sydenhamus.* Ratio patet, ſignificat enim ſanguinem vel adeo diſſolutum eſſe, ut vaſis contineri nequeat, vel circulum ſanguinis adeo eſſe vehementem, ut aut vaſa rumpantur, aut dilatatis extremitatibus arteriarum, ſanguis exeat. Quicquid horum exiſtat, prono quaſi fluit alveolo, in primo horum caſuum fieri quod nequit, quin maculæ non bonæ notæ, malignitatem morbi prodentes, erumpant; in binis reliquis, neceſſe eſt, circulatio ambitum verſus imminuatur, variolæque adeo vel verrucoſæ, duræ, pallentes &c. ſi effuſio magna ſit, evadant, vel retroceſſionis illarum in propinquo adſint cauſſæ. Idem etiam de *diarrhœa* valet. Variolæ enim diarrhœæ per totum morbi curſum junctæ, horrendiſque ſymptomatibus indies aggravatæ, ut difficultate reſpirandi, inquietudine & jactitationibus manuum pedumque, febri fere vehementiſſima, inſultibus epilepticis: extenſione ſcilicet brachiorum ſpaſmodica, retortione oculorum, ſtridore dentium, quem interrumpebat hiatus oris, conjunctus cum motitatione capitis momentanea; debilitate maxima, palpebris flaccidis, excretis per alvum nigris, plus ſimplici vice a nobis obſervatæ ſunt. *Vomitus* & *dolores lumborum* vel ſcrobiculi cordis, ſi adhuc continuent, indicant majore adhuc numero variolas erupturas. Si puſtulæ ſubito *retrocedant* pulſu duro, dolore faucium, micturitione, urina aquea, inquietudine, anxietate, rubedine oculorum &c. peſſimum eſt; delirium enim non longe abeſſe indicatur. Si pulſus in carpis languidus, carotides autem & temporales vehementer pulſent, itidem peſſimum eſt; ſignificat enim liberum ſanguinis per pulmones non eſſe tranſitum, unde peripneumonia, deliriis ſtipata horrendis, facile enaſci poteſt. Si potulenta ori ingeſta per naſum redeant, malum indicans eſt; œſophagum enim rearis eſſe inflammatum; ſin vero ſorbitionem liquidorum ſubito ſequantur vomitus graviſſimi, ventriculum ipſum inflammatum eſſe certocertius ſcimus. Si puſtulis innaſcantur puncta nigra, vel ſi papulæ nigro, viridi, violaceo, plumbeo, ſanguineove coloratæ evadunt, raro periculum effugiunt ægroti.

Stad. 3. Puſtularum baſes & interſtitia ſi inflammata, apices vero, quibus ſenſim punctum rubrum, non aliter ac in puſtulis ſcabiei ſuppuratis, ideoque *maturationis* dicendum, innaſcatur, faſtigiati ſiunt, variolis rite ſuppurantibus, optimum eſt. Si vero variolæ vacuæ & rugoſæ evadunt, febriſque cum putredine vix toleranda in magnum excreſcat gradum, non

bo-

boni ominis eſt, præſertim ſi accedat delirium, ſomnolentia, pleuritis, vel alia febris inflammatoria; ſignificatur enim pus e puſtulis in maſſam ſanguineam abſorberi, atque ad loca infecta dudum pulſum eſſe. Si puſtularum *ſanies* ſalſum præbeat ſaporem præſagium triſte adeſt, pro certo enim ſigno mortis a quibuſdam habetur. Si ſputa ſiſtantur nondum debita facta evacuatione, malum eſt. Si tumorem faciei retrocedentem, manuum & pedum non ſequatur, nec copioſus compenſet ptyalismus, peſſimum jure cenſetur. In variolis malignis non contemnendi ſunt abſceſſus paſſim in corpore provenientes; conſtat enim ex obſervationibus, haud raro maxime ſalutares illos exſtitiſſe, ſi maturantibus ad ſuppurationem redacti & poſtea aperti fuerint.

Stad. 4. Si variolæ placide exſiccentur, optimum eſt; ſin vero exſiccationi febris cum inflammationibus, vel alia ſiniſtra ſigna ſe adjungant, malum eſt. Dum *miliaria* eodem tempore, ac variolæ, epidemica fuit, debilitatem periodicam poſt meridiem, per horas nonnullas durantem, quamvis ne nimia quidem conſpicerentur eruptionis miliariæ veſtigia, interdum obſervavimus; illam tamen periculoſam non fuiſſe debilitatem ſimul didicimus.

§. VI.

En itaque *curam variolarum*, abſoluta prognoſi, paucis tradendam momentis! Juberet quidem ordinis ratio methodum præmitti præſervatoriam, niſi hac in re otium nobis feciſſet *D. D. R. Martin* per integram diſſert. *de variol. præcav.* Upſ. 1751. Heic tamen intactum linquere noluimus, Norlandiam & inprimis Weſtrobotniam inhabitantes, per longum temporis ſpatium amuleto, quod moſcho conficiunt, & collo ſuſpendunt, inſigni cum fructu uſos fuiſſe. Ex propria, quod dictis addamus, experientia, nihil quidem habemus; certo tamen ſcimus, experimentum hocce per totam epidemiam variolarum Upſal. 1753. ita feliciter ceſſiſſe, ut integræ domui, moſcho uſæ, penitus pepercerint variolæ.

§. VII.

Regimen variolas curaturo maxime neceſſarium & obſervatu dignum eſt, cum illo magnam partem felix ipſius curæ ſucceſſus innitatur. Accedit, quod primum medico negotium incumbit, regimen accuratum adſtantibus præcipere, antequam ad pharmaceutica præſcribenda manum admoveat. *Temperies* itaque caloris in cubili, ubi decumbit æger, probe obſervanda eſt, ne aut modum excedat, aut deficiat ita, ut frigida nimis ſit aura. Medium tenere præſtat. Diſſimulandum tamen non eſt, cum febris interdum exæſtuet, regimen frigidiuſculum in primo ſtadio præſtare calido; cum vero interdum (quod rarius) febris ad diem usque 8. juſto mi-

mitior pergat, vid. *Huxham l. c. p.* 163. non poſſum non regimen paulo calidius commendare, lectumque maxime neceſſarium, a primo invaſionis momento, dicere. Aër ſemper ſervandus eſt purus, præcipue bonis ſuperioribus ſtadiis, nam quantum ad felicem eventum valeat puritatem aëris obſervaſſe, incredibile dictu; variolas enim, dum ſuppurant & areſcunt, putridum vaporem exalare, eumque pulmonibus exceptum, noxam afferre, quis non videt? Cubile itaque altis parietibus eligendum, quos velamenta probe tegant, ut frigidam excludant auram, ægro magnopere nocituram. Pavimento quotidie injiciantur ſarmenta abietina vel juniperina conciſa, quæ ſtal. 4: to aceto, vel vino quodam acido irrigari queunt. *Diæta* ægro ſancte ſervanda; vitanda ſunt omnia, quæ e regno animali deſumuntur, & facile alcaleſcunt, ut carnes, juſcula carnium, lardum, ova &c. quatenus humores magis acres reddunt; eligenda autem e contrario plurima e regno vegetabili aceſcentia leniterque gelatinoſa, ut lac recens, decocta ex avena, pruneolis, oryza, feſtuca, Sagu &c. Potui eſſe poſſunt ſerum lactis, cereviſia tenuis, infuſum theæ, decoctum coffeæ, ubi ſtimulantibus eget natura &c. Liquores ſpirituoſi magnopere ægro interdicendi, autoptæ loquimur, cum, extremum efflare ſpiritum, illorum ergo, coactos fuiſſe miſeros, cum horrore ſæpius cognoverimus, (cfr. *Foreſt. libr. obſ.* 41.]; Spirituoſorum tamen prudentem uſum non ideo volumus excluſum.

§. VIII.

His præmiſſis ad remedia filum tractationis nos ducit. Ut autem diſtinctius tota ſuccedat tractatio, ſtadia ſequi ſingula, quæque in unoquoque maxime ſcitu neceſſaria tradere lubet.

Stad. I. Si ea medico contingat felicitas, ut ſub ipſius morbi initio ad ægrotum acerſitus fuerit, ante omnia ſcrupuloſius inquirat, utrum evacuantibus, an corrigentibus morbo occurrendum; ſcrupuloſius inquam, cum in hocce ſtadio fundamenta jaciantur ſubſecuturi exitus morbi. Itaque genio morbi probe examinato, ſi medicus dolores artuum, dorſi, lumborum & ſcrobiculi cordis vehementes eſſe; ſi cephalalgiam adeo vehementem, ut ad delirandum, æger pronus videatur; ſi oppreſſiones pectoris, ſpirandique difficultatem prævalidam; ſi pulſum durum, fortem; ſi calorem magnum; ſi in flore ætatis ægrum conſtitutum; ſi diætam ægri prægreſſam lautam, animalem, vinoſam fuiſſe; ſi febres inflammatorias epidemicas eſſe, quarum naturam variolas facile ſuſcepturas, merito ſuſpicari poſſit; ſi hæmoptyſin vel mictum cruentum, aliamve hæmorrhagiam periculoſam præſentem, cognoverit, vena ſtatim amplo vulnere ſecanda eſt. Plures tamen eſſe, qui ſtatuunt V: S: nem in variolis minime exercendam eſſe, idque plurimis demonſtrare rationibus adnituntur, nos non fugit, *vid. Andr. Hoffart de variol. Vratisl. graſſ. p.* 39. *Luc. Tozzi comment. in aph. Hippocrat. l.* 1. *aph.* 3. *J. Woodward. l. c. p.* 95.

95. qui vero de V: S: nis genuino uſu convictus eſſe cupit, evolvat *Diſſ. J. G.* a *Berger de uſu V. S. & Clyſt. in var. curation.*, alios ut taceam. Phlebotomia efficitur, ut globuli ſanguinis rubri, omnium ponderoſiſſimi, minuantur; minuta autem ratione globulorum rubrorum, minuitur etiam attritus & impetus; minutis hiſce, tollitur calor, conſequenter febris vehementia remittitur. Sed ut ſcopo huic magis adhuc fiat ſatis, non inconſultum arbitramur, refrigerantia adjungere medicamina. In uſum itaque vocandi ſunt pulv. e nitro puriſſ. cryſt., vel ſal. Ammoniaco, ubi metus eſt diarrhœæ, Morſul. Citri; ſyrup. acidi, ut ceraſor. nigr., acetoſit, citri, Rub. id, Moror. &c. ſi vero febris urget, clyſma, more *Sydenhamiano*, proxime poſt ſanguinis miſſionem injici juvat. Hæc omnia autem cum grano ſalis ſumenda volumus, nam accidit non raro, ut variolæ in ſtatu depreſſo ſint, ſc. ut febris lenta, pulſus debilis, celer ſed vacillans; habitus corporis pallidus & languidus; urina cruda; æger ſine calore & ſiti, continua tamen gravedine capitis, nauſea & conatibus vomendi, afflictus ſit; variolæ tardiſſime erumpant, (7. l. 8. die) & ſeſſiles, pallidæ, depreſſæ, ichore claro & male digeſto plenæ ſint, *vid. Huxham. l. c. p.* 162. *Cleghorn. l. c. p.* 273. In hoc caſu tantum abeſt ut V. S. & refrigerantia celebranda, ut potius excitantia, febrimque augentia præſcribenda ſint. Hanc itaque ob cauſſam, *veſicatoria* brachiis vel ſuris applicantur, ſerum lactis c. vino rhenano parat. largiter adhibetur, interponendo aqu. alexit. ſp. L., Contrayervam, ſerpent. virg., in inf. fl. Samb. propinandas. Nec ipſam Chinchinam omittendam putamus; adhibuit enim illam ſtadio primo, atque maturationem & bonum pus inde accelerari, obſervavit *Monro in the medical eſſays vol.* 10. *art.* 10.

Emetica in variolis fere ab omnibus auctoribus laudantur. Varioloſus morbus contagioſus eſt (§. III.) & miaſmate ſuo ex uno in alterum propagatur. Miaſma per poros cutis corpus ingredi poſſe, inoculatione variolarum evinci videtur; attamen experientia quotidie edocet, omnium primo ventriculum, viaſque primas ex illo turbari, quod e nauſea, vomitu, ſatis liquet: unde frequentem eſſe hanc inficiendi rationem, quæ per os primaſque vias peragitur, ſimul apparet. Inde ſatis elucet, emetica maximo eſſe uſui in variolis, nec unquam, niſi contraindicantia adſint, ut inflammatio ventriculi &c. omittenda, quatenus reliquias ex alimentis, cruditates, deglutitum miaſma evacuant, atque exorta ex illis concuſſione corporis, ſudorem eliciunt. Emeticorum neceſſitatem ex poſteriori quoque evincunt hiſtoriæ medicæ. Unicum haud exigui ponderis, ſi fides ipſi habenda, exemplum afferamus ex *Woodwardo l. c. p.* 69. apparuere 4. die in facie, pectore & brachiis tubercula denſo agmine. Propinabatur eadem veſpera emeticum, adeo exoptato cum effectu, ut poſtero die cuncta evanuerint ſymptomata, atque diſparuerint ſingula. Subjectis tamen plethoricis emeticum, ſonticas ob cauſſas, ne propine-

tur, auctores ſumus, niſi primum ſecta fuerit vena; namque cerebri vel aliarum partium nobilium vaſa, ſub vehementi, quam vomitus in corpore excitat, concuſſione facile rumpi poſſe, ultro patet. Emeticum eſſe poteſt inſtar omnium rad. Ipecac. rec. pulveriſ. ſive in pulv. a Dr. ß. ad ſcr. ij. ſive alia ſub forma, e gr. Vinum ipecacuanh. L. Dr. x. &c. At vero haud raro accidit, ut emetica penitus averſetur æger, fruſtraque tale exhibere conatur medicus; quo in caſu, ſtatim cogitare de præſcribenda catharſi debet.

Laxantia ſane, in variolis propinata, non tanti ſunt periculi ac perhibet ſupra allatus *Woodward. l. c.*; prudenter enim præſcripta, nec diarrhœam excitant, neque alias mali moris ſecum trahunt ſequelas; contra vero ſummopere indicantur, ubi emetico locus non eſt, vel ubi obſtipatio alvi in initio morbi aliquantum temporis duravit; nam ſagax medicus jure ſuſpicari poteſt, ſi alvi exoneratio in hoc ſtadio non procedat, fore, ut ſcybala, loco calido, aeriſque pleno retenta, putreſcant, adeoque ſtadiis ſequentibus diarrhœam excitant ſymptomaticam, vel fomitis inſtar particulas acres ſanguini immiſceant, febriumque adeo perpetuum alant pabulum. Cathartica maxime idonea, e tamarindis; e. gr. decoct. Tamarind. c. ſenna; caſſia, ſalibus catharticis, Senna, Merc. dulc. ceteriſque his cognatis parantur. In illis vero caſibus, ubi emetica in uſum vocantur, vel laxantia illis combinari queunt, vel injici debent clyſmata.

Sed hiſce omnibus copioſe interponenda ſunt *diluentia*, in variolis & præcipue ſtadio hocce primo, adeo neceſſaria, ut merito dici poſſit: *bibendum vel moriendum eſt. Huxham l. c. p.* 206. nam ſi diluentia non copioſe ingurgitentur, maximo cum detrimento, in ſtadiis ultimis, experientur miſeri ægri, tantam muci copiam fauces propemodum occludere, ut neque deglutire, neque ſpiritum trahere valeant. Ratio in promtu eſt: novimus enim ſanguinem vena emiſſum, perſeverante aliquantiſper malo, maxime ſpiſſum, & corio obduci inflammatorio. *Bœrh. aph.* §. 1384. hinc patet, illum partibus tenuioribus maxime ſpoliatum eſſe, quod partim ſalivationi, in confluentibus prioribus diebus ſe prodeunti; partim propenſioni adultorum ad ſudandum, quam etiam in infantibus ſæpius obſervavimus; partim quoque ſeceſſioni liquidorum ad pus in puſtulis formandum, debetur. Sed plurima mala ex ſanguine adeo ſpiſſo redundatura, quis non videt? ut ſtagnationem in vaſis minoribus, unde pleuritis, peripneumonia, phreneſis, cetera ut taceamus. Ex dictis patere crediderim neceſſitatem diluentium in variolis; ſed ut rite debito fungantur officio, cum ſaponaceis mixta propinentur, alio enim in caſu cum ſanguine non miſcentur, nec effectum optatum præſtant. Admiſcendum itaque cenſemus mel; oxymel; ſyrupi Acetoſæ, Berber. Ceraſ. n. Ribium, Rub. id, Moror. &c.

Sed hiſce non acquieſcat medicus, debet enim quoad ejus fieri poteſt, partes

partes nobiliores corporis externas a variolis immunes ſervare & ſymptomatibus maturo occurrere auxilio. *Oculis* itaque omnium primum conſulendum; hunc ergo in finem lintea camphora perfricentur, palpebris imponantur, biſque terve de die mutentur. *Laryngi* externe applicare ſolemus theriacam Andr. camphora mixtam, eamque ſemper cum effectu. Faciem a variolis conſervare, res eſt valde expetita, ſed non adeo facilis effectui dare. Topica externa commendant, ut Balſ. Embryon. *J. H. Schulz. Pathol. ſp. p.* 14. De lacte cum croco & de aqua cinnamomi narrat *Isbr. Diemerbr. l. c. p.* 298. *obſ.* 12 *&* 13. Quidquid tamen ſit, externa hæcce commendare non auſimus, uſque dum experientia ad oculum monſtraverit nihil ſubeſſe periculi; nam ſemper ſuſpicari ſuevimus, ne topica, eruptionem puſtularum impediendo, derivationi miaſmatis in cerebrum faveant, niſi fomentis l. epiſpaſticis, pedibus applicatis, combinentur. *De Fomentis* & *Balneis* pedum fidem faciunt auctores; ſic *Huxham. l. c. p.* 174. dicit ſe pluribus annis cum ſucceſſu uſurpaſſe balnea pedum in aqua calida ſimplici, vel lacte mixta. *Sylvius* & *Adolphi* ſucceſſum vix negant, quamvis debilitates pedum & alia mala illis ſuccedanea clamitent; cfr. *Fiſcher. de Variol. dur. Peſt. Hung. gr. p.* 93. Fomenta tamen innoxie uſurpari poſſe, ex plena didicimus praxi. Fotus itaque e ſpeciebus emollientibus nunquam omittendos eſſe putamus, quia re ipſa aliquid contribuunt ad materiam varioloſam e facie revellendam. Id tamen diſſimulandum non eſt, ſinapiſmis longe debiliores illos eſſe. *Sinapiſmi* enim, plantis pedum applicati, derivationem variolarum ad partes interiores mirifice efficiunt, quatenus ſuo ſtimulo affluxum humorum huc vertunt. Prolixi in hiſce enarrandis non erimus; caſum ſolummodo a *Cl. Med: Licent. J. Haartman* obſervatum & communicatum afferre contenti. Vocatus erat ad ægrotum ſecundo morbi die, quo ſtatim ſinapiſmum plantis pedum applicabat. Nihilo tamen minus in facie die morbi 3. variolæ erumpebant fere millenæ. Fortiſſimum loco prædicto ſubito admovebat ſinapiſmum, quem tollere, adſtantibus interdictum, priuſquam veſiculas excitaſſet. Quo facto, ipſas puſtulas faciem reliquiſſe, ingentem vero earum copiam pedes occupaſſe, videbat.

Sequuntur jam *ſimptomata* ſtadii hujus, quibus occurrendum. *Difficultatem deglutiendi* optime profligavimus gargariſmate ab infuſo hbæ menth. criſp. Salviæ, cum pauxillo camphoræ compoſito. *Hæmorrhagia narium* ſi copioſa & ultra modum ſit, moderanda aqua Vitr. cærul. L. turundarum ope naribus admota; vel pulv. ex alum. cr. & Vitriol. mart. in nares attracto. *Dolores Lumb. & ſcrobiculi cordis* mitigantur herb. Menth. cr. vino leniter cocta & applicata. *Vomitus* nunquam contemnendus eſt; caſum vidimus, ubi ita prævaluit, ut nec cibum, neque medicamenta retinere potuerit æger. Mitigatur externe applicato regioni ventriculi catapl. c. Hb. Menth. criſp. & croco, vino leniter coctis; interne vero hauſta mixtura ſalina *Riverii*, quæ ita omnium optime concinnari videtur:

detur: Rc. Sal. Abſinth. vere alcalin. Dr. j. Succi Citri Unc. β. l. q. ſ. ad ſaturat. Aqu. ſtill. menth. cr. Unc. ii Syr. menth. cr. q. ſ. ad grat. ſap. Mr. *Eclampſia* infantibus & pueris frequens, ſemper feliciter ceſſit moſcho a gr. iij ad viij, pro ratione ætatis propinato, qui omnibus aliis expellentibus hoc in caſu præferendus, quatenus materiam varioloſam fortiter expellit, vique ſua antiſpaſmodica ſpaſmos tollit.

§. IX.

Stad. II. Stadium hoc quum ingreſſus eſt æger, ambitum petiit miaſma varioloſum & ſanguinem deſeruit. In variolis itaque benignis remittuntur febris & ſymptomata, non vero item in confluentibus. In benignis medicamento nihil opus eſt, diluentibus ſolum utatur æger, cum natura ſibi ſufficiat ipſa. In confluentibus febris durat & ſymptomata, ut ſtupor, vomitus & dolores, non raro adhuc urgent. Febrem ſemper normæ & regulæ inſtar ſequamur, quæ ſi vehemens ſit, V: S: ne & refrigerantibus minuenda. Si puſtulæ tarde erumpunt, expellentia ut Moſchus, flores Sulphuris, Ulmaria, flores ſambuci, camphora, propinanda ſunt. *Diarrhœa* mature curanda eſt, cum elevationi puſtularum obſit; præſtat itaque adhibere Decoct. alb. Lond. Rhabarbarina; quæ vero ſi nihil valeant, ad opiatas e. gr. Diaſcord. Fracaſt. &c. confugiendum. Si *ſomnolentia*, *ſtupor* & *delirium vagum* præſto ſint, indicatur plus miaſmatis corpori ineſſe & cerebrum petiiſſe; veſicatoria ideo ſtatim nuchæ, & ſinapiſmi plantis pedum, eum in finem applicandi, ut materiam peccantem mobilem reddant, atque ad inferiora revellant. *Sputa* confluentibus laborantium, hocce in ſtadio plerumque manare incipiunt, unde attento nunc conſideranda oculo. In benignis raro, niſi in ultimis ſtadiis, & parce, fluunt. In confluentium initio tenuia & pellucida, omnique conjuncta cum facilitate fluunt; verſus dies autem 10. aut 11. magis ſpiſſa & mucoſa evadunt, nec ſine ſcreatu, molimine moleſto & ſuffocationis metu expelluntur. Diluentia itaque ſaponaceis mixta, copioſe, per totum, quo fluunt tempus, hauriantur; frigus cane angueque pejus vitetur; lac tepidum ore detineatur, quamprimum ſpiſſeſcunt; & ſi nimis fiant tenacia, ſiphone injiciantur gargariſmata, cum pauxillo ſpiritu ſalis mixta, quæ irritando fluxum humorum revocant. Infantibus non ſemper exſpectanda ſunt, cum natura lenem diarrhœam horum loco ſubſtituat, quæ, ſi vehemens, moderanda, non vero ſiſtenda. Biennibus tamen ptyaliſmum fluxiſſe, vidit *Fiſcher. l. c. p.* 99. quod certe inſolens eſt.

§. X.

Stad. III. Variolis plene eruptis in generationem puris omnes intendit natu-

natura vires. Puſtulæ itaque inflammantur; hinc dolore, rubore & calore afficiuntur; nervi cutis irritantur, unde febris oritur (cfr. v. *Swieten. comm. in Boerh. aphoriſm.* §. 382. *vol.* 1. *p.* 649.) quæ ideo *Secundaria* audit, & vera eſt inflammatoria. Reſolutio nulla heic ſperanda, adeoque placida promovenda ſuppuratio, & gangræna omni ſtudio avertenda. Utrumque obtinetur febrim moderando: depreſſam evehendo; nimis evectam deprimendo. Si vis naturæ deficiat, & febris nimis depreſſa ſit, ut impulſus liquidi, a tergo urgentis, vaſa inflammata ſeparare, & cum liquidis effuſis in liquamen vertere nequeat; bonum pus minime generari poſſe conſtat; vis ergo vitæ augenda remediis eſt, quæ circulationem intendunt & verſus peripheriam derivant. Huc ſpectat ſerum lactis vinoſum, Crocus, Myrrha, contrayerva, Chinchina; verbo: omnia, quæ robur ſolidorum augent, ut reactio vaſorum in fluida efficacior evadat. *Chinchinam* non propria ſolum, ſed plurimorum Ill. Auctorum experientia edocti, commendamus. Contigit nobis in praxi videre ægrotum 4. annorum, cui variolæ erumpebant die 2. ab invaſione; diarrhœa levi, per tres ſedes quotidie laborabat; febris urgebat, & integros ejulando dies conſumebat æger. Pulveres nitroſos porrigebamus, quos, qua de cauſſa ignotum, neglectos poſtmodum conſpiciebamus. Facies die 4. intumeſcens, valde tumida apparebat. Anxietates turbulentæ eadem nocte cum tumoris incremento valide ingruebant. Puſtulæ maxime confluentes, depreſſæ & pallidæ erant. Febris indies quaſi increſcebat cum pulſu citato, minime autem forti vel duro. Conſultum itaque viſum corticem chin. propinare ad ſcr. IV. quotidie, idque tam bonis auſpiciis factum, ut pulſus ſedatior incederet; inquietudines diurnæ placide levarentur; variolæ colorem favi reciperent, & punctum maturationis ſpem nobis faceret, morbum deinde periculi expertem fore. Anodyna quavis veſpera ſumebantur. Tumor feliciter ad inferiora migravit. Sed quid ad propriam experientiam provocemus? cum præclaras obſervationes de inſigni chinchinæ in 3. & 4 ſtadiis abunde orbi erudito communicaverit *Rich. Morton.* Erupuere, ut habet, variolæ die 3. juveni robuſto. Die 6. confluentes erant, cum matureſcere inciperent; ea nocte ſociam ſe jungebat febris ſecundaria, cum deliquiis, ferocia, vigiliis, quas anodynis mitigabat, non autem tollebat. Propinata inſuper chinchina tanto effectu, ut nec poſtea deliraret æger, nec febris ante diem 11. eo autem cum urinæ quadam difficultate, rediret; quæ tamen mingendi moleſtia, æque ac febris ipſa, cortice profligabatur. *vid. Pyret. p.* 158. *hiſt.* 23 *cfr. hiſt.* 24. 22. 25. 28. 8. Hiſce obſervatis ſcribit *l. c. p.* 101. *Ubi autem febris ſub initium maturationis ſuborta exacerbationibus & remiſſionibus periodice recurrentibus* συνεχέως *typum ſervaverit, apprime convenit durante remiſſione C. Peruv. doſes ſæpius exhibere, unde 2. l. 3. dierum ſpatio, prorſus exulante, variolæ citiſſime more benignarum maturantur.*

Ex dictis patet eandem eſſe curam, ſi variolæ ſemet *elevare* nolint.

Sed ſi hæc minus arrideret, utendum eſt ſero lactis c. vino Rhen. paꝛato, cui adjungenda ſunt expellentia. Quanto cum ſucceſſu, lacte, in hoc caſu, interne uſi ſint ægri, præſertim expellentibus adjectis, pulchræ teſtantur apud ſcriptores hiſtoriæ, *vid. D. Fiſcher. obſ. de uſu lact. in variol. p.* 127 *Hahn. l. c.* 59. Vaporem lactis tepidi externe adhibuit *Ill. D. Præſes*, eo cum effectu, ut intra horæ ſpatium ſemet elevaverint puſtulæ; cautela vero ſumma hic opus eſt, ut probe arceatur frigus, ne retroceſſioni puſtularum occaſio detur.

Si puſtulæ *retrocedant*, res certe altioris eſt indaginis, & mortis prænuncia, niſi feliciter iterum expelli poſſint. Scimus equidem nonnullos eſſe, qui retroceſſionem negant, vid. *Violante l. c. p.* 68. Sed hypotheſios amore abrepti non rationali nixi praxi videtur. Cauſſa retroceſſionis in genere duplex, externa vel interna eſt. Ad priorem pertinet frigus, vel alia retropellentia temere adhibita; ad poſteriorem vero omnia, quæ æquilibrium & reſiſtentiam ſolidorum atque fluidorum tollunt. Hinc in variolis contiguis vel confluentibus, exſtirpata nimis febre, retroceſſioni cauſſa ſubminiſtratur; hinc fortiores evacuationes, ut diarrhœa, hæmorrhagiæ &c. retroceſſionem faciunt. Sequelæ variæ infauſtæ ſunt, nempe delirium, lethargus, oppreſſiones pectoris, anxietates, inquietudines, peripneumonia, febris. Curatur, in priori caſu, expellentibus, veſicatoriis vel ſinapiſmis. In poſteriori vero caſu cardiacis, ut ſero lactis vinoſo, vel vino ipſo hiſpanico, cum expellentibus & epiſpaſticis, pro re nata, interpoſitis.

Oculi plerumque tumore faciei clauduntur, quod tamen nihil mali portendit, modo, tumore extremitates inferiores petente, aperiantur. Nihilo tamen minus ſi oculos ſervare volupe fuerit apertos, linctu optime procedit; ſi vero hoc nihil efficiatur, convenit linteolum quoddam in lac calidum cum croco ebullito, immittere, atque humiditate expreſſa, palpebris admovere. *J. Z. Platnerus inſt. Chir. p.* 172. ſtatuit oculos optime cuſtodiri ſi palpebræ conglutinentur, & diductionem palpebrarum, arte factam, non approbat. Ipſi largiri poſſumus, fotus emollientes, vel nimiam indulgentiam emollientium periculi plenam eſſe. Quicquid ſit, praxi didicimus, palpebris, poſt diem 11. morbi, ad tempus clauſis, nec convenienti modo unquam apertis, id accidiſſe, ut diductis tandem iiſdem, membrana totum oculum texerit, in ægrotorum maximum damnum; quod *Diemerbr. l. c. hiſt.* 16. *p.* 300. etiam obſervavit. Quid? quod ægrotum biennem, die morbi circiter 16, varioloſis ſymptomatibus adeo exhauſtum, ut palpebræ pendulæ eſſent, & purulenta forte materia conglutinatæ, vidimus. Parentes de reſtitutione prorſus deſperantes, religioni duxerunt palpebras dimovere, unde die circiter 21. palpebris diductis, ambo oculi quaſi ſuppurati apparuerunt.

Si vero febris nimis evecta ſit, cum pulſu duro inflammatorio, non eſt quod de china propinanda cogitemus; auget enim phlogoſin ſanguinis, &

& plurima mala ſecum trahit. E contrario V. S: largæ, clyſmata, nitroſa, julapia acidula, in uſum vocanda ſunt. Si vero febris mediocris ſit, atque natura ſatis vigoris habeat ad ſuppurationem placidam promovendam, ſupervanacea ſunt omnia medicamenta, ſolaque diluentia & paregorica verſus noctes, omne punctum abſolvunt.

Febris Secundaria nunc conſideranda. Incipit in confluentibus die plerumque 6. in benignis vero non ante diem 8. animadvertitur. Amphimerinam quodammodo refert exacerbationibus ſuis nocturnis; eo autem differt quod exacerbationes nocturnæ diebus criticis incidentes longe ſint vehementiores. Dies critici ſunt 8. 11. 14. 17. 20 &c. Quavis itaque nocte perquemcumque horum dierum altius evehitur febris, &, ſi dicere liceat, eodem modo ac quotidiana compoſita cum quartana, ſe habet. Hæc moderanda, nec libera linquenda eſt, non raro enim cum vitæ diſcrimine indomabilis increſcit. Anodyna, ſi unquam, certe heic indicantur. Initium illorum faciendum eſt, quamprimum anxietates & inquietudines nocturnæ in conſpectum prodeunt. In infantibus *Sydenhamus* illis uti non auſus fuit; nos vero ſyr. e mecon. L. in adultis, pariter ac infantibus, feliciter adhibuimus, præcipue ſi diarrhœæ obnoxii fuere ægri. Illi tamen, Elix pareg. L. a. gtt. 30. ad 50. adultis propinatum, palman facile præripere, quatenus præter vim, qua gaudet, anodynam, pectori & diaphoreſi ſimul conſulit, haud diffiteri auſim. Purgantium genuinum in hac febri debellanda uſum, plurimis experimentis demonſtravit. *J. Freind.* per totam ſuam epiſtolam, de horum neceſſitate ad *Ric. Mead.* miſſam.

Inflammatione itaque variolarum in benignam abeunte ſuppurationem, ſubito remitti debet febris, ſi morbus ordinem naturæ ſuetum ſequatur. Hoc vero conſtanter in benignis obtinet; at in confl. non ſemper ita agitur; caſu poſito poſteriore, pro certo ſigno haberi poteſt, vel ſuppurationem non rite procedere, vel pus e puſtulis debito modo non evacuari verum in ſanguinem reſorberi, novumque adeo addi calcar febri currenti. Hæc puris e puſtulis reſorptio frequentiſſima eſt variolis confluent. quid enim in praxi frequentius, quam circa finem ſtadii tertii novas turbas ortas videri? Quanta ſæpius non excitatur febris! Quid putredinis! Febris ſane denuo mutata, & loco inflammatoriæ, putridæ ſcenam ludere viſa; ea tamen ratione, ut exacerbationes febri ſecundariæ adjudicatæ, minime ſedentur, ſed potius deliriis & aliis infauſtis ſymptomatibus vitam miſeri dejiciant. Dicas mihi ad quam, poſitis his, ſacram confugiendum anchoram, & magnus mihi eris Apollo! V: S: interdum magna vis, quam tamen ſæpius vetant contraindicantia. Pulv. Nitroſ. & camphorat. ſucci & ſyrup. acidi ſæpe efficaces ſe probant, ſæpe etiam nihil valent. Nec ſemper ſufficiunt paregorica, quamvis quavis 7. hora hauſta. In caſu tam deſperato ad chinchinam, quaſi ad magnum antiputredinoſum confugimus, idque ſummo cum fructu. Binos tantum af-

fe-

feramus caſus. Studioſus 10 ann. tenuis debiliſque complexionis, dolore capitis, febri, ceteriſque variolarum ſymptomatibus, *die* 29 *martii* 1730. *p. m.* ægrotare incipiebat. *d.* 30. *M.* Emeticum, & ſola diluentia propinavimus, cum febris non adeo fortis eſſet. *d* 31. *M.* Febris magis æſtuans pulv. Nitr. & Jul. acid poſtulavit; & dolorem dorſi acutiſſimum fotu e Menth. cr. c. vino, mitigavimus. *d.* 1. *A.* Fotus e ſpecieb. emoll. pedibus admovimus. Hæmorrhagia narium ſatis larga hodie morbo ſe junxit. Inclinante die indicia variolarum erumpentium invenimus, quæ per totam noctem ſubſequentem adeo multiplicata, ut variolæ *d.* 2. *A.* agmine ſatis magno faciem & pedes occuparent. Febris cum debilitate corporis manebat. Totam fere diem dormiendo conſumebat æger, quare de epiſpaſtico pedibus applicando cogitaverimus, quod itidem ægro præſcripſimus, id tamen vitio curam gerentis ſupine omiſſum videbamus. *d.* 3. *A.* variolæ majori numero eruptæ conſpiciebantur, forte e ſero lactis vinoſ. c. fl. Sulph. uſitato. *d.* 4. A. variolæ in facie parvæ & confluentes; genæ roſeæ erant *d.* 5. *A.* Nocte præcedenti inquietudines ortas fuiſſe deprehendebamus. Facies tumere incipiebat. Variolæ depreſſæ ſed paulo elatiores erant. Alvum nigris & peſſime olentibus ſcybalis exoneravit. *d.* 6. *A.* Saliva circa meridiem fluere incipiebat. Veſperi el. Pareg. L. gtt. XXX. prima vice propinavimus. *d.* 7. *A.* Alvum iterum depoſuit. Puſtulæ genarum corium pergamenum contrahere incipiebant. Ptyaliſmus pleno fluebat rivulo, *dieque* 8. *A.* continuabat *die* vero 9. *A.* paulo erat diminutus. Tumor manus patebat. *d.* 10. *A.* Salivationem penitus ſedatam videbamus puſtulis ol. amygd. d. & decoct. Aven. illivimus. Sed quam ſubita metamorphoſis! Neſcivimus ſane qua de cauſſa h. 8. veſp. ægrotum inveniebamus laborantem pulſu cito, ingenti ſiti, calore immodico &c. Syr. igitur e Meconio larga doſi propinavimus, quem poſt 7. horas repeti juſſimus. *d,* 11. *A.* Febrem & cetera ſymptomata vehementiora, cum delirio vago, magna debilitate, odore ſummo putredinoſo, conſpeximus. Clyſma igitur, & Julap. refocill. *Ill. Præſidis* ſine vino, ſubito præſcripſimus. Clyſma, ſine effectu applicatum, iteravimus, effectu autem ut antea fruſtraneo. Tandem de cortice chinæ propinando conſilium cepimus, cumque ad ſcr. j quavis hora, exceptis nocturnis, quarum quavis ſyr. e mecon ſorberet, ordinavimus. *d.* 12. *A.* ægrot. 4. tantum pulv. deglutiiſſe, ceteris intactis audivimus. Pulſus durior, & putredo ſumma. Pulveres Rob. Samb. immixti, ut faciliores deglutitu forent. Ante meridiem deliravit, unde tamen ab inſtituto nos deterreri non paſſi fuimus. Clyſma iterabatur, adjecto copioſo ſale, unde plurima excreta binioſa excernebat. Verſus veſperam pulſum molliorem, magiſque plenum, nec adeo citum experiebamur. *d.* 13. *A.* Vrina priori die ſumta ſedimento albo, dimidium fere vitrum implebat. Febris nulla. Putredo vix ſenſibilis Puſtulæ flaccidæ & rugoſæ erant pelliculæ, liquore nullo aut pultaceo repletæ *d.* 14. *A.* Urina pellucida abſque ſedimento, chinchina poſtmodum

indies repetita, quavis vero nocte paregorica, donec ægrum periculi expertem cognoverimus.

Ann. 1753. *d.* 13. *Aug.* Puerum biennem die 11: mo morbi viſitare incipiebamus. Variolæ confluentes erant; tumor faciem & manus reliquerat; per totum morbi curſum diarrhœam ad 3 evacuationes quotidie paſſus fuerat. Ægrotum maxime debilem inveniebamus; diarrhœa adhuc continuans, ſcybala griſea evacuabat; reſpiratio laborioſa valde erat, anheloſa & cita; febris vehemens; puſtulæ varioloſæ fere vacuæ; urina ſponte & ægro invito, in lecto ſemper evacuabatur; putredo intolerabilis; ſtridor dentium fere continuus. In caſu adeo ancipiti, ne dicam deſperato, ad cort. chin. propinandum, tandem nos accinximus, quamvis probe conſcii, in caſibus, ubi reſpirationi vis infertur, uſum ejus a quibuſdam Auctorum impugnari. vid *Huxham l. c. p.* 196. Corticem ad ſcr. β. quavis integra hora porreximus, ita ut Dr. ij. hoc die conſumeret parvulus. *d.* 14. *A.* Pulſus moderatus erat, & æger cibum appetebat. Hodie corticis ſcr. IV. deglutiebat. Excreta per alvum griſea erant & fœtida. *d.* 15. *A.* Corticem repetebamus, cum per nycthemerum propinatus non fuerit. Pulſus paulo citatior, quam antea erat. Putredo adhuc fortis. Puſtulæ indurari videbantur & decidebant. *d.* 16. *A.* Per totum diem pulveres aſſumere noluit æger. Verſus veſperam ſymptomata aucta deprehendebamus. Nocte ſequenti pulveres cum ſaccharo commiſti, guſtum ægri adeo eluſere, ut illos deglutierit. *d.* 17. *A.* Melius erat ægroto quam præcedenti die, & ſymptomata magna parte remiſſa. Jam facies a variolis fere liberata. Excreta per alvum brunneum forte exhibebant colorem, forte ex china tincta. Pulſus naturali ſimilis. Putredo hodie nulla, adeo ut nec ſpiritus, neque excreta alvi ullum odorem putridum ſparſerint. Depoſitiones alvi non ita urgebant, ut antea. Reſpiratio in integrum reſtituta non fuit, longe tamen facilior quam ab initio, dum arceſſiti adveniebamus. *d.* 18. *A.* China neglecta fuit. Verſus noctem ſyr. mecon. L. ſumebat, qui placidum conciliabat ſomnum. *d.* 19. *A.* Neſcimus qua de cauſſa loco corticis, nonnullos pulver. Nitr. ſumſiſſet. Tres habuit ſedes mucoſas. Stragilectionem hodie exercuit. Verſus veſperam magna ei ſupervenit debilitas, cum pulſu cito, ſudore, inquietudine & jactitationibus, maxima difficultate reſpirandi, agrypnia, quæ per totam noctem durabant, quamvis paregorica non omiſſa fuerint. *d.* 20. *A.* Symptomata, paulum tamen remiſſa, continuabant. Excreta per alvum flava, mucoſa & repetita erant. Putredo rurſus ſe manifeſtabat. Variolæ e toto fere corpore deciderant. Ad chinchinam iterum confugimus, ex qua ſymptomata ſenſim leviora apparuerunt. Deinde chinam quotidie, omnibus tamen veſperis paregoricum, diebus autem criticis doſi duplo majori, illud propinavimus, uſque dum de felici exitu morbi certiſſimi eſſemus. Sic tandem ſanitati reſtitutus æger, cum diarrhœa, aliiſque infauſtis ſymptomatibus, per totum morbi curſum conflictatus.

Hactenus de reſorptione puris. In variolis c. petechiis, c. puſtulis l. punctis nigris, quæ gangrænam adeſſe monſtrant, uſus forte corticis, æque ac in caſibus modo recenſitis, felix eſſe poſſet. De utilitate chinchinæ in gangræna & ſphacelo plurimi teſtimonia dederunt. *Rushwort* illam in ſphacelo ex cauſſa interna, & ubi febris intermittit, commendat. *Amyand* in 7. ægrotis ſemper cum effectu illam ſe dediſſe narrat, J. *Douglas* in omni ſphacelo uſum ejus admittit, propinata Dr. β. quavis h. 4. *Schipton* ad ſcr. ij ſub ipſis inſultibus febris illam præſcribit. *vid. Phil. Tranſact. N:* o 426. §. 5. *J. Huxham l. c. p.* 89. *ſeqq.* curioſum affert caſum cortice curatum. *cfr. The eſſays vol.* 2. *art.* 24. *vol.* 3. *obſ.* 5. *p.* 35. & *art.* 6. *p.* 43. *vol.* 4. *obſ.* 10. *p.* 47. *Si*, itaque ut verbis utar *Huxham. de Morb. epidem. vol.* 1. *p.* 109. *in ſingulari gangræna valeat quinquina, quidni in univerſa humorum corruptione?* Periculum certe nos hiſce in caſibus non fecimus; celebribus tamen viris, qui propria edocti experientia chinchinam & hic commendant fidem habere non dubitamus. Sic *Huxham. de Morb. epid. vol.* 2. *p.* 122. illa cum acidis e. gr. ~ Vitr. l. vin. rubr. Gall. inſtar omnium in variolis *nigris* uſus fuit. *Ric. Mead. l. c. cap.* 3. *p.* 37. ſpem dat optimi ſucceſſus in variolis cum puſtulis ſanguineis, ex cortice admixto alumine. J. *Wall Philoſ. Tranſ. N:* o 484. §. 4. plurimis demonſtrat experimentis chinchinæ uſum in variolis, quibus gangræna, hæmorrhagiæ, petechiæ & maculæ peſſimi generis ſemet adjunxerunt. Acidum ſemper adjecit plerumque alumen, ut magis ſtypticum inde emergeret medicamentum. In ipſo ſtadio 1. corticem adhibuit, quoties aliquid ex enumeratis ſymptomatibus adfuit. Sed quid rei, tot fide dignis obſervationibus, extra controverſiam poſitæ, diu immoremur? Antequam autem ſtadio huic finem faciamus, verbo tantum nominabimus, quod ſerio ægrotos adhortari debemus, ne oblivioni tradant genua ſæpius ſæpiuſque flectere, vidimus enim caſum, ubi, hoc neglecto, contractus fere evaſit æger, & non niſi ſumma cum cura, ſc. ungu. emoll. externe genibus applicatis, & ſenſim aucta genuum motitatione, in ſanitatem reſtitutus.

§. XI.

Stad. IV. Stadium hoc ingrediuntur variolæ, cum puſtulæ exſiccari incipiunt. Quæ de febri ſecundaria, reſorptione puris & ceteris ſymptomatibus ſupra diximus, ea omnia etiam de hoc ſtadio, quum paria in illud incidunt ſymptomata, dictum volumus. Ut exſiccatio placidior procedat, præſertim in facie, oleoſis e. gr. ol. amygd. d. vel Lil. alb. illiniri poſſunt puſtulæ, interpoſito decocto avenaceo. Laxantia e Mercur. d. non negligenda ſunt, præſertim in variolis confl. quibus ulcera ſordida plurimaque mala præcaventur. Debilitas periodica (§. V. ſt. 4.) propinato cortice chinæ feliciter cedit. Sed manum de tabula.

J O.

CLXXXI.

JO. GOTHOFREDI BERGER

ET

JO. THEODORI NEUCRANZ,

DE

USU VENÆ SECTIONIS,

ET

CLYSTERUM IN CURATIONE VARIOLARUM.

Vitembergæ 1711.

I.

ADmonet me hujus temporis ratio, ut, ſpeciminis loco inauguralis, de uſu venæ ſectionis, & clyſterum, in curatione variolarum breviter exponam. Nondum memoria excidit, quam acriter, hoc defuncta morbo, Sereniſſima Britanniarum Regina, Maria, de adhibita venæ ſectione diſceptaretur. Nunc obitus immaturus Auguſtiſſimi Imperatoris, Joſephi, & Galliarum Delphini, eaſdem lites non modo renovat, ſed etiam alias de uſu clyſterum in ejuſdem ſanatione mali movet, quas illud utraſque multis adhuc locis, non ſolum in urbibus, ſed etiam ruri, atque in caſtris ſæviens, etiam nunc alit, hoc minus quidem ſpernendas, quo magis cum vitæ valetudiniſque periculo ſunt conjunctæ.

II.

Quam igitur cauſam ut recte diſceptemus, noviſſe oportet, hic variolas intelligi veras, ſive illud febris acutæ genus, quod variis, nec raro gravibus, ſtipatum ſymptomatis, in eruptiones fervidas puſtularum ſanioſarum, & ſuppurantium abit. Nam, qui hunc in morbum incidit, is membris omnibus tanquam defatigatione quadam corporis ingraveſcit, & oſcitans ſæpe, ac crebra ſe pandiculatione relevare nitens, & ſubinde exhorreſcens, ſiccaque divexatus tuſſi, in primis capite, dorſo, lumbiſque, ac imo demum ventre, præſertim, ſi paululum prematur, dolet, & pulſu arteriarum crebro, æſtuque jactatur. Qui cum motu cordis pariter aucto, ac vehementiore, ex intimis oriens præcordiis, in univerſum corpus cum rubore diffunditur, nunc ingens, modo tolerabilis. Accedit moleſtus quidam punctionis ſenſus ſub cute, quaſi aculeis configeretur. Plerumque nauſea adeſt, ac vomitio, nec raro cardialgia, & magna in primis anxietas ac inquietudo, multaque, quaſi ex laſſitudine, ſomni cupiditas urget: atque is quidem nunc inquietus, & pavore interruptus, nunc multus, & nimius, eſſe ſolet: interdum vero vigiliæ affligunt. Urina nunc rubra, clara, vel turbida, modo ſanorum ſimilis, interdum cruenta, multa, pauca, ſuppreſſa. Sudor modo difficilis, modo ſpontaneus, & largior. Alvus, vel quotidie coacta, reddit, vel cita, & liquida, vel adſtricta. Os ſiccum, & ſiticuloſum, ſputum craſſius difficulter edit, interdum copioſo ſalivæ affluxu irriguum. Pruriunt nares, & ſternutant, ac ſtillant, nec raro ſanguinem fundunt: is quoque interdum per pulmones, ſæpius per alvum, prorumpit. Oculi tument, coruſcant, & illacrymantur: rauceſcit vox, & ſpiritus difficulter ducitur: vultus quaſi inflammatus rubeſcit, & tumet: manus pedeſque tremunt, ſubinde etiam dentes ſtrident, & deli-

 quium

quium animi, deliria demum, ac motus convulſivi, inſultuſque epileptici incidunt. Inter hæc, quorum nunc aliqua ſaltem, nunc plura adeſſe, & alia poſt alia ſequi ſueverunt, tertio plerumque, quartove die, raro citius, nonnunquam aliquanto ſerius, maculæ emergunt rubræ, ac quaſi efflореſcunt, primum fere in vultu, & manibus, ac deinde in corpore reliquo, quæ, mox ſubeunte ſucco augeſcentes, cutim inflammant, atque in puſtulas aſſurgentes, numero, magnitudine, & altitudine, varias, tumida membra, ac præſertim vultum, manuſque, reddunt, & ſuppuratione in abſceſſus abeunt, eoſque vel ſparſos, ac diſtinctos, vel ſibi mutuo contiguos, & confluentes, atque a concluſo ichore, pure, & ſanguine, albos, flavoſque, aut aliter coloratos. Non pari autem facilitate omnibus prodeunt, ſed nunc facilius, nunc difficilius, ſe efferunt, & matureſcunt, tantoque afficiunt gravius, quanto majori copia in fauces & gulam, ipſaque in viſcera, incumbunt. Aliquando etiam, poſtquam emerſerunt, mox iterum evaneſcunt, vel iteratis vicibus modo emergunt, modo rurſus occultantur, nonnunquam etiam aliæ aliis copioſæ ſuccedunt, & aliquando morbillis quoque, ac purpura permiſcentur. Quo quidem vario morbi ſtatu, febrim, &, quæ paulo ante enumeravimus, ſymptomata, protinus, vel paulatim decedere, vel ea intendi varie, & gravius hominem ac vehementius affligtari, videas. Id cum aliquando in diſcretis fiat, ſi nimis multa ſit earum materia, vel motui naturæ aliquid officiat, tum vero in primis in confluentibus contingere ſolet, ut præ cæteris erudite *Sydenhamius* tradidit, *obſ. med. circa morb. acut. hiſt. & curat. ſect.* 3. *cap.* 2.

I I I.

Illud autem, opinor, notum ſatis ac pervulgatum eſt, nullum ab eo malo ſexum, ætatem nullam tutam eſſe, maximeque id primæ, uſque ad pubertatis annos, ipſique aliquando fœtui in utero, perraro ſenibus, evenire. Conſtat etiam, idem omni quidem anni tempore ſporadice quoſdam, infantes in primis & pueros, invadere, nonnunquam vero populare ac epidemium eſſe, atque in plures, vel promiſcue, vel teneræ ætatis, graſſari ac ſævire, & primo plerumque vere incipere, æſtate quaſi ætate procedere, languere autumno, ac hyeme decedere conſueſſe: nec raro per anomalias aëris, & inordinatas tempeſtatum conſtitutiones incidere, ac exhalatione ægrotantium, ſive contagione, creſcere & propagari, aliquando etiam crapula, & motibus animi, ac corporis, immoderatis, cauſiſque aliis, latentia mali ſemina humoreſque in corpore magnopere cientibus, oriri. Sed videas, id cœlo etiam tenui ac temperato, nec minus hyeme rigida, per populum ſerpere, & victu utentes bono, bonoque corporis habitu præditos, aliquando potius, quam alios, infeſtare. Neque tamen, quod quibuſdam placere video, exiſtimandum eſt,

hoc

hoc genus mali vix quenquam mortalium evadere, &, qui ſemel ita laborarunt, hos deinde tutos ab eodem eſſe. Nam aliud uſus rerum & exempla teſtantur.

I V.

Ex qua vero materia variolæ ortum habeant, & quomodo gignantur, res dictu eſt difficilis, ac multum & ſæpe quæſita. Mihi quidem, ſi quid inter tot tamque diverſas ſententias ſtatuendum eſt, quædam eſſe chyli reliquiæ videntur, ad tranſpirationem, ſecretionemque, minus aptæ, aliquandiu in ſanguine congeſtæ, & cum eodem partim circumfluæ, partim intus vaſis & viſceribus obhærentes, quæ variolis materiam & originem præbeant. Namque ita ſe habens, chyli materia, diu in corporibus occultari, ac veterare, & illius in locum ſubſtantiæ, quæ aſſiduo fluore diſſipatur, ſuffecta, ſuccos corporis vitiare, & cum iiſdem partibus diſtributa, affigi illic, & concreſcere, ac earum ſubſtantiæ quodammodo aſſimilari, atque incepta a parvis, & cum ætate accreſcens, globulos ſanguinis ita implicare poteſt, ut tandem illa ejus conſtitutio inflammatoria, quam vena ſecta miſſus, in craſſamento rubro, ob globulos ex chylo cohæreſcente albidos, cuticulæ modo albæ, firmæque, concreſcens, oſtendit, ac demum iſtud commune multis variolarum ſeminarium ſuccreſcat. Notum eſt, chylum corpus circumeuntem, id, penus inſtar & commeatus publici, ſucco & ſanguine plenum conſervare, quodque ejus reliquum eſt, illius perſpiratione conſumi, adeo, ut niſi ex aſſumtis alimentis novus quotidie chylus ſuccedat, mox, illius defectu ſucci, defectus atque infirmitas virium exoriatur. Ac quantum quidem brevi temporis ſpatio effluat e corpore, ac diſſipetur, vix quiſquam crediderit, niſi ex obſervatione *Sanctorii a Sanctorio*, *med. ſtat. ſect.* 1. *aph.* 59. conſtaret, in eo quidem, quo is vixit, climate, ſpatio unius noctis, ſedecim uncias lotii, plus minuſve, quatuor coctorum excrementorum per alvum, quadraginta, & ultra, per occultam tranſpirationem, evacuari ut plurimum ſolere. Quod, ut intelligamus, de chylo accipiendum eſſe, ex eodem *Sanctorio*, præcedente *aph.* 65. admonemur: *Non qualibet hora corpus eodem modo perſpirat, quia ab aſſumto cibo quinque horis libram circiter perſpirabilis magna ex parte exhalare ſolet, a quinta ad duodecimam, tres libras circiter, a duodecima ad decimam ſextam, vix ſelibram.* Hinc enim patet, ex chylo, orbem ſanguinis ingreſſo, plenam perſpirationem eſſe, eoque exhauſtum ſanguinem, parum admodum, ſi comparatio cum perſpiratione chyli fiat, emittere, ſed ſua ſe copia aliquandiu tueri ac ſuſtentare. Quemadmodum in hominibus, inedia exhauſtis & conſumtis, perinde ac in animalibus aliis, fame enectis, ipſius moles ſanguinis parum imminuta deprehenditur. Neque id mirum cuiquam videbitur, qui, ipſam ſanguinis maſſam, glo-

globulis ſolidiuſculis, ſeroque limpido conſtantem, ob harum craſſitiem partium, ad perſpirationem minus idoneam, chylum autem, tenuitate ſua, & raritate, copiaque aëris, illa leviorem, atque ad curſum, & ſubitum e ſanguine diſceſſum, multo aptiorem eſſe, non ignorat.

V.

Quodſi nunc recogitemus, quam facile, ſæpeque, a cauſis, cum interioribus, tum externis, ipſiuſque culpa victus, perſpiratio impediri, & chylus, mole, molecula, motuque, varius, in vaſis congeri, & accumulari poſſit, fœcundam multorum morborum, in primiſque febrium variarum, materiam & ſegetem habebimus, & paucos eſſe intelligemus, quin eam ſatis ſæpe diu a tenera ad ſeram uſque ætatem circumferant, & nunc variis diætæ erroribus locupletent, & alant, nunc bona victus vivendique ratione diminuant, cujus inimiciſſimas fruges haud dubie pluries experiremur, niſi natura ſuopte robore eandem emungeret, &, vel aucta perſpiratione, vel per renes & veſicam, alvumque, aut alias ſubinde vias, emitteret, & minueret, aut in extima corporis, variorum forma abſceſſuum, exſpueret. Quorſum obſervationes pertinent *Sanctorii l. c. ſect.* 1. *aph.* 56. & 66. *Corpora quoque virorum ſana, & moderatiſſimo victu utentia, ſingulis menſibus fiunt ponderoſiora, unius ſcilicet, duarumve librarum pondere, & redeunt ad conſuetum pondus circa finem menſis, ad inſtar mulierum; ſed facta criſi per urinam paulo copioſiorem, vel turbidiorem. Ante dictam criſin menſtrualem, a ſomno factam, vel gravitas capitis, vel corporis laſſitudo perſentitur, & deinde, paulo copioſiori urina evacuata, omnia ſedantur.* Eodem referendi ſectionis ejuſdem *aph.* 73. & 74. *Si unica die ob aliquod erratum libra perſpirationis retineatur, natura triduo ſolita eſt illud retentum inſenſibiliter expurgare. Tunc autem natura multum inſenſibiliter evacuat, cum per oſcitationes, & artuum extenſiones, retentum perſpirabile excernere conatur.* Huc etiam, ut alios omittam, ſpectant *aph.* 25. & 26. *ſect.* 3. *Melones adeo pauxillum perſpirant, ut quadrantem circiter auferant perſpirationis conſuetæ. Retenta illorum perſpiratio in urinam, vel ſudorem faceſſere ſolet.* Neque alienum eſt illud *Celſi, lib.* 4. *cap.* 19. *Uno die fluere alvum ſæpe pro valetudine eſt, atque etiam pluribus, dum febris abſit, & intra ſeptimum diem id conquieſcat. Purgatur enim corpus, &, quod corpus intus læſurum erat, utiliter effunditur, verum ſpatium periculoſum eſt.*

VI.

Eadem chyli materia, ad tranſpirationem ſecretionemque minus idonea, inquinato ſanguine, variolas gigni exiſtimarim, cum, vel diminuta quavis cauſa, & infirmata tranſpiratione, vel ita alienata humorum mole

mole ac indole, ut ad vaſa minima plus æquo renitantur, vel aucto aëris, ſive jam inteſtini & domeſtici, ſive ambientis, introque ſubeuntis, elaterio, vel inquinamentis hujus, & miaſmatis contagioſis, perturbato, & invaleſcente, elatoque ſanguinis motu, adjuvante non raro agitatione ac impetu quodam animi, & corporis, vel crapula, aliove errore diætæ, adactum commotumque, cor pulſu concitatiore verberat degenerem illius maſſam, atque in circulum ſolito velociorem urget, & compellit. Sic enim fieri aliter nequit, quin & arteriæ crebrius pulſentur, ſanguinemque incitatioribus pariter ictibus propulſent, & una conflictus trituſque partium illius interiorum augeatur, eoque calor eliciatur uberior, atque ex blando, & naturæ conſociali, evadens igneus, incendium febrile inferat. Iſto vero eodem continuato cordis atque arteriarum labore, & hunc conſequente aucto preſſu æſtuque ſanguinis, quo omnis coagmentatio corporis exardeſcit, tumetque, ac dolet, atque alia poſt alia ſymptomata exoriuntur, ea demum fit ſolutio diviſioque craſſiorum & cohærentium ſanguinis particularum, ut aliæ ab aliis facilius ſecedere poſſint, &, quæ magis diviſæ ſunt, ac evolutæ, in extremas arteriolas ad glandulas cutis propulſæ, poris & halitu difflentur partim, partim vero iſtis in glandulis, tum ipſis in arteriolis, fervore & copia turgeſcant, & primo puſtulas rubras, cum ardore, dolore, diſtentione, & pulſatione, ſive parvas inflammationes, excitent, & magis deinde magiſque extra orbem ſanguinis protruſæ, ac focis ſub epidermide anguſtis concluſæ, novo putredinis motu in pus ſaniemque abeant, eoque minutos demum abſceſſus, ac vomicas, pariant. Quo quidem labore cor hoc facilius & rectius perfungitur, quo majori pollet robore, & magis obſequens, ac minus copioſa, eſt materia, & habitus cutis rarior ac mollior, atque ad eam ſuſcipiendam melius diſpoſitus. Sic enim fit, ut, extra ſphæram ſanguinis, intra ambitum corporis univerſitatiſque ſuperficiem ejecta, materia ſuperflua, & inimica, pulſus cordis & arteriarum, atque adeo circuitus ſanguinis, moderatus & æquabilis evadat, & ſua corpori temperies naturalis redeat. Itaque *Sanctorius* ad quæſtionem: cur ii, qui ægritudine pernitioſa corripiantur, ſanentur? recte reſpondet, id fieri, quia multorum ponderum ſalubrium ſint capaces. *A corporibus enim* inquit, *l. c. ſect.* I. *aph.* 81. *ægritudines triginta libras auferunt, plus minuſve, prout corpora magis vel minus repleta ſunt, & prout ægritudo magis vel minus calida & longa exiſtit.* Quod ſatis confirmant, qui variolis laborant, & alios inter juvenis ille, ſupra modum obeſus, cujus *Liſterus* in *commentario* ad hunc Sanctorii aphoriſmum meminit. Is enim paulo ante, quam variolis corriperetur, ad octo ſupra ducentas libras ſe pendere, ex ſtatera cognovit. Menſe vix finito, convaluit, & cum iterum animi cauſa ſe ipſum ponderaret, ad octoginta minimum libras ſe leviorem deprehendit.

VII.

Hoc modo febrim, videmus, œconomiam corporis multis quidem modis plerumque graviter exagitare, ſed ſæpe etiam præſidio eſſe, quando ab humoris inutilis, infenſique, onere & noxa vindicat, & ſanguine, ac vaſis, viſceribuſque expurgatis, ſanitatem reddit. Quo ſenſu ſpeciatim de variolis *Tulpius*, *lib.* 4. *obſ. med. cap.* 51. ſcribit, eas auferendo pernicioſam peſſimorum humorum colluviem, ſanitati ſemper non adeo nocere, ut interdum etiam plurimum illi proſint. Ita vero apparet etiam, quo eaſdem jure multi ad excretiones criticas referant, quod ex fervore ſanguinis in modum criſeos cujuſdam, & cum multis ſymptomatibus, ut plurimum prodeant; & criſis nihil aliud ſit, quam naturæ adverſantis materiæ per hæc illaque corporis loca expulſio. Quæ igitur ut cum ſalute ægrotantis fiat, ejuſmodi materia motu cordis & arteriarum, ac mutuo minimorum ſanguinis occurſu, trituque, ita comminuenda ac dividenda eſt, ut ex arteriis in meatus excretorios, ad quos appellit, emitti, aut in extimas corporis partes, extraque orbem ſanguinis, amandari queat. Qua ratione aliquando comperias, in variolis partem colluviei humorum, qui per cutem non ſatis expurgari potuerunt, etiam ſalubriter nunc per vias ſalivæ, modo per alvum, ſive inteſtinorum cutaneas veluti glandulas, eliminari, ſæpeque fieri, ut vigore cordis turgeſcentes humores, & plenius vaſa diſtendant, ac etiam diffringant, &, qua data porta, ruant, ac liberali hæmorrhagia morbum leviorem reddant. Imo vero hinc conſtare poteſt, quo modo ex eadem chyli materia febris, nunc cum eruptione variolarum, nunc ſine ea, iſta videlicet materia, per varias excretiones, natura, vel arte, factas, mature ſubducta, exiſtere, ac ſuperari poſſit. Atque ſic quidem etiam intelligitur, quo jure *Sydenhamius*, *l. c. ſect.* 1. *cap.* 4. febrim dixerit naturæ inſtrumentum, quo partes impuras a puris ſecernat, & porro, *ſect.* 3. *cap.* 3. naturæ machinam vocarit, ad difflanda ea, quæ corpus male habent.

VIII.

Sed multo aliter, & peſſimis ægri rebus, evenire comperimus, cum imperfecta hæc criſis, aut prorſus ſymptomatica eſt variolarum excretio. Id quod fieri quidem animadvertas, ubi febris admodum ſævit, vireſque continuo atterit, aut nova ex inflammatione viſcerum ſuccedit, & graviora impetunt ſymptomata, atque ob abundantiam materiæ, & pravitatem, infarctumque viſcerum, ac denſam nimis, adſtrictamque cutim, illius ſentina per hanc exhauriri nequit, & vel plane non, vel non ſatis prorumpunt variolæ, vel etiam nimis ſero proveniunt; aut ubi

tibi nimium fauces, & gulam, vel intima corporis & viſcera occupant; aut liquati æſtu, corruptique ſucci, in variolas, ſine fine prodeuntes, prope omnes effunduntur, & totum hominem ſcabrum, fœdum, ac veluti leproſum reddunt, vel ore, alvoque, immodice effluunt; aut quando ſanguis ipſe per has, renumque vias, vel loca alia, ultra modum fertur, & tam multis magniſque laboribus fractum, & debilitatum, cor ſuccumbere tandem cogitur.

IX.

Ex his vero cuivis facile patet, bona ratione medicos duo hujus morbi tempora obſervare conſueſſe, unum ebullitionis, ſive æſtus febrilis, quo materia variolarum pulſu cordis, jugique tritu partium ſanguinis, ad abſceſſionem præparatur, alterum exitus, ſive eruptionis, quo illa, agitatione iſta ſatis diviſa, ac præparata, atque ad habitum corporis protruſa, primo inflammationes parit, ac poſtea purulentia cruſtiſque perit, aut diutius conſiſtens, fœdam impuramque continui ſolutionem, ſive ulcuſcula, excitat. Unde quibuſdam alterum tempus etiam inflammationis vocare, & tertium maturationis, ſive ſuppurationis, addere placuit. Nam uti variolæ phlegmonis ſuppurantis naturam referunt; ita parem cum ea cruditatis, maturationis, atque exareſcentiæ, ſtatum percurrere ſolent. Plerumque autem tempus æſtus, ſive ſeparationis, a primo die in quartum protrahi, eoque cœptus puſtularum exitus, ac inflammatio cutis, & hanc conſequens ſuppuratio, atque exareſcentia, plures durare dies conſueverunt, ita, ut totius decurſus morbi quatuordecim ſpatio dierum utplurimum abſolvatur. Quandoque vero, ob cruditatem & craſſitiem materiæ, ad diem vigeſimum, & ultra, produsitur.

X.

Jam illud etiam conſtare arbitror, in curatione variolarum habendam eſſe rationem motus cordis, & ſanguinis febrilis, quo plus æquo nec intendatur, neque cohibeatur, ſed, quod ſuſcepit, munus & onus, tam ſecretionis, quam excretionis, ſine gravioribus ſymptomatis, ita perficiat, ut corpore, quoad fatis eſt, expurgato, priſtinam, ſalutarem vitæ & valetudini, æquabilitatem conſequatur. Quod, tanquam in ſpeculo, non ſolum videre, verum etiam providere, ut magni omnino refert, ita ſagacis eſt medici, & fidi naturæ adjutoris, & miniſtri. Neque enim artis opera, & ope medicamentorum, tentanda ſunt, quæ ipſa, ſuis nixa viribus, natura perfectura eſt, quod non modo nulla inde utilitas, ſed etiam gravia damna, in ægrum redundare poſſint, a quibus cum ſua quemque conſcientia, tum vero *Hippocrates* dehortatur, *lib. 1. Epidem. Te ad hoc exerceto*, inquiens, *morbis ut proſis*, *aut*, *ne*

quid noceas. Id quod, ſi in ullis, in acutis certe, morbis obſervandum eſt. His enim breve ſpatium eſt, intra quod importuna medicina æger haud raro extinguitur, nec ſæpe mutationi remediorum tempus eſt. Qua ratione, in ſucci plenis præcipue, & calidioris naturæ hominibus, crebro nimis fieri cernimus, ut intempeſtivo expellentium, ſudoriferorum, bezoardicorum, & cardiacorum, quæ vocant, remediorum uſu, variolæ, quæ, vel inopis exemplo plebis, ſolius vi naturæ, ſibi relictæ, nec laceſſitæ, nec aliunde impeditæ, aucto nonnihil motu cordis & ſanguinis diviſa prius, & ſatis attenuata, ſolutaque, ſive concocta & digeſta, tum vero ejecta in cutem, materia, ex ſe benignæ tutæque fuiſſent, in periculoſas multoties mutentur, iſtorum abuſu remediorum efferato nimis & concitato motu æſtuque ſanguinis, utpote quo portio ſuccorum aquoſa, & diluens, multo inutili ſudore diſſipatur, & crudi adhuc ſucci nimio plus exagitantur, ac, præpoſtera feſtinatione tumultuoſe quaquaverſum impulſi, in ſaniem diſſolvuntur, ipſaque ſubinde viſcera & carnes ita exuruntur, ut in virus pariter putre colliquentur & tabeſcant: unde repentinus corporis tumor & inflatio, compreſſiones cerebri & nervorum, perſpiratio minor, & eruptio variolarum nunc impedita & interrupta, nunc præmatura, præcipitata, ac devia, ſæpeque fons fœdæ ſcabiei & variolarum confluentium inexhauſtus, & acies, ac fervor, & malitia humorum, febriſque fomes ac ſævitia, nec modo cutis, ſed etiam viſcerum incendia, & ruptiones vaſorum, ac ſubiti virium lapſus, & plurium fœturæ graviorum ſymptomatum, exiſtunt.

XI.

Eadem eſt ratio calidioris diætæ, & ambientis intemperiei aëris, quam hodie a doctiſſimis præcipue Britanniæ medicis incuſari audias, & ſuo quidem merito, modo pro ratione tempeſtatum anni, & climatum, ea caloris moderatio adhibeatur, ut nulla tranſpirationi, eruptionique, remora injiciatur, quam non ſemel, cum periculo vitæ interituque ægrotantium redimendam, intempeſtivæ corporum refrigerationes afferre ſolent. Adeo verum eſt de variolis quibuſque veris, quod de epidemicis ſuis l. c. obſervavit *Tulpius*, nihil fuiſſe pernicioſius externo frigore, ſive aëris, ſive aquæ egelidæ, qua conclavium pavimenta, a muliercuiis improvide deterſa, excitarint protinus inſignes convulſiones, & terribiles morbi comitialis inſultus, cum algido extremorum frigore. Melius ſenſit, & rem intellexit *Sanctorius*, *ſect.* 1. *aph.* 121. *Refrigerationes in morbis acutis indicant mortem, ut in Hermocrate: adimunt enim perſpirationem.* In quem locum *Liſterus* addit: *Tremenda quidem eſt iſta vehemens, & intempeſtiva, refrigeratio, quam noſtri homines variolatis maxime, aliiſque nonnullis febribus acutis, tanta diligentia procurare ſtudent, contra fidem notiſſimam hujus aphoriſmi.* Itaque, quemadmodum fri-

frigus, ſic calor etiam nimius, hic noxius eſſe poteſt, ut multo eruditus uſu, *Dan. Ludovici*, *Eph. Germ. Dec. I. Ann.* 8. *obſ.* 68. juniores monuit medicos, cum eos, qui in Javæ nova Batavia variolis laborant, remediorum ope diaphoreticorum, & fervorem ſanguinis augentium, non recreari, ſed opprimi, ſcribit, *æque ac complures puſiones terræ cedant nimia illa cubiculorum exæſtuatione, potus denegatione, vel calefactione, expulſivorum anticipatione, multitudine, inordinatione, refectivorum juleporum, aquarum perlatarum &c. ingurgitatione &c. qui, ceteris paribus, vel ruſticorum exemplo, parciori conſideratiorique medicatione forſan ſervari potuiſſent; ante eruptionem ſcilicet nil, aut parum ſaltem, per abſorbentia bezoardica fixiora, (ni malignitas, vomitus, diarrhœæ, ſubtilius cum anodyni tantillo exegerint) movendo, expulſionem poſtmodum volatilioribus (ſolitariis, aut dicto modo exaltatis) ſemel, aut bis, hinc fixioribus denuo adjuvando, circa nonum vel undecimum, novas interdum exacerbationes, acciſa tincturæ bezoardicæ, mixturæve ſimplicis doſi, moderatioribuſve infringendo, reliquum per vulgatiſſima præcipitantia (mixto interea potui ſpiritu ſalis ſubtiliori, cliſſo &c.) tranſigendo, non neglecto poſt recollectionem laxativo.* Neque multo aliter *Diemerbroeckius*, *Sydenhamius*, *Pechlinus*, ut multos prætercam alios, experti, ſenſerunt.

XII.

Atque hæc mihi præſtruenda fuerunt, quo pateat, in hujus ſanatione mali motus naturæ, morborum medicatricis, in maxima medentis cura & clientela eſſe debere. Cum enim illa ſibi ſemper ſoli haud ita ſufficiat, ut, quem coacta ſuſcepit, laborem, exantlare feliciter queat, ſed multa ſubinde incidant, quæ ordinem & motus ejus modo impedire, modo augere, & confundere convellereque poſſint, officium eſſe medici apparet, ut motus naturæ ſalutares non immutet, impeditos & languidiores exſuſcitet & expediat, immoderatos vero ac devios moderetur, atque in viam & ordinem reducat, periti more naucleri, quocum a Galeno comparatur, qui opportunis temporibus vela aptat, ac demittit: præpoſterus enim illorum uſus profecto naufragium pareret. Hinc vero neceſſitas & uſus venæ ſectionis in curatione variolarum fluit. Equidem non ignoro, hoc, omneque aliud, evacuandi genus multos hic quam maxime formidare. Et ſatis, puto, ex iis, quæ modo dicta ſunt, quivis videt, in recens natis, & quibus, neque ſuccorum redundantia, neque febris, neque graviora ſymptomata, negotium atque periculum creant, ſed placide variolæ erumpunt, negotium naturæ committendum, curandumque eſſe, ne quid illius motui officiat, ſed, ut conveniens ei diæta, rectaque caloris temperatio, ſuppetias ferat. Namque in his etiam commiſſos, quamvis leves videantur, errores non raro morte puniri, nemo eſt prudentiorum, qui non intelligat. Illud autem nos ſapienter

Hippocrates monuit, *ſect.* 1. *aph.* 20. *Quæ judicantur, & judicata ſunt integre, neque movere, neque novare aliquid, ſeu medicamentis, ſeu aliter irritando; ſed ſinere oportet.*

XIII.

At vero vehemens febris, ubi magno corpus æſtu jactatur, pleraque vaſa tument, ante omnia ſanguinis detractionem requirit, quod nullo remediorum genere laboranti naturæ promtius ſuccurritur, nec metuenda alioqui ſymptomata averti melius ac præcaveri poſſunt. Nam quo major eſt copia ſanguinis, & ſævior fit febris, hoc magis neceſſe eſt, motus illius turbulentus, & tumultuoſus, eoque laborioſior, moleſtiorque, ſit naturæ, & majus occupando ſpatium vaſa repleat magis, ac diſtendat, atque ad extremas arterias renitendo fortius, & fibras cerebri, ac nervorum, muſculorumque, comprimendo, illius pariter & cordis, ac univerſi vires corporis affligat, tum vero ſibi ipſi officiat, & viam præcludat, ac ſecretionem materiæ noxiæ, & tranſpirationem, impediat, atque infarciens viſcera, intus inflammationes excitet, & corruptis, ac fuſis demum, liquatiſque ſuccis, excretiones, fluxioneſque varias, funeſta plerumque, moveat, neque uno adeo modo vitæ periculum afferat.

XIV.

Utile ac neceſſarium his tot incommodis remedium venæ ſectionem habebit, quiſquis cogitaverit, ejus ope, evacuata ex parte cauſa mali, æſtum febrilem temperari, ac plenitudinem & tumorem vaſorum, vimque intus renitentem, foris cerebrum nervoſque prementem, minui, eoque laborem luctantis levari cordis, vireſque, oppreſſas a mole & impetu ſanguinis nimio, excitari ac refici, & locum ampliorem, ac ſpatium, ſecretioni cohærentis ſanguini noxiæ materiæ neceſſarium, concedi, & liberiorem illius circuitum, perſpirationemque univerſi corporis, procurari, inflammationes denique viſcerum, & corruptiones ſuccorum, profuſioneſque arceri, ac multis adeo, gravibuſque, incommodis afflictam naturam & oppreſſam liberari ac erigi. Quæ res uti ratione conſtat, ita experientiæ fide ſic teſtata & confirmata eſt, ut nunquam ſe ſpe ſua fruſtratos eſſe, multi doctiſſimi medici affirment, ſed ingentem utilitatem vena, & tempore, & modo incisa, ſenſiſſe ac reportaſſe, exemplis confirment, ita, ut variolæ aliquando, cum ſanguis vena ſecta flueret, in cute ſeſe oſtenderint, nunc paulo poſt, vel ſua ſponte, vel adhibitis blandis diaphoreticis, facile prodierint, intactis, & ſalvis interioribus partibus, ac remittente æſtu, & ceſſantibus, quæ afflixerunt antea, ſymptomatis. Ad hæc accedit, quod, ut, monente *Diemerbroeckio*,

l. c. *cap.* 9, a longa experientia medicis omnibus notiſſimum eſt, frequenter ante eruptiones variolarum excretiones ſanguinis e naribus largæ & ſalubres αὐτομάτως fiant, iiſque & febris imminuatur, & variolæ facilius, minorique copia, prodeant, nec quidquam mali accidat a catameniis, toto variolarum curſu lente fluentibus.

X V.

Quo vero id operæ pretium vena ſecta conſequamur, in memoriam revocandum eſt, id quod ſupra dixi, diverſa in variolis obſervari tempora, unum quidem ebullitionis, ſive ſecretionis, quo æſtus viget, humorque noxius ſolvitur, atque e compage ſanguinis evolvitur, alterum excretionis, quo ille humor ſolutus ſatis, & diviſus, in habitum & ſuperficiem corporis ablegatur, puſtulaſque parit, ac tertium ſuppurationis, quo idem in puſtulis in pus ſaniemque excoquitur. Nam, ſicut ex præcepto *Hippocratis*, *aph.* 29, *ſect. II*, in omni morbo acuto, propter ſubitum ejus augmentum, lapſumque virium, ſi quid movendum videtur, principio movendum eſt: ita hoc etiam in malo, ubi impetus febris, & virium robur ſuffragantur, mox inter initia, ante exortum macularum, a diſtentis venis ſanguis dimittendus eſt. Sic enim natura, parte oneris levata, vel ſuapte vi, vel blandis adjuta diaphoreticis, facilius, quod reliquum eſt, expellet, non temere iterum venæ ſectione ſolicitandum. Hac ratione *Diemerbrockius* ſe obſervaſſe, ſcribit, *de variol. & morbill. lib. ſingul. cap.* 9, facta in plethoricis tali tempeſtiva venæ ſectione, variolas non modo facilius, & ſine magna moleſtia, verum etiam longe pauciores erumpere, & citius maturari. Idem *Foreſtus*, *l.*, *VI*, *obſ.* 16, & multi alii notarunt. Ex his *Ballonius*, *Epid. & Ephem. lib. I*, *p.* 50. *Si puellis*, ait, *detrahatur ſanguis initio in ſuſpicione morbillorum & variolarum*, *impedietur augmentum febris*, *cujus calor maleficus eſt tabeficus. Et ſic fuſis liquatiſque carnibus non ita intumeſcet corpus*, *nec fœda ſcabie maculabitur & inquinabitur.* Profecto cum ab omni arte, tum vero a medicina, & hujus curatione mali, aliena eſt procraſtinatio, prætermiſſioque, ut in qua dilatio vitæ periculum ſit. Siquidem æſtus febrilis brevi multum propagatur & invaleſcit, ac ea, quæ dixi, aliaque graviora inducit ſymptomata, quæ mature inſtituta venæ ſectio ita præcavet, ut & eruptio variolarum facilior, & totius morbi decurſus levior multo ac tolerabilior evadat. Ut vero hic primo quoque die ſanguinem mittere expeditiſſimum eſt: ſic, amiſſa hac occcaſione, idem auxilium non modo ſupervacaneum, ſed etiam calamitoſum tum eſſe ſolet, cum jam ſpatio ipſo materia paſſim in cute ſatis effloruit, vel via modove alio exhauſta eſt, vel corpus ita corrupit, ut detractio imbecillum facere poſſit, non poſſit integrum. Emoritur enim vis, ſi quæ ſupererat, hoc modo erepta.

X V I.

XVI.

Neque tamen hic ſolum tempus conſiderandum eſt, ut ipſo in exortu variolarum, aut poſt eundem, venæ ſectionem nunquam tutam & utilem opinemur, quæ fere popularis eſt perſuaſio; ita ut, apparentibus jam variolis, venæ ſectionem multi mortiferam cum *Veſalio*, *lib. V. Chirurg. magn. cap.* 13. judicarint, ac *Diemerbrockius* l. c. auditoribus ſuis inculcaverit, ut ſatis tempeſtive ad ægrum vocati, ante ulla variolarum erumpentium ſigna, venam ſecent, ſi neceſſe ſit, aut utile videatur: ſed, poſtquam aliqua minima earum veſtigia, vel punctula rubra in cute apparere incipiunt, tunc a venæ ſectione prorſus abſtineant, atque alexipharmacis potius diaphoreticis, aliiſque appropriatis, naturam in incepta expulſione adjuvent. Nec enim hic ita perpetuum eſt, quod ſequaris; ut non ſubinde aliæ obſervationes adhibendæ ſint, ad quas dirigi curantis conſilium debeat. Nam ubi apparentibus quidem, non autem emergentibus, aut jam protruſis in cutem variolis, æſtus tamen febrilis ingraveſcit, atque ſymptomata periculum minantur, ac præſertim anxietudo; & difficultas ſpirandi, ac inflammatio faucium, & pulmonum, itemque ſopores, aut inſultus epileptici, urgent, metuſque eſt ſuffocationis; aut ſanguis alicubi cum periculo prorumpit, nullo modo melius ſuccurritur, quam venæ ſectione, quia non deficiens, ſed ſuperans, interioraque impetens, materia, majori vi & copia lædit, quam natura evincere ac expugnare poſſit, neque concoctionem expulſionemque per cutim res expectat, ubi periculum vitæ imminet. Sic enim una ſanguinis detractione plus educimus, quam natura foras poſſit propellere, cum interea temporis & febris augeatur, & corpus quaſi in putre ſerum reſolvatur, & vel jam præſentia, vel evenientia, gravia ſymptomata mortem inferre poſſint. Atque ea quidem res citra naturæ levamentum evenire non poteſt ſub eo medico, qui ſcit, ex quali corpore ſanguis mittendus ſit. Neque enim is illico opus eſſe venæ ſectione videbit, ſi quædam febricula, vel nova caloris exacerbatio, a variolarum ſuppuratione exoriatur, quæ fere ſæpius circa nonum, vel undecimum diem evenire ſolet, neque hujuſmodi remedium poſcit, ſed temperantibus & blandis diaphoreticis facile cedit. At vero ſi materia copia ſui male habet, onereque nocet, & funeſta urgent ſymptomata, venæ ſectionem, etiam repetitam, non modo utilem, ſed etiam neceſſariam judicabit, quod nullum hac præſentius remedium exiſtat. Hac ratione, multis compertum eſt experimentis, tam in eruptione quam poſt eruptionem variolarum, ſanguinem felici ſucceſſu detractum fuiſſe. Et novimus ipſi, variolis jam obſitum, cum ſanguinem vomitione alvoque redderet, venam ſectam feliciter ſuſtinuiſſe. Idemque *Mercatus*, *Duretus*, *Epiphan. Ferdinandus*, *Riverius*, *Horſtius*, *Riolanus*, *Williſius*, *Meibomius*. ut plures omittam alios, præcipiunt.

XVII.

XVII.

Illam vero communem opinionem, qua venæ ſectio motum naturæ impedire, &, quod ea foras ad habitum corporis expellere cœpit, ad interiora, ipſamque ſcaturiginem, a qua primitus impetum fecerat, avocari ac retrahi creditur, nemo amplius admittet, qui circuitum ſanguinis intelligit. Ex hoc enim perſpicuum eſt, eundem eſſe motum exanthematum & venæ ſectionis, e centro ad circumferentiam, e corporis penetralibus in ejus planitiem, & tantum abeſſe, ut, aperta vena; reflentur ſucci, ad cutem evocati, iterque relegant, ut potius ad illam facilius moveantur, eoque & eruptio variolarum adjuvetur, & magnum cordi ac viſceribus, antea ſanguine oppreſſis, levamentum afferatur. Quamobrem etiam in inflammationibus interioribus, itemque in mœrore, timore, & terrore, quam maxime utilem venæ ſectionem experimur, ad ſanguinis, in viſceribus collecti, liberiorem explicationem, & circuitum. Ac ipſe quidem uſus oſtendit, a ſecta vena, etiamſi nulla fuerit ſuſpicio variolarum, eas nunc ſubito, nunc die altero, aut poſtridie, auſpicato prodiiſſe. Ita *Ballonius*, *Epid. & Ephem. lib. II, p.* 142. Abbati cuidam, commemorat, cum nil de exanthematon eruptione conſtaret, phlebotomia large celebrata, a prandio illa erupiſſe. *Calumniabantur*, inquit, *medicos. Tamen nihil inde evenit deterius. Immo cum ſervæ cuidam exanthemata, eaque denſiſſima, paruiſſent, nec non lingua intumuiſſet, flagrante etiam malo ſecta eſt vena, copioſus detractus ſanguis, & hoc innocuum fuit. Notandum hoc.* Plura apud eundem, ut & *Pechlinum*, *obſ. med. phyſ. XV, lib.* 2, exempla occurrunt, inter quæ notatu dignum eſt, quod hic de femina habet nobili, jam quadragenaria, quæ inſciis, imo prohibentibus, Medicis, jam etiam in cutim protruſis variolis, in utroque ſibi pede venam incidi juſſit, & diminuto, qui impatientem torquebat, æſtu, feliciter evaſit. Idem ſe puerperas vidiſſe refert, inſigni lochiorum fluxu laborantes, & tamen periculum, quod ominabantur magnum, variolæque, jam in altum elatæ, jam complanatæ, intentare videbantur, feliciter effugiſſe, imo latitantes inde a longo tempore ſtatim cum partu, id eſt, uteri hæmorrhagia, florido colore in cutim exiviſſe, juſtoque tempore maturatas, ægras a diſcrimine, medicos a metu, liberaſſe.

XVIII.

Hinc vero apparet, inanem eſſe metum *Sydenhamii*, cum l. c. a venæ ſectione in curatione variolarum ob eam potiſſimum cauſam timet, quod hoc modo non tantum ebullitio ſanguinis nimis imminuatur, cujus interim ope partes deſpumandæ accurate ſecerni debuerant, verum etiam illud ipſum ſubducatur, quod cœptæ ſecretioni quaſi pabulum continenter ſuppeditaret. Id enim tantum de abuſu valet. Jam vero dictum eſt, quo ca-

ſu locus ſit venæ ſectioni. Rectius *Hamilton*, *cap IV*, *de febr. mil.* cenſuit in variolis materiam ſecernendam ſæpius ita abundare, ut nec enema, nec venæ ſectio puſtularum eruptionem impediat, nec quidquam mali accidat a catameniis, toto variolarum curſu effluentibus. Cui rei, ut alia taceam exempla, argumento eſſe poteſt puella duodecim annorum, quæ, ut in *Ephem. Germ. Dec. I*, *Ann. III*, *obſ.* 55, extat, cum, variolis ſparſim erumpentibus, ſubinde tamen evaneſcentibus, vehementer deliraret, ſanguine ex ſecta vena brachii, primo dextri, mox ſiniſtri, quod ipſa ad ſecandum porrigebat, magno impetu ſaliente, largius miſſo, proſpere variolis, ſibi reddita & reſtituta fuit. Haud aliter variolas, die octava, ſuperveniente alvi fluxu, cum ingraveſcente febri, atque delirio, retrocedentes, venæ ſectione in pede facta, iterum emerſiſſe, febrimque, & ſymptomata omnia, conquieviſſe, obſervavit *Bonetus*, *Medic. Septentr. coll. p. II. p.* 555. Ac *Binningerus*, *cent. I*, *obſ.* 69, animadvertit, poſt gravem diarrhœam, clyſmo purgante excitatam, apparentibus jam rubris in facie & maculis ſat numeroſis, ſanguine e naribus, primo ad libras duas, alteroque die ad uncias octo, profluente, variolas nihil ominus effloruiſſe, & quamvis copioſo gelidæ potu, & jectigatione corporis, lectique mutatione iterum diſparuerint, blandi tamen expellentis ope remedii, ubertim & ſalubriter rediiſſe.

XIX.

Cum autem poſt eruptionem variolarum venæ ſectio minus prodeſt, hoc viribus omnino corporis efficitur, morbo jam admodum defatigatis, & exhauſtis, ac imparibus ferendæ hujuſmodi vacuationi, qua quippe ereptis, ſi quæ ſupererant, viribus, cordis ſanguiniſque motus languet, & ob defectum illius continuari nequit, vel coercita intus, ob prohibitam expulſionem, materia, oneri ſuccumbere cogitur, qui fortaſſe morbo ſuperior fieri potuiſſet. Namque perſpiratio atque expulſio materiæ integrum cordis vigorem requirit, utpote in ultimis limitibus corporis peragenda. At ſicuti eo caſu ab hoc auxilio abſtinendum eſt: ita cavendum etiam, ne idem perinde utile atque inutile ſpernatur. Nam fieri ſolet, ut copia æſtuque ſanguinis, & ſæviſſima concitentur ſymptomata, & vires langueant, ac niſi in tam periculoſo certamine eo auxilio ſuccurratur, oppreſſæ vinctæque jaceant, eodem vero auxilio, & tempore, & modo adhibito, vacuata ex parte mali cauſa, alleventur iterum, ac ita reficiantur, ut, quod ſupereſt materiæ, facilius deinde ſuperetur. Ex quo apparet, adeo interdum hoc in malo neceſſariam eſſe venæ ſectionem, ut nec pueros, nec ſenes, nec gravidas excludat. *Intereſt enim*, recte ait, *Celſus*, *lib. II*, *cap.* 10, *non quæ ætas ſit*, *ſed quæ vires ſint.* Quæ quidem prudentis eſt medici diſcernere, & rationem quoque habere regionum, ne, cum Arabes, & luſitanos, atque gallicos medicos minori jure imitari

ri volumus, in mittendo ſanguine in ætate etiam tenerrima, cui leviſſimum lactis alimentum, & copioſus per cutem effluxus eſt, nimium audaces, neque etiam timidi nimis ſimus, ubi res poſtularit. Nam & ætatem teneriorem venæ ſectionem bene ferre, ipſo uſu oſtendit *Sydenhamius*, *l. c. ſect. I V. cap.* 5 cum vigentibus adhuc morbillis, vel poſt eorum diſceſſum, urgente febri vehementi, atque dyſpnœa, alioque accidente ex inflammatione pulmonum, feliciſſimo ſemper eventu, tenerrimorum quoque infantum venas ſemel, iterumque aliquando, ſecuit, & vel illa nos puella, annum agens ſecundum cum dimidio, moneat, cujus mentio fit in *Eph. Germ. Dec. I. Ann.II. obſ.* 222, quæ, febri laborans ardente, ex utroque brachio, uno interjecto die, ſanguinem emiſit, & febris iſtius, mortem jam minitantis, ſævitiem evaſit.

X X.

Nec vero nunc difficile erit judicare, quantum dandum ſit ſententiæ Guidonis Patini, quondam clariſſimi pariſienſium medici, quam, doctis examinandam, publice in Academia propoſuit: *Præcipua curationis ſpes eſt (variolis laborantibus) in phlebotomia, quæ vel ineunte morbo, etiam in lactentibus, imo & in tenellula ætate, bimeſtribus, trimeſtribuſque, vel poſt eruptionem, cito, tuto, & intrepide adminiſtrata, fert omne punctum. Fruſtra propinaveris lapidem bezoardicum, tam artis, quam artificis ſcandalum: fruſtra ſtillatitias illas aquas de ulmaria & carduo benedicto, de quibus, quæ dicuntur, nugæ ſunt & verba inania: fruſtra decoctum lentium, & hydrotica: fruſtra & famoſas illas compoſitiones de cocco indico, & hyacintho, non tam ad valetudinem, repertas quam excogitatas ad pompam, (quaſi medicina, artium præſtantiſſima, alieno & fucato illo ſplendore indigeret) nullo nomine cardiacas, titulo quidem ſpecioſas, ſed effectu inanes, quæque in morborum curatione non magis valent, quam nænia præfica ad excitandos mortuos.*

X X I.

Sed ſatis pro inſtituti ratione de uſu venæ ſectionis in curatione variolarum dixiſſe videor. Nam quantitatis ratio ex collatione virium naturæ, morbique impetus, petenda, videndumque hic eſt, ne quid nimis fiat, quod infirmare naturam poſſit, de quo *Williſius de Febr. cap.* 15, legi meretur. Ut vero venæ ſectione hic varie peccari, inviſamque eam reddi, ita haud multo aliter cum clyſmis agi videas, ut alii eos toto morbi decurſu quotidie adhibendos eſſe cenſeant, alii tanto eorum odio atque horrore afficiantur, ut tam ante, quam poſt variolarum eruptionem, nihil hic periculoſius, nihil naturæ, expulſionem molienti, infeſtius, nihil deſperatis in rebus tritius eſſe, opinentur. Id quidem, opinor, res ipſa docet, & intelligenti cuivis patet, in curatione variolarum remediis

diis quibusque purgantibus non temere irritandam atque exagitandam eſſe naturam, cum in vaſis, ipſoque ſanguine, cauſa mali conſiſtat, & dum æſtus plena ſunt omnia, cavendum ſit, ne majora febris incendia ſumat, & ſecretio expulſioque materiæ noxiæ per ambitum corporis impediatur, vel funeſtum alvi profluvium excitetur. Nam fœda eſt calamitas, inquit *Hippocrates*, *lib. de remed. purg.* a medicamento purgante hominem interiiſſe.

XXII.

Quod tamen minus exiſtimandum eſt, omnem in variolis alvi purgationem damnandam eſſe, ita ut nemini eam utilem ac neceſſariam, ſed cuivis perniciosam judicemus. Eſſet enim id, ac ſi quis omnes homines indifferenter uno calopodio (ut adagio fertur) calceare vellet. Quod quam ſit ineptum, ſatis ex eo conſtare poteſt, quod non omnes, qui variolis laborant, uno ſe modo habeant, &, pro indicantium varietate, ratio curandi variare, &, ſi naturam juvare recte velimus, impedimenta quoque, eidem officientia, removeri debeant, ut vel ex iis patet, quæ modo de uſu venæ ſectionis in medium ſunt adducta. Ad hæc attendens *Franciſcus de le Boe Sylvius*, *Prax. lib. IV*, *tract. 1*, §. *66*, mox principio variolarum obſervandum ſedulo eſſe, ait, a medico prudente, quales in primis tunc peccent humores, & cujuſmodi evacuatio, vel per vomitionem, vel per alvum, aut ſudorem, pro genio motuque humorum peccantium, mature ſit inſtituenda, ut pauciores variolæ, blandioreſque, evadant. Hac ratione aliquando benigna emetica, ſæpius blanda purgantia, tempeſtive data, plurimum profuiſſe medicorum obſervationes docent, & nuper admodum in aula quadam regia ſereniſſima princeps teſtari poteſt, quantum, cum variolæ jam prorupiſſent, opportune datum emeticum profuerit. Ex iſtis vero doctiſſimus *Meibomius*, *Diſſ. de variol. & morbill.* §. 82, refert, laudatum modo Sylvium vomitoriis & purgantibus in principio variolarum ſæpius, ſe præſente, feliciter eſſe uſum, & notabili in primis exemplo in celſiſſimo imperii principe juniore, in cujus ſereniſſima familia non paucis variolæ lethales fuerant, qui cum illis inciperet decumbere oborta dubitatione, an purgatio in corpore, ad cacochymiam inclinante, eſſet inſtituenda, prævaluiſſe tum rationes, tum autoritatem Sylvii; exhibitoque purgante ex antimonio, ſed leniori, feliciter variolas prorupiſſe, & paucas, & ſine ullis ſymptomatis. Ipſe etiam clariſſimus *Sylvius* l. c. in primis antimonialia laudat remedia, quod pluribus poſſint ſatisfacere indicationibus, & pro re nata, atque operatione deſiderata, per plures vias humores noxios expellere. Ita *Riverius* quoque, ut alios taceam, *Prax. lib. XVII*, *cap.* 2, advertit, non raro utiliſſime purgationem inſtitui ante eruptionem variolarum, & antequam febris incandeſcat. Tunc enim, ſi abundet cacochymia, utiliter eam purga-

gatione imminui, ut natura poſtmodum alacrius expulſionem moliatur. Nec aliter expertus eſt *Ballonius*, qui *Epid. & Ephem. lib. I, p.* 37, ita ſcribit: *An commode præſcribi poſſunt medicamenta, antequam morbilli ſeſe prodant? An illa impediunt motum naturæ? Imo inopinato venam ſecuimus & medicamentum purgans dedimus, quibus die ſequenti aut poſtridie apparerent variolæ, & melius multo habuerunt, quam quibus non auſi fuerimus, idem exhibere: Sic parum probabile, quod dicitur, minus affatim erumpere papulas, ſi corpus ante purgaveris.* Et *lib. II, p.* 141, ita pergit: *In I. Epidemiorum noſtrorum libro annotavimus, in ſævitia ſymptomatum, quæ erant prænuntia exanthematon, (ſed hoc ignorabamus, quia forte cautiores fuiſſemus) nos medicamenta & phlebotomiam tentaviſſe, cum ea eruptio præſto adeſſet. Et tamen innocuum utrumque remedium fuit. Ut jam anile ſit credere, nil in exanthematis tentandum. Immo ex tribus pueris, exanthemata paſſis, qui purgatus eſt, levius habuit.* Ac ſæpe ſatis eſſe materiæ, tam in alvum, quam ambitum corporis, diſtribuendæ, diarrhœæ monſtrant, quas non ſemper hic exitioſas eſſe, ſed ſubinde ſalubriter, magnoque ægrotantium commodo, evenire, in primis, ſi initio contingant, & mature temperamentum admittant, ſatis inter doctos conſtat, & alios inter, *Epiphanius Ferdinandus, hiſt. LXXVIII. Meibomius* l. c. & *Pechlinus l. c.* notarunt. Sic quoque in variolis confluentibus ſupervenientem, ut adultis ſalivationem, ita infantibus diarrhœam, ſalutarem eſſe, nec ſine damno interituque ægrotantium ſiſti, recte *Sydenhamius* animadvertit l. c. *ſect. III, cap.* 2. Quin imo videas non raro, eam materiæ excernendæ copiam adeſſe, ut nec purgationes alvi, & diarrhœæ. nec copioſæ hæmorrhagiæ, eruptionem variolarum ſanationemque impediant, ſed adjuvent potius & promoveant, ut ex Ballonio & Binningero ſupra adductum eſt.

XXIII.

Non ſatis ſciunt medendi ordinem ac ſeriem, qui in tanta naturarum & circumſtantiarum varietate, unius vel alterius curationis exemplum, tanquam dogma, aut legem, ſtatuunt. Neque cautiores ſunt, qui idem remedium, quo aliquot variolis laborantes, vel ſanatos, vel ſaltem non mortuos eſſe, obſervarunt, omnibus hoc malo correptis adhibendum eſſe volunt, & heri præſcribere audent, quæ hodie, ac ſequentibus diebus ſint adminiſtranda, quaſi non medici, ſed vates eſſent. Namque eos conſiderare oportebat, id, quod agendum eſt in curatione, a præſentia indicantium ſumi debere, eaque in morbo hujuſmodi acuto facile mutari poſſe, & pro varietate temporum morbi, ac porro ratione habita ætatis, naturarum, ſymptomatum, & circumſtantiarum aliarum, alia aliis remedia convenire, ac præcipitem eſſe agendi occaſionem. Alioquin enim idem remedium, quod ſemel iterumque juvit, vel nihil nocuit, mutata aliqua conditione, obeſſe, imo occidere poteſt. Qua ratione unius alteriuſve

ope ſudoriferi, ſpecioſo bezoardici nomine, expellendæ, ut dicunt, malignitatis cauſa, aliquot dies continuati, variolis purpuraque laborantes ita haud raro excruciari videas, ut fere ſudoribus diffluant, & tota tandem cute ſcabri, ac fœdi, & leproſis ſimiles, alvoque maxima moleſtia adſtricti, metu retroceſſionis variolarum, vel purpuræ, ſine clyſtere, quem per octo plureſque dies anxie deſiderarunt, mori cogantur. Atque ita quidem, quia bezoardicis, quæ vocant, remediis ſatis vexatus æger, & cautio adhibita fuit, ne retroceſſio fieret, deinde morbi vi & malignitati tribuitur, quod inepto remediorum uſui debetur. Plus ſola profecto natura in his proficiet, ſibi relicta, neque in opere ſuo turbata, utpote moderationis, & ſecuritatis, quoad poteſt, ſervantiſſima. Qui ſerio mutationes in morbis præſertim acutis obſervat, is ſæpenumero ſanationem eorum medicamentis adſcribi comperiet, quæ a natura, viribus optimis prædita, prodit.

XXXIV.

Ratio medendi in recta indicantium & prohibentium comparatione ſita eſt, & curatio variolarum potiſſimum in propulſatione impedimentorum, naturæ officientium, conſiſtit. Igitur, ut ad uſum clyſmorum redeam, id quidem, putarim, clarum eſſe, in ſatis propitia alvo, & ubi ante morbum, vel eodem ineunte, facta eſt purgatio, nullaque eſt indicatio educendi purgamenta alvi, nihil, ejus duntaxat ciendi gratia, tentandum eſſe. Quorſum enim alvus ſolicitanda, ſi paulo ante inteſtina fæcibus fuerint purgata, nihilque ſui eductionem indicet? & cur clyſmo vexandus eſt, cui ſatis alvus reddit quotidie, & mitis eſt febris, ac facilis variolarum exitus? Potius ſummam ei quietem permittere decet, nec innovare aliquid, & mutare convenit, quamdiu natura recte operatur, & nihil ei moram, vel impedimentum, infert. Quo minus, patet, probandum eſſe eorum inſtitutum, qui ſine diſcrimine ſingulis diebus alvum clyſmis, tanquam balneis quibuſdam internis, lavandam ducendamque, putant, ut quidem Cl. *Bœrhavio*, *Aph. de cognoſc. & curand. morb.* 1394, 1399, & 1402, placere video. Cum enim id haud raro fruſtra, nec poſcente natura, fiat, & in corpore infirmo, exhauſtoque, ac tenuiſſimo utente victu, ſubducta crebro alvus facile vim viribus inferat, ei præſertim, qui etiam ſanus non quotidie alvum deponit, & cui venter multum eſt extenuatus, patet omnino, eo caſu illud minus tutum perinde fere cenſendum eſſe, atque *Hippocrates*, *Aph. XXV*, *ſect. II*, in omnibus morbis, ventre gracili, & plurimum extenuato, purgationes reformidandas, ac minus tutas, cenſuit.

XXXV.

XXV.

Maxime quidem, & ſanis, & ægrotantibus conducit, publicas excrementorum alvi vias patere, & ſuis ea itineribus recte exire. Sed magna hic, ut in rebus aliis, naturarum & conſuetudinis eſt varietas. Namque pro alimentorum & potionis multitudine, ac vigore ventriculi & inteſtinorum vario, alii plus, alii minus excrementorum colligunt. Sunt, qui male habeant, niſi quotidie alvi onera ſemel, vel bis, deponant. Sunt contra alii, qui ad plures dies fæces contineant, nec ſine dejectione quadam virium alvum quotidie ſolvi ſinant. Sunt etiam, quibus alvus clyſmis facillime, & quibus difficulter ſuccedat. Ex qua varietate patet, alios aliis clyſmos facilius perferre, eoſque, ut interdum neceſſarii ſunt, ſic, ubi frequentes ſunt, & citra neceſſitatem adhibentur, periculum afferre poſſe, neque adeo frequentem eorum uſum quibuſque promiſcue ſuadendum eſſe. Nam licet clyſmi mites, & mollientes, ex ſe remedium ſint ſecurum, & benignum, & inteſtina craſſa eluant tantum, nihilque habeant, quod ore ſumi non poſſit: tamen crebriore uſu, & leviore quamvis, ſtimulo, in quibuſdam motum humorum acrium, ac per ſe valde mobilium, ad inteſtina præcipitem reddere, vel ſaltem ea exhauriendo, damno eſſe poſſunt, qood inanita nimis inteſtina, ac præſertim, ſi repente id fiat, viribus fraudi ſint, & perſpirationem per habitum cutis minuant, eaque introrſum ex hepate, & tot numeroſis glandulis, aucta, flatibus acribus ac fervidis exagitentur, indeque inquietudines, tormina, vigilias, & mala alia concitent. Id *Cælius Aurelianus* bene Aſclepiadem obſervaſſe memorat, *lib. II*, *de morb. acut. cap.* 39, cum indicarit, injectionum vexatione corporum ſolutiones augeri, atque jactationes, & ſitim vehementem: ſiquidem ſint virium aucupes. Ac proinde *Celſus*, ejuſdem imbutus doctrina Aſclepiadis, *lib. II*, *cap.* 12, ſapienter monuit, ne in corpore infirmo, diuque valetudine adverſa exhauſto, alvus clyſtere temere ducatur. Ex recentioribus vero *Sydenhamius l. c. ſect. I*, *cap.* 4, oſtendit, quid clyſter opportuno tempore in æſtu febrium prodeſſe, & quid contra obeſſe viribus poſſit, ſi citra neceſſitatem in debilibus, & ubi minor eſt æſtus ſanguinis, adhibeatur.

XXVI.

Sed uti illorum liberale nimis, atque inutile, nec raro damnoſum eſt officium, qui in variolis alvum cuivis quotidie clyſmis eluendam ducendamque exiſtimant: Sic e contrario nimis ſcrupuloſi timidiorique ſunt, qui, apparentibus variolis, nullum clyſmis locum eſſe, opinantur, propterea, quod ad facilitandum variolarum exitum melius ſit, alvum adſtringi, uſuque clyſmatum expulſio variolarum, quæ omni cura & ſtudio ſit promovenda, impediatur, atque in fraudem naturæ divertatur, & per-

nicio-

nicioſæ fores diarrhœæ aperiantur. Quemadmodum poſt *Nicol. Florentinum*, *Frid. Hoffmannus*, *lib. I*, *Meth. med. cap.* 10, ſcribit, *in variolarum, morbillorum, & aliorum exanthematum eruptionibus, a clyſmis, licet ſaltem ex lenientibus & eluentibus conſtent ingredientibus, omnimode abſtinendum eſſe, ne naturæ motus, vel conatus a centro ad circumferentiam turbetur, eademque, tunc anxie occupata, evidenter diſtrahatur, ejuſque præcipuum robur perperam divertatur.*

XXVII.

Hos igitur ſcrupulos ut ex animis eorum eximamus, notandum eſt, tantum abeſſe, ut dejectio naturalis perſpirationi corporis atque expulſioni variolarum officiat, ut eam potius emiſſione excrementorum, quæ multa, ut mox dicetur, incommoda excitare, atque eruptionem variolarum vel impedire, vel præcipitare poſſunt, adjuvet & promoveat. Unde ſic reſpondens naturæ alvus, non infrequens, & optata eſſe ſolet. Quæ vero in eruptione variolarum ejus fit ſuppreſſio, ea nunc ſolius vi naturæ, æſtus nimirum ſanguinis, & auctæ perſpirationis, nunc, & fere ſæpius, remediorum ope expellentium, & calidiorum, ac ſimili adjutæ regimine, debetur, cum, ob expreſſum uberius per meatus cutis ſerum, humidum in alvo deficit, & exſuccæ aridæque fæces difficulter ſecedunt. Unde alvo retentæ, & confluxione aſſumtorum, ac fervidæ, bilioſæ, ſeroſæque, ex ſanguine advectæ, colluviei, auctæ, & coacervatæ, ac mora diuturniore computreſcentes, pro copia & indole varia, non modo in inteſtinis varias movere turbas, ſed etiam vicinis partibus noxam ſuam communicare, & in ſanguinem ipſum, totumque corpus propagare, ac præſertim inflationes, ac diſtentiones, ardoreſque ventris excitare, & ventriculum offendere, & preſſis viſceribus, ac vaſis majoribus, & præcordiis, curſum ſanguinis turbare, ac febrilem augere agitationem, & partes inprimis ſuperas æſtu caloreque plenas reddere, ac ſpiritui, cordique, labores creare, atque anxietates, inquietudines, ſudores anxios, & inutiles, eruptionemque variolarum, nunc nimiam, modo impeditam, cephalalgias, caligines, vigilias, deliria, tormina, vomitiones, fluxioneſque, & mala alia ciere conſueverunt, quæ deinde ab imprudentibus malignitati adſcribi, & nunc bezoardicis, modo opiatis, oppugnari, & augeri, alvo autem, ſponte naturæ, vel artis opera, tempeſtive ſoluta, & declinari, & ceſſare, aut certe molliri, videas. Satis quidem unuſquiſque in ſe ipſo, cum etiam valet, experitur, quot, quantave ex ſuppreſſa nimium alvo incommoda oriantur: quanto igitur magis ea obeſſe ægrotis poſſint, quivis intelligens judicabit. Profecto, ut fœda eſt calamitas, hominem purgatione interire: ſic miſerum eſt etiam, alvi onere preſſum, & ejus levandæ deſiderio, æſtuantem, gementemque, auxilio deſtitui, & cum ſqualore ac ſordibus, quibus facile levari poſſet, ad mortem conflictari. Nam ſatis, opinor, clare ex iis, quæ hucuſque diſputata ſunt, intelligi poteſt, opportuno clyſmorum uſu demta paulatim fæcum, qua tota ſubinde corporis œconomia perturbatur, ſaburra, eaque viſ-

viſceribus, atque præcordiis, & partibus ſuperis, levatis, ac liberiore reddito motu cordis, & curſu ſanguinis, æſtum hujus temperari, & faciliorem, ac magis æquabilem, perſpirationem fieri, & magnam adeo cordi, ac ſpiritui, & capiti, totique corpori, levationem afferri, ac morbum ipſum molliri, & nec perniciosum alvi profluvium provocari, neque impediri exitum variolarum, ac retrahi ad interiora, ſed illud præcaveri potius, & averti, hanc vero facilitari poſſe. Quæ perſpiciens *Mercurialis*, doctrina uſuque præſtans, *lib. 1, de morb. puer. cap. 1*, ridet Nicolaum Florentinum, quod, apparentibus jam variolis, clyſteribus impediri motum naturæ, ſtatuerit; neque etiam eos, putat, vires ita dejicere, ut ab iiſdem timere debeamus, ſiquidem eis recte utamur. Eandem moroſam Nicolai praxin uſu & ratione reprehendit *Epiphanius Ferdinandus* l. c. Recte *Anton. Sidobre de variol. & morbill. cap.* 15. *Non mirum, ſi variolæ tantam ægrotantibus olim intulerint noxam, cum plerique practici non ſolum venæ ſectionem, ſed etiam enemata in variolis culparint; putabant enim, ea alvi fluxum, quem pernicioſum eſſe videbant, promovere. Sed experientia docet nos, detrimentum corpori nunquam intuliſſe clyſteres, dum alimentorum fæces expurgant, nec alvi profluvium provocaſſe. Præterea fæces, in colo diutius torpentes, acriores fiunt, & inteſtinorum membranas pungunt & vellicant, & alvi profluvium, quod adeo timent, excitant.*

XXVIII.

Quare cum nihil ſit vel admittendum, quod damno detrimentoque eſſe poſſit, vel omittendum, quod ſublevare naturam queat, apud æquos rerum arbitros in curatione variolarum ſuus clyſmis locus manebit, & facile nunc erit cognoſcere, quando commode poſſint, ac debeant, adminiſtrari. Id enim a præſentia indicantis, abſentiaque prohibentis, pendet. Hic cum mihi præiviſſe videam *Celſum lib. II, cap.* 12, non poſſum, quin ipſa ejus verba huc adducam, quæ facile ad ſcopum noſtrum accommodantur. *Plerumque vero alvus lotionibus ducenda eſt. Quod, ab Aſclepiade quoque ſic vituperatum, ut tamen ſervatum ſit, video plerumque ſeculo noſtro præteriri. Eſt autem ea moderatio, quam is ſecutus videtur, aptiſſima, ut neque ſæpe medicina tentetur, & tamen ſemel, vel ſummum bis, non omittatur, ſi caput grave eſt; ſi oculi caligant; ſi morbus majoris inteſtini eſt, quod græci* κόλον *nominant, ſi in imo ventre, aut in coxa dolores ſunt; ſi in ſtomachum quædam bilioſa concurrunt; vel etiam pituita eo ſe, humorve aliquis, aquæ ſimilis, confert; ſi ſpiritus difficilius redditur; ſi nihil per ſe venter excernit; utique ſi juxta quoque ſtercus eſt, & intus remanet; aut ſi ſtercoris odorem nihil dejiciens æger ex ſpiritu ſuo ſentit, aut ſi corruptum eſt, quod excernitur; aut ſi ſanguinem mitti, cum opus ſit, vires non patiuntur, tempuſve ejus rei præteriit; aut ſi multum ante morbum aliquis potavit; aut ſi is, qui ſæpe, vel ſponte, vel caſu purgatus eſt, ſubito habet alvum ſuppreſſam. Servanda vero illa ſunt, ne ducatur in corpore infirmo, diuque in adverſa valetudine exhauſto: neve in eo, cui ſatis alvus reddit quotidie, quive eam liquidam habet.* Nimirum ubi in variolis venter ſuppreſſus, pa-

parum vel nihil reddit, ex eoque inflationes ejus; diſtenſiones, ardores, ac morſus, anxietates item, inquietudines; ſpirandi difficultas, æſtus vehementior, caligines, vigiliæ, dolores capitis, aliaque ſuperioris partis mala, vel metuenda ſunt, vel increſcunt; non modo utilis, ſed etiam neceſſarius erit mitis uſus clyſteris, ex juſculis, lacte, decoctione hordei, malvæ, meliloti, fœnu gr. liquiritia, & ſimilibus, cum, vel ſine ſaccharo & vitellis ovorum; utpote quo, interpoſito tempore debito, quoties res coëgerit, repetito, tot varia, quæ dixi, mala, & tolli, & præcaveri, nullaque inferri damna poſſunt. Quo quidem loco quivis facile videt, hic virium, & conſuetudinis, & collectarum copiæ ſordium, æſtuſque ſanguinis, ac ſymptomatum, vel præſentium, vel metuendorum, rationem habendam eſſe: ſiquidem pro harum varietate conditionum, aliis ſæpius, aliis rarius, clyſmis uti conveniet. Nolo hic adhibitorum ita clyſterum felicem ſucceſſum exemplis, ubivis apud practicos obviis, comprobare, cum ſatis res ex ſe ipſa pateat. Nec vero vile hoc remedium, aut obſcœnum cenſendum eſt, cum remediis pretioſis ſæpius plus proſit, gravibuſque hominem incommodis levet, & quam, immerito quidem, ſuſpectam malignitatem morbi decantata etiam bezoardica evincere non potuerunt, eam cito, & tuto, jucundeque, alvo emittat. Adeo magnum ſæpe auxilium remedio levi afferri poteſt, ſi arte rationeque tractetur. Sed ſunt hi errores hominum, ab ipſis primum medicis orti, qui, malis imbuti principiis, non, niſi extremis malis prementibus, clyſmis uſi ſunt. In quibus cum imperiti plurimos interire, pauciſſimoſque ſervari cernerent, protinus, quod morbi vi, aut mala curandi ratione fieret, id clyſteris improbitati imputare cœperunt.

XXIX.

Non minus vera, quam vetus, eſt ſententia *Hippocratis*, *lib.* 2. *de morb. clyſteres autem infundere, aut ſuppoſitoria apponere oportet, in quibuſcunque morbis alvus non eſt libera.* Huic ſcienter addit doctiſſimus *Sponius*, *Aph. nov.* 17. *ſect.* 5 *Alvus libera non minimi eſt ad ſanitatem momenti. Hac enim via, tanquam per cloacam, expurgatur corpus; ſive ſponte, ſive arte id accidat. Innoxia, & utilia huic propoſito clyſmata, & ſuppoſitoria, quicquid e contrario blaterent fumivenduli panacearum aſſertores, Paracelſi, Helmontiique clientes.* Utrique, ut in morbis aliis, ſic etiam in curatione variolarum, adſtipulantur, ut multos omittam alios, *Sennertus* noſter, & *Diemerbroeckius l. c.* qui inſtar omnium eſſe poſſunt.

F I N I S.

GEORG.

CLXXXII.

GEORG. CHRISTOPH. DE THARDING

ET

TOBIÆ PHILIPPI HILCKEN,

DE

FACIE A VARIOLARUM INSULTIBUS PRÆSERVANDA.

Roſtochii, 9. Nov. 1754.

PROOEMIUM.

Quæſtionibus problematicis non immerito adcenſenda videtur mota inter nonnullos controverſia: an circa ſanitatem hominis tuendam tantummodo debeant eſſe occupati Medici, annon itidem formoſitatis rationem habere teneantur. Sunt, qui GALENO adſentiuntur, utpote qui Libr. de tuenda valetudine ad Traſybul. Cap. XI. *ſcribit*: valetudinem, actiones, bonum habitum, ac pulchritudinem ſimul creſcere, ſimulque minui, ſimul perfici, ac ſimul etiam deleri. Ergo, ſi de valetudine agere, nulla controverſia ad medicos ſpectet, cur non ad eosdem de pulchritudine, quæ adceſſorius eſt illius effectus; *Sunt e contra, qui cum* Paulo *ZACHIA in* Quæſt. Med. Legal. Lib. VI. Qu. V. §. 21. p. 463. *coſmetica remedia* Medico indigna reputantes, hæc non ſine peccato præſcribi aut adminiſtrari judicant. *Aſt facili negotio dijudicandam cenſeo hanc controverſiam, modo diſcrimen admittatur inter coſmetica vere talia, quibus mediantibus obſtacula formoſitatis tolluntur, & inter ſic dicta comotica, quando lenociniis, atque coloribus facies polluitur, tentipelliis rugæ obliterantur, aliis officiis pulchritudinis reſtituitur jactura. Hæc ultima remedia dedecent Medicos genuinos, potius relinquenda ſeplariariis, agyrtis, & hujus furfuris hominibus, qui in decipiendo alios, & fumum vendendo exiſtunt exercitatiſſimi. Jam ab antiquiſſimis temporibus Medici conſilia ſuppeditarunt ſalutaria, quibus apta membrorum figura cum coloris quadam ſuavitate fuit comparanda. Sic GALENUS* ad Piſonem C. XI. *mentionem divitis alicujus, ſed deformis hominis mentionem injicit, qui, ut formoſos filios à muliere ſuſciperet, illam ad pulcherrimam imaginem, quam in conclavi poni curaverat, intento, fixoque animo, non ſine deſiderato eventu juſſit adſpicere; quod itidem SORANUS de DIONYSIO Siciliæ Tyranno perhibet, qui, cum fœdi & turpis adſpectus homo eſſet, ne ſimiles genuiſſet, illo ſuaſore, eadem uſus eſt induſtria. Confer.* Caſp. a REIES Camp. jucund, Quæſt. Elyſ. Qu. XLV. p. 543. *Et quis culpabit conamina horum, qui dentes deciduos ex ebore, vel hippopotami dentibus paratos reſarciendos; oculum corruptum artificiali tegendum, & membra amputata ſuppoſititiis reſtituenda curant, quo in negotio imprimis deſudavit* Caſpar TALIACOTIUS, *& libro ſuo de* Chirurgia curtorum, *inſignem conſecutus eſt nominis ſui celebritatem. Parili jure ſollicitii eſſe poterunt Medici, in tollendis cutis efflorеſcentiis, aliisque defœdationibus, atque nitore ejusdem, exulante fuco, reſtituendo. Hinc laudandum inſtitutum* Dn. de BERGEN *Profeſſoris Francofurtenſis incliti, qui nuperrime* Cosmeticæ in artis formam redactæ Specimen I. *in lucem edidit. Tentaminibus hiſce licebit adnumerare Medicorum ſtudium, defendendi faciem ſub adventu variolarum, ne tanta copia eandem occupent, a qua non ſolum majus ægrotis imminet periculum, verum &, relictis cicatricibus, inſignis quandoque excitatur defor-*

mitas, quam tantopere ſexus imprimis femininus ſolet deteſtari. Operam paſſim navarunt Clinici, in excogitandis huic ſcopo inſervientibus adminiculis, & conducibilia viſa cum orbe communicarunt erudito. Verum enim vero, non omnes encheireſes commendatas ſcopo ſatisfeciſſe deſiderato, potius contrarium, & ſubinde nocivum effectum poſt ſe traxiſſe, multiplex dudum monuit experientia, ut ſatius duxerint plurimi, plane ab hiſce abſtinuiſſe, quam ægrotos ancipiti expoſuiſſe periculo. Diſputationem proinde inauguralem conſcripturo placuit, perquirere & inveſtigare methodos potiores, prophylaxin hanc concernentes; hisque præmiſſis, ulteriori cenſuræ & experientiæ committere modum, quo plus ſimplici vice, faciem a devaſtatione variolarum defendere licuit. Faxit ſummum Numen, ut & his conatibus ſui nominis gloria, & proximi ægrotantis ſalus promoveatur!

TRACTATIO.

§. I.

MOrbos inter populariter graſſantes, & omnes indiſtinctim homines, pauciſſimis exceptis invadentes, variolas præcipuum ſibi vindicare locum, adeo certum & experientia evictum eſt, ac incertum adhuc, utrum novis morbis adcenſendæ, an ſemper incolis Europæ exſtiterint familiares. (a)

§. II.

Pluribus adhuc difficultatibus obſtructa eſſe videtur ætiologia ſontici hujus morbi. Quantumvis enim Medici exercitatiſſimi omnem locaverint operam, in detegenda harum cauſſa materiali ſpecifica, & hypotheſes ſuas paſſim probabiles literis conſignaverint; tantum tamen abeſt, ut negotium hocce exhauſerint, & perſpicuam dilucidamque proferre potuerint expoſitionem; ut potius totidem reliquerint dubia, ex adplicatione theoriæ ad experientiam ſubnata, ſolutionem adhuc deſiderantia. Quorſum, alia inter, referendum phœnomenon vix non ſemper ſub variolis obvium, quod capiti, & præſertim faciei adeo ſint infenſæ, ita, ut non tantum numero plures eandem obſideant, quod ſub aliis morbis exanthematicis acutis v. g. purpura, petechiis, item a ſcabie puſtulas varioloſis ſimiles interdum efformante, non obſervatur; verum & quod cicatrices

(a) Neminem in hiſtoria medica paullulum verſatum fugere poteſt mota inter celeberrimum WERLHOFIUM & HAHNIUM de antiquitate variolarum penes Europæos, controverſia, ut ſupervacaneum autumem, illam fuſius delineare. Confer. Dn. PRAESIDIS Diſſert. *de Abortu feminæ variolis laborantis innoxio*, p. 7.

ces faciem admodum defœdantes haud raro relinquant, quales ab ulce rationibus faciei eſcharoticis, late quandoque cutim depaſcentibus non ita metuendæ, utpote quæ dextre tractatæ, poſt exſiccationem & ſeceſſum earundem, ne veſtigium alicujus cutis læſionis relinquere ſolent.

§. III.

Fuere, qui aërem incuſarunt, ab occulto aſtrorum influxu, certa quadam ratione variolas producente modificatum. (a) Quam hypotheſin alii emendantes; relicta illa qualitate occulta; cauſſam variolarum miaſmaticam; vel ex aere ortum trahentem; vel per aërem ad corpus humanum delatam ſupponunt (b). Pathologiæ verminoſæ patroni ex putredine animata proventum variolarum deduxere (c). Alii ex hereditate paterna, & quidem ex ſanguine, & ichoribus ebullientibus, a calore in corporibus, variis, & diverſis rationibus, excitato, variolas ortum ducere ſibi habuerunt perſuaſum (d). Cum quibus fere coincidunt, qui infectionem a ſanguine menſtruo contractam & in utero materno jam ſecretam accuſant; denique per quandam quaſi criſin a natura factam defecandam (e).

§. IV.

Depreheriduntur, qui variolas a craſſo ſanguine, & impuro, per ebullitionem fortem, & fervorem notabilem, ope caloris nativi, eodem modo produci autumant, ac butyrum conquaſſando e lacte ſeparatur, hinc neminem altera vice variolis corripi poſſe concludunt; prouti altera vice butyrum ex lacte prolici haud poteſt (*f*). Sunt qui humores pituitoſo-bilioſos in ventriculo hoſpitantes pro origine variolarum agnoſcunt (*g*), quam alii in liquore capſularum atrabilariarum quærunt, quo ſemel abſumto,

(a) e. g. FERNELIUS *Libr. II. de abditis rerum cauſſis Cap XII.* *Ioh.* HAYNE *de morbis aſtralibus.* p. 19.

(b) COSCHWITZIUS *in Patholog. Part. II. Sect. II. Cap. IX* p. 240. D. SIEGESBECK, *in Miſcellaneis Phyſico Medico Mathemat. a* 1728. *pag.* 911.

(c) KIRCHERUS, *Chriſt* LANGIUS, HAUPTMANNUS, STALPARTUS, RHODIUS, BORELLUS, PFEIFFERUS, BIERLINGIUS, PAULINI, qui in tractatu de *Theriaca*, *Sect. II Memb II. Cap. I.* §. 12. *Quid ſunt*, inquit, *variolæ, morbilli, petechiæ, lues venerea, aliique ab excellente putredine originem ſuam trahentes morbi, niſi animata minutiſſimorum vermiculorum pullulago, quod in limatiſſimo ſuo Peſtis ſcrutinio*, KIRCHERUS, *& in ſua pathologia animata* LANGIUS *operoſiſſime demonſtrarunt, quidquid livor ogganniat.*

(*d*) HAFENREFFER *de cutis affectibus Lib. II. Cap. XV. p.* 220.

(e) WILLISIUS *de febribus Cap. XV.* FRACASTORIUS *Libr. II. de morbis contagioſis Cap. II p.* 85. Confer. itidem *Tim. a* GüLDENKLEE *Prax. Med. Sect. de febribus.*

(*f*) FABRITIUS *in Diſſ. de variolis & morbillis* §. 15 - 19.

(*g*) WOODWARD *in Medicinæ & morborum ſtatu* §.27. p. 91.

ſumto, vel evacuato, nullas amplius variolas metuendas eſſe autumant, quando vero pauca quantitas hujus liquoris ſanguini admiſceatur, morbillos exinde magis, quam variolas generari credunt (c).

§. V.

Quibus Pathologia ſalſa aridet, materiam variolarum ſalia eſſe autumant acria, ex acidis atque alcalinis fixis coaleſcentia, quæ ſoluta, partes ſanguinis ſulphureas, menſtruorum ſalſorum inſtar, carminare, diſrumpere, totique maſſæ ſanguineæ æſtum impertire vehementiſſimum valent (a). Cui hypotheſi ex parte ſubſcribit *Cel.* HOFFMANNUS, ſal quoddam tenue, cauſticæ indolis a ſanguinis conſortio liberatum & nervoſas partes vellicans accuſando (b); Aſt mutata poſtmodum ſententia, ex ſucco quodam chyloſo, lymphatico, impuro, & corrupto matris oriri perhibet primum hunc & virulentum humorem, ſed viſcoſitate quadam involutum, firmiusque tubulis quibusdam medullæ ſpinalis obſtructis impactum, donec in motum fermentativum ſui multiplicativum ab aliis cauſſis deducatur, ſuccis inſinuetur, & critica quaſi deſpumatione e corpore exturbetur; quam hypotheſin ſuam probabilibus argumentis corroborare annisus eſt (c).

§. VI.

Eſt adhuc, ut ſententiæ *Cel.* HAHNII, ante paucos annos cum orbe erudito communicatæ, de origine & ratione variolarum (a) mentionem injiciam, utpote quæ ſingularem Medicorum excitavit adtentionem. Perſuaſiſſimum namque habet laudatus Auctor, variolas eſſe ſtatam evo- „lutionum corporis humani ſpeciem, qua complures vaſorum extremitates, „hactenus ſub epidermide deliteſcentes, juſta incrementa capiunt, diva- „ricatis apicibus, ſummitates ſuas multiplicantes. Quæ ipſæ numeroſi- „ores factæ, exitum per cuticulam moliuntur, hac propediem ablata, „omnem cutis ambitum, novo tum ſpiraculorum tum ſquamularum appa- „ratu exornaturæ". Convenire, credit, hæc exanthemara cum plantarum gemmis ſucci plenis, & naſcentium vaſculorum tomentum obvolventibus; hinc mutationibus corporis humani naturalibus adcenſenda, prouti obſervamus, dentes, pilos, catamenia, liquorem genitalem, annorum demum tractu in conſpectum prodire. Quantumvis authoritas huius Viri,

(c) *Philipp. de* VIOLANTE in Tractatu *de variolis & morbillis p.* 22. *ſqq.*
(a) vid. *Anton.* SIDOBRE *de variolis & morbillis Cap. IV.* it. *Acta Eruditorum a.* 1703. *Menſe Sept. p.* 411.
(b) in Diſput. *de Praxi clinica & compendioſa febrium. Sect. de febribus exanthematicis* §. 2.
(c) in *Med. Rat. Syſt. Tom. IV. P. I. Sect. I. Cap. VII. p.* 144.
(a) in Tractatu, *de variolarum ratione*, Wratisl. 1751. edito.

Viri, & diſerta vis perſuadendi, haud paucos Medicos in ſui conſenſum traxerit, fuere tamen hinc inde, quos theoria hæc nova adhuc tenuit ſuſpenſos, vt potius dubia ſubnata publice communicare conſultum duxerint (*a*), quæ evellere in peculiari tractatu (*b*) anniſus eſt HAHNIVS, & morbillos parili evolutione naturali contingere perhibens. Nolo me immiſcere huic controverſiæ, quam nondum deciſam, & extra aleam poſitam eſſe crediderim, quamdiu phœnomena ſub variolis quotidie obvia, cum hac hypotheſi, quam ſententia de antiquitate variolarum penes Europæos fortaſſis peperit, non conſpirare cernimus, quorum nonnulla commemorare licebit:

1. Conſtantis eſt experientiæ, naturam circa quaſcunque mutationes corporis ſolennes, certam obſervare annorum periodum; evolutionem autem hanc varioloſam, nullo habito ætatis diſcrimine, fœtum in utero materno, pueros, juvenes, immo ſenes corripere.
2. Fuga ſe ſalvantes, & loca ab omni contagio varioloſo immunia petentes, niſi ſecum jam abſtulerint contagium, variolis non corripi, ita ut ad ultimum vitæ halitum ſe ab illis præſervare poſſint, modo arceatur improviſus alicujus contagii adceſſus.
3. Variolas etiam viſcera interna, horumque tunicas quandoque petere, quarum vaſa ſanguifera evolutioni naturali non expoſita videntur.
4. Paucis variolis correptos novæ evolutioni adhuc eſſe debere expoſitos, cum tot adhuc reſtitent in cute vaſa ſanguifera evolutioni idonea. Aptitudinem autem hanc evincunt medicamina calidiora, regimini calido juncta, a quibus ingens variolarum quantitas excitari poteſt.
5. Vulnera, vel alias cutis læſiones recentes, plures numero variolas tantum non ſemper ſtipare deprehendimus, ut circulum fere efficiant, quæ ibidem non comparuiſſent, niſi allectus verſus hæc loca ſanguis, proventui copioſiori ſuppeditaſſet occaſionem.

§. VII.

Tametſi vera ſedes & fomes variolarum in apricum produci & detegi hucusque non potuerit; veroſimile nihilo ſecius videtur, eandem partibus potius fluidis, quam ſolidis inexiſtere. Communicatio ſiquidem contagii ſubtiliſſimi & omnem ſenſum ut plurimum effugientis haud tam foret facilis, ſi ſeminium varioloſum ſolidis impactum eſſet fibris, & a connexione cum humoribus circulantibus ſeparatum. Accedit, quod contagium hocce varioloſum, cum reliquis contagioſorum morborum, imprimis acutorum, ſpeciebus exacte conveniat, quæ in humores agunt, & fer-

(*a*) Hos inter numerandi Auctores *Commentariorum de rebus in ſcientia naturali & Medicina geſtis Vol. I. Part. I. n.* 6. it. WERNERUS Profeſſor Regiomontanus inclytus.

(*b*) *Morbilli variolarum vindices delineati a Jo. Godofr. de* HAHN 1753.

fermentationem ſpecificam eisdem communicant, Nec obſtat quod fluida corporis noſtri, ex lege circulationis perpetuæ, per organa colatoria, ſucceſſive ex corporis proſcribantur pomœriis, atque reſtitutione novorum, certo, licet non præciſe determinando temporis intervallo, ita immutentur, ut ne particula priſtinorum tandem ſuperſit. Exterminato etenim omni priori ſanguine, & novo pedetentim regenerato, fermentum varioloſum ſpecificum nihilominus reſtitare poterit, ſi ſaltem indolem fermenti conſideremus. Ponamus enim fermentum cum materia fermentanda commixtum, hoc non tantum ingentem ejus molem in conſortium fermentationis trahere potis eſt, verum &, ſi ſingulis diebus portio quædam ſecedat, nova ſemper addita materia fermentationi analogæ idonea, ita ut tandem de primo fermento nil ſit in maſſa illa ſuperſtes, in infinitum hæc qualitas fermentationi idonea propagatur, niſi aliunde fuerit alterata & deſtructa. Ita & ſe habere fomitem varioloſum crediderim, hic humoribus noſtris inexiſtens, interminate ſe propagare poterit, licet de ſanguine connato ne particula remanſerit, donec immutata, a ſpecifico motu varioloſo, ejus qualitate, omnis metus ulterioris contagii, vel novæ fermentationis exulet. Experientia namque fida & indubitata conſtat, ſemel variolis genuinis correptos, per totum vitæ decurſum ab iisdem immunes reddi, quidquid hiſtoriæ narrent de variolis bis vel ter in uno individuo obſervatis. Si etenim phœnomena concomitantia rite fuiſſent examinata, facile conſtitiſſet, vel priores variolas nothis adnumerandas, vel ſuccedentes iſtius generis fuiſſe. Relatum mihi a Dn. Præſide, Virginem quandam viginti circiter annorum, variolas veras ante decennium ita expertam, ut cicatrices & foveas ingentes reliquerint, denuo variolis plurimis correptam fuiſſe, ut facies non tantum intumuerit admodum, verum & talem paſſa fuerit ſalivationem, qualem variolæ adultorum, vel confluentes ſecum ferre ſolent. Licet adſtantes hæc exanthemata pro variolis genuinis agnoverint, nothis tamen easdem adcenſendas fuiſſe, typus morbi indigitavit, ſeptimo etenim a prima invaſione die, ſalivatio cum faciei tumore ceſſabat, & morbus terminabatur.

§. VIII.

Hocce ſeminium varioloſum in corpore latitans ſua ſponte non excitatur, niſi ab extra adceſſerit contagium, illud in actum deducens. Certiſſimum namque habeo, modo contagium iſtud ex univerſa Europa eſſet proſcriptum nullum hocce morbo porro correptum iri. (a) Pro ſtabilienda

(a) Inficias ire non poſſum, magis probabilem mihi videri ſententiam horum, qui variolas Europæis olim ignotas fuiſſe autumant, ex Africa primum, ſub finem circiter ſæculi XIV, ad nos delatas. Fortaſſis de variolis valet, quod circa luem illam generis bubuli peſtiferam, ante aliquot luſtra ex Oriente itidem advectam, &c nunc

enda hac ſententia, ad experientiam provoco, quæ docet, variolas ex una regione, vel ex uno loco in alium utplurimum propagari, & circulum fere graſſando efformare, ita, ut haud raro longa intercedat annorum ſeries, priuſquam de novo epidemicam ſuam exſerant præſentiam. Veroſimile proinde non videtur, ex tot mille hominibus, quos una regio, vel civitas continet, hocce temporis intervallo, non unum alterumque variolis corripi poſſe, ſi ſola præſentia fomitis varioloſi illas producere valeret (b). Nec obſtat, quod aliquando ex improviſo in civitate, vel loco quodam deprehendantur, quandoquidem mediantibus veſtimentis, aliisque contagio imbutis rebus, quorſum & litteræ ab infectis locis transmiſſæ referendæ, a longe diſtantibus locis transferri poſſunt (c); teſte enim HOFFMANNO (d) vix ullus alius morbus, excepta forte peſtilentia, adeo contagioſus deprehenditur, quam variolarum. Nulla ergo neceſſitas urget, confugere ad cauſas occultas, ætherem in diſtans agentem, animam extra corpus operantem, aëris certam temperiem, concatenationem effluviorum inter conſanguineos, etc. quales ætiologias hinc inde in Medicorum monumentis deprehendimus.

§. IX.

Sed mitto plures, originem & qualitates variolarum concernentes opi-

 niones

& nunc per totam Europam, proh! diſſeminatam deprehendimus. Licet etenim poſt hominum memoriam, variæ internecinæ luis ſpecies, hæc animalia, inſigni ſtrage, paſſim deleverint; rite tamen examinatis ſingulis phœnomenis, haud parvum eas inter, & hunc novum morbum epidemium, intercedit diſcrimen. Durarunt ad tempus, hocque abſoluto, penitus ceſſarunt; nec totam fere Europam pervagatæ, in certa ſaltem regione virulentiam ſuam exercuere. Hæc lues peſtifera autem, a prima invaſione ſua, ad hunc usque diem perennat, nulla fere regione intacta, & quod imprimis notatu dignum, morbum hunc ſemel paſſi boves ab omni novo inſultu liberi manent, quod itidem de variolis conſtat. An ergo eadem futura ſit hujus luis, quæ variolarum conditio, ut nunquam penitus exſtinguatur, futura docebunt tempora.

(b) BARTHOLINUS *Centuria III. Epiſt.* 90. *p.* 380. & ex hoc auctore *le Journal des Savans Ann.* 1668. *d.* 26. *Nov. p.* 943. narrat.: in Islandia, ſingulis vicenis annis variolas eſſe periodicas, ita, ut omnes ſtato hoc tempore his non correptos, recurrentem terminum adtingere non poſſint. Si hiſtoriæ fides habenda, de quo tamen dubitandum, cum in itinerariis recentiorum de hac obſervatione altum ſilentium ſubſcribendum puto judicio laudati BARTHOLINI: *Vel ſingulare eſſe hoc exanthematum genus, vel in gentis hujus occulta natura aliquid latere, quod per variolas inquilinas expurgari debeat.*

(c) Hoc contagium ſubtile, mediantibus litteris, aliisque ab infectis locis transmiſſis rebus communicatum, ſufficit in explicandis obſervationibus de conſanguineis vel affinibus maxima locorum intercapedine ab invicem disjunctis, ſimul tamen variolantibus, quales memoriæ prodiderunt ETTMULLERUS *in Praxi P. I. p.* 370. BARTHOLINUS *in Act. Hafnienſ. Vol. II. p.* 105. PECHLINUS *in obſervat. Phyſico-med.* Libr. II. Obſ. XVI. p. 241. etc.

(d) *in Med. Rat. Syſt.* T. IV. P. I. Sect. 1. C. VII. §. 15.

niones, ſufficiat potiores adduxiſſe, quarum plurimæ ad conjecturas referendæ, nonnullæ ne ſpeciem quidem probabilitatis ſecum ferunt. Quorſum pertinent hypotheſis de ſanguine in funiculo umbilicali reperibili, venenum peculiare ab Archeo in corpore humano fabricatum HELMONTII, venenum innominatum *Greg.* HORNII, Sal. Sulphur, & Mercurius PARACELSI, concubitus poſt conceptionem iteratus &c. (*a*). Potius DIEMERBROECKIO (*b*) ſubſcribendum puto, qui his verbis ſuam ignorantiam libere profeſſus eſt: *quis tantæ rei ſeveram & perceptibilem rationem daturum promittet, hæc quippe ſunt ex illis arcanis, quorum cauſſas nos exacte ſcire noluit altiſſimus conditor.*

§. X.

Deſtructioni vel alterationi materiæ hujus ſpecificæ non velificantur motus ſecretorii & excretorii ſub aliis morbis familiares, quin reſtitet, licet ſub vehementi ſanguinis fermentantis orgaſmo, impuritates aliæ per organa colatoria proſcribantur. Notum eſt omnibus Clinicis, depurationem ſanguinis numquam eſſe univerſalem, ſed tantum non ſemper ſpecificam materiam morbum inducentem eliminari. Variolas experti morbillis adhuc corripiuntur, ſcabioſi petechizantes a ſcabie non liberantur, virus venereum, cum dyſcraſia ſcorbutica in uno individuo conjunctum, mercurialibus tolli poteſt, intacto ſcorbuto &c. Remaneat itidem neceſſe eſt ſeminium varioloſum, licet varii generis exanthematibus, corpus, ab aliis quisquiliis humoribus inexiſtentibus, fuerit liberatum.

§. XI.

Recondita ergo, & penitus abſtruſa fomitis varioloſi qualitas cauſſa eſt, cur in hunc usque diem deſtruere eundem, neque in actum deducatur, præcavere haud potuerint Medici, quantacunque fecerint pericula. Si enim remedia hinc inde magnis encomiis mactata, lapidi experientiæ lydio admoventur, facile conſtabit, corvos eadem illuſiſſe hiantes, nec unicum iſtius fuiſſe efficaciæ, ut prophylactici titulum jure meritoque tueri potuerit, haud pauca e contra contrarium, immo noxium ediderint effectum.

§. XII.

Sic WAGRETUS, Medicus quidem Gallus, in peculiari libello (a) opia-

(*a*) Confer. *Auguſt. Sigm.* PFEIFFERI Tract. de *Variolis epidemiis malignis verminoſis* §. 10. *ſq.*
(*b*) l. c.
(*c*) *Traité de la petite Verole avec les moyens neceſſaires, & faciles, pour aller au devant de cette maladie, & l'empêcher de paroître pendant la vie.*

opiatum ſuum ſic dictum antivariolaceum admodum extollit, utpote quod, per biennium, methodo præſcripta, uſurpatum, virus varioloſum enervare, immo penitus deſtruere poſſit; eventum tamen promiſſis non ſtetiſſe, variolæ, hucusque in Galliis haud exiguam ſtragem exſerentes, ſat ſuperque docuerunt (*d*).

§. XIII.

Neminem in hiſtoria medica verſatum latere crediderim, quam celebraverit *Jo. Joach.* WALDSCHMIDT (*e*) liquorem ſuum antivarioloſum, quo mediante, variolæ vel arceri, vel ſi jam proruperint, absque ullo ſiniſtro eventu, curari poſſint. Licet a DOLÆO (*f*) admodum fuerit commendatus hicce liquor, & a nepote Waldſchmidii contra ſecus ſentientes defenſus (*g*), a plurimis tamen, tanquam iners & inſidum remedium fuit rejectum (*h*) ut altum hodie deprehendamus de ejus uſu ſilentium.

§. XIV.

Sunt, qui tenellos infantes ſolummodo lacte materno, haud vero carne nutritos, vix ac ne vix quidem variolis correptum iri, firmiter ſibi perſuadent (*i*). Facilis foret hæc prophylaxis, modo experientia huic ſubſcriberet; aſt, ſub variolis epidemice graſſantibus, & puſiones, annum non egreſſos, hoc morbo infeſtari deprehendimus, licet nunquam carnibus, vel harundem juſculis fuerint uſi. Interim lubenter conceſſerim, carne paſtos

(*d*) Confer. *Breſslaniſche Sammlungen von Natur- und Medicin-Geſchichten* A. 1718. M May p. 1105. it. PELARGI *Abhandlung von den Blattern und Maſern* p. 86.

(*e*) in Libello, cui titulus: *Anchora ſalutis pro varioloſis*; oder *Nſſenbahrung eines gewiſſen* liquoris, *nicht allein die Kinder vor den Blattern damit zu præſerviren, ſondern auch ſelbige ganz ſicher zu curiren.*

(*f*) In *Præfatione operibus* WALDSCHMIDII præmiſſa; it. in *Encyclopedia Med. P. II. Lib. IV. p.* 130.

(*g*) In Diſp. de *ſingularibus variolarum* Kilon. 1725 habit. ubi meminit, quod *acidæ ſit proſapiæ, & in præſervatione probatiſſimi uſus, ut plurimi contagium varioloſum evitaverint, teſtante inter alia, exemplo domeſtico; vel ſi poſt uſum præſervatorium Variolæ proruperint, hæ tamen ſemper e claſſe benignarum fuerint.* Hinc judicium Wratislavienſium in hiſtoria morborum a. 1709. & PELARGI in P. II. vocat nimis præceps, & ex rei ignorantia magis, quam malitia prognatum, cum per ſeptem luſtra in Germania inferiori, & per quadraginta annos in Germania ſuperiori famam ſalvam ſuſtinuerit.

(*h*) Liquorem hunc rorem maialem deſtillatum vult Auctor remediorum Anglicorum, quæ ſubiunguntur KONIGII *Theſauro pharmaceutico p.* 195. *Chriſt. Jo.* LANGIVS e contra judicat, hunc liquorem eſſe tincturam florum aquilegiæ cum ſucco betulæ extractam, & auctorem ejus agyrtæ inſtar, de virtute remedii hujus inſigni multum deblateraſſe.

(*i*) REINMANNUS *in denen Breſslauiſchen Sammlungen P. XVI. A.* 1721. *menſ. Aug. Claſſ. II. Art. III. p.* 139.

ſtos infantes a variolis fortius infeſtari, quandoquidem debilis ventriculi tonus carnibus rite ſubigendis nondum ſatis adæquatus exiſtit, impurus proinde & putredini magis obnoxius chylus ſanguini advehitur, variolis malignis occaſionem ſubminiſtrans, prouti videmus, tenellos præmature carnibus nutritos, vermibus præ aliis expoſitos eſſe.

§. XV.

In funiculo umbilicali, ejusdemque ſanguine fomitem variolarum latitare autumantes, modeſtam expreſſionem ſanguinis ex funiculo, ante deligationem inculcant, perſuaſi, vel numquam variolas, vel paucas experturos fore infantes tali methodo præſervatos (b). Quam irritum autem & vanum ſit horumdem conamen, ſtructura & uſus ipſius funiculi facile detegit. Compoſitus etenim eſt ex una vena & binis arteriis, per illam ſanguis indeſinenter ab utero ad fætum pellitur; per has redux factus utero reaffunditur, ut continuus ſanguinis inter fœtum & matrem circulus deprehendatur. Iſte ergo ſanguis, qui hoc temporis momento vaſa umbilicalia occupavit, quo fœtus in lucem prodiit, ejusdem exiſtat, neceſſe eſt, conditionis, quam reliqua in corpore reſtitans portio, nil ergo ſpecifici fomitis varioloſi in ſe continere poterit.

§. XVI.

Sed ſatis de his, aliisque variolarum remediis prophylacticis (a) tanquam incertis & infidis, hinc merito rejiciendis; paucis adhuc indigitanda tentamina nonnullorum, qui quantitatem, & numeroſum variolarum proventum præoccupare ſunt conati.

§. XVII.

GUNDELSHEIMERUS, Archiater quondam Brandenburgenſis ſatis inclitus, & ex bene remunerata praxi, inter Medicos divites collocandus, per emeticocatarctica ferociam variolarum infringere ſolitus fuit. porrexit non tantum ſub primordiis variolarum, tart. emeticum, & mannam calabrinam, doſi ætati conveniente, ſed & datis certis indicantibus, uſum ejusdem bis vel ter, in ſtatu & declinatione, repetendum curavit, hoc cum ſucceſſu, ut raro variolæ confluxerint, vel deleteriis ſymptomatibus fuerint ſtipatæ (b). Nec rejicienda videtur hæc methodus, quin in infantibus addephagia laborantibus maximo quandoque ſit auxilio; ſaburra etenim in primis viis reperibilis, non tantum anomalias decur-

(b) Vid. *Medicin. Experimental. Dygbæana Part. I. p. 56. ſqq.*
(a) Confer. *Georg. Wolffg.* WEDEL *Diſp. de præſervatione Variolarum.*
(b) Vid. *Acta Medicorum Berolin. Dec. II. Vol. II. n. 2. p. 42.*

decurſum variolarum placidum turbantes excitare, verum & cum ſanguine commixta, proventui ectymatum copioſiori, horumdemque confluxui anſam ſuppeditare poſſet. Repurgato vero ventriculo, & canali inteſtinali, nil, niſi ſanguini inexiſtens heterogeneum cum variolis excluditur, unde proventus variolarum minor, & decurſus earundem non tantis difficultatibus obnoxius (b) ut taceam, ab emeticis quandoque retroceſſionem variolarum, propellendo humores ad peripheriam corporis, præpediri. Interim, non niſi debita cum circumſpectione, & ponderatis rite indicantibus & contraindicantibus, ad heroicum hoc remedii genus confugiat Medicus, ne loco ſperatæ ſalutis, ſiniſter, immo lethalis ſubſequatur eventus. Nec incredibile, huic viro praxi numeroſa obruto tales contigiſſe caſus, quos vero fama ejus, & auctoritas plane ſingularis vel occultavit, vel alii cuidam cauſſæ lethali adſcribere potuit.

§. XVIII.

Quantum præſidium in tempeſtivo venæſectionis uſu, pro avertendo copioſo variolarum proventu, & declinandis ſymptomatibus hunc comitantibus, ſit a Medicis, imprimis recentioribus collocatum, non eſt ut jam multis explicem, cum a Dn. Præſide, alia data occaſione (a) fuerit expoſitum. Imprimis adultis, plethoricis, & ventilationibus ſanguinis adſuetis proficuum admodum hoc remedii genus eſſe, & ratio & experientia dictitat. Sub orgaſmo etenim fermenteſcente ſanguinis abundantis, congeſtio ejus verſus caput redditur major, teſte ſalivatione adultis variolantibus familiari, & licet haud exigua viſcidorum excludatur portio, nihiloſecius variolæ facile confluunt, eoque ipſo jacturam vitæ, vel formoſitatis, relictis foveis & cicatricibus minitantur. Detracta autem tempeſtive ſanguinis portione, reſtitans facilius per vaſa pellitur, exanthemata non turmatim prodeunt, ſicque ſymptomatibus recenſitis, felici utplurimum cum ſucceſſu, præcavetur.

§. XIX.

Supervacaneum arbitror, explicare methodum per inſitionem, vel ſic dictam inoculationem variolarum, proventui harumdem copioſiori obicem ponendi. Tot jam proſtant ſcripta, nunc adfirmativam, nunc nega-

(b) Sunt, qui emeticis variolarum proventum præcavere poſſe ſatagunt, materia varioloſa fortaſſis per ventriculum eliminata. De vomitu ſpontaneo ad undecimum diem continuato, variolarum præſervativo legè *Eph. A. N. C. Dec. III. A. I. Obſerv.* 55. *p.* 75. cujus ſcholion ſiſtit infantem variolis laborare incipientem, aſt, vomitorio propinato, illis non correptum.

(a) In Diſp. de *Abortu feminæ variolis laborantis innoxio*, §. 12. *p.* 17.

negativam ſententiam amplectentia, ut in hunc usque diem ſub judice lis maneat, utrum admittenda, an vero, tanquam opus fruſtraneum, immo periculoſum rejicienda. Si ab infrequentia hodierna hujus methodi olim ita celebratæ, ad effectum promiſſum concludere licet, vero ſimile videtur, ſpem de hoc prophylactico conceptam Medicos fefelliſſe; ſive quod variolæ de novo invaſerint inoculatos, ſive quod ſymptomatum ſævitia hinc inde detecta, Medicos ab ulterioribus tentaminibus deterruerit. GOHLIUS cum BORETIO (*a*) tales arte factas variolas anomalis & a veris diſtinctis adnumerat, & adſertum ex ſymptomatibus, progreſſu, & exſiccatione ab ordinariis & legitimis differente, magna cum probabilitate, corroborare adnititur.

§. XX.

De judæis in Sileſia commorantibus relatum legimus (*b*) hos, mediantibus hirudinibus cruribus infantum admotis, ferociam variolarum infringere conari, ancipiti tamen cum eventu, ita ut quidam feliciter evaſerint, alii vero fatis cedere fuerint coacti. Hanc methodum olim a RUDIO, RIDELIO & BAUDERONO ſub difficili variolarum proruptione commendatam fuiſſe conſtat (*c*), imitatam autem a neotericis fuiſſe, nondum obſervare licuit, ſive quod tantum emolumentum exinde non perceperint, ſive tempus hibernum vel horror ab illis animalculis uſum eorumdem impediverit; ſive venæſectionem huic operationi prætulerint, quam proinde ulteriori experientiæ committendam eſſe cenſemus.

§. XXI.

Facillimum foret, plura contra vim variolarum excogitata in medium proferre remedia, qualia ſunt *pulvis ſolaris Halenſium*. cujus Wratislavienſes mentionem injiciunt, cum epicriſi ex propria experientia petita, quod palmam aliis conſimilibus dubiam facere haud potuerit. *Aethiops animalis*, ex bufonibus in vino lotis, & abhinc in vaſe fictili uſtulatis paratus, cujus laudes in pharmacopoea Lugdunenſi leguntur. *Sanguis caprarum incanarum Chinenſium plantam San-Thi abradentium*, qui ægrotis variolis malignis & ſubnigris correptis exhibitus, has vividas & pulcherrime rubras efficere potis ſit (*d*), *Panacea Conertingiana*, cujus inventionem alii GLAUBERO adtribuunt. Quibus adnumerari poſſunt remedia *myrrhata* ſic dicta *bezoardica*, *balſamica*, *ſpiritus acidi minerales*, & ſi porro, quæ ſingula, lapidi lydio experientiæ admota, titulum prophyla-

(*a*) In Act. *Medic. Berolin. Dec. II. Vol. II. p.* 30.
(*b*) *In den Breſsauiſchen Samml.* A. 1717. Menſ. Aug. p. 183.
(*c*) Confer. DIEMERBROECK de *variolis & morbillis Tom. II. C. VIII. p.* 508.
(*d*) Vid. Commerc. Lit. Norimberg. A. 1738. Hebdom. 18. p. 144.

ut ſanguine a calore pediluviorum, inferiora verſus derivato, caput & præſertim facies a mole ſanguinis, & in eo contentæ materiæ varioloſæ liberetur, hinc parcior horum exanthematum ſequatur proventus, quæ pedes, minori cum formoſitatis diſpendio, obruere poſſent. Quanta commoda a revellentibus remediis, quorſum & pediluvia pertinent, ſibi promittere poterit medicus, res eſt notiſſima; poſſibilitatem proinde defenſionis faciei, a pediluviis exſpectandæ haud quidem negaverim. Aſt enim vero periculoſis tentaminibus eadem adnumerare nullus dubito. Vel enim, ſi paulo calidius adornetur pediluvium, ſanguis jamjam æſtuans, in fortiorem præcipitatur orgaſmum, febris adcenditur, & plures, cum diſpendio interdum vitæ, protruduntur per totam corporis peripheriam variolæ, quæ ſub debito regimine, & adhibitis interne temperantibus, ſparſim fortaſſe adparuiſſent. Regeri quidem poſſet, a pediluviis temperatis hæc damna non eſſe metuenda, aſt talis temperies vix determinari poteſt, quin nunc vel calor, durante inſeſſu, remittat, vel adfuſa, nova aqua calida intendatur, ſi paullulum refrixerit pediluvium; priori caſu, excitato friguſculo, retropulſio facile exanthematum pertimeſcenda, poſteriori autem, phœnomena oriri poſſent nociva modo memorata. Quid? diſſimulare haud poſſunt auctores pediluviorum ſub proventu variolarum, dolores ex copia pedes obſidente excitari graviſſimos, ſuccedente diuturna pedum debilitate (*a*).

§. XXVII.

Commemoranda pariter erit methodus cel. *Hoffmanni*, variolas proliciendi, quot, & ubi velit medicus (*b*). Primum putat obtineri, ſi tempore ſuppurationis demum adhibeat calida, poſterius, quando pars corporis, quam variolis obſitam eſſe nolumus, ſub ſtragulis minus fovetur. Rationes quidem addit hujus methodi, laudatus auctor, quod calida ab initio adhibita non ſolum multas expellant variolas, ſed & profundiores relinquant cicatrices. Itidem, ſi facies ſemper ſub lecto detineatur, vel quando adſueti ſunt ægri certo ſemper incumbere lateri, tunc ordinario in eo latere, & in facie plures prodituras eſſe variolas. Verum, cum tractatus hujus celeberrimi viri ſit poſthumus, & ex MSto relicto ſaltem publici juris factus, credibile eſt, tumultuarie a cel. Auctore eſſe conſcriptam hanc regulam, curis forſan ſecundis relictam, alias etenim vir hicce ætate & uſu doctiſſimus, limitibus eandem incluſiſ-

(*a*) A ſemicupio tantam fuiſſe, imprimis in partibus inferioribus aque immerſis excitatam variolarum vim, ut infans ſuccumbere exinde debuerit, habet *Pelargus* l. c. p. 294. Idem adſerit *Diemerbræck* l. c. Hiſt. 15. adductis binis exemplis, quibus facies majori quam reliquæ partes variolis obſita fuit. Cui adſtipulatur *Ettmullerus* in *praxi Tom. II. p.* 354.

(*b*) In *Medico Polit. P. III. C. IX. R.* 8. *p.* 158.

cluſiſſet neceſſariis. Si enim experientiam conſulamus, conſtabit, faciem, immo & manus, tanquam partes aëris adceſſui liberiori magis expoſitas tantum non ſemper pluribus ſcatere variolis, præ his, quæ veſtimentis vel lecto teguntur. Licet non negandum, calorem a pulvinaribus, ſub continuo decubitu in unum latus ſuſcitatum, humores horſum alliciendo, proventus uberioris variolarum in iſtis locis cauſſam exiſtere poſſe.

§. XXVII.

Nonnulli, relicta methodo revulſoria, ipſi faciei adplicarunt remedia prophylactica, ſed non æque felici cum eventu. *Diemerbrœckius* commendat, totam in principio molli ſpongia fovendam faciem, jure carnis vervecinæ ad ſummam mollitiem coctæ, ablata, quæ cutim nonnihil obfuſcat, pinguedine, imbuta, idque aliquoties per diurni temporis ſpatium repetendum, uſque ad variolarum eruptionem, poſtea reliquum naturæ committendum (*a*). Aſt non poſſum, quin hoc remedium temerariis adnumerem, ſi enim ſpongia calida fovetur facies, humores eamdem verſus magis adlicerentur, cum eventu variolarum numeroſarum, immo confluentium; ſin frigidiuſcule adplicatur ſpongia, retropulſio prodeuntium variolarum funeſta metuenda. Audivi a Dn. Præſide, ipſi notam eſſe feminam maritatam olim eximia pulchritudine donatam, cujus faciei pro conſervanda formoſitate, & mitigandis variolarum inſultibus, ſuaſu matronæ alicujus, gelatina ex capite vitulino præparata, mediante ſpongia, tepide per biduum adplicabatur, tam contrario cum ſucceſſu, ut variolæ non tantum in unam cruſtam confluxerint, ægram conjecerint in vitæ periculum, verum &, decidua demum cruſta, ingentem reliquerint faciei, cicatricibus & foveis obſitæ, deformitatem.

§. XXVIII.

Ejuſdem tenoris eſſe videntur molimina plura præſervatoria hinc inde obvia, quorſum referenda larva ex panno confecta, & lardo interius obducta, faciei ante eruptionem variolarum imponenda, aliaque remedia unctuoſa, a quibus pori cutis occluduntur, & proventui variolarum interdum obex, ſed non abſque periculo vitæ, & horrendorum ſymptomatum ponitur (*b*). Mitiorem cenſuram patitur quidem methodus *D. Cnœffe-*

(*a*) l. c. p. 521.

(*b*) A tali larva infanti adplicata faciem quidem a variolis non fuiſſe obſitam, verum ardentiſſimum delirium, & ſummam reſpirandi difficultatem obtigiſſe, ut vix inter vivos conſervari potuerit, referunt Eph. A. N. C. Dec. II. An. IX. Obſ. 87. Inunctionem cum oleo olivarum ante maturationem, variolarum retropulſionem & catarrhum ſuffocativum conciliaſſe, habent *Breslauiſche Sammlungen* Ann. 1721, Menſ. Mai. p. 320.

(*c*) Eph. A. N. C. Dec. I. Ann. IV. & V. Obſ. 60.

phylacticorum parum tuentur, vel ad ſummum, æquali diſtributioni ſanguinis; & moderandæ ejus effervefcentiæ nimiæ velificantur.

§. XXII.

Conſideratis ſic tentaminibus Medicorum variolas vel præoccupandi, ne in actum deducantur, vel inhibendi, ne tantam in œconomia animali, ſua quantitate, cum diſpendio ſanitatis & vitæ, exſerant vehementiam; reſtat adhuc, ut ſcopo præfixo ſatisfacturus, ea commemorem media, quibus facies præſertim ab eorundem inſultibus defendi, & jactura formoſitatis præcaveri poſſit. Stet in acie FISCHERUS, Medicus Hungarus, qui (a) totus in eo eſt, ut balnea commendet, ſimul ac ſubjectum aliquod febri varioloſa corripi incepit, ex aqua dulci parata, calore lac recenter emulctum parum ſuperante. Hæc binis vicibus de die repetenda ſuadet, donec variolæ ad juſtam pervenerint magnitudinem, tunc loco aquæ dulcis, ſerum lactis recentis, & in hujus defectu, lac bubulum recenter emulctum, cum duplicata quantitate aquæ dulcis remixtum, adhibendum, & hos modo continuandum monet, ad variolarum plenariam deſiccationem usque. Inter alia emolumenta ab hac methodo exſpectanda refert: *cicatrices variolarum nullas comitari foveas, & oculos liberos non ſolum ab incommodis manere, nullam pati labem, multo minus cæcitatem unquam exinde inductam fuiſſe.* Hanc methodum penitus non contemnendam eſſe judico, dubitans tamen, an noſtris in oris ſit tam promiſcue ſuadenda; præter enim, quod aëris inclementia caute cum balneis iſtiusmodi mercandum eſſe moneat: noſtrates lavationibus his non ita, ac Hungaros adſuetos eſſe conſtat, utpote qui ab incunabulis, ad ſenium usque, quavis data occaſione, balneis & calidis & frigidis utuntur, & quidem ſæpius quam in adjacentibus regionibus, iſtis vix exceptis, qui ſub jugo Turcico vivunt (a).

§. XXIII.

D. *Jo. Melchior* VERDRIES (a) veſicatoria tempeſtive, nuchæ & pone aures adplicata eximii uſus fuiſſe refert, a quibus menti ſuus conſtiterit virgo & medicamenta interna efficacius multo, deſideratum effectum produxerint, excretio promte proceſſerit, & *oculis ſimul proſpectum.* Haud improbandum arbitror, uſum veſicatoriorum in variolis, dum

(b) *In Tract. de remedio ruſticano, variolas per balneum, primo aquæ dulcis, poſt vero ſero lactis feliciter curandi.*
(a) l. c. §. 10. p. 18. 19.
(a) in *Eph. A. N. C. Cent. VIII. obſ.* 89. *p.* 429.

dum ſub retroceſſione earundem, artubus inprimis admota, alliciendo humores verſus peripheriam corporis, opem quandoque deſideratiſſimam tuliſſe, experientia docuit (*a*). Aſt non vanus foret metus, quando pone aures adplicantur, ne oculis conſulendo, auribus exiſtant præjudicio, & excitato in iiſdem abſceſſu, vel ſuppuratione, ſurditatem quandoque immedicabilem inferant.

§. XXIV.

Sunt, qui raſuram & amputationem capillorum pro facie a copioſis variolis defendenda ſuadent (*b*), qua mediante, non tantum tranſpiratio per poros cutis promoveri, verum & materia unctuoſa & viſcoſa, quæ cum ſucco nutritio capillorum aliquam foveat convenientiam, eo liberiorem e vicinia effluxum obtinere queat. Hanc methodum in principe regis Hiſpanorum, & in principe quodam Saxoniæ, medicorum conſilio. optato cum eventu, tentatam fuiſſe, relatum legimus; quæ uſu ſuo non deſtituitur, quatenus conglutinatio pilorum, a variolis inprimis confluentibus, inextricabilis & admodum moleſta, remotis ante proruptionem pilis, præcavetur (*c*), modo caput ab omni muniatur refrigerio, ne variolarum, inſigni cum periculo ſtipata, contingat retropulſio. Tantam autem efficaciam, in imminuenda variolarum faciei quantitate, huic capillorum amputationi tribuere vix poſſumus, experientia edocti, haud plures in parte capillata, ablatis licet pilis, quam in reliqua facie exſtitiſſe variolas, potius ſi dicendum, quod res eſt, raro tantum variolarum confluxum in parte capillata, quam pilis deſtituta detegere licuit. Si a capillis ad barbam concludere liceret, itidem exiguum ab hac raſura pro defenſione faciei exſpectandum foret emolumentum; plus enim ſimplici vice obſervatum, viros, raſa prius barba, variolis correptos, haud copioſiorem circa loca deraſa, harum proventum expertos eſſe, cujus cauſſa tamen fortaſſis in conſuetudine collocanda videtur.

§. XXV.

Deprehendimus, qui mox primo invaſionis variolarum tempore, pedes vaporibus ex decocto herbarum emollientium ſurgentibus fovent (*d*). Alii loco fomentationis, pediluviis utuntur, paratis nunc lacte bubulo calente, nunc herbis emollientibus cum aqua decoctis (*e*) ea intentione, ut

(*a*) In quem ſcopum *Borrichius in Actis Hafnienſ. Vol. III. Obſ.* 36. it. *Bohnius in Diſſert. de variolis* §. 25. *p.* 18. veſicatoria commendarunt.

(*b*) Vid. *Sim. Paul. Hilſcheri* Programma *de amputatione & raſura capillorum in variolis*, Diſſert. *Jo. Adolph Wedelii* de *Hæmorrhoidibus cæcis* præmiſſum.

(*c*) Confer. *Pelargii Abhandlung von Blattern und Maſern*, p. 58.

(*d*) Confer. *Eph. A. N. C. Dec. I. A. VI. & VII. obſ.* 186.

(*e*) de le *Boe Sylvius Prax. Med. Lib. IV. Tract. I. Cap. IX.* §. 76.

tendinum paſſim obſervabantur. Sub debito regimine diætetico, juncta potiuncula temperante, continuabatur hæc ſcena, donec verſus meridiem inſequentem, variolæ tam in facie, quam in artubus pedetentim ſurgentes, aſt numero haud paucæ, ſymptomatibus hiſce finem imponebant; elevabantur debito ordine, minoris erant diametri, ita ut pauciſſimæ arctius adpoſitæ confluerent, ſolis locis ſcarificatis exceptis, quippe quæ tantam circa tempus maturationis patiebantur variolarum vim, ut unicam fere veſicam efformarent, cum moleſto ardoris ſenſu conjunctam. Hæc exſiccationem retardans, ad eroſionem cutis a quantitate purulentæ materiæ evitandam, vulnere forcipe inflicto, quodammodo educebatur, aſt conſolidatio harum partium haud exiguam puris quantitatem fundentium, vix quatuordecim dierum ſpatio obtineri poterat. Hoc itidem notatu dignum, nil monſtri aluiſſe has variolas, & licet tota facies puſtulis fuerit obſita ſatis elevatis, ut circa tempus maturationis haud parum intumuerit, nihilo tamen ſecius oculos non penitus clauſos, nec palpebras tot, quam reliqua facies, variolis obſitas fuiſſe.

§. XXXIII.

Ex binis his caſibus, magna ſatis probabilitate, conjiciendum, ſcarificationem, debito tempore, & circumſpecte inſtitutam, pro defendenda facie a variolis confluentibus, & averruncandis ſymptomatibus nocivis, uſus eſſe poſſe eximii. Regeri quidem poſſit, in virgine nobili eventum variolarum ſalutarem magis venæſectioni, quam ſcarificationi tribuendum fuiſſe, nec negandum, hanc tempeſtivam ſanguinis ventilationem haud parum contuliſſe in placidum totius morbi decurſum, aſt talem derivationem exanthematum horum a facie, ſola venæſectione, tanquam operatione paucarum minutarum ſpatio perficienda vix exſpectari poſſe, tot exempla docuerunt poſt phlebotomiam confluentibus variolis correptorum; ut ergo veritati magis conſentaneum videatur, revulſionem ſanguinis & in eo hoſpitantis materiæ varioloſæ mediantibus cucurbitulis cruentis, tanquam diutius durantem, & moleſta cum ſenſatione conjunctam validiorem eſſe, cui hiſtoriæ recenſitæ ſubſcribunt, quod circa loca ſcarificata major ſolito propullulaverit variolarum quantitas. Lubens interim conceſſerim, methodum hanc prophylacticam a me recenſitam, nondum eſſe omnibus numeris abſolutam, ſed indigere adhuc ulteriori experientia fida, certis indicantibus adcommodata, quo demum conſtet, an in ſimilibus caſibus parilem exſerat effectum, ſicque tuto, & cum ægrotorum ſolamine in uſum trahi poſſit. Prærogativam tamen præ ceteris ſupra adductis eidem competere, ratio dictitat; orgaſmum etenim ſanguinis haud majorem concitat, qualis a pediluviis metuendus, nec partibus, cui adplicatur, cedit in præjudicium, quod itidem pediluvia, nec non epithemata faciei adferre potis ſunt; plethoram

ſub

ſub variolis adeo nocivam imminuit, quod veſicatoriis haud obtinetur, ut alia momenta ſilentio prætercam.

§. XXXIV.

Licebit adhuc, ſalvo aliorum judicio, ſubjungere momenta quædam ſcarificationem ipſam concernentia, quibus obſervatis; metum ſiniſtri alicujus ſucceſſus exulare poſſe, crediderim.

1. Si tempus permiſerit, haud inconſultum foret, ſcarificationi præmittere eccoproticum ☿ dulci acuatum, ut primæ viæ a quiſquiliis liberentur.

2. Scarificatio locum itidem habere poterit, quando nulla indicia imminentium variolarum deprehendentur, clandeſtine ſiquidem haud raro ſe inſinuat contagium, ex improviſo abhinc ſe manifeſtans; ſic in limine præcavetur congeſtio ſanguinis verſus caput, & tumultus facile concitans imminuitur conſtitutio plethorica; quam ob rem vices phlebotomiæ inſimul ſupplere poterit in infantibus, a qua noſtrates ut plurimum abhorrent.

3. Emergentibus abhinc variolis, immo nonnullis in facie obſervandis ſtigmatibus, hæc ſcarificatio repetenda, ſi tempus quoddam a prima hac operatione præterlapſum, ſucceſſive etenim, præſertim benignæ protruduntur, magna ergo materiæ varioloſæ quantitas ad remotas partes adhuc declinari poterit; nec infructuoſam judicaverim hanc ſcarificationem ſub malignis variolis, tam notatæ derivationis, quam evitandæ depreſſæ earumdem ſuperficiei & retroceſſionis ergo.

4. Venæſectio, ſi neceſſaria judicatur, præmitti ſcarificationi, vel re exigente, huic ſubjungi poterit. Si etenim iterata venæſectio, ſub ſtatu varioloſo, ſummo quandoque exiſtit præſidio, quidni binæ hæ ſanguinis ventilationes ſe invicem excipere poſſent.

5. Numerum cucurbitularum a priori indigitare vix poſſibile, ab ætate, temperamento, viribus, ſenſibilitate, conſuetudine, quantitate ſanguinis &c. determinandum.

6. In tenellis infantibus hanc methodum ſcarificationis vix locum habere cenſeo.

7. Juvabit, ſcarificando a partibus ſuperioribus ad inferiores procedere, quam vice verſa, quo eo certior & magis duratura contingat humorum a capite revulſio.

8. Præſtat pro vulnuſculis infligendis, phlebotomo ſcarificatorio, quam cubo huic operationi adaptato uti, quo vulnuſcula æqualem ubique profunditatem obtineant, quod a cubo ſcarificatorio, cuti a cucurbitula elevatæ admoto, tam commode fieri non poterit, quin in medio profundiora, circa peripheriam autem ſuperficiem leviter tangentia vulnuſcula excitentur.

9. Si vulnuſcula purulentam materiam fundant, linteolis ſuperimpo-

ſitis

Cnæffelii (*c*) qui ſpiritu vini myrrhiſato, ſub initium prorumpentium variolarum, ad duos dies, repetitis vicibus faciem illiniri jubet, prætcrlapſis diebus autem, (quibus verbis, dubio procul, tempus deſiccationis indigitare videtur,) ſaccharum. Saturni in ▽ roſarum ſolutum, mediantibus linteaminibus, ſæpius iterando adplicandum, vel totam faciem, levi penna hac mixtura ſaturata, obliniendam ſuadet, ſeque obſervaſſe refert, etſi variolæ copioſæ fuerint, relictas tamen poſt hac cicatriculas vix adparuiſſe, & non incongruam facie formam effiguraſſe. Interim promiſcuum hujus methodi uſum haud facile commendabit medicus circumſpectus, facile ſiquidem noxas parere poſſet adplicatio Sp. V. myrrhiſati in ſubjectis plethoricis, imprimis, quando ventilatio tempeſtiva ſanguinis fuerit neglecta. Adſtrictoria itidem vis ſacchari ſaturni variolis nondum perfecte exſiccatis, exitum humorum ſufflaminando, varii generis anomalias excitare valeret.

§. XXIX.

Miſſis his, quibus plures addi poſſent; defenſioni faciei a variolis dicatis methodis, inſtituti ratio exigit, ut aliam non ita notam, ſcopo tamen deſiderato, me quidem judice, magis convenientem, in medium producam, quæ in *ſcarificatione partium a capite remotarum tempeſtiva* conſiſtit. Laudatam quidem eandem obſervo ab aliis medicis celeberrimis, aſt non ea intentione, ut facies a copia variolarum præſervetur, ſed ut vices venæ ſectionis expleat, retroceſſionem earum inhibeat, aliaque ſymptomata tollat urgentia (*a*).

§. XXX.

Occaſionem huic methodo ſuppeditavit frequens obſervatio propullulantium variolarum circa vulnera recentia, vel alias leviores cutis læſiones, v. g. acu factas. Has circumplecti ſolent variolæ ingenti numero, ut totum læſionis ambitum ut plurimum ſepiant (*b*). Tentatum proinde fuit, annon læſionibus conſimilibus arte factis, materia varioloſa a facie, tanquam nobiliori parte ad ignobiliores, quorſum artus referendi, quodammodo derivari, ſicque non ſolum venuſtati conſuli, verum & periculum, a confluentibus in facie variolis, metuendum præcaveri poſſit. Nec ſpe incerta hunc laborem ſuſceptum eſſe, bina exempla a Dn. Præſide mecum communicata docuerunt, quæ recenſere, operæ pretium futurum eſſe judico.

(*a*) Sic *Baglivus Lib. I. Prax. Med. p.* 61. laudat circa quartum diem cucurbitulas ſcarificatas ſcapulis adplicandas, quando variolæ caput petunt, cum magno calore, anxietate, & motibus tendinum ſubſultoriis &c.

(*b*) Variolas læſam a virgis partem præſertim occupantes ſiſtit *Riedlinus Cur. Med.* pag. 570

§. XXXI.

Virgo nobilis ſedecim circiter annorum, eximia pulchritudine, & vivida indole prædita, cujus bini fratres olim variolis confluentibus laborarunt, altero ab eiſdem exſtincto, altero cicatricibus & foſſulis reſiduis perpeſſam variolarum vehementiam monſtrante; epidemice denuo graſſantibus variolis, paſſim malignis, ſi non mortem, ſaltem formoſitatis jacturam extimeſcens præmiſſo laxante cum ☿dulci combinato, octo cucurbitulas, quatuor ſcilicet artubus ſuperioribus, & totidem inferioribus, cum ſcarificatione adplicandas permittebat. Poſt decurſum quatuordecim dierum, repetebatur hæc ſcarificatio, a qua poſtridie prodromi ingruentium ectymatum, tenſio dorſi cum dolore, horripilationes leves cum pandiculationibus, æſtus volatici, adpetitus languens, oculorum fulgor imminutus, ſomnus turbulentus, &c. ſeſe exſerebant. Secabatur, luce inſequenti, vena in pede, atque ſex circiter unciæ cruoris extrahebantur, &, ecce, ſubſequenti die, ſtigmata variolarum in facie hinc inde adparebant, ſecutis ſucceſſive aliis, ſimili modo per totum corpus ſe diffundentibus, & licet haud exiguus earum numerus faciem occupaverit, ad maturitatem tamen redactæ non confluebant; circa loca vero ſcarificata, imprimis in utroque brachio detegebatur variolarum multitudo talis, ut ſe mutuo adtingerent, & in locis ipſis ſauciatis vere confluerent. Totus autem variolarum decurſus, ſub debito regimine, & uſu remediorum adæquatorum erat placidus ſatis, & nullis ſymptomatibus heteroclitis ſtipatus. Variolæ in facie exſiccatæ ſponte decidebant, pauciſſimis & perexilibus viſum fere effugientibus foveolis relictis; ita ut ægrota, cum ingenti gaudio, nullum fuerit paſſa formoſitatis detrimentum.

§. XXXII.

Alter caſus ſiſtit infantem ſextum agens annum, a parentibus perpeſſarum variolarum ſævitiam, foveis eximiis in facie monſtrantibus genitum, ſucculentum, & cum unicus eſſet, molliter ſatis habitum. Huic, late vagantibus variolis, purgans ☿le binis vicibus cum ſucceſſu exhibebatur, ut alacris & moleſtiarum expers, per trium circiter hebdomadum decurſum exiſteret. His autem præterlapſis, conquerebatur de dolore capitis gravativo, laſſitudine artuum, æſtu febrili, pulſu celeriori imprimis ſe manifeſtante, tanquam variolarum imminentium prodromis. Adplicabantur poſtridie huic ægroto cum ſcarificatione cucurbitulæ, binæ in brachiis, & quatuor in pedibus, quæ ſolito majorem ſanguinis quantitatem proliciebant. Tantum vero aberat, ut exinde debilitaretur puſio, ut potius ſe levatum perſentiſceret. Subſequente nocte tamen, inquietudo cum ſomno interrupto erat moleſta ſatis, pulſus digitos tangentis celeribus feriebat ictibus, oculi hebetes lacrimas fundebant, & ſubſultus tendi-

ſitis ea excipienda, ne vicinas partes in conſortium exulcerationis trahant. Pariter in unam veſiculam confluentes variolæ, poſt maturationem, ceſſante inflammatione in ambitu, leni inciſione aperiendæ, ut hærens ſub eadem materia effluat, nec rodendo partem ſubjacentem, profundiorem excitet ulcerationem.

Reliqua momenta ex fonte diætetico & pharmaceutico petenda, & ubivis in ſcriptis medicorum reperibilia, tanquam ad præſentem ſcopum non pertinentia ultro omitto.

§. XXXV.

Reſtaret adhuc, ut methodorum mentionem injiciam, quas medici pro deſiccandis, & tuto a cute ſeparandis variolis, nec non evitandis foveis & cicatricibus, paſſim commendare ſolent; Aſt quandoquidem plurimæ harum in ſcriptis medicorum celeberrimorum ubivis deprehendantur, ad hæc B. L. volo ablegatum. Interim haud plane ſupervacaneum opus futurum crediderim, ſi quaſdam peculiari animadverſione dignas in medium producant.

§. XXXVI.

D. Fabritius (*a*) ſuaſor eſt, quando præter medici intentionem cicatrices deformes relinquuntur, ut, ad iſtarum foveas delendas, partes primo linteo aſpero ad rubedinem fricentur, deinde iis, ſi pilis carent, pix calida ter aut quater adhibeatur, & iterum cum impetu detrahatur, tandem inungantur linimento ex humana, vel urſina, leporina, aut aſinina axungia, cum cineribus teſtudinum, aut radicum cannæ arundinis combuſtarum commixta. Conſilium hoc temerarium, immo crudelibus adcenſendum eſſe, vel me tacente, quivis intelliget, & neſcio ſane, an unquam quis fuerit repertus tam ſtrenuus, ut huic operationi intrepide ſe ſubjecerit, a qua effectus deſideratus vix obtineri poterit, potius nova inflammatio, ob ſenſibilitatem cutis modo conſolidatæ jure metuenda.

§. XXXVII.

Nec temere imitandam eſſe cenſeo horum methodum, qui variolis in facie matureſcentibus laminas ferreas ignitas ſæpius de die, e propinquo admovendas eſſe jubent, ita ut facies bene incaleſcat, perſuaſi, materiam purulentam in puſtulis deliteſcentem citius exſiccari; nec ex acredine cutim erodere, nec foveolas formare poſſe. Hanc methodum corrigere conatus eſt *Hannemannus*, qui ut arcanum, commendat adplicationem cochlearis, e puro auro conflati, cui carbones ligni juniperini impoſiti.

(*a*) *In Diſp. de variolis & morbillis* §. 97.

poſiti. Verum enim vero, an hiſce conſiliis experientia ſubſcribat, haud immerito dubitandum. Calor ſiquidem fortior faciei admotus, denuo humores verſus loca, vix ab inflammatione varioloſa liberata allicere, & recrudeſcentem, cum nova ſuppuratione, tumorem excitare potis eſſet. Et ridenda ſane eſt illa, aurum & carbones juniperinos in hunc ſcopum deſiderans cautio, quaſi calor ab auro & hocce ligno excitatus, ad variolas magis foret adcommodatus. Parilem cenſuram incurrunt, qui variolas majores, non forcipe, ſed acu aurea aperiendas eſſe monent. Utrique his adnumerandi curioſioribus, qui olim conos e moxa paratos, & partibus podagricis impoſitos, bacillo cinnamomi incendendos eſſe docuerunt.

§. XXXVIII.

Haud abſque formidine intempeſtivæ humorum retropulſionis uſurpantur ſulphurata, ſaturnina, pultacea, præſertim frigida, quorſum referenda pulpa aſſatorum pomorum borſtorffianorum, pinguia indiſcriminatim, & in magna quantitate illinita &c. a quibus haud raro catarrhum ſuffocativum, aſthmata, convulſiones & epilepticos motus excitatos fuiſſe, obſervationes medicorum plurimæ ſat ſatis teſtantur. De oleo ovorum, tanquam remedio alias ſatis tuto, adhuc monendum duco, hoc femellarum, albedinis cutis curam gerentium, faciei, vel plane non, vel avara manu illiniendum eſſe, ut plurimum enim flavedine eamdem inficere ſolet, non tam facile iterum delenda.

XXXIX.

Deſcribenda adhuc varia huc pertinentia euporiſta, commendanda & forent remedia oculis, naſo & ori proſpicientia. Priora præter neceſſitatem pagellas diſſertationi meæ deſtinatas augerent; poſteriora eademque magis exquiſita, in medicorum longo uſu probatorum monumentis, complexu ſuo, jam continentur, ut hoc labore ſuperſedere, & diſputationi meæ imponere poſſim

FINEM.

FRANCIS-

CLXXXIII.

FRANCISCI CLIFTON

DE DISTINCTIS

ET

CONFLUENTIBUS VARIOLIS.

Leidæ 1724.

§ I.

PLurima ſunt apud Autores, de ortu, cauſis, progreſſu, ſignis & cura variolarum. Quoad ortum; cum inter noſtram victus rationem & illorum multum intereſt; multum inter cæli tempeſtates; multum inter noſtros morbos & ſuos; & denique multum inter mechanicam noſtram ſcientiam & ſuam; an Græcis primum an Ægyptiis potius cognitæ fuerint variolæ, hodie puto parum refert: quiſquis enim antiquitatis licet pulcherrime gnarus, præſentem morbi cujuſvis ſtatum ignorat, pingui certe Minerva ad curationem accedet.

Omnes autem qui controverſiam hanc altius trutinatam videre vellent; iique etiam qui antiquitatis morbi cognitionem curam reddere poſſe faciliorem putant, clariſſimum J. Friend (*a*) conſulant: ſcripta enim eruditorum diligentiſſime legit, & opinionem eorum de hoc morbo cum uſitata ſua elegantia accuratiſſime protulit.

De hiſce vero ut & de cauſis & progreſſu, quomodocunque inter ſeſe diſcrepant autores, de ſignis & cura melius ſibi conſtant. Antequam autem ulla horum habeatur ratio, pauca præmittere juvet, unde methodus hujus Diſſertationis melius eluceſcat.

§. I I.

Morbus eſt phyſicus effectus, ſive ſtatus corporis viventis, in quo exercendæ actionis cujuſcunque tollitur facultas (*b*); ergo mutatio quædam in corpore efficitur. Omnis autem mutatio fit per motum; & motus fit per leges quaſdam ab excellentiſſimo omnium Creatore datas. Ille vero utpote cui maxima fuit ad excogitandum ſapientia & ad operandum omnipotentia, quicquid egit, ſapientiſſime egit; ergo leges per quas corpus alterum ab altero afficitur, optimæ ſunt & ad effectus ſuos producendos omnino aptæ; effectus etiam per conſequens utiles ſunt, regulares, naturales & neceſſarii: morbus igitur ſi phyſicus effectus eſt, nihil habet legibus iſtis inconſiſtens; ergo ſimplex eſt, regularis, & neceſſarius; eademque via, qua omnes alii effectus per totum mundum, intelligendus.

Verumenimvero in philoſophicis diſquiſitionibus modus ille, per quem diverſæ rerum mutationes efficiuntur, accuratæ omnium phænomenῶν obſervationis, comparationis & mechanici ex eis ratiocinii ope, luculentiſſime, ſi potis eſt, percipiatur; ergo in arte medica (quæ philoſophiæ nobiliſſima pars eſt) quo magis ad diverſa morbi ſtadia & phænomena corporis in ſano morbidoque ſtatu attendimus, eo clarior apparebit morbus,

(*a*) v. Epiſtol. ejus de purgantibus in 2a variolarum confluentium. Febre adhibendis.
(*b*) v. Boerh. Inſtitut, Art. 696.

bus, & quo clarior morbus eſt, eo certior ſæpenumero curandi methodus.

Hinc liquet eos, qui ad accuratam morborum Συμπτωματολογίαν delineandam, quique ad juſtum inde ratiocinium, principiis mechanicis non figmentis cerebri inſiſtens penitus, deducendum, maxime ſudarunt, de republica medica optime præ aliis meruiſſe.

Sed in hoc quem agimus morbo, eminent ſupra omnes (in ſignis ſaltem enarrandis) apud veteres Rhazes (*c*), & apud recentiores Sydenhamus: accuratiſſima igitur illorum ſcripta & præprimis Sydenhami (ille enim, cum enarrationes omnium Rhazis uſque a ſeculo ad illius tempora medicorum mancæ ſint & imperfectæ, magna ſane an medentium magis an ægrotantium felicitate, hoc quicquid defuit, largiter ſupplevit, morbique diverſa & ſtadia & genera luculentius expoſuit unus, quam alii omnes gentium omnium atque ætatum medici (*d*) trutinare ſtatuo; ut, quantum poſſum, eliciantur cauſæ, propter quas tam multis medicis, iiſque exercitatis, in morbi hujus tractatione tam infeliciter ceſſit: liquido enim conſtat ex eruditis ſuis deſcriptionibus necnon ex quotidiana experientia, nullum eſſe graviorem morbum; nullum ſane, in quo medici vires magis deficiunt (*e*).

§. III.

Hæc autem dum ea qua poſſum ſedulitate differam; veſtigia ſua non tam religioſe perſequi libet (quod obiter moneo), quaſi in arte medica ab aliis abhorrere nefarium eſſe duxi; aut quaſi ars ipſa ita numeris omnibus abſoluta eſſet, nihil emendari nihil adjici poſſet. In hac fui ſententia dudum, nihil æque literarum ſtudiis & diſquiſitionibus philoſophicis obeſſe, ac nimiam erga alios obſervantiam.

Hæc dico, non ut labem in erudita ſcripta aliorum inferam: ea equidem utpote quæ ad ſalutem & incrementum reipublicæ medicæ conſcripta erant, optime colo approboque maxime. Cum vero corpus humanum non niſi machina curioſa eſt ex fluidis & ſolidis juxta hydroſtaticas mechanicaſque leges ſumma arte fabricata; ſcripta illa, quatenus hiſce minime conſtant, eatenus ſæpe vaga ſunt & deluſoria; quatenus hiſce conſentanea, eatenus religioſiſſima obſervantia digna ſunt. Atque hinc utinam (cum clariſſ. viro Jodoco Lommio (*f*) hodie quoque conſuetudo teneret, ut quemadmodum Plato ἀγεωμέτρητον καὶ ἄμυσον ab auditorio ſuo eliminavit; ſic etiam ἀφυσιολογήτῳ omnis interdicatur acceſſus ad humanæ ſalutis præſidem artem.

(*c*) v. Friend ut ſupra p. 90. (*d*) v. Boerh. Aph. ſub-finem cap. de variolis & Sydenh. op. omn. edit Lond. 1705. p. 517.

(*f*) v. Præfat. ad ejus in celſum commentarios.

§. IV.

Præmiſſis his relictaque aliis (quos iſtiuſmodi ſpeculationes melius juvant) de ortu, cauſis, & progreſſu variolarum diſquiſitione, ad enarranda ſigna methodumque medendi inde conſiderandum proxime accedo.

Ratio autem morborum deſcriptoria a clariſſimo Bellino prius inſtituta, cum omnes alias propter ſimplicitatem ſuam & utilitatem longe ſuperat, obſervantiam meam in præſentia conciliavit: illius igitur inſiſtens methodo, in variolis, dico ſunt.

Antecedentia.

Rigor & horror; calor admodum intenſus, oculorum ſplendor; capitis & dorſi dolor vehemens; vomituritio; inquietudo magna; in adultis ſed nunquam in infantibus ingens in ſudores propenſio (unde minime confluxuras eſſe licet conjicere) dolor ſub ſcrobiculo cordis, ſtupor etiam & ſomnolentia; atque in infantibus inſultus epileptici.

In ſanguine autem laxiori nonnunquam accidit, ut ſeparationis periodus ſenſim atque gradatim ſine inſigni aliqua ægritudine tranſigatur, priuſquam expulſio materiæ puſtularum eruptione ſe prodat (*g*).

Hæc in diſcretis; in confluentibus

Eadem ſymptomata ſed atrociora; febris ſc. anxietas, ægritudo, vomituritio &c. immanius ſæviunt; nihilominus non ita prompte hic in ſudores diſſolvitur æger ac in diſcretis. Diarrhæa inſuper nonunquam eruptionem præcedit, & ad diem unum alterumve poſt illam protrahitur, quod quidem in diſcretis nunquam contingit (*h*).

In utraque ſpecie febris a primo ſtatim inſultu ad eruptionem uſque præcipue dominatur, ægrum urget nunc phrenitis nunc coma. Adoleſcentes porro & ætatis flore vigentes (præcipue ſi vino aut alio quovis liquore ſpirituoſo ſe nimium impleverint) aliquando tentat urina ſanguinea, aliquando licet rarius ſanguis e pulmonibus ejicitur (*i*).

Conjuncta.

Puſtularum eruptio inſtar morſus pulicaris per faciem primum, deinde per collum, pectus, & corpus univerſum. Hæc plerumque accidit in diſcretis 4°. ab invaſionis die, nonnunquam ſerius aliquanto, ante illum vero rariſſime: in confluentibus 3°. die, ante illum aliquando, vix unquam, poſt illum, niſi ob atrocius aliquod ſymptoma, acutiſſimum ſc. dolorem &c.

Eruptionem ſequitur in illis ſymptomatum antecedentium vel remiſſio magna vel evaneſcentia, ſudore interim remanente: * in his autem febris & alia ſymptomata ad multos uſque dies a puſtularum eruptione ægrum diſcruciant (*k*).

Urget deinde faucium dolor; cutis tenſio, calor, inflammatio; in adul-

(*g*) v. Sydenh. p. 96.
(*h*) v. p. 98. (*i*) 104. * p. 102. (*k*) p. 99.

dultis ſalivatio, nonnunquam ſub primum eruptionis tempus, nonnunquam niſi poſtridie biduove præterlapſo; in infantibus aliquando diarrhœa, quæ quocunque tempore ingruit, niſi arte ſiſtatur, ſingula morbi ſtadia decurrit (*l*).

Urget etiam ſitis magna; diſpnœa; anxietas; jactatio corporis ingens; maculæ aliquando purpureæ, mortis fere ſemper prænunciæ (*m*); in morbo vehementiori ſub veſperam paroxyſmus & ſymptomata graviora; aliquando etiam urinæ ſuppreſſio, in juvenibus præſertim, idque in ſtatu vel declinatione diſcreti generis; puſtularum ſubſidentia; ſuperveniente inſuper diarrhœa, unde ingens diſcrimen & anceps morbi exitus; & aliquando denique aucta cutis & puſtularum inflammatio & elevatio, quæ tandem ſpatio 4, 5 vel 6 dierum, nonnunquam ſerius, in ſuppurationem abeunt, & in totidem ulcuſcula mutantur.

Succedentia.

Fluxio puris fœtidi & copioſi per totum corpus; cutis ſiccitas & cruſtatio; impedita perſpiratio; alvus inconſtans; febris ardens, peſſimæ indolis & cum peſſimis ſymptomatibus (*n*) magna corporis incontinentia; phrenitides; anginæ; deliria; dyſenteriæ; vomitus; apoſtemata varia; exeſio cutis; ulcera cacoethe ad oſſa ſæpe penetrantia; cancri; cicatrices fœdæ; viſus deprivatio; convulſiones; paralyſes; phthiſes & malorum ilias.

§. V.

Hæc ſunt ex præcipuis phænomenis, quæ morbum hunc antecedunt, comitantur & ſubſequuntur: legantur alia apud accuratiſſimum Sydenhamum, quæ ad indicationes deducendas non minime conferunt; de quibus in ſuo loco.

§. VI.

Qualis ſit hujus morbi eſſentia ſive phyſica cauſa plane neſcio, nec unquam fortaſſe intelligere potero; ultimas enim metaphyſicas & primas phyſicas cauſas, medico inveſtigare & comprehendere poſſe perdifficile eſt, ne dicam impoſſibile prorſus (*o*); niſi prius infinitam illam ſapientiam, quæ omnia omnibus dedit, comprehendere potuit.

Fermentum ſanguinis, materiæ varioloſæ aſſimilationem & quicquid hujuſmodi excogitarunt autores, aliis mitto: mihi fateor ſola placent phænomena; hæc enim bene obſervata & inter ſeſe comparata, medicum bonum in morborum omnium curatione juvabunt melius, ni maxime fallor, quam

(*l*) 100, 101. (*m*) 104. 321.
(*n*) v. Boerh. aph. art. 1400. Syden. Op. p. 518. & Rhazes de Peſtilentia c. 4.
(*o*) v. Boerh. Inſtit. art. 28. & Sydenh. op. p. 353., 354.

quam omnes omnium conjecturæ: medicus enim (juxta clariſſ. Celſum (*p*) novum quoque conſilium petet, non ab rebus latentibus (iſtæ enim dubiæ & incertæ ſunt) ſed ab his quæ explorari poſſunt, id eſt evidentibus cauſis; addo etiam effectis. Phænomena igitur in hoc morbo obſervabo, & ex eis ſolum, quantum poſſum, medendi methodum deducere conabor; propterea quod omne ratiocinium utcunque elegans, utcunque mechanicum, niſi huic baſi ſemper innititur, quo longius extenditur, eo certius decipit atque lædit (*q*).

Obſervatio I.

Imprimis notandum eſt, prima variolarum phænomena, illa, quæ in omni febre acuta ſub ingreſſum ejus occurrunt, quam maxime referunt: rigor nempe & horror, calor intenſus, inquietudo magna, dolores vagi & vehementes urgent &c.

I I.

In diſcretis, ſed in adultis ſolum, nunquam in infantibus ingens eſt in ſudores propenſio: & in ſanguine laxiori &c. vid inter antecedentia.

In confluentibus, minor eſt in ſudores propenſio; ſed graviora ſymptomata; & diarrhæa nonnunquam eruptionem præcedit, quod nunquam accidit in diſcretis.

In utraque ſpecie, adoleſcentes porro &c. vid. inter antec. & utraque hæmorrhagia ſub morbi initium plerumque contingit, puſtulis nondum erumpentibus (*r*).

I I I.

Eruptionem ſequitur in diſcretis ſymptomatum antecedentium vel remiſſio magna vel evaneſcentia, ſudore interim remanente; in confluentibus vero febris & alia ſymptomata ad multos uſque dies a puſtularum eruptione ægrum diſcruciant.

In his ſalivatio, in adultis, nonnunquam ſub primum eruptionis tempus, nonnunquam niſi poſtridie biduove præterlapſo tentat; in infantibus aliquando diarrhæa; quorum prius fere ſemper accidit, & ad undecimum diem manere ſolet, quo quidem tempore utplurimum ſponte ſua deſinit; poſterius vero, niſi arte ſiſtatur, ſingula morbi ſtadia decurrit.

In illis ad 8. diem ſudor manat copioſus; alvus prorſus conſtipata eſt, vel ſaltem rariſſime dejicit; ceſſante autem ſudore, urgent ſtatim gra-

(*p*) v. Præf. ad lib. ejus primum de medicina p. 14. (*q*) v. Celſ. ut ſupra p. 20. (*r*) p. 104.

viora ſymptomata, omnia quæ brevi poſt ſæpenumero excipit inevitabilis mors (*ſ*).

In utriſque puſtulæ nonnunquam faſtigiis cedunt & derepente conſidunt ſuperveniente inſuper diarrhœa, unde ægro (ſi adultus ſit) ingens diſcrimen & anceps morbi exitus.

I V.

In confluentibus maxime periclitantur ægri, & plerique etiam moriuntur undecimo ab invaſionis die; in diſcretis, octavo.

In utriſque inſtat poſtcriſin factam acuta febris, juxta antecedentium exanthematum numerum (*t*), methodumque medendi prægreſſam, aut mitior aut gravior; aliquando autem maxime ardens, peſſimæ indolis, & cum peſſimis ſymptomatibus.

§. V I I.

Liquido conſtat, humanum corpus, dum vita ſaluſque manent, materiem quandam per poros ejus magna copia emittere; nonnunquam ſub forma halitus ſubtiliſſimi, nonnunquam ſub ſudoris &c. & hic ſudor quo magis exercetur corpus, vel quo magis relaxatur ſuperficies, eo copioſior fere ſemper effluit.

Proportionem, quam ad alia corporis excrementa, alvi ſc. veſicæ &c. hæc habet materies, præclara docent accuratiſſima Sanctorii (*u*) & J. Keill (*w*) experimenta.

Ex illis liquet materiem hanc majorem ad ingeſta corporis proportionem habere, quam ulla alia excrementa, alvi ſive, veſicæ, oris &c. ergo conſervatio ejus in naturali ſtatu, nec non exceſſus ejus defectusve corpus afficit proportionaliter magis, quam in ullis aliis excrementis, conſervatio, exceſſus, defectusve.

§. V I I I.

Si obſtructio accidat (a quacunque cauſa) in canalibus corporis, per quos ſanguis circulans tranſire conſuevit, idem eſt ac ſi canales omnes pervii ſint, & quantitas ſanguinis quantitati, quæ per canales obſtructos ante impedimentum fluiſſe ſupponitur, æqualis, addatur reliquæ (*x*). Sed

(*ſ*) p. 102. (*t*) p. 329. (*u*) v. Sanctorius de medicina ſtat. Sect. 1 Aph. 6. &c. (*w*) v. Keill. de medicina Stat. Brittan. Aph. 6. 13. 18. (*x*) v. Cheynes new Theory of Feyvers lemma It. & the ſchol.

Sed in aucta quantitate augeſcet & motus (*y*).

In obſtructione igitur canalium, ſanguis (niſi per hæmorrhagiam vel venæſectionem vel aliter minuatur quantitas) majori quam ante obſtructionem, qua data porta, velocitate movebitur; & quo major velocitas, eo clariores effectus alii, quos enumeravit Borellus (*z*), aliique etiam mox fuſius explicandi.

Si vero obſtructio accidat ab impedita perſpiratione, omnes obſtructionis effectus citius & certius producentur; quos ut rite explicemus, non modo obſtructio ipſa conſideranda eſt, ſed obſtruentis etiam materiei qualitas.

§. IX.

Materies perſpirabilis (per quam intelligo non modo vaporem illum ſubtiliſſimum, qui ab ultimis (fortaſſe) arteriolarum fiſtulis in auras abit, & ad vitam animalis conſervandam neceſſaria eſt (*aa*); nec illum etiam qui ex tota corporis ſuperficie plus minusve ſub denſioris & tenacioris fluidi forma prodire ſolet; quicquid vero per cutis poros tranſit, vapor tenuis, ſudor blandus, an materies illa unctuoſa ſit, quam omnibus partibus ſubcutaneæ glandulæ tanta copia ſuppeditant: hæc inquam partim tenuis & partim viſcida eſt & oleoſa: & cum attractio in omni corpore, cæteris paribus, particularum ſoliditati proportionalis eſt, & cohæſio corporum contactus quantitati reſpondet (*bb*); particulæ ejus valide cohærebunt, tarde licet ad ſe invicem accedent.

Hujuſmodi particularum motui (ſc. ſpecifica quarum gravitas minima eſt (fluida omnia (ex hydroſtatice patet) renituntur maxime: ergo in perſpirationis obſtructione, ſanguis per vaſa ſua promovebitur ægrius (*cc*); ſed quo magis in hac parte retardatur, eo velocius in illa qua minor eſt reſiſtentia movebitur; & quo major velocitas, eo major per totum corpus calor (calor autem quo magis intenditur, eo magis ſubtiliores ſanguinis particulæ evaporantur; unde reſiduus ſanguis craſſior fiet & minus habilis ad motum; ergo quo major velocitas eo major) & ſiccitas (*dd*), & eo ſæpius in latera arteriarum impulſus. Corpus autem elaſticum & hujuſmodi ſunt arteriæ) quo magis impingitur, eo fortius (dum integra manet elaſticitas) reſilit; unde particularum ſanguinis diviſio, calor magnus &c. cum vero ſuperficies corporum decreſcant ſemper in ratione duplicata, ſoliditates autem in imminutæ diametri triplicata, quo magis dividuntur particulæ, eo minor erit illorum gravitas; ergo

(*y*) v. Cheynes theory &c. p. 48. (*z*) v. Borelli de mot anim. p. 2. pr. 35. (*aa*) v. Borelli ut ſupra p. 2 pr. 188.
(*bb*) v. Keills tentamina. tentam. 4. (*cc*) v. prop. 6 & 7. cum coroll. in Wainewright's Nonnat. (*dd*) v. Boerh. aph. §. 689.

go per vaſa tardius propellentur, ſæpius occurrent, & fortius inter ſeſe cohærebunt; unde magnus in ſanguine lentor (ee) dolores vagi & vehementes; calor incertus, nunc in hac vel illa parte juxta obſtructionis gradum moderatus & nunc intolerabilis; quando enim vaſa plurima obturantur; vel per acrem quendam humorem valde ſtimulantur, in aliis ſumma erit velocitas; unde intenſus calor, comminutio ſanguinis, hæmorrhagia frequens, mictus ſanguineus (*ff*) &c.

Hinc etiam cephalalgiæ graves, oculorum inflammatio, deluſoriæ & & incongruæ ideæ, ſecretiones perturbatæ, convulſiones & ſubſultus tendinum, debilitas ingens & tandem ipſa mors.

Quo minor eſt reſiſtentia, eo major erit ſanguinis velocitas; muſculorum autem operationes cum curſum ſanguinis in multis partibus opponunt plurimum, & cum in cranio noſtro deſunt muſculi, hic certe maxima erit velocitas: ſed quo major velocitas, eo major vaſorum diſtractio; unde dolores magni (*gg*), cephalagiæ graves, ſecretio inæqualis & denique quid non.

Ad eundem modum afficientur oculi: propter enim nimiam ſanguinis velocitatem diſtrahentur vaſa, frequentes erunt & inuſitati in retinam impulſus; unde maligna & incerta viſio, & per conſequens ideæ falſæ & quæ minime conſtant, vel quod idem eſt, deliria magna.

Dum hæc aguntur, ſanguis, qua data porta, ſemper fluet, nunc in hanc nunc in illam partem & nunc in alias: in tanto igitur diſcrimine rerum, altera majorem quam alteræ partes habebunt quantitatem; ergo magis diſtendentur; & niſi antagoniſtæ partes æqualiter diſtendantur, (quod in tumultuaria circulatione non ſemper accidit) convellentur valide; unde rigor partis, impedita circulatio, & acutus dolor.

Vires ægri ſi tanta mentis & corporis agitatio nondum exhauſerit, ſubſequentur deliquia & graviores obſtructiones; unde difficilis reſpiratio, tarda ſanguinis circulatio, leve in arterias momentum, debilitas magna, relaxatio ingens, & tandem ad plures migratio.

§ X.

Nonnullis hujus morbi phænomenis ex effectis ſanguinis circulationis impeditæ & præcipue impeditæ perſpirationis explicatis, operæ fortaſſe pretium ſit, antequam ex prædictis datis medendi methodum deducere conor, alia phænomena diligentius obſervare: quæ ut rectius aſſequamur, notandum eſt (quod ſupra memoravi *) ſudorem, quo magis relaxatur ſuperficies, eo copioſiorem fere ſemper effluere.

Fluxus autem hujusmodi quo largior eſt, eo laxior reddetur cutis; unde minor erit erupturis puſtulis reſiſtentia, & per conſequens minor viri-

(*ee*) v. Boerh. aphor. §. 1384.
(*ff*) v. Boerh. Inſtit. §. 383.
(*gg*) v. Boerh. Aphor. §. 220.
(*) Sect. 7.

trium proſtratio. Quibus igitur cutis vel naturaliter vel arte laxa eſt, eis certe tutior erit varioloſus morbus: ſed infantibus, mulieribus & mollibus, quam exercitatis, viris & ſenibus laxior eſt cutis; ergo illis quam his certe tutior erit morbus (*bb*).

Nec hoc equidem ratiocinium ab obſervationibus Sydenhami diſcrepat; ſed contra, cum eis omnino convenit.

In ſanguine laxiori atque ἐυμεταβλήτῳ nonnunquam accidere inquit; ut ſeparationis periodus ſenſim atque gradatim ſine inſigni aliqua ægritudine tranſigatur, priuſquam expulſio materiæ puſtularum eruptione ſe prodat (*ii*).

Et paulo poſt:

Natura ſibi permiſſa negotium ſuum ſuo tempore exequitur, materiamque debito ordine ac via tum ſecernit, tum etiam expellit, ut (in junioribus præſertim, vegetiſque temperamentis) noſtra ope, noſtris artificiis atque auxiliis non indigeat, ſuis viribus optime inſtructa, ſuis opibus locuples, ſuo denique ingenio ſatis edocta (*kk*).

Natura autem ſi ſibi permittatur, opus ſuum hoc modo abſolvit, viz.

Symptomata in utraque ſpecie ſub primum morbi ingreſſum eadem ſunt; ſed paulo poſt in diſcretis corripit ingens in ſudores propenſio, adeo ut in eos quaſi diſſolvatur æger; & hæc equidem per totum morbi curſum, niſi forte impediatur, durat (*ll*); unde magna cutis laxatio, libera ſanguinis circulatio (quæ tanti eſt in hoc caſu) faciliſque puſtularum eruptio.

Hæc autem adultos ſolum, nunquam infantes urget vel ante puſtularum eruptionem vel etiam poſt (*mm*): cutis enim in illis longe tenſior & durior eſt quam in his; ergo niſi copioſe per ſudores alioſve modos relaxetur, res ſane in ancipiti eſſet; quod ſemper etiam in hoc genere accidit, quandocunque vel impeditur vel minuitur perſpiratio.

In confluentibus minor eſt in ſudores propenſio; ſed febris, anxietas, ægritudo &c. immanius ſæviunt; & ad multos uſque dies a puſtularum eruptione ægrum diſcruciant: in diſcretis vero eruptionem ſequitur ſymptomatum antecedentium vel remiſſio magna vel evaneſcentia, ſudore interim remanente.

Nonne hinc liquet magnum cutis relaxatæ, & copioſæ per totum corpus perſpirationis emolumentum? Mihi equidem animo reputanti.

1. Diſcretum genus longe minus eſſe periculoſum quam confluens.

2. Omnia in diſcreto, quo ſudor manat copioſus, in vado eſſe ſæpiſſime; pleroſque eorum qui ab hoc morbo occubuere morti, die 8° illo nempe obiiſſe, in quo ſudor vel ſponte ſua vel remediorum ope evaneſcit.

 3.

(*bb*) Boerh. aphor. §. 1381. (*ii*) v. Sydenh. op. p. 96. (*kk*) v. p. 107. (*ll*) v. p. 97. (*mm*) v. 95.

3. Sudorem in confluenti minus eſſe copioſum; ſymptomata vero graviora & quæ diutius urgent: diarrhæam (quæ nunquam in diſcreto accidit (eruptionem præcedere, unde minor per poros cutis evacuatio *, & per conſequens major cutis ſiccitas una cum majori ſanguini reſiſtentia; difficiliorem eſſe puſtularum eruptionem, quam brevi poſt ſemper ſequitur in adultis ſalivatio, & in infantibus ſæpenumero diarrhæa; pleroſque eorum qui moriuntur fatalem diem undecimum habere, illum nempe in quo ſalivatio deſinit; omnem ſalutis ſpem in exanthematum paucitate ſtare, diſcrimen in eorundem multitudine (*nn*); & eo minus eſſe diſcrimen, quo rariores in facie comparuerint puſtulæ (*oo*) (nam quo magis erumpitur, eo magis cutis tenditur, & quo tenſior cutis, eo major ſanguini reſiſtentia; ſanguis vero ſemper fluet quo minor eſt reſiſtentia; ergo, ſi facies plurimis puſtulis obſeſſa ſit, ſanguis rapidiſſimo curſu ad cerebrum tendet, unde dolor magnus, ſecretio mala, & horrenda ſymptomata.

Et hinc licet conjicere cauſam, quamobrem res ſæpe in lubrico eſt, cum plurimæ puſtulæ obſideant pectus; ſanguis enim ab eis admodum obſtruetur, unde brevi tempore oppreſſio cordis, difficilis reſpiratio, & per conſequens malorum ilias); plurima horum terribilium ſymptomatum nunquam vel certe raro admodum in diſcretis, ubi in ſudores quaſi diſſolvitur æger; & multo felicius infantibus aliiſque etiam quibus cutis laxa eſt & dilatabilis, quam omnibus aliis, ſenibus vel adultis, quibus cutis firmior eſt & ſiccior, evenire; & denique effectus ſanguinis circulationis impeditæ perſpirationis ante explicatos (*pp*) mihi inquam hæc & ſimilia animo reputanti quam clariſſime demonſtratur, nihil æque in hoc morbo ægrorum ſaluti conſulere poſſe, ac copioſam cutis relaxationem; ſive id per ſudores (quos ipſa ut ajunt natura præferre & indicare videtur), ſive per balnea & frictiones (de quibus illico fuſius) conſit.

§. XI.

Sed quid audio? . . Bona verba! nonne clariſſ. Sydenhamus affirmavit, ſudores non abſque ingenti periculo promoveri poſſe?

Fateor; ſed ſiſte tandem: audi & alteram partem.

Sydenhamus dixit (*qq*),

Neque etiam exigo, ut in eodem loco ſemper jaceat, nempe ne ſudores erumpant, quos ego tum rationibus ſupra allatis, tum ipſa experientia fretus fidenter affirmo non abſque ingenti periculo promoveri poſſe.

Idem

(*nn*) v. p. 321. (*oo*) v. p. 100. * v. Quincys Sanctorius ſect. 1. Aphor. §. 12. 13. &c. cum explan. (*pp*) v. Sect. IX. hujus Diſſertat. (*qq*) v. p. 114.

Idem vero *Sydenhamus* nonne alibi dixit (*rr*) quale etiam in hac Diſſertatione obſervavi (*ſſ*)

Sapientiſſimum rerum omnium conditorem ſtatoremque univerſa tam exquiſito ordine abſolviſſe, ut ſicuti omnia naturæ mala ad concinnandam totius operis harmoniam egregie conſpirent; ita eorum ſingula divino quodam artificio, propriæ eſſentiæ quaſi intertexto donantur, quo ſubjectum eadem mala a ſe amoliatur; quod in morborum quam plurium acutorum exitu naturali ſatis cernitur, uti etiam in propenſionibus iſtis, quæ tales comitantur morbos, & ad ægrum ab illa pernicie liberandum viam ſtruunt, quam ars adfert, quoties in fatuos cadit.

Sed in diſcreto genere, ſudor manat copioſus, ſi natura ſibi permittatur & res ſemper vel ſæpiſſime ſaltem omni prorſus periculo vacat (*tt*); ſudore autem ceſſante, omnia ſtatim in exitium ruunt (*uu*).

In confluenti vero, minor eſt in ſudores propenſio, ſymptomata longe graviora, & nunquam non periclitatur magis, quam in altera ſpecie in qua in ſudores quaſi diſſolvitur æger.

Sudores igitur quos reprehendit Sydenhamus, ab illis certe, quorum ope natura ſibi permiſſa negotium ſuum abſolvit, admodum diſcrepant. Si vero ab illis diſcrepant, cujuſmodi ſunt quæſo? Dicam.

Obſervaverit ille.

1. Ægros qui diſcretis laborabant, cum ſatis prompte ſudoribus diffluerent, ac ſibi omnia bona promitterent, ſi morbi virus per cutis poros hoc pacto amandaverint, hanc methodum diligenter ideo perſecutos eſſe, tum remediis cardiacis intro aſſumptis, tum regimine calidiori adhibito; tandem vero die 8° flaccida apparuit facies & albida interſtitia, licet interim rubidæ erant puſtulæ, atque etiam poſt ægri mortem elevatæ.

Qui ad hunc uſque diem nullo negotio manaverat ſudor, jam ſubito ſuaque ſponte evaneſcere ſolet, neque ullis remediis cardiacis vel etiam calidiſſimis revocari poſſet. Æger interim phrenitide corripitur &c. (*ww*)

2. Ægris qui confluentibus laborabant omnia ab hoc calidiori regimine deterius ceſſiſſe, quam qui diſcretis (*xx*).

Hinc puto ſudores, quos evitare vel ſupprimere ſuadet, iſtiuſmodi ſunt qui a calidiori regimine excitari ſolent. Huc ſpectant plurimæ ejus ſententiæ (*yy*), nec equidem ſine ſummo jure: ſanguis enim in hoc morbo ſua ſponte longe majori quam in naturali ſtatu velocitate movetur; & quo major velocitas, eo majus in canalibus minimis ſemper imminet occluſionis periculum, quæ quidem ex eo validior fiet, quo vis fluxus fuerit intenſior (*zz*). Calida autem medicamenta ſanguinis velocitatem magnopere augent: ergo in omnibus morbis a nimia ſanguinis velo-

(*rr*) v. p. 333. v. etiam celſ. præf. ad lib. ejus 7. (*ſſ*) v. primam ſect 2. partem. (*tt*) v. p. 115. (*uu*) v. obſerv. 3 (*ww*) v. p. 102. (*xx*) v. p. 115 (*yy*) v. p. 103. 105. 107. 110 111. &c. (*zz*) v. Bellini de motu cord. pr. 26

velocitate ortis, iiſque etiam qui ideo magis periculoſi redduntur, valde nocent; ergo in varioloſo morbo ſemper vitanda ſunt, utpote quæ maximum ægris periculum adferunt; idque credo non tam a quibuſdam particulis ad elevationem & intumeſcentiam faciei neceſſariis eliminandis (*aaa*) quam a fluidis in corpore omnibus adeo commiſcendis, ut ſecretio (quæ tanti eſt in œconomia animali) nequaquam rite perfici poſſit; unde univerſa corporis inquietudo & innumera mala; & hinc fortaſſe magna equidem facilitate explicetur ratio, mictus ſanguinis vel violenta ejus pulmonibus eruptio, quid indubie mortem prænunciat ægris (*bbb*).

Verumenimvero fatendum eſt, ſententiam ejus de hac re ſatis eſſe obſcuram in nonnullis locis, utcunque clara ſit in aliis. Sed ulterior hujus diſquiſitio, ne diſſertationem hanc (jamjam ſatis amplam) ad majorem quam convenit magnitudinem eveheret, in præſentia differenda eſt, poſtea fortaſſe prout ſuppetat occaſio, renovanda.

XII.

Quoad ſuccedentia, cum impeditæ perſpirationis; abſorptus puris in venas, variique ejus in diverſas corporis partes delapſus (*ccc*), effectus ſint; ex iis puto quæ ſuperius obſervavi, facillime intelligantur. Nihil igitur reſtat denique, niſi quod ultimam hujus diſſertationis partem cogitemus, illam nempe, quæ medendi methodum ex prædictis datis deducendam ſpectat; & hæc profecto præcipua medicinæ pars eſt, quia non interſit (juxta Celſum (*ddd*) quid morbum faciat, ſed quid tollat.

§. XIII.

Quæcunque ſit phyſica hujus morbi cauſa, cum effectus ſint, motus ſanguinis violentus, & quarundam per totum corpus puſtularum eruptio; & cum omnis ſalutis ſpes in puſtularum ſeu exanthematum paucitate conſtet; quodcunque remedium motum ſanguinis violentum cohibere, & erupturas puſtulas vel penitus ſupprimere, vel eruptionem ipſam reddere faciliorem valet, maximo omnibus ægris varioloſis emolumento neceſſe erit: ergo indicata ſunt hæc plane duo; nempe

1. Motum ſanguinis violentum cohibere: &

2. Eruptionem puſtularum, ſi potis eſt, prævenire: ex his enim febris ipſa ſecundaria & omnia quotquot ſunt ſuccedentia mala, velut a cauſa proveniunt; ſublata igitur cauſa, tollentur etiam effectus. Quod ſi præveniri nequit, deinde ſumma ope nitendum eſt, ut eruptio ſit quam facil-

(*aaa*) v. p. 102. (*bbb*) v. p. 122. (*ccc*) Boerh. Aph. §. 1400. (*ddd*) v. Celſ. præf. ad lib. 1. p. 10.

cillime expedita: Hæc enim quo minus obſtruitur, eo ſemper minus abſumentur vires, eo ſemper minus ægris periculum.

§. XIV.

Vena in omni morbo ſecanda (inquit Bellinus (*eee*), in quo aut minuenda quantitas, aut augenda velocitas ſanguinis, aut refrigerandum aut humectandum aut aliquid hærens vaſis dimovendum atque abripiendum, aut danda occaſio particulis ex quibus ſanguis componitur, ut intime dimoveantur & ipſum ſanguinem mutent. Miſſio autem ſanguinis præcipue dimovet, atque abripit e ſummis canaliculis capillaribus quicquid eis intime hæret, dummodo vis illius cohæſionis minor ſit momento velocitatis ſanguinis; quod ſi major fuerit, miſſio ſanguinis ſolum refrigerabit atque humectabit, ex quo demum fieri poterit, ut quicquid hæret ſummis vaſis dimoveatur atque abripiatur (*fff*).

Convenit etiam in iis omnibus febribus, in quibus, aut ipſa ex ſe febris materies, aut calor qui per febrim producitur, naturæ vi & tutis aliis artis præſidiis ad naturalem ſtatum redigi non poteſt. Quod ſi febres graviores fuerint & ſine acceſſionibus manifeſtis (cujuſmodi ſunt variolоſæ febres, ſaltem ante eruptionem) proderit arterias etiam capillares movere per hirudines, ſcarificationes, fomenta, balnea, cucurbitulas ſiccas, & hujuſmodi &c. (*ggg*); quorum omnium operationes præfatus medicus magna arte explicuit in propoſitione ſua octava.

Quod ſi venæſectio rite celebrari nequit, ſubſtituantur tuto frictiones, ſemicupia, & quæ in prop. ſua nona legantur; operationes quorum explicuit idem in tractatibus ſuis de ſtimulis & medicamentis, opere certe cedro digno.

Cum ex hiſce rite (prout occaſio poſtulet) adminiſtratis, quantitas ſanguinis minuetur, & velocitas ejus æquabilior fiet; & cum ex his etiam, ſi quæ ſint, ſolventur obſtructiones, & talis ſanguini fluiditatis gradus, qualis ad ſecretiones varias optime convenit, conciliabitur; omnia equidem ad motum ſanguinis violentum requiſita producentur; ergo cohibebitur motus, vel quod idem eſt, proſternetur febris.

§. XV.

Puſtularum eruptio (an ab humore quodam vitioſo in lympha contento juxta clariſſ. Helvetium (*hhh*); an a ſanguine ſolum violentiſſime per vaſa agitato; unde diſtenſio magna, obſtructio frequens, ſolutio continui, nullus vel admodum parvus in materia extravaſata motus, cohæſio

(*eee*) v. Prop. 6. de miſſ. Sang. (*fff*) v. pr. 5. ejuſd. (*ggg*) v. pr. 10. ejuſdem. (*hhh*) v. Idee génerale, de l'œconom. animal. & obſerv. ſur la petite Verole.

ſio varia, & tandem ille qui purulentus dicitur ſtatus) hæc inquam cutis relaxatione, ſive per inunctiones ſit, ſive per balnea tepida frictionibus moderatis, & omnibus illis quæ perſpirationem movent copioſam, ſi non omnino impediatur, admodum ſaltem facilitetur (*iii*); hæc enim diducunt poros, tenuia acriaque excrementa, quæ ſubter cutem occuluntur, foras digerunt; quæ vehementius inaruerunt membra, humectant; quæ obriguere, emolliunt; quæ tenſa fuere, relaxant (*kkk*); eodemque tempore fluida attenuant, viribus interim ægri quam minime deficientibus.

Huc ſpectant remedia, quæ ad expellendam ex corporis ſuperficie peſtilentiam commendavit Rhazes (*lll*); fotus nempe ægri indumentis, & potatio aq. frigidæ; nam frigida (inquit) ſi paulatim abſorbeatur, ſudorem elicit & adjuvat foras extrudere ſuperflua ad corporis ſuperficiem. Inde aquam ferventem immittendo ollis puris, adhibe unam ollam ante & alteram pone, ut reducatur vapor per totum corpus præter ſolam faciem, ut rareſcat corpus, atque ita difflet ſuperfluitas: flare autem expedit ſuavem aërem & frigidum. Ita ſane curam ægritudinis habebimus, nec ſolum facile extrudentur ſuperflua, ſed etiam vires cuſtodies; nec eſt invenire aliud melius & commodius hac diligentia. Expedit etiam refrigerari & calefieri aq. calida, ſic Rhazes.

Huc etiam ſpectant, quæ hiſce addidit Alſaharavius (*mmm*); nempe fricetur corpus levi fricatione cum manibus, & panni in aq. ferventi madefacti imponantur. Et ſi non poteſt tranſire (puſtularum ſc. eruptio) abſque illis, bibat patiens de aq. calida, una hora poſt aliam; vel coquatur in ea de Sem. Fænic. & de Sem. Apii & bibat de ea; vel ℞. Fic. virid. N°. XXX. Paſſul. mundat. ℥XX. bulliant ſuaviter in aq. ℔iij, donec liqueat, & poſtea bibat ex illa aq. patiens ℔v ter; & tegatur, & involvatur pannis madefactis in aq. calida.

§. XVI.

Hujuſmodi plura nullo equidem negotio adjicere poſſem, ſi vel aptum duxi vel neceſſarium. Sed in re plane philoſophica non tam quod alii dixerint aut ſcripſerint, quam quod varia rerum inter ſeſe comparata phænomena docent, quærendum eſt & obſervandum opinor: & ſi ex hiſce phænomenis ad hunc modum penſitatis, ratiocinium quodvis ad noſtrum commodum vel aliorum deducere liceat, nobis ſit & omnibus ſaluti.

Huic regulæ inſiſtens, medendi methodum deducere conatus ſum; metho-

(*iii*) v. Celſ. lib. 5. c. 28. §. 15. de puſt. gen.

(*kkk*) p. Lomm. comm. p. 19. 80. 81. 140.

(*lll*) v. Lib. ejus de peſtil. c. 7. latine redd. p. g. valla.

(*mmm*) v. ejus liber practice particula 3. de variolis.

thodum fateor a vulgari quidem longe diverſam, nec puto injuria; in hac quippe, teſte clariſſ. Viro (*nnn*), nullus niſi ſponte emergit: dum enim naturam ut aiunt perſequi, vireſque ægri refocillare incumbunt medici, velocitatem ſanguinis cum medicamentis diaphoreticis tum etiam cardiacis magnopere augent; unde æger magis magiſque caleſcit, & ad incitas uſque redactus.

Si vero relaxetur cutis, adeo ut materia perſpirabilis una cum extravaſata illa materia quæ in puſtulas abit, facile & ſine impedimento effluat, forte fortuna evaneſcerent puſtulæ; & per conſequens, omnia quæ in genere ſubſequuntur mala; febris nempe acuta, incontinentia magna, cacœthe ulcera, cicatrices fœdæ, & morboſa viſcera; vel ſaltem gradus ille caloris ad harum expulſionem promovendam accommodatiſſimus, quem naturalem eſſe debere aſſerit Sydenhamus (*ooo*); atque hujuſmodi, quæ carnoſarum partium temperiei convenit; quique hunc excedit aut ab eodem deficit, utrinque periculoſus eſt; hic inquam præfata methodo facillime conciliari poſſet.

§. XVII.

Notandum inſuper variolis interiora corporis occupantibus rem eſſe in ancipiti ægris, ut inquit Bellinus (*ppp*).

In confeſſo eſt eruptionem in viſceribus ſemper eſſe admodum periculoſam: non vero ut arguit materiem maxime contumacem, quemadmodum clariſſ. Vir judicaſſe videtur, ſed ut arguit (opinor) magnam in ſuperficie corporis reſiſtentiam, unde motus debilis, ſeparatio tarda, & obſtructio magna; & hinc violentior ad interiora motus, major membranarum diſtenſio, & tandem copioſa puſtularum eruptio: cute autem relaxata, minor erit reſiſtentia; unde major & copioſior ad extremitates fluxio, minor in interiora preſſio, melior & tutior fluidorum circulatio.

§. XVIII.

Juvenem novi qui paucos abhinc annos variolis confluentibus laborabat. Ab initio morbi ad tempus uſque eruptionis nihil accidit inuſitatum: appropinquante autem maturatione invaſit febris acuta, inquietudo ingens, una cum phrenitide dira aliiſque ejuſmodi, adeo ut apud medicum ejus, clarum ſane exercitatumque, actum ſit de vita ægri.

Rebus ſic ſtantibus, juvenis mater curam ſuſcepit; puſtulas omnes forfice ſecavit deterſitque ſordes. Symptomata extemplo remittebant; mente

(*nnn*) v. Boerh. Aph. §. 1403. (*ooo*) v. p. 109.
(*ppp*) v. p. 420. partis 1æ. oper. ejus Lugd. Batav. edit 1717.

te conſtabat æger, & brevi tempore optime convaleſcebat; nec foveas habet, niſi admodum paucas, eaſque ſuperficiales.

In hoc caſu hæc ſunt maxime obſervanda: nempe

1. Ab ingreſſu morbi ad tempus uſque eruptionis bene habuit.

2. Invaſit febris, delirium &c. circa tempus maturationis.

3. Puſtularum ſectionem & expurgationem puris, placida quies & inexpectata ſalus ſubſecuta ſunt.

Quomodo omnia febris ſymptomata abſque fermenti ope venenati & ſpirituum animalium calore vel colluctatione (quæ apud plurimos admodum valent) ſecundum leges mechanicas explicari poſſint, ex jamjam obſervatis ſatis, puto, appareat. Reliquum eſt igitur, u medendi methodum diligentius perpendamus.

§. XIX.

Curam juvenis per puſtularum ſectionem & expurgationem puris effecit opifex, nec equidem miror. Vires enim ægri valde erant exhauſtæ, & circulatio ſanguinis pondere incumbente & obſtructione materiæ perſpirabilis plurimum impedita; nihil igitur adeo ſubvenire potuit, ut ponderis diminutio ac cutis relaxatio. Hæc fortaſſe per puſtularum ſectionem melius, quam per calidam immerſionem, vel ullam aliam methodum conciliari poſſent: quamvis enim abunde liquet, calidam immerſionem relaxare cutem & perſpirationem promovere, hoc tempore juvenis fortaſſe ante morbo ſuccubuiſſet, quam tanta eſſet relaxatio, quanta ad materiam purulentam tranſmittendam ſufficeret. Æger autem ſi in aq. calida ſub initium morbi vel ſub puſtularum eruptionis (tum enim materia extravaſata tenuis eſt) immerſionem vel potius inſeſſionem (*qqq*), vel quam Rhazes & Alſaharavius obſervaverant methodum, una cum frictione moderata lenique unctione (*rrr*) uſurpaverat, puſtulæ forſan evaneſcerent omnes, & materia (ut aiunt) morbifica per poros cutis tota eſſet tranſmiſſa, quam celerrime quidem a ſanguine ſeparari potuit.

Huic (aq. ſc. calidæ) quæ apud omnes ad unum veteres in medicina bene audiit, an illorum hujus ac aliorum, qui nepotes ſuos ſæviſſime infeſtarunt, referri debet morborum ignorantia, aliis ſubmitto. Nihil certe in omnibus morbis cutaneis, & in omnibus aliis obſtructione materiæ perſpirabilis vel oriundis vel ſaltem auctis, æque convenit ac iterata nunc in calida nunc in frigida, prout occaſio urget, immerſio (*ſſſ*) & dum in balneo manent (calidum volo) vel horæ ſpatium vel dimidiam ante immerſionem horam, hauſtus lenis diaphoreticus ſi copioſus deglutiatur, quicquid commodi ex tam nobili, tam placido, & tam inſigni-

(*qqq*) Celſ. lib. 2. c. 17. (*rrr*) v. Celſ. lib. 2. c. 14. p. 88.

(*ſſſ*) v. Lomm. comm. p. 117-124.

gniter utili remedio expectare liceat, nullus dubito quin acciperent omnes.

§. XX.

Et ſic tandem præcipuis hujus morbi phænomenis explicatis, methodoque medendi ex illis pariter deducta, eliciantur cauſæ (opinor) propter quas tam multis medicis, iiſque exercitatis in hujus morbi tractatione tam infeliciter ceſſit [*ttt*]. Antequam vero ad umbilicum duco diſſertationem, illis primum ſatisfacere volo, qui fortaſſe ægre ferant, quod per totam hanc medendi methodum, de clariſſimo Sydenhamo ne verbum quidem occurrit.

Intelligentia humana cum anguſtis terminis propter infinitam illam rerum in, quibus tota eſt varietatem circumſcribitur, nihil quicquam plene aut perfecte efficere poteſt; unde errores ſunt etiam eruditiſſimis viris & naturales & [abſit invidia verbo] neceſſarii. Sed quo magis phænomena rerum attendimus, eo minus hallucinabimur: judicium enim humanum num ex apparentiis rerum ipſo tempore obſervationis nunquam non formatur; & apparentiæ ipſæ a creatoris inſtitutis, & illa [quoad objecta] in qua ſumus poſitione omnino pendent: ergo ingenua cogitatio omnibus eſt in philoſophicis ſaltem diſquiſitionibus, indulgenda; utpote quæ non modo utilis eſt ſed etiam ad veritatem attingendam neceſſaria.

Hiſce argumentis animo perſuaſus, eundem modum in hac diſſertatione obſervare ſtudui: nimirum phænomena morbi inter ſeſe comparavi, & quæ maximi momenti viſa ſunt, ea præ aliis trutinavi; & ex omnibus his ita diſpoſitis, medendi methodum, qua potui honeſtate, collegi; eamque deductam gratis tibi, B. L. qualemcumque dico; ſed ne obliviſcaris tandem, quod clariſſ. Lommius bene obſervavit [*uuu*], ſcrutandæ ſine ambitione veritatis ſtudio, recta dicenti fidem, erranti veniam deberi.

Mihi fateor ſimplex eſt & regularis, & quæ phænomenis morbi [unde ſingula indicatio ad uniuſcujuſque morbi curationem ſemper accipi debet] penitus congruit; idque adeo equidem, ut firmiter credo, varioloſum morbum [ſi diis placet] hac methodo tractatum, utcunque gravis terribiliſve fuerit, non minus tutum levemque fieri poſſe, quam plurimi alii, inſultus quorum vix ac ne vix reformidant ægri.

Si hæc tibi æque rationalis ac mihi videtur, & tibi etiam omnino proſit; ſin magis placet vel Sydenhami noſtri vel aliorum methodus, & alia etiam tibi æque proſit: medico enim qui in theoria artis ſuæ bene verſatus eſt, ad curandos morbos raro admodum deficient vires; omnibus autem inexpertis, praxis ſua in optimo ſtatu lubrica eſt; in contrario qualis, judicent omnes.

(*ttt*) v. Ultimam ſectionis 2æ. partem. (*uuu*) v. ejus comm. p. 225.

FINIS.

MAT-

CLXXXIV.

MATTHIÆ ERNESTI BORETII OBSERVATIONUM EXOTICARUM

SPECIMEN PRIMUM SISTENS

FAMOSAM ANGLORUM VARIOLAS

PER INOCULATIONEM EXCITANDI METHODUM

CUM EJUSDEM

PHÆNOMENIS ET SUCCESSIBUS PROUT

NEMPE IN CARCERE LONDINENSI

Nevvgate

AUCTORITATE PUBLICA IN SEX PERSONIS

CAPITE DAMNATIS FELICITER FUIT

INSTITUTA &c.

Regiomonti 1722.

HIc, quem vides, labor L. B. diu jam prodiiſſet, ſi per itinera, ubi ſemper aliquid novi, animus fuiſſet liber atque vacuus. Sed cum diſtractus rerum multitudine, multaque de operationis novæ eventu, ubivis locorum, quæ inviſi, fuiſſet quæſtio, illa, quæ londini in ſex ſceleratis juſſu regio inſtituta vidi, cum eorum effectibus, partim oretenus curioſis explicui, partim in ſcriptis ex diario meo candidus communicavi.

Et merebatur quidem argumenti dignitas, ut quod ipſe per occupationes facere non potui, per amicos ulterius divulgaretur; præcipue cum ab iiſdem relatum acceperim, ipſeque adverterim erroneum plerorumque de tota operatione conceptum.

Fas autem erat, ut totius rei hiſtoria ad illos ſcriberetur, apud quos eſt ratiocinandi vis, & judicandi facultas; hos inter primus erat Doctiſſimus, ſolerſque naturæ ſcrutator D. *Jo. Henr. Linkius* Lipſienſis, Acad. nat. curioſ. & reg. ſcient. Soc Angl. membrum; poſtque magnificus & ampliſſ D. *Henrici*, S. R. M. in Pruſſ. archiater & conſil. aulicus, reliqua; poſtremo illuſtris *Societatis Litterariæ Gedanenſis Sodales*, viri dignitatibus, fama, virtute, ac meritis clariſſimi, ad quorum exemplum par eſſet, ut in rebus publicis, in primis ubi academiæ habentur, viri eruditione conſpicui convenirent, qui de novis inventis, illiſque, quæ veneranda jam contulit antiquitas, colloquerentur, judicarent; ſiquidem alia ad excolendas, conſervandas, & propagandas ſcientias vix datur via.

Sed nec defuit ampla ſatis hac de re dicendi occaſio, ubi in patriam reverterer. Multi ſane & utilitatis fiducia, & novitatis ſuavitate allecti, rogabant, ſciſcitabantur, quinam inventi hujus operandi modus, quæ phænomena, & qui ſucceſſus. Horum curioſitati ac expectationi honeſtiſſimæ ut fiat ſatis, id quod ante brevi ac ſuccincto ſcriptionis genere propoſui, jam prolixioribus verbis explanabo.

Atque primo quidem notandum, per Inoculationem variolarum intelligi, operationem chirurgicam, qua puſtulæ maturæ hominis, variolis naturaliter laborantis, aciſula punguntur, puſque expreſſum, collectum tranſfertur in vulnus lanceola vel acu tricuſpide inflictum, quocunque in loco corporis, hominis ſani, nec adhuc variolas habentis; ut contagio ſuſcepto ſanguis ejus excitetur. ac in papulas benignas abeat.

Dicitur ita *Anglis* (*a*) vocabulo ex horticultura deſumpto; quamvis non tota puſtula, ſed materies ſaltem ſub ea contenta inſeratur.

Patet jam, longe alium eſſe ſcopum hujus operationis, ac ſibi aliqui perſuadent; inde enim homo, ex cujus variolis pus deſumitur, periculo forte ſequutuor ſemper non evadit.

(a) *The Practice, the Method of Inoculating the Small Pox.*

Initia inventi hujus præclari non eruditis, ſed illiteratis atque rudibus debentur. Primus equidem ejus adinventor ignoratur; hoc tamen ex annalibus clariſſimum, tranſplantationem à 40 retro annis apud circaſſos, georgianos, ut & in Theſſalia, aliaſque orientales gentes floruiſſe, donec Byzantinam tandem irrepſit urbem, poſtque Venetias. Immo ſecundum curioſi chirurgi *Maitland* opinionem, jam ante ſecula aliquot innotuit illa procedendi methodus, aſt fato periit, forte quod inter humiliores duntaxat reciperetur, ac per fœminas adminiſtraretur.

Poſtquam vero inter præſtantiores atque nobiles exerceri coepiſſet, ſtatim ejus magnus rumor & in aulis imitatio. Hinc rei inſolitæ in magnam Britanniam communicatio per egregios viros D *Emanuelem Timonium* & *Jacobum Pylarinum*.

Noviatis hiſtoria, quantos ſibi conciliavit admiratores? Mox enim in Tranſactionibus Philoſoph. Angl. (*b*); tum in actis eruditorum lipſienſibus (*c*) poſt in ephemerid. Nat. Cur. (*d*), poſtremo in peculiaribus hinc inde editis tractatibus (*e*), ejus mentio & commendatio.

Aſt periiſſet forte curioſæ obſervationis memoria, niſi bonitate generoſæ anglorum gentis ab oblivione liberaretur. cum etenim de fauſto ejus ſucceſſu ab aliis Europæ nationibus dubitaretur adhuc, Anglia fuit, quæ exulem fere, ac genere humano indignam operationem in uſus medicos revocaret, multiſque experimentis confirmaret.

Occaſionem ejus introducendæ dabant variolæ, quibus corripiebatur Sereniſſimi *Principis* de *Wales* filia princeps natu maxima. Convocabantur protinus medici regii, *D. Hans Sloane*, *D. Dawid Hamilton*, Equites ambo aurati, & *D. Ge. Steigerthal*, Conſil. Aul. & Auguſto Regi medicus à Latere. Conſilio capto filia Princeps ſanata erat. Metus maxime, ne morbus familiam principis omnem inficeret, in prophylaxeos ante communicatæ recordationem eos adegit.

Eodem fere tempore acceſſit aulam regiam chirurgus *Carol. Maitland*, qui omnia ſe vidiſſe, inſtituiſſeque aſſerebat, quæ *D. Timonius* & *Pylarinus* retulerunt, ubi cum legati Britanni ad aulam Turcicam, Dn. *Eduardi Wortley* adminiſtris, Conſtantinopolin multaque Aſiæ loca viderat. Hic rogabat veniam Inſitionis faciendæ in hominibus ad mortem damnatis, quo conſtarent ejus phænomena, effectus, in loco ſub climate frigidiori. Illa

(*b*) *No.* 339. & 347. *An.* 1714.
(*c*) *p.* 382 *ſeqq. Ann.* 1714.
(*d*) *Cent. V. Obſ. II.* 1717.
(*e*) *The poſt Boy N.* 5003. *Harris Deſcriptio Inoculationis Variolarum. J. à Caſtro a Diſſertation on the method of Inoculating the Small pox London.* 1721. *Tractatus bini de nova Variolas per Tranſplantationem excitandi methodo Lugd. Bat.* 1721. *Doctiſſimus D. Abraham Vater amicus & Fautor honoratiſſimus vom Blatter Belſſen Wittebergæ* 1721 *qui auctores laudatiſſimi, id quod Timonius & Pylarinus ante publicarunt, lingua tam latina, quam vernacula, genti ſuæ prolixius expoſuerint.*

Illa impetrata tres fœminas, treſque mares elegerat, omnes diverſæ ætatis, ac temperiei; ſcilicet.

Mariam North,	ætat.	36.
Annam Tompion,	—	25.
Eliſab. Harriſon,	—	19.
Jo Cawthery,	—	25.
Jo. Alcock,	—	20.
Richard Evans,	—	19.

Ante operationem omnes potionem purgantem acceperant.

Die ſequenti 9. auguſt. ſt. vet. aut 20. ſt. nov. 1721. præſentibus duobus medicis regiis, aliiſque doctoribus & chirurgis inter horam, 9. & 10. operatio peracta erat, modo ſequenti: chirurgus ſiniſtra manu cutim leviter prehenſam, elevavit, quam dextra ſua, ope lanceolæ diſſecuit. Fecit autem vulnuſcula cuivis ſubjecto tria, nempe in utroque brachio, & dextro pede, in locis, ubi fonticuli fieri ſolent. In vulnuſculum quodvis 3 vel 4 guttas puris varioloſi, quod in vaſculo ſecum attulit, immiſit; id partim putamine dimidio parvæ nucis juglandis, partim cucurbitula parva ex bractea ferri facta, texit; poſtremo partem affectam ſpleniis ligavit per aliquot horas, ne pus appoſitum veſtibus circumpoſitis abraderetur.

Operatione peracta, cuivis ſubjecto ſufficiens ptiſanæ & juris carnium quantitas concedebatur.

Primis poſt inſitionem diebus appetitus & ſomnus hominibus his optime reſpondebant; hinc interdiu corpus, ut ante, veſtimentis amiciebant. Vulnera autem inflicta dolorem levem cauſabantur, ac ſuppurata magnam ſaniei & puris copiam dabant.

Obſervavimus ſimul omnes, *Richardum Evans*, qui menſe ſept. anni præcedentis in eodem carcere, variolis naturaliter laboraverat, ab inſitione neutiquam infectum fuiſſe. Vulnera ejus reddebant nullum pus, ſaniem nullam, ſed ſexto, ab inſitione, die, cicatrice pulchra circumducebantur. Ceterum ſanis ſimillimus, a cunctis ſymptomatibus liber, quod experimento deſtinatum erat tempus, ſalutariter conſumebat.

Die 12. Aug. ſt. v. vel 23. ſt. n. Chirurgus ante dictus Maitland ex Noſocomio (vulgo Chriſts-Hoſpitahl) recens pus varioloſum in carcerem ſecum attulit, cumque primo introitu ſuos bene valere adverteret, ipſeque dubius eſſet, an ſub climate frigidiori una inſitio ad expellendas variolas ſufficeret? amicorum ſuaſu alteram operationem inſtituit, vulnuſcula faciendo a latere priorum in locis memoratis tribus. Circumſtantiæ reliquæ æquales erant prioribus, niſi quod *Joanni Alccok* ob defectum materiæ unum ſaltem brachium incideret. *Richardum Evans* vero intactum reliquit, quod vulnera ejus ſicca & cicatricibus obduci cerneret, cum reliquorum quinque, vulnera madida atque leviter inflammata conſpiceret.

Inter 14. & 15. ſt. v. aut 25. & 26. ſt. n. omnes quinque bis inocula-

culationem paſſi, horrore, doloribus dorſi & capitis corripiebantur. Sequebantur mox calor & rubor faciei, una cum rubris maculis hinc inde per corpus ſparſis.

Vidimus pariter obeſam, teneram ac formoſam fœminam *Mariam North*, citius infectam præ reliquis; ſiquidem d. 14. ſt. v. in ejus facie, collo atque pectore aliquot maculæ prodibant, quæ elevabantur parum in puſtulas mox deciduas; neque enim cutis tendebatur multum, neque inflammatio cernebatur magna, ſed erant papulæ, quid dicam? anomalæ, tenui ac fluida materie repletæ, moxque interituræ; etenim non niſi per horas paucas elevatæ conſpiciebantur, &, quod noſſe jucundum, vix illis exſiccatis, aliæ ejuſdem indolis papulæ in conſpectum prodibant, pariterque decidebant. Atque hæc viciſſitudo obſervabatur ad diem 19. ſt. v. uſque. Unicam ſaltem variolam cum circulo rubro, inflammatorio ad ſupercilia oculi dextri habebat, quæ more benignarum, quinta die abſolute ſuppurata rumpebatur.

Die 16. ſt. v. aut 27. ſt. n. cernebatur apoſtema in *Annæ Tompion* poplite, aliudque in ejus brachio dextro.

Eodem die videbamus multas maculas per corpus *Eliſabethæ Harriſon* diſperſas, quæ parum elevatæ evanuere.

Obſervabamus ſimul in *Jo. Cawthery* gena ſiniſtra latam ac flavam puſtulam, quemadmodum & in ejus facie ſparſæ papulæ conſpiciebantur.

Notabamus tum temporis vulnera per inſitionem ſecundam, facta, prima vice pus copioſum præbuiſſe.

Die 17. & 18 ſt. v. aut 28. & 29. ſt. n. maculæ rubræ magis inflammari ac elevari incipiebant per corpus *Jo. Alcock*.

Poſtquam die 19. ſt. v. aut 30. ſt. n. cum amicis, *Doct. Bokelmann*, & chirurgo regio *Ahlers* ægros viſitaſſem, patuit, multas variolas, quas prius repletas vidi, partim exſiccari incepiſſe, partim ſub ſquammæ tenuioris ſpecie decidiſſe. *Joannis* vero *Alcock* puſtulæ magis ac magis matureſcebant. Vulnera interim inſitione facta, multo pure ſcatebant.

Die 21. Aug. ſt. v. vel 1. Sept. ſt. n. fluida adhuc materies ex vulneribus prodiit.

Eodem tempore percepi *Joannem Alcock* abſceſſus ſuos digitis manuum laceraſſe.

Multum lætati noſtri ægri, cum die 23. Aug. ſt. v. aut 3. Sept. ſt. n. vulnera ſua ſicca ac obducta cernerent.

D. 24. ſt. v. ambobus juvenibus *Cawthery* & *Alcock* catharcticum dabatur; fœminis vero ob menſes, ante ſuppreſſos, nunc fluentes, negabatur.

Die 25. ſt. v. aut 5. ſept ſt. n. *Maria North* de doloribus colicis conquerebatur, quod corpus frigida lavaret.

Die 26. fœminis memoratis ſimile purgans propinabatur, ex quo dolores colici in *Maria North* extinguebantur.

D. 29.

D. 29. ſt. v. viris, & d. 30. ejuſdem fœminis novum purgans dabatur.

Et 6. Sept. ſt. v. aut 17. ſt. n. abſque ſtigmatibus ullis omnes ſani e carcere dimittebantur; dum in experimento capeſſendo quatuor hebdomades conſumerentur.

Quæritur jam, utrum operatio ſecunda die 12. ſt. v. inſtituta, eruptionem variolarum promoverit? Reſp. neutiquam; *Joannis* enim *Alcock* unum ſaltem brachium altera vice incidebatur, attamen plures habuerat variolas quam reliqui, ſiquidem ſexaginta numero corpus ejus occuparant. Præterea notatum legimus, variolas in locis calidioribus, ut Conſtantinopoli ad finem ſeptimi diei poſt inoculationem prodiiſſe, (*f*) adeo, ut ſpes eſſet, variolas per corpora ſubjectorum, de quibus ſermo, abſque inſitione altera fuiſſe prodituras. Faſſus inſuper chirurgus, ſe operationem ſecundam ſuaſu amicorum inſtituiſſe.

Multus eſſem, ſi vellem, in recenſenda operationis raræ ac novæ propagatione per totum Londinum, & adjacentia loca; itemque in enumerandis effectibus ejus ſingularibus. Verum cum labor hic præſentis non ſit inſtituti, alio tempore aliis, vel mihi ſingula edenda relinquo.

Prætermittere tamen nequeo iſtud experimenti genus, quod in eodem carcere inſtituebatur. Sumebatur turundula e goſſypio, pure e puſtulis punctis collecto, imbuta, atque in nares puellæ molliter intrudebatur, quæ itidem variolas accipiebat ac ſupra dicti ab inſitione. Sed inflatio & inflammatio narium, faucium ac frontis, operationem vanam ac ſuſpectam reddidere.

Itaque ex totius hiſtoriæ recenſione ſequentia patere exiſtimo.

I. Inoculationem variolarum *Londini* utpote loco frigidiore, reſpectu regionum orientalium, inſtitui poſſe.

II. Secundam operationem ad variolarum productionem nil conferre.

III. Inſitionem iis, qui variolis ante naturaliter laborarunt, alias de novo neutiquam producere.

IV. Obeſos citius præ reliquis inſitione infici, ſi operationem ſcilicet ſimul ſuſtineant.

V. Quo minorem vulnera puris copiam dant, eo plures variolas erumpere; ut exemplo *Jo. Alcock* manifeſtum extitit; & contra.

VI. Per inoculationem non confluentes, ſed diſtinctas & anomalas variolas produci.

VII. Plurimas non pus denſum, ut in vulgaribus, ſed ſaniem tenuiorem continere.

VIII. Variolas ita productas, ſtigmata in facie nulla relinquere.

IX. Homines ante ſanos, per inſitionem variolas accipientes, a ſymptomatibus malignis, & ipſa morte immunes eſſe; quod non modo experi-

(*f*) *Vid. Tract. bini de nova variolas per Transplantationem excitandi methodo p.* 28. 20.

perimento in carcere capto, verum centenis aliis conſtitit. Mox enim plures operationem hinc inde per urbem imitari audivimus; neque ægri in carcere reconvaluerant adhuc, dum inſitionem in adjacentibus londino locis excerceri per nova publica percepimus; idque ubique optimo cum ſucceſſu (*g*); adeo, ut effectus feliciſſimi ratione, ſereniſſimus princeps de Wales permotus, inoculationem in duabus filiabus principibus inſtitui juſſerit, quas reſtitutas, optimeque valere ex novis belgicis atque epiſtolis amicorum novimus.

Habes ita, L. B, totius rei factæ narrationem, quam ita accidiſſe, ego oculatus teſtis ſum. Hanc ſi cum D. *Timonii* ac D. *Pylarini* obſervationibus comparas, non multum ab iis abludentem animadvertes; ſaltem quod in regionibus calidioribus non phlebotomo, ſed acu tricuſpide infligatur vulnus; nec id fiat in manuum ac pedum partibus carnoſioribus, ſed in metarcapis & metatarſis, ut & fronte in confinio capillorum mento & utraque gena.

Quod phyſice rimeris in tantilli veneni per vulnus immiſſi, operandi modum? vides ex *Timonio*, hoc fieri per fermentationem. Et hæc regula apud multos obtinet, & ita quidem, ut dum viro alias clariſſimo *Jenæ* objicerem, ad iras commoveretur. At quantillum in his inſit veritatis, exinfra dicendis colliges. Neque enim commode ſatis illa *rarefactio*, *ſpumæ aſcenſus*, & *validus ſæpe motus*, inter phænomena fermentationis conſpiciendus, nomine *effervescentiæ* donantur, quod hac ratione ideæ vocabulorum confundantur; ſiquidem ad hanc efficiendam, liquores contrarii requiruntur, ibi vero ſola fermenti alicujus additio, aut mora maſſæ fermentandæ ſufficiunt. Sed appellentur ita, probatum tum erit hujus ſententiæ patronis, dari in corpore ſano tales humores, qui cum invicem mixti, efferveſcant. Contrarium certe demonſtrat curatum ſanguinis, ſeri ejus, lymphæ, lactis, lotii, examen, quibus recentibus ſi addis oleum tart. per deliqu. nulla efferveſcentia; ſi horum alteri portioni indis ſpirit. Nitr. aut Vitriol. efferveſcentia nulla. Quodſi hæc conſideres, incipiendo ab humore, reliquos omnes continente, ſanguine puta, ad lixivium omnium humorum uſque, lotium, nonne tum totam doctrinam gratis excogitatam exiſtimabis? Sed habent, quæ opponant, aſſerti ſui vindices: ſanguinem, lotium, inquiunt, ſi chemice tractantur, dare ſemper ſalem volatilem, oleoſum, alcalinum; hunc vero ſe igne ſeparaſſe aiunt; ergo erit in ipſo ſanguine, lotio, tale quid, quod ſi occurrit acido in corpore latitanti, præbeat phænomena efferveſcentiæ. Fruſtra autem hæc omnia aſſerta judicabis, ſi perpendas, igne plus excitari, quam quidem ante erat in natura. Noſti enim ex herbis inſipidis fere, ſaponaceis, produci ſalem, qui magis ac magis alcalinus fit, quo majori igne tractatur; nunquam vero tibi perſuadebis, hunc in planta ſapore vix prædita præex-

(g) *Conf. Maitland the Account of Inoculating the Small-Pox it. An Account of the ſucceſs of Inoculating the Small Pox, Hallifax Apr.* 3. 1722.

extitiſſe. Et concedatur licet, humores per febres malignas exaltari, nunquam tamen exaltabuntur ita, ut acidis liquoribus mixti, efferveſcant, quin potius homo moriatur, antequam id fiat. Poſtremo neque adhuc evictum, dari in animali ſano acidum alcali oppoſitum.

Nec ſatis commode philoſophari videntur, qui omnes mutationes in corpore animali a fermentatione, proprio in ſenſu intelligenda, deducunt. Provocant ad panis & cereviſiæ confectionem, ubi maſſæ, fermentis aptis additis, in vaſe idoneo, ac loco calido repoſitæ, tument, rareſcunt, aliquando bullas emittunt, quæ ſurſum crepant, ſpumant, manifeſto ſeparationis molecularum indicio. Neque enim corpus noſtrum tale vas vacuum exiſtit, in quod cibi & potus ingerantur ad ſeparationem futuram. Gratis hæc omnia poſtulantur, niſi unicum ventriculum excipias, in quo fermentationis aliquando inchoamenta, præcipue ſi cibi farinacei, fructus horæi, ſucci acidodulces, cereviſia nondum ſatis fermentata, degluciuntur; inde namque mox poſt paſtum ructus ventoſi advertuntur. Nunquam vero totum fermentationis opus abſolvitur, quod hoc intra triduum, ingeſtorum vero digeſtio intra 10. horas perficiatur; adde quod homo non fructus horræos ſolos, ſed carnes, ova comedat, quæ natura ſua ſibi ipſis in calido loco, vaſe tepido, relicta, putreſcunt, non fermentantur. Sed ſi cogitas inſuper motum ventriculi verminoſum (*b*); tot ictus arteriarum ventriculo ipſi atque adjacentibus partibus, diaphragmati nempe, omento, ſpleni, hepati, pancreati, meſenterio, peritonæo innatarum, quia non invenies punctum, in quovis viſcere, ubi non arteriæ, venæ, nervi (*c*); aortæ ſuppoſitæ violentas vibrationes, ne validæ digiti compreſſioni cedentes, quod ipſe ubi vivum brutum uno impetu aperies, experieris; ſi conſideras reciprocum motum diaphragmatis, & decem muſculorum abdominalium, abdomen admodum comprimentium (*d*); hæc, inquam, omnia ſi attentus perpendis, fateberis ingeſta ante manſa, ſaliva atque muco faucium & œſophagi permixta, prius diſſolvi, antequam vero *fermentationis* indolem induant.

Dices: etſi te concipere putes, digeſtionem abſque fermento in ventriculo, dein per phyſiologicas leges chyli per venam ſubclaviam, vel potius jugularem (*e*) ad cor ſiniſtrum uſque deventum, te tamen intelligere non poſſe, ex uno ſanguine e corde propulſo, tot & diverſos humores ſecerni abſque peculiari aliquo fermento? nec deſpera! numne enim tibi perſuadebis naturam, quæ ſimplicitati ſtudet, tot fermenta in uno animali inſtituiſſe? ſed inſtituiſſet oportet, ſiquidem humores ſecreti ab in-

(*b*) *Wepſer. in Tract. de Cicut. Aquat. ejus primis inventor.*
(*c*) *Conf. Cl. Ruyſch in operibus ſuis paſſim.*
(*d*) *Cel. Bœrhaave inſt. Med. p. 35 44.*
(*e*) *Vid Canitii Diſſ. de ductu Thoracico.*

nvicem ſunt diſtinctiſſimi. Tu vero mecum, attentus inſimul in fabricam pulmonis admirandam, ita cogita: cruorem omnem refluum in cor dextrum, inde per arteriam intortam, conicam, flexilem, elaſticam, reprimentem, venire in pulmonem, tum per motum veſicularum ipſius pulmonis, atque elaterem aeris in quiete retenti per inſpirationem, mutari in contactu particularum & in figuris harum, conteri, adeoque fluidum, redire in ventriculum cordis ſiniſtri, tum in cor ipſum, adeoque ſolutum ire per aortam, & ejus omnes ramos ac ramulos forte indefinitos, ſed ſimul contractiles; & deprehendes ſanguinem ita fluentem ſemper exiſtere in aliis contactibus, & ita ſe habere, ut ſphæra nitens in punctum aliquod momento licet maximo, quæ facultate obliqua momenti cujuslibet, loco movebitur (*f*); quod enim hic facultas obliqua, hoc illic obliquitas ramulorum facit. Ulterius perpende fines vaſculorum, quod ſoli illuſtri *Ruyſchio* amſtelodamenſi debemus, in diverſis viſceribus diverſimode ſe habere, ita, ut in hepate, (*g*) in tenuiſſimos faſciculos ſeu penicillos abeant; in renibus, per arcus tenuiſſimos, viſum fugientes, ejuſque omnia loca decurrant (*h*) atque in glomeres contorqueantur; in liene ſatis diverſe terminentur, (*i*) uti artificioſa impletio docet, quam tamen oculo diſtincte offerre ars non potuit; in teſte humano, in innumeros ramulos, hinc in capillamenta ſubtiliſſima (*k*) deſinant; in cerebro, in congeriem vaſculorum (*l*) tomenti inſtar minutorum molliſſimorum, minima vi evaneſcentium, reſolvantur; &c. quæ omnia ubi accurate conſideras, ſimplex ſecretionis opus, quod nullo fermento ſingulari indiget, agnoſces & judicabis. En! in tribus paragraphis, de quo totum librum conſcriberem, ſi vellem.

Quid vero? annon credes, pus per vulnera immiſſum motum fermentativum excitare, qui tamdiu agat, donec partes heterogeneæ eliminentur foras, ſeque ſub puſtulis manifeſtent, ad modum, quo liquores fermentantes ſpumam evomunt, fermentationis peractæ indicium? obſtant ſane ante dicta. Rectius putabis, ſi dices: materiam varioloſam per inflicta vulnera communicatam, venulis ſubcutaneis minimis in exteriora deſinentibus (*m*) abſorberi, abſorptam ire in venas majores ac majores, donec ad cor perveniat, & per arterias diſpergatur, dum vero it & redit per aortam ad capillares arterias uſque; ad has de ſui ſubſtantia ſemper aliquid ſeponit, ſiquidem ſanguis eſt inquinatus, (quidni magis ac magis inquinetur?) & diametro ſua factus major; ſequitur hinc obſtructio, & motus per minima ceſſatio; hinc horror, frigus, per totam corporis ſuper-

(*f*) *V. Laur. Bellini in Opuſc. ad Pitcarn. prop.* 32.
(*g*) *Ruyſch. Theſ. Anat.* 1. *p.* 30. 31.
(*h*) *Ruyſch Theſ.* 10. *p.* 35. 36. 37. 38.
(*i*) *Idem Theſ.* 2. *p.* 38.
(k) *Idem Theſ.* 4. *T.* 1.
(l) *Idem Theſ.* 10. *p.* 10. *Item Th.* 1. *Tab.* 4. *f.* 3.
(m) *Euſtach. Tab.* 22. 25. *bellini de Balneis.*

perficiem, pro ratione ætatis, temperiei, 1, 4, 5, 7, poſt operationem die, proveniens. Aſt dum in tranſitu impeditur cruor, novus interim per Syſtolen cordis appellitur, fit globulorum ejus magnus atritus, hinc calor; eodem momento ſanguis ob obſtaculum, urgente canale elaſtico, contractili, deflectitur, vaſa lateralia in addita jam quantitate petit, quæ ingredi nequit, quin ea dilatet ſummopere; hac dilatatione augetur ſimul vis laterum, canalium contractilium, & ita motus oſcillatorius evadit vehementior; hinc ſanguinis curſus velocior; ergo velocior cordis contractio; inde febris cum ſuis ſymptomatibus; (*n*) quæ omnia eo ſunt mitiora, quo pus immiſſum eſt blandius. Durat motus febrilis, donec vaſcula diſtenta rumpantur, liquores ſuos ſub epidermide effundunt, ſolvunt, ſolida tenera atterunt, ſolvunt, fluidis miſcent, in unum ſimilem, ſubalbidum tenuem humorem, qui teneram epidermidem elevat; inde papulæ.

Satis me jam dixiſſe arbitror, de nova ac curioſa variolas per inoculationem excitandi methodo, atque effectibus ejus; de ejus origine, progreſſu; ut & puris varioloſi per vulnus immiſſi in corpus ſanum agendi modo; ſupereſt ut occurram objectionibus mihi jam hinc inde locorum contra totam operationem motis; quæ ſingula duobus commode argumentis comprehenduntur: Scilicet, quod operator hac procedendi ratione injurius evadat & in *Deum*, & in proximum; in *Deum*, quod ejus ſit pœna, quam prætérfugere, aut molimine ullo retrahere velle, nefas exiſtat & impium: in proximum, quod homine chriſtiano indignum ſit, morbum inducere homini, qui forte per ætatem omnem ſalvus vixiſſet.

Ad primum quod attinet, reſpondetur, neutiquam expreſſis exſtare verbis in ſacris bibliis, Deum optimum ac adorandum variolas ut pœnam generi humano decreviſſe; ſecus iniquus eſſet omnis, qui medicum vocaret, ut pœnam a *Deo* impoſitam, de ſe vel ſuis arceret; quod tamen quotidie fieri obſervamus. Abſit, ut hæc de bonitate ſanctiſſimi Numinis cogites, quin potius illud cuncta remedia creaſſe, permiſiſſe, hominesque excitaſſe credas, qui iis pii ac devoti, ſaluti proximi proſpiciant.

Alteri argumento ita obveniendum puto: non tolli leges humanitatis, atque amoris chriſtiani. Si dato morbo levi, periculo longe majori evadat proximus; quin potius eandem firmari atque ſtabiliri. Atqui per totam vitam videmus medicos propinare catharctica, vomitoria in futuram præſervationem; ex quibus tamen homo debilis fit, ſitit, languet, laborat.

Inquies, adeſſe exempla hominum, qui ad octogenarium annum uſque ab omnibus variolis liberi, placide obierunt. Eſto! aſt numne ſecurus pronunciabis, hunc vel illum ætate licet conſpicuum, a contagio varioloſo fore prorſus immunem? quodſi ergo ita aſſerere non audeas, nonne ratum exiſ-

(n) *Boerhaave A Treatiſe of the virtue and Energy of Medicines. London* 1720. *It. auctor libr: a Diſſertation on the method of inoculating the Small-Pox, with Critical Remarqs on the ſeveral Authors.*

exiſtimabis, amico, inprimis ſi graſſatur epidemia, excitare variolas, tempore & tibi & illi opportuno, certus de effectu ſalutari?

Dices: mortem inopinatam filii generoſiſſimi comitis de Sunderland, qui ex inoculatione, confluentibus correptus, occubuit, omnes pollicitationes eludere. Sed nondum aſſeris, num pie mortuus contagio aëre forte ſuſcepto ceciderit æger; aut alio morbo tenaci, latente, lento laboraverit, ante quam operatio inſtitueretur. Secus neque ignarus es, addidiſſe *Timonium* & *Pylarium* viros fide digniſſimos, aliquem mox poſt operationem ex atrabilari temperamento, neglecta corporis expiatione: alium maraſmo interiiſſe (*o*); cujus tamen transplantatio cauſa eſſe nequit.

Tandem vel ideo totum negotium improbabis, quod metuas, inoculatos poſterioribus temporibus, novis variolis obnoxios futuros. Sed ſimul noſti, eſſe homines, qui bis vel ter variolis naturaliter laborarunt. Scire amplius juvabit, adeſſe jam exemplum, quo innotuit, contagium per tranſplantationem ſuſcitatum & ſuperatum, novam labem haud admittere; ſiquidem fœmina ex ſupra nominatis juſſu *Maitlandi* puero varioloſo præpoſita, variolas de novo neutiquam accepit, etſi unum cum illo intraverit lectum, eumque ſibi habuerit commendatiſſimum. Erat præterea mihi amicus, ubi Lugduni adhuc morabar, Antonius le Duc, natione conſtantinopolitanus, qui paſſus ſemel inoculationem puer, poſt adultior factus Italiam, Auſtriam &c. vidit: in quo itinere ſæpe ædes ipſi inhabitandæ erant, ubi varioloſi; tamen ſemper ab omni contagio liber, lætus undique diſceſſit. Itaque innocentiſſimam operationem communis utilitatis cauſa commendandam & recipiendam exiſtimo.

(o) *Tract. bin. nov. Variol. per Tranſpl. excit. methodo p.* 14. 31.

THOMÆ

CLXXXV.

THOMÆ FREWEN

DE

INSITIONE VARIOLARUM.

Trajecti 17 Julii 1755.

PRÆFATIO.

A Tempore, quo Cl. Maitland artem inoculandi variolas induxit, in variis Magnæ Britanniæ partibus ipſius praxis inſtituta fuit. Verum eſt, in initio novi hujus inventi multos contrariantes, ipſique adverſantes extitiſſe; nihilominus ſtatim alii doctiſſimi fuere medici, inter quos eminent Doct. Jurin, Fuller, & Mead, qui hanc artem ita defenderunt & firmarunt, ut nunc extra omnem dubitationis aleam poſita ſit. Præcipue ſi obſervamus, felicem in curando ſucceſſum, bene ſtabilitam theoriam, immediate ſubſecutam eſſe. Qui felix ſucceſſus me quoque tenui mea in praxi per varios annos concomitans, levem mihi dat expectationem, obſervationes meas ventilandas, orbi literato in ſolemni hac occaſione non fore ingratas, inprimis quum celebris hujus Academiæ mos & conſuetudo optima, ſpecimen aliquod diligentiæ vel eruditionis, ad ſummos in arte honores rite conſequendos, requirat. Quare obſervationes meas, hactenus factas, ſimpliciſſimo, non prout vellem, ſed prout poſſum, modo proponam.

Methodus inſerendi variolas per triginta quatuor annos in Magna Britannia jam dum uſitata fuit. Quæ diuturna & conſtans praxis cuilibet facile oſtendit, medelæ hujus partem theoreticam tam bene probatam & fulcitam eſſe, ut merito actum denuo ageremus, ſi multi & copioſi circa hanc partem eſſe vellemus. Referre curioſos liceat ad plurimos, qui accurate & ſubtiliter de hac re egerunt, auctores. Spatio quoque & tempori parcere liceat, in danda definitione & diviſione variolarum conſumendo. Pro varia ipſarum natura, ſufficiat & id nobis, quod vere ab omnibus ſupponitur, variolas originem ſuam deducere ex peſtilenti aliquo veneno latente atque ſanguini inhabitante, quod, quamprimum externa aliqua cauſa evidenti, vel ex certa aëris cœlique conſtitutione commovetur, in his citius, in illis ſerius, erumpit: experientia quoque, optima magiſtra, diſcimus, feliciorem eos ſortiri eventum, qui ab ineunte ſtatim ætate morbo hoc inevitabili afficiuntur; rariſſima enim eſt avis, ut quis maturus & ætate provectus benigne a fatali hoc morbo excipiatur, unde manifeſto apparet, materiam hanc venenatam quotidie cum ætate increſcere, ſeque copioſius per ſanguinem difundere, cutem quoque multo duriorem eruptionibus externis, ad puſtulas & ulcerationes neceſſariis, ſine prævia præparatione locum difficilius vel juſto tardius dare.

Aliis quoque ſeculis notio & opinio adeptorum noſtrorum philoſophorum reſervata maneat, qui nimia ſubtilitate arcanum ſe inveniſſe exiſtimant, & palam profitentur, cauſam non tantum variolarum, ſed aliorum quoque morborum ſitam eſſe in ovulis inſectorum vel animalculorum, quæ ſe recondant in crinibus poriſque corporis humani, ſeque tali modo propagent & materiam morboſam diſpergant; cum enim ſenſus noſtri fallant, & hoc noſtro ſeculo idonea nondum habeamus adminicula, quibus ovula iſta clare & perſpicue detegamus, merito ſequentibus ſeculis hæc opinio relinquitur, quæ idoneis inſtrumentis & adminiculis inventum hoc confirment atque clara in luce collocent. Potius in his ſubſiſtamus, poteſtates naturæ veraſque cauſas omnium rerum nimium eſſe difficiles & abſtruſas, quam ut a quoquam mortali reſolvantur, ſummumque Numen id potius ſibi reſervaſſe.

Difficultates ſatis nodoſæ nobis ſe offerunt in rerum effectu, etiam ibi, ubi per ſenſus clare res diſcernere & diſtinguere valemus, exemplo ſit venenum iſtud variolarum quod non niſi ſemel in quolibet mortali per totum vitæ curſum ſemet exſerat. Idemque patet, ſi perpendamus, quomodo variæ variolarum ſpecies, quæ nullo modo ex materia infectrice & venenata oriuntur, quum eam ſemper eſſe eandem conteſtatum ſit, ſed potius ex diverſo hominum temperamento originem ſuam deducunt,

cunt, quomodo, inquam, diverſæ illæ ſpecies ex una eademque materia diverſis in ſubjectis oriantur.

Omne id, quod clare demonſtrare poſſumus, in eo conſiſtit, quod materia infectrix, per inciſionem applicata, ſit inſtar olei igni adfuſi, & producat talem variolarum ſpeciem, qualem fomes morbi in corpore infecto in ſe continet; quæ quoque cognitio nobis ſufficere poteſt, quum hinc neceſſarias cautelas adhibere poſſumus, ad corpora, quibus inſerendæ ſunt variolæ, juſto modo præparanda, & idonea curationi reddenda.

Hæc ſunt quæ præmittere neceſſarium duximus, antequam ad methodum operationis, & curationis hujus morbi procedamus. Operatio tam ſimplex & plana eſt, atque a viris doctis toties jamdum deſcripta, ut & hoc negotio ſuperſedere poſſimus, introductionis tamen cauſa hanc operationem, quanta poſſumus brevitate, addemus.

Nullius videtur eſſe conſequentiæ, in qua corporis parte inciſio fiat; quum applicatio materiæ ulceroſæ in qualibet corporis parte eundem producat effectum, locus tamen præprimis aptus in brachio eſſe videtur in diviſione muſculorum, ubi cauteria præſcribuntur, quæ inciſiones ad effluxionem inſtar cauteriorum apertæ per aliquot tempus conſervari poſſunt ope piſorum, emplaſtrorum adhærentium, & ligamentorum.

Inciſiones debent eſſe leves, earumque longitudo inſtar orificii in venæſectione, cui orificio parva puris copia in linteo molli magnitudine piſi minoris, applicato emplaſtro communi, ingerenda, & ligamentis annectenda eſt. Spatio autem viginti quatuor horarum linteum iſtud molle tolli poteſt, & vulnus communi emplaſtro ſemel biſve qualibet die, vel & ſæpius pro rerum circumſtantia, religari.

Quantitas puris nihil denique ad rem facit, dum minima guttulæ pars linteo applicata ſufficit, ac voto reſpondet. Experientia quoque convictus ſum nihil intereſſe, a quanam variolarum ſpecie puris illius minima quantitas ſit deſumta: novi enim viginti & unum, quibus eadem die pus malignarum variolarum inſerebatur, quique omnes tam propitio modo variolis affecti erant, licet is, a quo pus deſumtum erat, ipſe moreretur, ac ſic pus variolarum benignarum adhibitum fuiſſet. Confirmatur itaque doctiſſ. Doctoris Mead ſententia, quando dicit *de variolis & morbilis p.* 84. *plus mea opinione refert in quale corpus infundatur, quam de quali eximatur peſtilentiæ virus.* Anni partes & tempora aliis præferenda eſſe, nemo dubitabit, atque ipſe expertus ſum tempeſtatem molliorem, aëremque temperatum, multum conferre ad morbi hujus faciliorem proventum & exitum.

Materia purulenta, quæ in corpus ſanum ab infecto transfertur, tum colligenda eſt, quum ad ſuppurationem atque maturitatem pervenerit; licet interdum pus nondum maturum, ſed plane limpidum, & aquoſum, eodem cum effectu adhibuerim, hac ſola cum differentia, ut tardius

dius ſanguinem vel corpus affecerit, quam maturum fecit. Die autem decimo ſeptimo vel octavo pus ſatis conſiſtens & maturum a corpore inoculato comparari poteſt.

Quamdiu autem materia purulenta ſcopo inſervire poſſit, nondum penitus expertus fui: certum interim eſt, eam tamdiu ſcopo reſpondere, quam diu conſiſtentiam ſuam in puſtulis retinet; partem puris ſemel e puſtula pedis applicandam ſumſi, materia jamdum in ſuperiore corporis parte per aliquot dies penitus exſiccata, quæ affectum eundem ut alias protulit; ſæpius quoque, cum variolæ rariores fuerant, quam ut materiam proſpicerent purulentam, bono cum ſucceſſu excretionem inciſionis deferveſcente jam morbo adhibui; fateri tamen debeo, me ſemel in experimento inſtituendo deceptum fuiſſe, cum ſcilicet, variolis jam dum per octo decemve dies exſiccatis & ſanatis, excretionis copioſe affluentis partem adhibere voluerim; iſto enim a tempore, uti ſuppono, venenum ſuum penitus jamdum amiſerat; cum interim hic homo inter ſex alios eadem in domo decumberet, naturali & ordinaria via variolis afficiebatur; qui eventus me penitus convincit, hos etiam variolarum inſitione correptos, in quibus levia admodum morbi ſymptomata comparebant, quique nullas plane puſtulas externa in cute habebant, nullo amplius ſubeſſe periculo, ut morbum hunc altera vice recipiant; circumſtantiæ enim nullum relinquunt dubium, hunc hominem, inter inoculatos decumbentem, naturali ab iis via infectum fuiſſe.

Materia quoque purulenta in linteolo diutius conſervari poteſt, venenatam enim & infectricem ſuam naturam non adeo propere deponit, quod penitus conſtabit ex relatione Dni Dutton, chirurgi, qui, ut mihi referebat, inopinato variolas fæminæ cuidam inſerebat venæ ſectione; eodem nempe phlebotomo, quo ante novem dies puſtulam puris colligendi cauſa ſecabat, non bene deterſo nec penitus mundato, venæ ſectionem inſtituebat; ad quam fæminam duabus ab illinc diebus vocatus, vulneris orificium minime clauſum, ſed induratum & inflammatum, ſimili plane modo ut inciſiones poſt inoculationem apparent, invenerat, ſymptomata quoque variolarum ordinaria paulo poſt accedebant, quæ demum ipſæ variolæ admodum benignæ ſubſequebantur, orificium vulneris poſtea, ſublato veneno, naturali modo ſanabatur. Sexta ab inoculatione die intenſio ruboris in facie, rutiluſque color aliaque ſymptomata communia oriuntur, quæ quotidie increſcunt, donec in morbo ipſo eventum ſuum ſortiuntur per eruptiones, ut plurimum nona die, interdum quoque citius vel ſerius pro variis vel temperamenti vel tempeſtatis aëriſque circumſtantiis. Tres quatuorve dies complent productionem puſtularum in cutis ſuperficie, quæ quotidie increſcunt, uſque dum ad maturitatem ſub colore flavo & purulento intra octiduum perveniant; a quo tempore exareſcere, ſquamaſque formare incipiunt,

quæ

quæ parvo temporis ſpatio decidunt, relictis parvis minimeque profundis veſtigiis. Talem ſimpliciſſima & benigna variolarum ſpecies, qualis fere ſemper in inoculatione obtinet, eventum ſortitur.

In omnibus ſymptomatibus neceſſaria adhibenda eſt cura atque cautela, quo natura, auxilio diluentium, ita operetur, ut ſemper facit, niſi perverſus uſus & iniquus tractandi modus præcedat. In acerbis capitis doloribus delirio commixtis &c. ex conſtipatione præcipue ortis, plerumque leve clyſterium ordinavi bono cum ſucceſſu, ſi vero id minus voto reſponderit, venæ ſectionem in brachio, quæ puſtularum expulſionem accelerat, inſtitui; ſæpe quoque hæmorrhagia narium, optimum medelæ naturalis ſignum, venæ ſectionem prævertebat. In ventriculo autem perturbato & gravi humorum ſuperfluorum ſarcina onuſto, quos vomitu expellere ocyus nititur, oleum cum pleno aquæ tepidæ hauſtu ſuffecerint; emetica enim lenia, mitia, & temperata, maxime naturæ conatibus auxiliantur. Nunquam propinentur in hoc morbo, ut monet Doct. Harris, diſſert. p. 40. *Emetica fortia, vehementia, violenta, quæ conturbant corpus inflammatum, quæ amplius incendunt, quæ nixus vomendi nimis intendunt, quæ naturam horride perturbant, & ſurſum ad caput humores inflammatos attrahunt, atque ea ratione incendium febrile reduplicant aut triplicant.* Diarrhæa raro vel nunquam reſtringenda vel cohibenda eſt. In gutturis raucedine & infectione nihil præter ſæpius repetitum aquæ frigidæ hauſtum cum ſucco citri mali mixtum requiritur. Dyſuria lenitur clyſterio molli, copioſo emulſionum doſi, cum ſal. prunel. vel nitro purificato. In infantibus convulſiones, quæ nihilominus benignarum variolarum omina ſunt, per epiſpaſtica refrenentur. Æqualis quoque calor per omne tempus, quo puſtulæ erumpunt, ſummopere neceſſarius eſt. Ab omnibus denique delaſſationibus, quantum pote, abſtinendum eſt. Cum ægrotans in morbi culmine forſan dormire & quieſcere nequeat, Diacodium vel tinct. Thebaic. prout id occaſio offert, dari poterit. Quantum porro a cibis ſolidioribus abſtinendum ſit, non eſt quod moneam. Cibi quoque quales ſint, leniores & ad concoquendum faciliores, facile a quolibet artis perito præſcribi poterunt. Pro potu aquam limpidam puram vel toſto pane mulſam omnibus aliis liquoribus præfero, experientia enim in hoc quoque meam confirmavit opinionem, vigeſima enim quarta die menſis decembris, anni 1746. propriis duobus infantibus variolas inſevi, quorum maximus natu, tum nondum ſextum annum excedens, numeroſiſſima variolarum copia, inter duodecim eadem die inoculatos, afficiebatur, atque licet puſtulæ primo exortu minimæ & male ominantes apparuerint, attamen copioſa dilutione aquæ frigidæ (quam etiam ſolummodo bibebat) in tali ſtatu temperato & quieto ſemet continebat, abſque ulla gutturis afflictione vel difficiliori ſymptomate, ut ſine ulla alia medicina, puſtularum complectionem corrigeret & ad maturitatem ſumma cum perfectione produceret,

quod ſoli aquæ frigidæ tribuo, ut quæ ipſum vegetum ſemperque refectum conſervabat, atque naturam minime, ut ſæpe medicamentis, aliiſque liquoribus fit, diſturbabat.

Quæ hactenus protuli, de iis tantum intelligenda ſunt, qui vitam ſuam modice & medice tranſegerunt; alii enim qui intemperantiæ in cibo potuque indulſerunt ac eam adoptarunt, adeo ſunt alterati atque immutati, ut nullum regimen, quam intemperantiam ipſam, admittere poſſint.

In confluentibus autem variolis, quæ tamen raro admodum methodo inſerendi applicata apparent, febris multo malignior eruptionem comitatur, puſtulæ tenues planæ & peſſimæ conditionis oriuntur, neque unquam ad ſuppurationem iſtam benigniorem reduci poſſunt, ita ut harum ſucceſſus magna ex parte dependeat a tumefactione capitis, faciei, aliarumque partium, cui occurritur larga liquorum diluentium doſi; attamen cum hoc genus ſummopere ſit inflammatorium, venæ ſectiones crebrius repetitæ & copioſiores inſtituendæ ſunt, quo lentor ſanguinis alias, per venas diffundens, totamque ſanguinis maſſam contaminans, e medio tollatur. Alvi quoque excretio per lenientia promovenda eſt. Etiam ſal prunel. & nitr. purific. frequenteſque emulſionis hauſtus adhibiti multum proſunt. Sin autem urgeant vomitiones & nauſea pulveres & miſtura ſubſequens egregium præſtabunt effectum.

℞. Pul. e chel. cancr. comp. ʒij.
ol. nuc. moſch. gutt. vj. m.

pro iv. vel vj. doſibus. Et detur tertia vel quarta quaque hora cum cochl. iij. vel iv. ſequentis miſturæ.

℞. Aq. alexit. ſimpl. ℥iv.
—— Nuc. Moſch.
Syr. Limon. a a ℥iß.
Sal. Abſinth. ℈ij. m.

Increſcente hoc morbo, opiata interdum magnopere conveniunt, ad ſanguinis ardorem & efferveſcentiam reſtinguendam, hac tamen cautela, ut, delirio exinde orto, omittantur; ipſorumque effectus deducatur per clyſterium, vel medicamenta purgantia leviora.

Die ſeptima vel octava variolarum, capite ſummopere affecto, epiſpaſtica mirum conveniunt; eorum autem effluxus ad ſuppurationis adventum uſque continuandus eſt, quæ ſuppuratio raro ante duodecimam vel decimam tertiam oritur diem.

Salivatio, quæ interdum eruptionem ſtatim ſubſequitur; interdum bi-

duo vel triduo poſt eam demum ſuccedit, continua potatione pectoralium apozematum & emulſionum cum nitro producenda eſt.

Inprimis vero ventris purgatio ſæpius repetita per totam morbi periodum convenit, at leni tamen medicamento uti oportet, cujuſmodi eſt *infuſio ſenæ*, *adjecta manna* aut *manna ſola*, quæ uſum opiatorum impedit & moleſta accidentia prævertit; quantum hujuſmodi methodus curandi ſuccurrat, ſequens exemplum indicabit.

Robuſtiſſimus quidam juvenis quem modo adeo terribili infeſtaverunt variolæ *confluentes*, quinta die adeo furebat, ut lecto contineri non potuerit. Cum alvi exonerationem per aliquot dies non habuerit, dedi ipſi ſex drachmas ſalis mirabilis Glauberi in juſculo avenaceo diſſoluti; quæ, præter expectationem, alvum ejus decem ad minimum vicibus duxerunt, quo facto per aliquot noctes egregie & placide quievit, crebra quoque repetitio drachmatis unius vel duarum qualibet vice alvi ſui ductum & minctionem quotidie promovebant, undecima demum die ſub nocte tumefactio capitis & faciei adeo increſcebat, ut neceſſarium videretur veſicatoria applicare, ut tenſionibus occurreretur ſalia quoque eadem nocte pro more dabantur; proxima die verſus veſperam in ſincipite materia apparebat, unde criſin appropinquantem concludebam, tumores circa collum & guttur ejus ea nocte admodum increſcebant, & quoniam admodum erat inquietus, ſomnum ejus forti anodyno arceſſivi; proxima die pus majori copia effluebat, quare ſpe felicis ſucceſſus mihi adulabar. Tenſiones interim eædem manebant, imo magis circa collum, guttur, aliaſve corporis partes intumeſcebant, ac plane irrequietus diſcumbebat; quare anodyni reiterationem inſtituebam, & ſic quietam ſatis noctem ipſi procurabam; hoc tempore ſuperficies capitis & faciei indureſcebat, cruſtaque continua obducebatur, quæ nonnullis locis rumpebatur, atque prodigioſam puris copiam protrudebat odori tam gravi, ut in cubiculo morari nemo ex domeſticis ſuſtineret, quam materiam linteis mollioribus ſæpius detergens, alvumque ejus reiteratis vicibus ciens, ita auxiliante ſummo numine lecto fatali liberatus ſucceſſivis purgationibus, quantum ferre poterat, vires ſuas gradatim recuperabat. Notandum autem eſt, hunc juvenem ex communi infectione, non vero inoculatione, hoc morbo afflictum fuiſſe.

Naturæ infirmitatibus, durante hoc morbo, aſſiſtendum eſt medicamentis cordialibus, ut *confect. Raleigh. cardiac. volatilibus* &c. ut & largis liquorum leniorum doſibus; tempore enim quo cordialia corroborant, diluentia materiam morboſam in puſtulas protrudunt.

In gutture affecto *gargariſmata* emollientia & detergentia adhibenda ſunt, liberalis porro uſus cliſmatum pro rerum circumſtantia neceſſarius erit.

Declinante hoc morbo medicamenta lenia & ſolventia quotidie vel omni biduo dari poterunt, ſi natura ipſa eorum neceſſitatem non prævertit;

tum enim purgationes differendæ ſunt, uſque dum ægrotans vires majores recuperaverit.

Oleum amygdalarum dulcium, vel aliud dulcis olei genus, exareſcentibus puſtulis, ſquamas admodum mollit ac citius tollit. Apoſtematum, quæ interdum poſt variolas oriuntur, ſuppuratio brevi tempore ſine difficultate promovetur, atque facta ope Phlebotomi ſectione, linteo ſicco cum emplaſtro communi applicato curantur. Interdum quoque, antequam ſuppurarunt, inciſionem inſtitui, atque emiſſo ſanguine biduo vel triduo curavi abſque ulla repullulatione.

Iſti denique parti, ubi ad inſerendum inciſio facta eſt, quam primum ſymptomata apparent, cura noſtra quotidie adhibenda eſt, ad cruſtæ ſeparationem accelerandam, & excretionem proprio & idoneo tempore promovendam; tali enim modo naturæ, ſub continuo effluxu, magnopere ſuccurritur ad pus eliciendum, quod proprio inſtinctu receſſum petit iſtum; per quem venenum primo communicatum fuit. Summa hinc quoque theoriæ perſpicuitas in arte inſerendi apparet, quod levis iſta inciſiuncula ſanationem non admittat, priuſquam totus morbus penitus extinctus fuerit.

Hic nunc vela contrahere poſſem, niſi levis monitiuncula reſtaret circa medicinale aliquod regimen ante operationem & curæ inſtitutionem neceſſarium. Differt autem iſtud pro ætatis ratione, corporis habitu, & aliis ægrotaturi circumſtantiis: in plethorico venæ ſectio, vomitio, &c. ſemper ſunt commendandæ, in tenuiori conſtitutione infuſio corticis Peruviani lenior poſt vomitionem & purgationem benigniorem magnopere confert. Robuſtioribus complectione Æthiopem mineralem vel cinnabarem poſt venæſectionem fortioremque purgationem, una cum lactis uſu per quatuor vel ſex hebdomates ante operationem bono cum ſucceſſu præſcripſi. In valetudinariis porro, pro variis valetudinis circumſtantiis, curæ & cautelæ neceſſariæ ſunt præmittendæ. Radices Ipecacoannæ ad vomitus ciendos omnibus aliis medicamentis præfero; ad alvos ciendas varia pro temporis conſtitutioniſque circumſtantia conducunt. In robuſtioribus, ubi vel vermes vel alias ſuſpicabar impuritates, hæc pulveris mixtura nunquam expectationem meam fefellit.

℞. Pulv. rad. Jalap. p. iij.
Cinnab. nativ.
Calomel. ſingulorum p. I. m.

Duo hujus pulveris ſcrupuli in infirmioribus & grana 50 in robuſtioribus ſuffecerint, in delicatioribus vero purgationes leniores per rheum vel infus: ſennæ cum ſale Glauberi præfero.

In

In omnibus ægrotantibus cibi potuſque fortioris abſtinentiam omni modo ſuaſi, purgationes quoque longo tempore ab operatione ipſa inſtitui, quo corpus, inſitionis tempore, pleno & pacato in ſtatu ſit, & ita continuetur per regulares corporis motus tempus ſtratis incubandi, ſomnumque capiendi & ſurgendi exactum, uſque ad ipſum variolarum obortum.

Hæc ſunt, quæ pro inſerendis variolis proferre potui, & ad earum curationem diuturna praxi neceſſarium deprehendi. Non eſt, quod excurram in orationem longiorem, qua demonſtrem, quantum hæc methodus inſerendi variolas modo & infectioni naturali præponenda ſit, & ad generis humani conſervationem, primum omnium actionum medicarum ſcopum, conducat; ipſe enim morbum hunc ſexcentis & pluribus inſevi, & non niſi quatuor ex omnibus his vitam cum morte commutarunt, quorum letho alias aſſignare probatas cauſas non foret difficile, ſi temporis ſpatium id permitteret vel animus nondum eſſet manum de tabula trahere, finemque exegeſi imponere.

FINIS.

CLXXXVI.

JOAN. NICOL. MILLIN DE LA COURVEAULT

ET

PETR. JOS. MORISOT DES LANDES

AUCTORIS

THESIS IN HÆC VERBA

Ergo Pariſinis variolarum inoculatio,

Pariſiis 13, Novemb, 1757.

I.

DESINET-NE tandem in urbe vaſtiſſima luctum ſpargere & horrendos timores, variolarum populabunda lues? Ita-ne vero mollius & mitius, ſub artis imperio, ſua tempora peraget morbus, qui univerſos cujuſcunque ætatis mortales, fatali quadam neceſſitate, involvit, qui decimam generis humani partem demetit, quo periculoſius ægrotant magnarum urbium incolæ? Ut mali ferociam retunderet, intentatum nihil reliquit conſervatrix illa humanæ incolumitatis Medicina. Compertum eſt variolas unum quidem eſſe ſui generis morbum, ſed tam diverſorum ſymptomatum feracem, tam multiformem in variis ſuis ſpeciebus, quam in diverſis ejuſdem ſpeciei periodis. Hinc excogitatum uni morbo diverſum Medicinæ genus. Hominum millia ab orco & ab omni variolarum conſectaneo malo vindicarunt rationales Medici, quibus, ex *Hippocratis* præſcripto (a), non communia duntaxat in morbis, ſed propria intueri ſolemne eſt. Sed quis inficias eat varias, pro varia morbi facie atque indole, adornatas methodos, malo devincendo impares ſæpe ſæpius fuiſſe inventas (b)? *Si certa eſt variolas curandi methodus*, dicas velim cur, morbo Pariſiis deſæviente, metus acer omnes invaſerit? Cur ne contagia mala lædant, tam anxie caveant Pariſini? Nonne ſæpius quam in quolibet morbo, præter omnium exſpectationem, Medicum ipſum fallente prognoſi, ægrotans ex improviſo de medio tollitur? Nonne frequentius huc tota recidit medentis induſtria, ut *Celſo* jubenti (c) *anceps potius experiri remedium quam nullum*, obſequatur? Confluunt, heu! nimiopere Pariſiis variolæ & ægros necant ſuppurationis ſtadio, licet præceſſerint e brachio, e ſaphæna ſanguinis detractiones, licet vomitoriis & purgantibus, non una vice, corpus verſum ſit. In purpureis variolis mali vis effera, potentior arte, antiphlogiſticam & antiſepticam ridet therapeiam. In illis quæ ſunt de cryſtallinarum familia, plerumque dolent Medici irrita inveniri cardiaca, narcotica, cuti applicata veſicantia, & alia exquiſitiſſimi artificii remedia. Num iſtud Medicos confiteri pudeat, quaſi artis inde vileſceret opera? Ad ſanationem proportio quædam inter naturæ vires, artis auxilia, atque lædentes cauſas intercedere perpetuo debet: hac ſublata penitus, optimam medendi methodum inanem eſſe nihil mirum. Hæc cum probe ſenſiſſet Celeberrimus *Boerhaavius* (d), *aliquid in ordine medendi deſiderari hactenus* de variolis concludebat: ratus interim varioloſum (e) *ſtimulum auferri poſſe*

(a) Epidem. lib. 1. *Charter*, Tom. 9. p. 80.
(b) Quæſt. Med. *An variolas inoculare nefas?* Præſide M. *Claudio de la Vigne de Freſcheville*, anno 1723. §. III.
(c) De Medic. lib. 2. c. 10. pag. 79.
(d) De cognoſ. & curand. morb. Aphor. §. 1379.
(e) Ib. §. 1389.

poſſe correctione per ſpecifica, vel methodo univerſali antiphlogiſtica. At utraque methodus, verecundus dico, haud tuta eſt, nec naturæ conſona. Aliunde hæc remedia catenas tantum nectere videntur hoſti non victo, nec a ſpontanearum variolarum novo inſultu immunitatem præſtant. Medicorum igitur induſtria, hac noſtra ætate, aliorſum ſeſe convertere cœpit, ut aptiora invenirent huic peſti debellandæ auxilia.

Ab eo tempore, quo caput exerere cœperunt (f) in Europa variolæ, hæc aſſidua docuit obſervatio, 1. Univerſi cujuſque ætatis mortales, trigeſimo forſan excepto, variolis corripiuntur. Nec contagii fuga, nec ſervatis hygiaſticis legibus, nec remediis ullis arceri poteſt variolarum inſultus. 2. Qui peſtem varioloſam ſemel ſenſere, nunquam, aut rariſſime eadem in poſterum conflictantur. 3. Inſita huic aut illi homini ad variolas ſuſcipiendas diſpoſitio, nulla alia ratione, quam per ipſas variolas, poteſt expiari. 4. Benignæ ſunt, vel malignæ variolæ. Benignæ in puerili ætate ſana obſervantur, ſi ſimul non concurrat prava aliqua aeris conſtitutio; ſi anni placida temperies, loci opportunitas & cætera conſpirent faventia (g). *His variolis certo medebitur nutricula:* natura totum opus ſibi vindicante. At alia ætate, alio habitu, aliis temporibus in malignarum caſtra tranſeunt variolæ (h). *Hæ vel peritioris Medici eludent artem.* Non jam perinde natura ſui juris eſt. Operæ igitur pretium erit inquirere an inoculatio variolas conferens, remotis prius quæ nocere queunt, & ſelectis quæ magis favent circumſtantiis, optima foret variolarum ſpontanearum Medicina; ut ſi variolas multis Pariſinis effugere non liceat, illas ſaltem mitiores & ſine diſcrimine contrahant? Pulcherrima ſane rei conſideratio. Erecti omnium in novum artificium animi convertuntur. Prudentes timent Medici ne approbantium elogiis nimium confiſi nocuam admittant operationem, ne improbantium vituperiis male deterriti ſalutarem repudient Medicinam. Nonnullos in diverſa prorſus traxit inoculatio; fervent partium contentiones, & magnis animorum pugnatur ardoribus. Verum ſi qua ſit inter Medicos opinionum diſſentio, nulla eſt voluntatum. Par omnes civium & humanitatis amor inflammat, par veritatis ſtudium, pares ad artem promovendam impetus. Quare non timeamus eos offendiſſe, quorum ſententiæ adverſari nos profitebimur. Noſtram diſputationem ſine cujusquam invidia, uni veritati patrocinari, uni civium utilitati proſpicere ſentient.

II.

Variolæ, irriſo omni naturæ & artis molimine, ex iis quos invaſere (a), deci-

(f) An. 1572.
(g) Quæſt. Medica. *An var. inoculare nefas?* §. III.
(h) Ibid.
(a) *Jurin.* Relat. des ſuccès de l'inoculat. pag. 14. Lettre du même au Doct. *Co-es-Wor th.*

decimum-quartum quemvis occidunt, & ſeptimum quemlibet, ſi truculenter ſæviat aliqua conſtitutio epidemica. Imo plures certæ morti devoventur victimæ, ſi morbi curatio imperitis concreditur, qui neſcii varios caſus, ad ſuas cauſas revocare, eamdem medelam promiſcue adhibent morbis omnibus eodem nomine inſignitis. Num erit malo ferocienti modus, quamdiu circumſtantiarum non opportunarum acceſſione, veneni varioloſi copia augebitur, ejuſdem ſtimulo vires addentur; efferum in modum incitabuntur aut retundentur ſalutaria naturæ conamina; aut quamdiu cum febre innocua & ſalutari, ſimplex ſi fuerit, alieni ſociabuntur, fœdere peſſimo, morbi? Variolis decumbentes adulti magis periclitantur. Nam in confluentes aut in diſcretas variolas mali moris incurrere ſolent; tum quod vivendi rationem teneant vulgo parum ordinatam, tum quod, ea ætate, humores a blanda craſi deflectant, & ſtrictior adſit ſolidorum compages. Menti periculorum conſciæ vividus de vita incutitur timor. In feminis vultus honos, quem fœda lues temerare ſolet, timorem geminat. Animi autem cura & curarum acerba comes mœſtitia, effectu certo, modo licet parum intellecto, excretionem quæ per cutem fit, intercipiunt, atque in ægrotantis perniciem, a peripheria ad corporis centrum liquida urgent. In familiis nonnullis, quibus ob peculiarem humorum diatheſin plus periculi involvunt variolæ, ubi implicitum morbo ſe quiſque videt, quaſi morti damnatus eſſet, mœſto corde conſanguineorum funera reſpectans, fatum accelerat. Morborum ætiologiæ perito mirum non videbitur plethoricos, robuſtos, variolis purpureis corripi; natura autem imbecilliores in cryſtallinas incidere. Non mitiorem morbum ſperabit, quoties varioloſa lues corpus aliena jam labe tactum obſederit. Ex improviſo adſunt nonnunquam variolæ, poſt graves in rerum non naturalium uſu commiſſos errores; qualia ſunt ciborum ingurgitatio, liquorum ſpirituoſorum abuſus, vigiliæ, ſtudia litterarum longius protracta, exercitia immoderata, Venus nimis culta. Hæc cum ſaburram producant, humoribus acrimoniam concilient, vim vaſorum in liquida contenta intendant, aut debilitent, parum oportune cum erumpentibus variolis concurrerent. Nec oportunius mulieri gravidæ aut puerperæ contingit morbi vis incurrens. Æſtatis fervente æſtu, præſertim humidum ſimul ſi fuerit cælum, peſſimi moris ſæviunt variolæ; ichore crudo diffluentes puſtulæ nigreſcunt & maculis nigris interſperſæ conſpiciuntur. Perflante diu borea aut aquilone, ſicca valde & frigida tempeſtas, quæ ſolidorum corporis vim elaſticam adauget, humoribus denſitatem inflammatoriam inducit, potis eſt (b) generare variolas quæ ſint de purpurearum genere. Sub atmoſphæra frigida & humida, inhibita perſpiratio inſenſilis natales concedit (c) febribus catarrhali-

(b) Obſervat. de aere & morbis epidem. auctore Johan. *Huxham.* Conſtit. an. 1734.
(c) Ibid. Conſtit. ann. 1735. & alibi paſſim.

halibus, & morbis omnibus qui a colluvie ſeroſa, acri & vix emendabili oriuntur; quæ tunc comparent variolæ (a), in criſtallinarum cenſum tranſiliunt. Nullum aliud cauſarum caput exitiales ita variolas diſſeminat, quam prava conſtitutio epidemica. Hac deſæviente, contagioſæ magis fiunt variolæ, funera funeribus cumulantur: perinde eſt, ſi tunc aer puſtularum confluentiæ conducat, aut veneno ſubtiliori ægrotantes juguler. Sed frequentius tunc pereunt variolis laborantes ex adjuncto epidemiæ regnantis morbo; ſive illa conſtitutio febres inflammatorias, putridas aut malignas pariat. In tanta cauſarum lædentium energia, earumdem quandoque obſcuritate, in variantium & oppoſitarum indicationum conſpiratione, nihil mirum incertam morbi *complicati* ſtabiliri diagnoſim, infidam erui prognoſim, inefficacem adhiberi medicinam.

Porro tot cauſarum periculis objecti maxime proponuntur urbis Pariſinæ incolæ. Ibi, frequentius quam rure, adultos invadunt variolæ. Num in cautelas uſurpari ſolitas, ut contagium arceatur, iſtud erit refundendum? Nonne etiam a minori atmoſphæræ Pariſinæ energia repetendum? Illud certum eſt: qui, prava graſſante variolarum epidemia, ſeſe contagio ſubducturi, rus petunt, ibi ſæpiſſime ſtatim variolis corripiuntur, quibus movendis minus actuoſa atmoſphæra Pariſina, tunc temporis fuiſſet. Pariſinis debiles exiſtunt fibræ; orti nempe ex matribus quæ otio & mollitie diffluentes, ac frequentiori partu debilitatæ prolem debilem infirmo in corpore generant. Nativam debilitatem augent puerorum mollis & delicata inſtitutio, adultorum vita deſes & inexercitata. Neque hæc vitia emendare valet, ut in aere ruſticano fit, atmoſphæra Pariſina. Hæc, magnarum urbium ritu, particulis ſalinoſulphureis, quæ ex tot hominum animaliumve corporibus, ex tot latrinis, fimisve putrefactis erumpunt, contaminata; tot viarum perpetuo humidarum tetris vaporibus, tot fumis caminorum fœta, denſiſſimum nubem exhibent urbi ſuperextenſam, qua velut vaporum balneo immerſi Pariſiorum incolæ. Tot concurrentibus debilitatis cauſis, morborum cohortem urbi incumbere quis mirabitur? Siquidem *Celſo* monente (b), *omnibus morbis obnoxia maxime infirmitas fit.* Sed ut alia nunc omittam, num aliunde deducendos putes tum affectus nervoſos Lutetiæ adeo familiares, tum ſpaſmos, qui in morbis pariunt tot anomalias veteribus haud obſervatas? Non aliam agnoſcunt cauſam febres illæ, ſub nomine febrium malignarum adeo infames. Ex eodem fonte ſcaturiunt cryſtallinæ variolæ quæ febres malignas in multis referunt; utrimque materiæ morbificæ in cruditate contumacitas frangi nullo artificio poteſt: nam variis modis vellicatæ fibræ nerveæ, tendinum ſubſultus violatam & dejectam eſſe ſolidorum œconomi-

(a) Obſerv. de aere & morb. Epidem Auctore *Johan. Huxham*, conſt. annor. 1739. 1741. 1744. 1745. & 1747.

(b) De Medic. lib. 1. c. 3. p. 31.

nomiam atque liquorum depravatam temperiem ſignificant. Nec diſſimulanda eſt alia truculentiæ variolarum in urbe Pariſina cauſa: ſcilicet parcior ex vegetantibus, liberalior ex animantibus diæta; imo, ut nihil convellendæ ſanitati deſit, ferculis pro erudito condimento ſunt jura carnium valentiora. Pleriſque jamdiu eviluit quidem vini abuſus; at illis, pro vino, in deliciis ſunt liquorum ardentium, & ſeminis *Caffè* decocti potus. Gratis illis venenis, craſim quaſi ſcorbuticam humores induere nemo negaverit. Hinc veluti varioloſa peſtis magnis criminibus clareſcere geſtiret, viles animas exoſa, ſtragem maximam edit tum inter ſplendidiores, qui deliciis circumfluunt, tum inter mediæ ſortis homines quorum *corpora vitiarunt deſidia atque luxuria* (c). O fortunata Lutetia, ſi variolarum inſertionem, cujus arte dirum malum manſueſcere dicunt, maturius excepiſſes! Quot ſunt hominum vitæ, in medio curſu reciſæ ex anno 1723, quo tempore allata primum intra mœnia nova methodus! Quot doles amiſſos cives in publica natos commoda, quos longa manere videbatur annorum ſeries! Nec tu, Gallia, duobus abhinc annis *Sereniſſimi Delphini* horrendo concuſſa morbo expalluiſſes. Ah! deſinat tetra lues novis nos terrere periculis!

III.

Utcunque mirandam *inventu* atque *eventu*, variolarum inſertionem (a) dixeris, quis primus auctor invenerit, ignoratur. Nec certior locus unde prima traxit incunabula. In re obſcura illud certum eſt; Theſſala mulier græcorum religioni addicta & e patria, ubi invaleſcebat inoculatio, profuga Conſtantinopolim novum artificium attulit, circa annum 1673. Nova operatio latuit quidem per aliquot annos, raro & inter humiliores tantum recepta; donec hujus ſæculi initio, variolarum epidemia lethaliter graſſante, nobiliorum domos ingreſſa, caput timida minus extulit. Publice tunc Conſtantinopoli exerceri cœpta eſt, non quidem a Turcis, qui fati decretis addicti, venienti malo occurrere nefas putant; ſed a Græcis & Armeniis, tunc primum exculta eſt. Europæi omnes, in hiſce regionibus, communi voce, *Franci* appellati, idipſum fecerunt, ſucceſſus felicitate in fiduciam excitati. Excellentiſſimus D. *Worthlei* apud Turcas majeſtatis Britannicæ legatus, nominis hæredem unicum & filium dilectiſſimum inoculari juſſit. Ex hac urbe in Britanniam poſt aliquot annos redux, in filia quinquenni, circa annum 1718, variolas per inſertionem concitavit. Felix operationis eventus, mirum quam multos ad imitationem traxerit! Anno autem 1721, poſtulante Londinenſi medicorum collegio, in ſex capite damnatis, juſſu regis

(c) Ibid. Lib. 1. præf.

(a) Inſertionis, inoculationis, inſitionis nomen noſtræ operationi metaphorice datum eſt, quia, ſicut arboribus facta inſitio ingratos fructuum emendat ſapores; ſic variolarum inſertione, miteſcit varioloſi morbi acerbitas.

regis, inſtituta ſunt feliciter experimenta. Anno ſequente, novæ operationi, tentaminibus tum privatis innumeris, tum publicis, confirmatæ, Regia familia committitur. Nec arrectam populorum exſpectationem fefellit eventus. Nimirum rex clementiſſimus & regina auguſtiſſima perpetuos horrendi mali timores per levioris periculi ſollicitudinem redimere maluerunt. In illuſtri exemplo fauſtum ſucceſſum mirati populi, ſine ulla formidine, per totam Angliam inſitionem celebraverunt, & etiamnum celebrare pergunt. Autumno anni 1754, Sereniſſimi Principes *Henricus*, *Fridericus* & *Guillelmus* eadem arte, nec diſſimili eventu, variolas contraxerunt. Quintus jam numeratur annus, ex quo nova operatio Genevæ, & in Italia exercetur; narrant inoculationem in propinqua ſucceſſive loca propagatam, ad Batavos, Boruſſos & Suecios irrepſiſſe, ac ſuo nomine totas regiones boreales implere. Nec Gallia habebit quod exteris regionibus invideat. Jam Lutetia, cujus dictaturam, ut in cæteris rebus, ſic in medicis agnoſcunt provinciæ, inſertionem quam, anno 1723, exhorruerat, benigniori vultu excipere cœpit. Vere proxime elapſo, nobilis & generoſus juvenis operationi, quam paulo ante in infante quinquenni proſpere ceſſiſſe viderat (b), ſeſe audacter commiſit; Celeberrimo M. *Geoffroi*, conſiliis opus moderante. Lugduni pater-familias, cui dira lues filium dilectiſſimum, adultamque natam confecerat, filium unicum ſuperſtitem inoculationi felici cum ſucceſſu nuperrime commendavit. Tantum arridet methodus, quæ adverſus morbum periculoſiſſimum ſecuritatem offert ſine periculo parabilem, nec auro venalem!

In hoc poſitum eſt inſertionis artificium, ut pus varioloſum in corpus ſanum per vulnuſcula cuti inflicta, traducatur. Non temere, non in quemlibet obvium, nec omni tempore celebranda eſt operatio. Ab inoculatione arcendi ſunt illi omnes, quibus lues aliqua, aut cacochymia quævis ſanguinem infecit. His aut aliis malis liberandi, priuſquam ad novum accipiendum accingantur. Puellæ, ſi ea ætate ſit, qua prima vice, menſes ſolent erumpere, aut ſi languida choloroſi torpeat, peſſimo conſilio, variolas excitari credas. Cum pueritiæ addictus ſit morbus varioloſus, puerilis ætas, quæ nec infra annum quintum conſiſtat, nec extra duodecimum excurrat, præ alia quavis ætate, novo artificio ſubjiciatur. Vernale tempus ad operationem, Pariſiis, eſt ſeligendum. Autumnum minus oportunum cenſemus: nebulas enim tunc temporis emittere Sequana ſolet, quibus uda nimis fit atque craſſior atmoſphæra Pariſina. Prudens etiam medicus reſpectat paulo ante prægreſſam aeris temperiem, quæ febres *Sydenhamo* dictas *intercurrentes* generare valet, cum (a) *acrius gelu in veris pomœria ſeſe extendit.* Febres autem illæ ſeſe in infauſtum connubium variolis commiſcerent. Demum ad inſerendas variolas, donec ferociat aliqua epidemia, non exſpectandum.

Pro-

(b) *Journ. Oeconom. mois de Juin.*
(a) *Thomæ Sydehami.* Opuſc. ſect. 6.

Prolixo præparationis apparatu opus eſſe ne opineris. Pueri, ex natura ſua, in optimo præparationis ſtatu verſantur. Meabilia eorum corpora, blandiſque humoribus turgidula ad venenum certius corpore combibendum, ac deinde foras expellendum rite ſunt comparata. Satis ergo erit catharſin ſemel, aut bis movere, ut ſic primæ expurgentur viæ. Vermes etiam, quibus puerilis ætas divexari ſolet, eliminandi, ſi qui ſint. Quoties variolosa labe inficiendus ex ephebis exceſſerit, non enim ſolis pueris inoculationis beneficio frui conceſſum eſt,) aut adultam ætatem jam ingreſſus fuerit, quo tempore inſignior fieri incipit temperamentorum diverſitas, tunc compendioſa adeo præparatio non ſufficit. Huic menſis unius ſpatium dicatur, eo ſcilicet fine, ut quæ pleniori ſunt habitu, corpora evacuentur; quæ ſtrictioris & fortioris ſunt compagis, hæc prius laxentur & debilitentur, & quibus calidum ac præfervidum ineſt temperamentum, iis tum in ſolidis, tum in fluidis moderata temperies concilietur. Nonnullos aliquando in vitium duxit culpæ fuga (b). Benignioris morbi ſpe decepti anxie nimis præparationi indulgebant; quas tantummodo debilitare oportuiſſet, vires frangebant. Monendi ſunt ergo inoculatores præparationem huc collimare, ut omne periculum a febre varioloſa arceatur, non autem ut variolæ intra corpus ſuffocentur (c).

Corpore apte præparato, puer vel juvenis diſtinctis & boni moris variolis laborans cætera ſanus, & quantum fieri poteſt, ſanis parentibus prognatus, inſerendam materiem ſubminiſtrat. Vulnuſculum in ſumma cute, uno pollice longum infligitur, lanceolæ ope, in utriusque brachii (d) parte media externa, ubi cauteria inurere ſolemne eſt. Filum craſſiuſculum, ex contortis linamenti carpti ſtaminibus conflatum, pure varioloſo imprægnatum vulneri immittitur. Plumaceolo ſicco cum emplaſtro circumpoſito, vulnus faſcia firmatur. Elapſis quadraginta horis, hæc a vulnere ſunt auferenda, & ſuppuratio, ut artis eſt, digeſtivi beneficio promovenda. Primis, a ſuſcepto contagio diebus, lue varioloſa infecti, nihilo ſe a ſtatu ſano, ſi vulnera excipias, dejectos ſentiunt. Domi tamen & intra cubiculum ſe continere, ac diætam aliqualem obſervare jubentur. At diem ſeptimum verſus, cum febris ſuboritur, ac nonnullæ ſe trudunt de cute gemmæ, ægrotantes tunc lecto ſunt componendi, ac ſeveriori diætæ adſtringendi: dempto omni ſolidiori alimento, juſcula tenuiora & ptiſana diluens pro potu ſint. Eſt ubi eruptionem promovere juvat per confectionis de hyacintho pauculum, cum adjectis aliquot infuſionis foliorum theæ cyathis. Febre, quæ duorum dierum ſolummodo eſt, penitus fugata, & abſoluta ſemel eruptione, firmior cibus conceden-

(b) An acount of the preparation and management neceſſary to inoculation. By Mr. James *Burges* c. 9. & ſeq.

(c) M. *Tiſſot*, l'inoculation juſtifiée, §. 99.

(d) Nonne præſtaret unicum vulnus in alterutro brachio infligere, eo tantum fine, ut materies varioloſa corpori intruderetur?

dendus; qui ex vegetantibus inprimis ſit aſſumptus; nec ita lecto damnentur ægri, ut interdiu ſurgere non liceat. Auram tamen frigidiorem ut vitent, ſunt admonendi. Si paulo frequentiores cutem obſideant puſtulæ, lectum non relinquat æger, atque ſtrictiorem diætam ſervet. Ut nihil ex eis quæ methodum rationalem decent, deſiderare quis poſſit, circa morbi finem, ſæpius aut rarius pro re nata, alvus catharſi movetur. Vulnera quod ſpectat, decimo ab eruptione die, quo tempore papulæ exſiccari incipiunt, carnes ab ulceris utriusque centro & in omni ambitu ſenſim ſuccreſcunt; ita ut, exſiccato penitus ulceri perfecta cicatrix, vigeſimo ut plurimum die, obducatur (*a*). En ſimpliciſſimam variolas conferendi methodum; quæ ne obvio cuivis Inſitorem ſe profitenti ſtatim credatur. Sed imperiti Inſitoris temeritas ipſis variolis naturalibus periculoſior habeatur; eamque multo magis, quam acerrima adverſantium tela, reformidarunt novæ methodi patroni. Ecquis, niſi medicus poterit dijudicare num variolas concepturum affligat latens aliquod vitium inſertionem prohibens? Ecquis, melius medico, temporis oportunitatem, & materiam infundendam ſeligat; ætati, temperamento, regioni, vivendi rationi diætam ac medicinam accommodet? Hæc nullo modo contemnit medicus rationalis, qui non omnia omnibus convenire, atque ex minimis, maximos ſæpe ſucceſſus pendere non ignorat.

IV.

Variolas naturales benignas & artificiales contemplanti unus & idem morbus ex omni parte videbitur. Eaſdem cauſas ſupponit uterque morbus. Nemo variolas concipiet, utcumque contagii hauriendi periculo objiciatur, vel ejus corpori miaſma varioloſum per artem infundatur, ſi idem careat cauſa ad variolas prædiſponente. Pari ratione cauſa illa prædiſponens iners ſopitaque intra corpus jacet recondita, quandiu non accedit cauſa procatarctica priorem ſuſcitans. Iisdem ſymptomatibus incedit uterque morbus. Sua ſunt utrique ebullitionis, eruptionis, ſuppurationis & exſiccationis ordinata tempora. Quod exhalat de corporibus lue varioloſa contaminatis ſeminarium eſt contagionis, ſeu naturæ, ſeu arti natales debeant variolæ. Eadem ex omni parte ſe prodit morbi facies, ſive naturalium, ſive artificialium variolarum puſtulæ, pus infundendum miniſtraverint. Licet variolæ nemini parcant, obſervatione conſtat tres aut quatuor ex hominibus centum, ab his immunes per totam vitam eſſe (*b*). Ex aſſumpto pari hominum numero, quibus inſeritur virus

(*a*) Quoad præparationem, operationem & diætam. vid. M. *Butini*, Traité de la pet. Vérole, communiquée par l'inocul. c. 11. 12. 13. & M. *Tiſſot*, l'inocul. juſt. art. 6.

(*b*) M. *Jurin*. Rel. des ſucc. de l'inoc. p. 9.
Rich. Mead. Opera. Pariſiis 1751, de variol. inſit. pag. 343.
M. *Butini*. Traité de la petite vérole, communiquée par l'inocul. c. 3.
M. *Guyot*. Mémoire ſur l'inoc.

virus varioloſum, tres & quatuor variolas non ſuſcipiunt. Demum, ſi quis variolis ſpontaneis perfunctus, inoculationi ſubjiciatur; vel ſi alius, mutata vice, variolas ex inſertione paſſus, eamdem denuo operationem ſubeat, neuter labem oblatam contrahet; neuter etiam variolarum recidivam experietur, etſi contagii periculo objectus proponatur.

Illud varioloſo morbo peculiare competit, ut ſit ſui ipſius medicina; ſed in variolis communi naturæ via acceptis, anceps & periculi plena ſæpiſſime medicina; in artificialibus blanda & innocua.

Pariſiis, variolæ naturales plerumque ſunt de genere confluentium. Purpureas interdum, & frequentius cryſtallinas obſervare eſt. 1. Confluentium inſultu ægrotantem urgent terrifica ſymptomata, quæ ſi peracta eruptione remiſerint, ſuppuratorio ſtadio recrudeſcunt, nova ac peſſima ingruunt, præſertim ſi malignitas adſit. Cutim, quam totam obſedere, prætermodum extendunt inflatæ puſtulæ; hinc naſcitur moleſtum illud, ægros adeo divexans, ſymptoma, anxietas nempe, ac dolor ſomnum arcens; in toto corporis ambitu circulatio intercipitur, ita ut catarrho ſuffocativo, aut inſultu apoplectico ægrotantem opprimi non oppido rarum ſit. Alias tumet horrendam in molem facies, totumque caput. Oculos paulo ante nitentes, vultusque pulchram juventam ſpirantes, tetro nunc ulcere fœdatos miraberis. Undecimo die, ptyaliſmi, qui in adultis ſuboriri ſolet, materia viſcida ægro ſuffocationem intentat. Reſpiratio per nares nulla fit, per fauces anguſta, puſtulis has vias obſidentibus; deglutitio acute dolet, ore, faucibus, per acrem, cauſticam ſalivam exulceratis; urit præcordia æſtus ingens, torquent anguſtiæ ſummæ; mors, anginoſo more, immani tragœdiæ finem imponit. Ab hoc die, plurimis funeſto, ſoſpitem ægrum manent exſiccationis pericula; quoties illi ſquamis duris, ſpiſſis, horrida cutis quaſi pro chlamyde eſt, ſanies purulenta ſub hac venenata *Herculis* tunica latens intra ſanguinem regeritur, febrem putridam accendit, ac in ipſo ſalutis portu mortem infert.

Non ſemel vidimus variolis purpureis correptos, 2do aut 3tio a prima invaſione die, poſt graviſſima ſymptomata, vi morbi oppreſſos interire, nullis aut paucis comparentibus puſtulis, niſi quod ſtatim a morte, maculis nigris cutis ſuffundebatur, quæ totidem erant gangrænæ proles, nec indubia ſigna. Sanguis a putrefactione, omni nexu ſolutus, & ſuis finibus contineri neſcius, per varios corporis meatus profundebatur; defunctorum cadavera, intra paucas horas, intolerandum ſpirabant odorem (a).

Apparatus morbi, in cryſtallinis, non æque formidoloſus, ſed ſua lenitate inſidioſus. Puſtulæ pallidæ, flaccidæ, alternis emergentes & evanidæ,

(a) Hi reſpondere videntur ſecundæ claſſi contaminatorum peſte Maſſilienſi. Vid. obſerv. & reflex. ſur la peſte de Marſeille.

nidæ, ichore tenui, pellucido & inemendabili turgent. Inter lenia morbi prodentis ſymptomata, ſi morbida vis, ad ſiderationem aptiſſima, in cerebrum confluxerit, delirantem illico & mox furentem ſpectabis ægrotantem, atque horæ momento, expirantem. Si qui funera vitarint, hos ſæpiſſime manent tabes, in variis corporis partibus contumacia & fœda ulcera, epiphora, in infantibus præſertim & in adoleſcentibus, cum dolore & luminis intolerantia, nonnunquam cœcitas; aut ſaltem in facie lacera ac deformi, triſtia partæ victoriæ produntur inſignia. Febrem varioloſam inſontem cauſantur qui tam effera mala in eam refundunt iniqui. Ea, potiori jure, derivarent ab adjunctis *complicationum* cauſis. Nam corpori illapſa contagio varioloſa, humorum, quibus remiſcetur, particulas ſibi affines in ſe convertit. Hinc vis vitæ, partibus heterogeneis, quarum natura impatiens eſt, irritata, intenditur; ut per febris mechaniſmum materia morboſa mota, a ſanguine ſecreta foras exſpumet, per cutis aream veſiculas proliciens, ſuo tempore in totidem apoſthemata convertendas, ac tandem exſiccandas. At cum impura ſint corpora, eo plures humoribus inſunt particulæ veneno varioloſo aſſimilandæ. Si vis vitæ intenſior fuerit, aut præ debilitate langueat, ſi in motus abnormes abripiatur, naturæ critice quid in hoc morbo molientis ſalutare conamen interturbari quis mirabitur?

Ab his quæ contemplanti horrorem incutiunt, ad lætiorem rerum faciem tranſire nunc juvat. Elapſis, ab accepto per inſertionem miaſmate varioloſo, ſex aut ſeptem diebus, ſuboriuntur ſymptomata quæ variolas in procinctu ſtantes ſolent denuntiare. Sed mitia ſunt omnia, nec alienis, quæ terreant, ſymptomatibus ſtipata. Non tarda ſequitur febris, perdurans donec ſperata affulgeat puſtularum efflor eſcentia. Quæ erumpunt papulæ a ſe invicem diſtantes, numero paucæ, interdum pauciſſimæ. Non ſuppurationis tempore novæ ingruunt procellæ. Puſtulæ faſtigiatæ, globoſæ, ad baſim roſaceo colore cirumdatæ, materie blanda, alba, ſpiſſa, cocta turgidæ, ſenſim flaveſcunt, ac tandem exſiccatæ in tenues ſquamulas faceſſunt. His deciduis, ob mitiſſimam materiæ indolem, plana & æquabilis, citra ulla ſtigmata ſpectatur cutis. Summum revera ſequiori ſexu beneficium, quod ſui adeo ſtent vultus honores intemerati. Morbi benignitatis cauſa paulum rem penſitanti patebit obvia. (b) *Non agunt contagia ex abſoluta neceſſitate, ſed potius pro habilitate materiæ, intra quam recipiuntur.* Porro corpori puerili, ſano & pro ætate firmo, inſeruntur variolæ; aut ſi adulti eidem operationi concredantur, in habitum habitui puerorum ſimilem prius deducuntur; hoc eſt, fluida ſic attemperantur, ut paucæ ſuperſint atomi intruſo miaſmati aſſimilandæ; dum ſimul ſolidis optima temperies conciliatur. Nulla aliena cauſa, quæ naturæ laborem

(b) *Colb.* Act. Med. Berolin. D. 2. Tom. 2. p. 16.

laborem geminet, morbum complicat. Placida tempeſtas, de vita ſecuritas conſpirant, nec puella triſtis ad nomen variolarum contremiſcit. Uno verbo ea ſtatuitur corporis conditio, quæ variolas naturales perpetuo bea_ret, ſi fieri poſſet ut corpus æque ad variolas communi contagio ſuſcipiendas compararetur, ac præparari ſolent qui inoculationem mox ſubibunt: ſic enim adverſus morbum obfirmantur, ut non ſolum ferendo malo, ſed certiſſime vincendo pares ſint. Spontaneæ variolæ nihil aliud exhibent, præter luctuoſam & irritam oppreſſæ ab hoſtili veneno naturæ decertationem. Hic, jucundo ſane ſpectaculo, cernere eſt naturam vi propria, atque integra, pene dixerim abſque certamine, at profecto ſine clade vincentem. Tam mirandi artificii fidem, & teſtimonia poſtulas? Adeo non timent Inſitores oculorum fidem, ut contra majorem inde hauriant fiduciam. Artificialis morbi benignitatem confirmant inſtituta ab octoginta annis & amplius per varias regiones, experimenta, non ab agyrtis & empiricis, ſed a rationalibus, nec inferioris notæ medicis (*). Eorum nemo temere & inconſulto operationi fidem habuit; quibusdam infida primum viſa eſt; omnes vicit rerum evidentia & propria experientia. Tot teſtium autoptarum ſcripta, quæ omnium manibus teruntur, eos fuiſſe viros probos, ab omni decipiendi cupidine alienos, & rerum

 medi-

(*) *Emmanuel Timon.* Epiſtola ad *Johan. Woodward.*

Jacob. Pylarini. Nova & tuta variolas excitandi per tranſplantationem methodus.

Anton. le Duc. Diſſert. de Byzantina variol. inſitione.

Diſſertatio Britannica, complectens experimenta in ſex capite damnatis, auctoritate regia, capta.

Gualter. Harris. Prælect.

De la Coſte. Lettre ſur l'inoculation adreſſée à M. *Dodard.*

M. Jurin. Relation des ſuccès de l'inoculation précédée d'un Diſcours prélimin. par M. *Noguez*, Med. de Paris.

Richardus Mead. De variolar. inſitione. Oper. Med. p. 339.

M. Butini. Traité de la Pet. Vér. communiquée par l'inoc.

M. Guyot. Mém. ſur. l'inoc.

M. Lobb. Traité de la Pet. Vérole, traduit de l'Anglois.

D. Golb. Act. Med. Berolin. 2. Tom. 2. p. 16.

I. Kirkpatrik. The Analyſis of inoculation.

M. Tiſſot. l'inoculation juſtifiée.

M. James Burges. An Account of the prepar. and. management neceſſary to inoculation.

M. Maty. Journal Britannique. Tom. 7. & 8. &c.

M. Ramby. Mém. envoyé à Geneve. Vid. D. D. *Butini* & *Tiſſot.*

Novam methodum calculo comprobarunt ſuo celeberrimi totius Europæ Medici. *Frider. Hoffmannus.* Oper. T. 2. p. 55. *Hermann. Boerhaavins.* Aphor. 1403. *Heiſter.* Chirurg. part. 2. c. 15. Celeberrimi *Arbuthnot. Fuller*, *Hans Sloanne*, *Dodard*, *Chirac*, *Helvetius*, *Aſtruc.* Vid. Lett. *de la Coſte*, à M. *Dodard.* M. *Haller.* Vid. D. *Tiſſot.* L'inoc. juſt. diſc. prélim. M. *Pringle.* Lettre à M. *Hoſty.* M. *Van-Swieten.* conſtat celeb. hunc medicum novæ methodo ſuffragari. Fidem faciet Tom. 4. comm. in *Boerhaav.* Aph. mox in lucem proditurus.

M. Tronchin.

medicarum doctrina præpollentes, teſtantur. His ſi nulla fides, eodem jure, fabulæ nobis eſſe poterunt tot circa morbos a medicis conſcriptæ obſervationes. Ab anno 1738, quo tempore ad ſeveriores medicinæ leges revocata methodus, felicius ac frequentius in Europa exculta fuit; e variis locis, ubi nunc invaleſcit, ſingulis fere annis, prodeunt opuſcula, quæ novi artificii ſecuritatem atque utilitatem commendant. In iisdem locis nullus eſt, quem noverim, medicus, teſtis oculatus, qui facta ab aliis prolata neget, & ſcriptis publicis rem attenuare tentet. *Richardus Mead*, cujus nomen ſumma auctoritas, eximio operi, quod de variolis & morbillis conſcripſit, libellum de inſitione ſubnectit: atque recentis artificii ſe acerrimum, & æquiſſimum vindicem oſtendit. Clariſſimus *Johannes Huxam*, in aureo, quod de variolis opuſculo edidit, ſuam quoque obiter de inſitione ſententiam interponit, affirmatque (a), nunc innumeris felicibus experimentis inoculationis utilitatem conſtare; quidquid ex præconcepta opinione, aut ex invidia adverſus operationem nonnulli muſſitaverint, certum eſſe variolas, quæ communi contagii via, homines invadunt, decies ad minus eſſe periculoſiores. Narrat (b) peritiſſimus *Butini*, anno 1750, Genevæ, non infimæ notæ homines interiiſſe, variolis naturalibus trucidatos. Urbem totam ingens luctus & acer timor invaſerat. Magno igitur plauſu excepta eſt nova operatio; anno 1751. viginti jam diverſæ ætatis, homines inoculationi commendaverat; nec ullus vel leviſſimum vitæ diſcrimen fuit expertus (**). Viros ſapientiſſimos moverat profecto antiquiſſimus apud Sinenſes, Circaſſios, Georgianos inoculationis uſus; ad experimenta capienda innumeri apud Turcas ſucceſſus invitabant; at centies feliciſſime celebrata ab ipſismet, aut coram ipſis nova operatio omnem hæſitantiam atque dubitationem ſuſtulit. Ex 2000 hominibus, qui (c), referente doctiſſimo *Browne Langrish*. Vintonii & in locis vicinis variolas per induſtriam ſuſceperunt, duæ tantum prægnantes mulieres, quas ab operatione ſubeunda deterruerant medici, perierunt. Anno 1746. aſſignatum Londini inoculatis noſocomium, ubi ſexcenties & amplius facta operatione, fauſta fere perpetuo tentamina fuerunt. Anno 1722, ne quis novam operationem exerceret decreto caverant Judices Baſtonienſes. (d) Aſt anno 1752, ita Baſtoniæ debacchabatur varioloſa peſtis, ut duo prope hominum millia metu perculſi urbem reliquerint, ſeſe contagio mortique ſubducturi:

qui

(a) Eſſai ſur les fiévres, &c. par *Jean Huxham*, traduit de l'Anglois, p. 171.

(b) Traité de la Petite Vérole, communiquée par l'inocul. c. 8.

(**) Celeb. *Butini*, ad Theſeos Auctorem ſcripſit die 24 menſis Octob. proxime elapſi, homines centum & ſex jam, Genevæ, per inſertionem variolas concepiſſe; & omnes priſtinæ ſanitati fuiſſe reſtitutos. Non diſparem Lauſannæ fuiſſe inoculationis eventum teſtatur. Eadem epiſtola conſtat a celeb. *Tronchin*, multos Amſtelodami, ſic Variolas accepiſſe, cui artificio proprios liberos prius ipſe commiſerat.

(c) Annis 1740 & 1750.

(d) Journ. Britan. Tom. 7.

qui in urbe remanſerant adverſus pavorem publicum ſe obfirmarunt, inoculatione, ut ſacra anchora, innixi; nec mediocre illius ſenſere beneficium. D. *Ramby*, in epiſtola ad *Tremblei*, Genevam miſſa (a), teſtatur ſeſe nongentis hominibus & amplius variolas inſeruiſſe, ac omnes, ne uno quidem excepto, feliciſſime ex artificiali morbo convaluiſſe. Vere proxime elapſo, Londinum petiit Clariſſimus M. *Hoſty*, ut quæ de inoculatione narrabantur, exploraret ipſe. 252 homines diverſæ ætatis, coram illo, variolas per artem conceperunt, omneſque vegeti & alacres ex operatione emerſerunt. Pauca hæc ex innumeris, ſed recentiſſima ſelegi, ut fides magis habeatur. Cœli autem Pariſini placida temperatura non infeliciorem ſpondet in hac urbe recentis artificii eventum. Optime ceſſit inoculatio ſub cœlo Conſtantinopolitano, quod calidum atque humidum cum ſit, minus oportunum eſſe videtur febri, quæ putridorum morborum indolem facile contrahit. Non diſſimili exitu, Londini atque in aliis ſeptentrionis locis, exculta operatio eſt; licet ſub atmoſphæra regionum borealium efferi magis obſerventur morbi inflammatorii. Noſtram igitur, de inoculationis præſtantia, ſententiam ſaniori artis theoriæ conſonam, tot experimentis aſſertam, tot teſtimoniis confirmatam adeo non convellent objectiones, ut ab ipſis firmior & certior evadat.

V.

Anno 1723. inoculationi Pariſios irrumpere geſtienti acerrimum motum eſt bellum. Tam valida, tam certa manu in novam methodum conjecta ſunt tela, ut fere omnes cum celeberrimo medico inoculationem repudiante pronunciarent, *variolas inoculare nefas* (b). Non erat quidem prudentis medici, cui ſalus publica concreditur, ſtatim propoſitæ indulgere methodo. Quantumvis Patronis arrideret ſuis, nova tamen & imperfecta adhuc, & ut in novis experimentis, fieri ſolet, temere interdum ab imperitis tractata, plus vice ſimplici, inſitoribus male ceſſerat. Sentiet tamen vir illuſtriſſimus, noſtra ætate, non eamdem inoculationis fortunam, & tela quæ olim methodo convellendæ ſufficerent, nunc effectu non tam certo, torqueri; licet melius arma qui tractaverit nemo ſit. Sic mea quod mens augurat, præſagiis, ut ſpero, non fallentibus, benigniorem experietur cenſorem clariſſimum nova methodus ſuis vitiis expurgata, novis cautelis aucta & innumeris prope experimentis confirmata; quod nobilitandæ inoculationi non parum proficeret.

Nonnulli inoculationis oſores, audito novæ methodi nomine, ſtatim in cenſuras irrumpunt. Hi, ut placido animo id de quo agitur, explorent atque penſitent, rogantur. Alii cauti nimis atque timidi, hominum charitate hominibus nocent. Medicinam, quam infauſtam fuiſſe olim audie-

(a) Anno 1750.
(b) Quæſt. Medic. *An variolas inoculare nefas.*

audierunt, uſurpare grande piaculum credunt. Verum, quod horrent periculum diſpulit experientia rerum magiſtra. Ratiociniis ac ſpeculationibus quorumdam cenſura luxuriat. Hi meminerint oportet, 1. in medicis rebus ac in phyſicis nihil fere dari, quod per diſputationis & ratiocinii vim convelli non poſſe videatur; nihilque viciſſim, quod per eandem qualemcumque aſtrui non poſſit. 2. Facta certa omnem ratiocinii impetum eludere. Tota, quæ agitatur quæſtio, de factis eſt. Facta exploranda, ac ſedulo perpendenda. Nonnullis inoculatio inſolitum quid in medicina videtur. At non negabunt variolas triplici peculiari nota inſignitas (c), unum eſſe ſui generis morbum, nec ulli morborum claſſi annumerandum. Temerarium & abſurdum, inquiunt, morbum morbo præcavere. Non temerariam dicunt naturam, cujus notum ſat frequens artificium in graviſſimis morbis præcavendis, mitiores inducendo. Non temeraria magis cenſetur ars ſalutaris, quæ naturam imitata, in chronicis morbis febrem ſalutarem ſæpe ſæpius accendit, chronico morbo ſic in acutum mutato. Nec inconſulti pariter medici, qui naturæ obſervatores & imitatores, ulcera artificialia, ſeu cauteria cuti inurere norunt. Urgent: in exemplis allatis, adeſt morbus, aut mali aliqua labes. Sed in nobis latet, ſuppoſita cineri doloſo; ad variolas diſpoſitio, non alia ratione, quam per ipſas variolas delenda, prima data occaſione & alieniſſima excitanda. Inoculatio aliunde, ob mitiſſimam variolarum quas confert, indolem, non tam morbus quam inſons remedium haberi debet, ſeu metuendi hoſtis prudens cautio. Scrupulum injiciunt ne ab inoculatione frequentiores fiant variolæ, contagioſæ magis. Hanc formidinem ſublevant, quæ Conſtantinopoli, Londini & Genevæ fiunt. Non queruntur in his locis, ab inoculatione graſſari magis variolas cœpiſſe; vel quia tale nihil eſt reformidandum, vel quia, ne læderent contagia legibus cautum eſt. Præterea benignæ variolæ, ex natura ſua, non ſunt adeo contagioſæ. Nos deterrere pergunt, dum metum ſubeſſe volunt, ne forte ſimul cum variolis alius quidam morbus in ſanum corpus transferatur. Pro inani metu mala, pro conjecturis facta recenſere oporteret. *Vix crediderim*, inquit Rich. Mead. (a) *id unquam fieri ut ſeminium, alterius qui diverſæ ſit naturæ genitalem materiam ſecum ferat commiſtam. Utcumque autem res ſit, inſanus foret Medicus, qui nullo delectu habito, ex quolibet corpore, pus morbidum ſano inſerendum extraheret . . . ſed plus, mea opinione, refert in quale corpus infundatur, quam de quali eximatur peſtilentiæ virus.* Objiciunt variolis per artem excitatis functos, iisdem tamen, communi naturæ via, denuo laborare. Aſt fatendum eſt, id ſi verum ſit, tam raro uſu venire, ut inter mille inoculationem paſſos, unum vix numeres. Ergone una, aut forſan altera obſervatio, incerta, in normam ſtatim ducetur? Neutiquam ſane. Ubi per vario-

(c) §. 1. noſtræ Theſeos. pag. 2.
(a) Opera. de variolar. inſit. pag. 334.

variolas exhauſta eſt in homine ad hanc febrem diſpoſitio, nec contagium; nec ipſa inſertio in eodem quidquam ſimile iterum movere queunt. Huic veritati nihil detrahunt pauciſſima, ſi qua ſint, recidivæ exempla. Regulæ generales in medicina conficiuntur non ex iis, quæ perpetuo contingunt, ſed ex illis, quæ ſæpiſſime obſervantur: *Vix ulla perpetua præcepta recipit ars medicinalis.* Sed ecce aliud crimen: interit unus aut alter, fatentibus inſertionis Patronis, ex mille hominibus, qui hanc operationem ſubeunt; porro ſi inter hominum quatuor millia, unicus tantum periret, nemo citra crudelitatis notam, cuiquam variolas immittere deberet: qui ſic de medio tollitur, etiamnum viveret, ſi incognita jaceret nova methodus. Quotiescunque infortunium aliquod operationem hanc ſequebatur, toties re explorata, deprehenſum eſt culpam omnem temerario inoculatori, vel incauto inoculationem patienti, eſſe adſcribendam. Sed eſto: rea fiet hujus mortis inoculatio. Verum ſi hactenus incognitum fuiſſet illud artificium, decem hominum millia, quibus vitæ uſura frui conceditur, jamdiu e vivis exceſſiſſent. Ut legitima ſit oblata methodus, ſatis eſt eam ita certam eſſe, quam certa habetur rerum humanarum conditio. Fortuita ad culpam trahere non æquum eſt: (c) *Quæcumque, medendi cauſa, reperta ſunt, nonnunquam in pejus aliquibus vertunt. Neque id evitare humana imbecillitas, in tanta varietate corporum, poteſt. Sed eſt tamen medicinæ fides, quæ multo ſæpius perque multo plures ægros, prodeſt.* Totum quodcunque in vita agitur circa veriſimilia verſatur; & hoc ſenſu, (d) *medicina eſt ars conjecturalis.* Si abſoluta proſperi eventus cognitio, ut ad opus ſeſe accingerent, requireretur, medici ſtarent plerumque malorum contemplatores otioſi. Demum, quaſi concretam ab inſertis variolis labem nec natura, nec artis auxilia delere unquam poſſent; ab inoculatione, inquiunt, labia inciſionum fiunt carcinomatoſa; in partibus glanduloſis abſceſſus ſuboriuntur; febres hecticæ, cachexiæ inoculationem expertum lenta morte conficiunt. Immerita ſane damnatur inſertio. Malum prius contigiſſe nusquam reperimus, ex quo recens operatio rerum uſu & majori diligentia, in melius fuit revocata. Olim loca membranoſa, ad puris inſertionem, pertundebantur; recentiori induſtria, vulnuſcula duntaxat in ſumma cute, cui ſubjecta pars carnoſa, infliguntur. Abſceſſus, febres hecticas non alio fonte fluxiſſe crediderimus, quam ab anxia nimis præparatione, qua, per jus & nefas ſecta vena, aut alvo mota, pabulum protrudendis & elevandis puſtulis deſtinatum ſubducitur. At *non protinus crimen artis eſt, ſi quod profeſſoris ſit* (a). Inculpandi ſunt inoculatores rerum medicarum ignari. Sic therapeia mercurialis initio infamata fuit empiricorum imprudentia (b). Sic

(b) *Aur. Corn. Celſi* de Medicina lib. 1. pag. 17.
(c) Ib. lib. 2. c. 6. pag. 57.
(d) Ib. præf. lib. 1. pag. 13.
(a) *Aur. Corn. Celſ.* de Med. lib. 2. c. 6. pag. 57.
(b) Vid. M. *Johan. Aſtruc.* de morbis venereis. lib. 2. c. 7.

Sic ſtibium olim, nec immerito, pro veneno habitum. At ſperant-ne inoculationis adverſarii ut experimentis numero paucis, antiquis, fidem elevent experimentorum, quæ plurima, infinita & certiſſima ſunt, quæ nunc, quæ quotidie, quæ variis in locis fiunt? Si etiamnunc valerent iſta crimina, mirum oculatiſſimos medicos fefelliſſe; aut ſi ea obſervare contigiſſet, hos in exercenda inſertione, obſtinato animo, perſeveraſſe. Mirum magis homines tot malorum ream operationem perſeveranter ſubiiſſe. Num medici in Britannia minus ſunt perſpicaces, minus humanitatis & patriæ amantes? Num ibidem minor parentum in liberos charitas? Num obſervantia minor hujus naturæ legis quæ vetat, ne quis alteri inferat malum, quod ſibi ipſi inferri nollet? Hæc affirmare non quiſquam audeat, quamvis aliam hac in re opinionem noſtræ plebeculæ afferat religionis diverſitas. Vis-ne autem objecta non reformidare mala? Totum inoculationis negotium perito & prudenti medico committe: non enim in recens artificium medicos benigniores ſperare debuit, qui illud ambitioſius efferendo, narrat ſcholaſticos in Britannia ſibi per jocum variolas inſerere. Rem non ludicram, ſed ſeriam cenſemus corpori venenum intrudere. Ex ſpreto periculo temeritas, ex cautelis adhibitis ſecuritas. Non empiricam, ſed rationalem ſuademus operationem. Inoculationi ſubjiciendos notet medicus, materiam inſerendam ſeligat, tempus quo inſerenda definiat, operationem & vulnerum curationem conſilio regat, remedia præſcribat, ac diætam, per totum inoculationi dicatum ſpatium, moderetur. His legibus, methodum Pariſiis uſurpandam proponimus, ex qua civium multorum ſalus, omnium ſecuritas affulget.

Ergo Pariſinis Variolarum inoculatio.

ANDR.

CLXXXVII.

ANDR. OTTOMARI GOELICKE

ET

JOH. OTTONIS BRUCKNERI

DE

LUE CONTAGIOSA BOVILLUM GENUS NUNC DEPOPULANTE.

Ffurti. ad Viadrum 10 Febr. 1730.

PROOEMIUM.

ANtiquiſſima ſimulatque honeſtiſſima, *victum non modo & amictum, ſed & divitias adquirendi, ratio, eſt ſine dubio præter agrorum cultum* res pecuaria, *cui propterea magni reges ac principes a primis mundi initiis ad hæc præſentia uſque tempora tantum detulerunt, ut omnem ſuam curam, vigilantiam atque induſtriam eo potiſſimum converterint, quo coloni, ditionibus ſuis ſubjecti, agros colerent, reique* pecuariæ *omni ſtudio incumberent. Et ſicuti antiquitate inprimis & honeſtate hoc vitæ genus ſeſe commendat: ita luculenta quoque benedictionis divinæ teſtimonia in eo abunde conſpicienda ſeſe præbent: hoc enim eſt verum illud* cornu copiæ, *ex quo, quicquid non tantum ad vitæ humanæ neceſſitatem ſed & voluptatem requiritur, largiſſime depromere licet: ubi contra miſeriarum, calamitatum & malorum omnium lerna ingruit, ſi, quod hac noſtra ætate proh dolor! experti fuimus, dira quædam lues inter pecora graſſetur, iiſque totale propemodum excidium comminari videatur. Metuo, ac certe non ſine ratione metuo, ut poſteritas fidem nobis ſit adhibitura, ſi relatum legat, peſtilens hoc malum, in univerſa pene Europa, toto hoc, quod ante hos* 30 *annos auſpicati ſumus, ſeculo tanta violentia tantaque rabie in bovillum præcipue genus deſæviiſſe, & integra armenta hic & illic ita depopulatum eſſe, ut, quos aratro jungeret boves, non haberet amplius colonus, proindeque, ne agri relinquerentur inculti, annonæque caritas, quæ utplurimum alias permultas calamitates comites vel pediſſequas habere ſolet, ingrueret, dura hominibus incumberet neceſſitas excogitandi machinas quaſdam, quibus ad colendum agrum, boum vel equorum loco, uti poſſent. Dignus tamen eſt hic, triſtis licet & abominabilis rerum humanarum eventus, ut ejus memoria ad poſteritatem tranſmittatur. Laudabilem ea in re operam ex* Germanis *præſtitit* D. Johannes Kanoldus, *medicus* Uratislavienſis, *qui multo ac ſane ærumnoſo labore integram diriſſimæ hujus peſtilentiæ, quæ bovillo inprimis generi infenſa fuit, hiſtoriam ab anno hujus ſeculi* nono *ad* decimum ſeptimum *uſque graphice deſcripſit, monſtravitque continua annorum ſerie, quomodo ex finibus* Tartariæ *per* Moſcoviam *in* Poloniam, *indeque partim* ſeptentrionem *partim* meridiem *verſus fœda hæc lues ſenſim ſeſe diffuderit, atque per* illam *viam in* Livoniam, Curoniam, Pruſſiam, *porroque in* Pomeraniam, *Ducatum* Megalopolitanum, Holſatiam *& ſic porro in* Belgium fœderatum, *imo* Angliam ipſam, *per* hanc *vero partim in* Imperium Turcicum, Hungariam, Sclavoniam, Croatiam *& hinc in* Auſtriam, Moraviam, Stiriam, Carinthiam, Carniolam, Bavariam &c. *partim in* Italiam, *atque, porro in* Galliam *imo ipſam quoque* Hiſpaniam *penetraverit, tandemque iterum in* Germaniam, *dulcem noſtram Patriam, imma-*

nem ſuam virulentiam converterit, in qua hunc uſque in diem ſcintillæ quædam nondum ſopitæ hic & illic gliſcunt, juſtumque metum injiciunt, ne; quod tamen clementiſſime Deus avertat; proxima æſtate in novum incendium erumpat, &, quod ejus animalium ſpeciei adhuc reliquum eſt, deflagret. Ex Italis Johannes Maria Lanciſius *diſſertationem hiſtoricam de* bovilla peſte, *ex Campaniæ finibus Anno* 1713. *Latio importata;* & Antonius Maria Borromeus *relationem de* morbis boum in pago Sermeotenſi; Franciſcus *itidem* Fantaſti, *Veronenſis, diſſertationem de* febre contagioſa, *quæ in Veronenſi agro & tota fere Veneta ditione boves ſolum & Juvencas exercuit, nec non* Bernhardinus Ramazzinus *orationem de* contagioſa epidemia, *quæ non ægro Patavino & tota fere veneta ditione in boves irrepſit; edidere. Nec tamen illi argumentum hoc ita exhauſerunt, quin permulta; tam, quæ ad naturam epidemicæ hujus luis diſtinctius cognoſcendam, quam curationem ac prophylaxin ejuſdem cautius magiſque ſecundum rationales indicationes, quam adfectatam nudam* empiriam, *inſtituendam faciunt, adhuc reſtitent. Gratulabimur nobis non parum, ſi levi hac noſtra opella ad commune Reipublicæ bonum conferre quicquam poſſimus. Nec morabimur multum illam quorundam difficultatem, quam eo forte ex capite nobis movebunt, quod præcepta* medicinæ rationalis *ad* veterinariam *ſimus traducturi. Ita enim omnino decet, ſumuſque firmiſſime perſuaſi, eam potiſſimum veram & unicam fuiſſe cauſſam, quare, cum* empirice *tantum hic boum morbus a pleriſque tractatus ſit, nullum hucuſque certum, fidum & efficax remedium fuerit inventum, quod cum fructu atque ſucceſſu opponi eidem potuerit. Faxit modo ſummum numen, ut, quam de peſtifera hac lue, qua nunc bovillum genus infeſtatur, meditamur, commentatio non modo in Divini Nominis gloriam, ſed & certiſſimam Reipublicæ ſalutem vergat!*

§. I.

§. I.

Elapſus eſt unus vel alter menſis; ex quo clementiſſime mihi injunctum eſt, ut, cum *pecuaria lues*, quæ univerſæ propemodum Europæ per multos continuos annos infeſta fuerat, in *tractus Lebuſienſis* oppidis & pagis quibuſdam recrudeſceret, ſtragemque haud levem ederet, ego boves quoſdam, morbo iſto infectos, vivos pariter ac mortuos aperiri juberem, &, conſtitutione viſcerum probe examinata, deinde ſententiam meam dicerem exponeremque: an contagioſus haberi deberet, nec ne? Dicto audiens; contuli me primum die 28 Novembris anni præteriti Haſenfeldam; Pagum; Academicæ Juriſdictioni ſubjectum, ibidemque duas vaccas; alteram *vivam*; ſed contagio jam coinquinatam; alteram vero *mortuam*, quæ paulo ante vi ejuſdem contagii extincta fuerat, aperiri juſſi. Hinc *Seloviuni*, oppidulum tribus abhinc milliaribus diſtans die 7 Decembris ejuſdem anni evocatus duos robuſtos boves, alterum iterum *vivum*, ſed lue ab aliquot retro diebus jam laborantem; alterum vero *mortuum*, ſimiliter apertos inſpexi; in quorum eviſceratione hæc memoratu digna mihi occurrerunt.

§. II.

Quam primum *vacca viva*, cultro in dextrum cordis ventriculum adacto, conciderat, ſanguiſque promanare coeperat, eundem non modo nigricantem offerre colorem ſed & in ſtatu grumoſitatis conſtitutum eſſe animadvertimus; cumque in terram effuſus pauliſper ſtetiſſet; vix ſanguinis formam præ ſe amplius tulit. Aperto abdomine, in ejus cavitate ingentem quantitatem ſeri lutei deprehendimus. Pleraque viſcera infimi hujus ventris a ſtatu naturali parum vel nihil receſſerunt, niſi quod ſolito flaccidiora eſſent omnia. At vero *cyſtidem felleam* (hepate interim ratione ſubſtantiæ nulla manifeſta labe laborante) triplo vel quadruplo majorem & ingenti bilis quantitate refertam conſpeximus, qua per medium ſecta, magna bilis corruptæ, æruginoſæ & horrendum fœtorem ſpirantis quantitas effluxit. Cumque conjectura adſequi facile poſſemus, paris forte conditionis materiam in inteſtinis ſuperioribus, nempe tenuibus, repertam iri, viam hanc proſecuti fuimus; & aperto ſucceſſive toto illorum canali haud vane nos conjectaſſe, experti ſumus: quandoquidem tota fiſtula inteſtinalis ingenti ejuſmodi bilioſæ, corruptæ, ex viridi flaveſcentis & admodum fœtentis materiæ quantitate referta videbatur. Inteſtina ipſa admodum erant extenuata ſtriiſque ſanguineis hinc inde perfuſa ac ſemi inflammata, muco omni ab interna eorundem ſuperficie abraſo: craſſa vero, etiamſi tanta in quantitate prædictam materiam non

 con-

contininerent, non tamen omnino libera ab eadem fuere. In *recto* inprimis, vacca jamjam mortua, motum periſtalticum inſigniter exacerbatum & ultra gradum ordinarium valde auctum curioſo ſpectaculo obſervavimus. In ventriculo primo, qui alias *magnus venter* dicitur, nihil, quod ſtatum præternaturalem indigitaret, obſervatum eſt; at vero in *ſecundo* quem *reticulum* adpellant, alimenta contenta exſiccata & æſtu nimio quaſi torrefacta ſunt conſpecta. Aperto thorace, cor pariter atque pulmones nullam quidem texturæ vel ſtructuræ manifeſtam læſionem exhibuere, interea tamen eandem, quam in viſceribus abdominis jam animadvertimus, flacciditatem viſui obtulerunt. In linguæ examine occupatis occurrerunt hinc inde puſtulæ, quæ apertæ ichorem fœtidum fuderunt, ſicuti ipſa quoque lingua fauceſque tetrum halitum exſpirarunt.

§. III.

Perventum hoc modo eſt ad examen viſcerum, prout in *vacca*, quæ *epidemico* hoc *malo* perierat, occurrerunt. Abdomine vix aperto, *omaſus* & *abomaſus* una cum univerſo inteſtinorum tenuium tractu ad colon uſque, nigricans & ſphacelo correptus viſus eſt, in quo etiam vaſa ſanguinea craſſo, ſpiſſo ac nigricante ſanguine repleta erant. Folliculus fellis ſolito majorem exhibuit amplitudinem, cui etiam quantitas bilis corruptæ proportionate reſpondit; gradus tamen corruptionis ad ſenſum minor, quam in præcedenti ſubjecto conſpectus eſt. Interea eadem tali materia repleta fuere inteſtina tenuia. Reliqua viſcera ob intolerabilem, quem ſpirabant, fœtorem, adcuratius examinari non potuere; neque ulla id requirebat neceſſitas, cum ſedes mali mortiſque ſubſecutæ in inteſtinis tenuibus ſatis eſſet conſpicua.

§. IV.

Circumſtantiarum & ſymptomatum cum *epidemico* hoc *malo* complicatorum rationem ita nobis expoſuere, qui pecoribus infectis manus auxiliatrices porrexerunt: omnia, quam primum hauſiſſent contagium, horrore quaſi febrili & horripilatione correpta fuiſſe, hoc tantum diſcrimine, quod in his magis caput, in illis artus, in iſtis totum corpus eo perculſum eſſe videretur. Hoc facto pleriſque, memorant, materiam mucoſam, ſtriis ſanguineis permixtam, ex ore naribuſque, ex oculis vero tenuem, aquæ inſtar limpidam, affatim ſtillitaſſe, ut quibuſdam illorum, varioloſorum more, palpebræ fuerint occluſæ, quibus tandem reſeratis, oculi igneum fervorem, ingentem ſcilicet inflammationem præ ſe tuliſſent. Horrori iſti ingentem quidem æſtum, ſed exterius vix ſenſibilem & interiora magis occupantem ſucceſſiſſe, qui etiam ſitim, vix reſtinguibilem comitem habuerit. Ex ore faucibuſque teterrimam exhalaſſe me-

mephitim, a lingua vero oriſque & faucium tota concameratione interna membranam, qua hæ partes inveſtiuntur, abſceſſiſſe, ut propter nimiam harum partium ſenſibilitatem alimentis ordinariis abſtinendum, eorundemque loco furfur, aqua tepida dilutum exhibendum fuerit. Reſpirationem in nonnullis naturali ſimilem, in aliis vero citatiorem fuiſſe. Anorexia pleraque laboraſſe & primo quidem inſultus contagioſi die parum, altero minus, tertio nihil prorſus aſſumſiſſe. Eodem vero hoc die diarrhœam admodum torminoſam, ut ex geſtibus & mugitu hariolari licuit, ſucceſſiſſe, qua primum vera excrementa, deinde materia bili corruptæ analoga, qualis etiam in inteſtinis tenuibus reperta, tandem vero magma ſanguine permixtum fuiſſet excretum. Urinæ miſſionem quandoque nihil inſoliti habuiſſe, quandoque vero admodum turbidam fuiſſe excretam. Motus convulſivos in nullo eorum, quæ morbo hoc deceſſerant, animalium animadverſos eſſe, omnia potius triſtitiam & languorem præ ſe tuliſſe, quem etiam capite, terram verſus demiſſo auribuſque pendulis teſtatum feciſſent. Cæterum luem hanc jam ſpatio 5 ſeptimanarum centum & ſeptuaginta horum animalium abſumſiſſe, uno omnes ore adfirmarunt, adjicientes, boves infectos aliunde in pagum adductos eodem ſuos malo coinquinaſſe.

§. V.

Non multum hiſce diſſimilia ſunt, quæ in duobus bobus, altero *vivo*, altero *mortuo*, *Seelovii* diſſectis animadverſa fuere. Sanguis in *priore*, poſtquam venis emiſſus, pari ritu ſpiſſus ac nigricans, cumque pauliſper ſtetiſſet, grumoſus eſt conſpectus; ob quam etiam rationem partes omnes carnoſo muſculoſæ vividi rubicundi coloris expertes, lividum & abjectum ejus loco conſpiciendum præbuere. Viſcera infimi ventris, lien, pancreas, renes reliquaque nullo manifeſto vitio notata: hepar vero, uti pallidam & flaccidam exhibuit faciem; ita folliculum felleum triplo vel quadruplo naturali ampliorem, & ingenti bilis, eodem charactere notatæ, quantitate repletum, conſpeximus. *Inappetentia* primo ſtatim infectionis tempore cœpit, nec amplius *ruminare* viſus bos; unde etiam, quæ in reticuli reliquiſque eidem continuis ventriculis continebantur, alimenta, arida, indurata & maximam partem indigeſta erant. Inteſtina tenuia eandem, quam cyſtis fellea, continebant materiam, nempe bilioſam corruptam, coloris æruginoſi; qua tamen occaſione adſtantium quidam, qui cadaver aliud privata auctoritate aperiri juſſerant, bilis loco materiam ſanguinolentam inteſtina occupaſſe conſpectarunt. In viſceribus thoracis, corde atque pulmonibus nihil inſoliti offenſum. Lingua multo tenaci ac viſcido muco undique quidem obducta fuit, nullas tamen, ut in priori ſubjecto deteximus, puſtulas præbuit conſpiciendas.

§. VI.

§. VI.

His ita animadverſis, cum deinde cadaver alterius bovis, quem lues extinxerat, aperiretur, primo ſtatim intuitu inteſtina tenuia occurrerunt, quæ, præterquam quod flatibus admodum diſtenta eſſent, hic & illic inflammata, alibi vero nigricantia & ſphacelo jam correpta viſa ſunt; quam etiam ob rationem ad levem contactum facile diffluebant, materiamque loturæ carnium haud abſimilem copioſe fundebant. Cyſtis fellea amplitudine ſua ſtatum naturalem longiſſime ſuperabat, itidemque ingentem bilis ex viridi flaveſcentis quantitatem ambitu ſuo comprehendebat. Reliqua tam infimi quam medii ventris viſcera ſana & integra fuerê deprehenſa, nulloque evidenti vitio notata, niſi quod juſto flaccidiora eſſent. Cæteroquin circa os & nares copioſam ſpumam obſervavimus.

§. VII.

Hiſtoriam *luis* hujus *pecuariæ* ita nobis retulere, qui curæ animalium eadem extinctorum admoti fuerant. Quamprimum corripi illa coëpiſſent, *horrorem* modo *univerſalem*, modo *particularem* perſenſiſſe, cui tamen calor febrilis proportionatus, externe ſaltem perceptibilis, neutiquam ſucceſſerit: quem tamen interius eo vehementiorem eſſe oportuerit, quod ſiti immenſa laboraverint, quam tamen potulentis ſufficientibus reſtinguere, nefas duxerint. Triſtitia a primo ſtatim invaſionis tempore correpta fuiſſe, capite infra præſepia demiſſo auribuſque pendulis. Anorexiam communem fuiſſe omnibus, fœda lue coinquinatis. Excrementa primis duobus diebus admodum fuiſſe indurata, tertio ſucceſſiſſe diarrhœam tam vehementem, ut ad unum vel alterum paſſum excrementa, loturam carnium referentia, fuerint projecta; ſecutum in quibuſdam fuiſſe ſanguinem ſincerum, omnia vero excreta peſtilentem ac ferme intolerabilem fœtorem exhalaſſe, quem ipſa quoque ſana animalia perferre ægerrime potuerint, imo, eo vix percepto, mugitu atque boatu horrendo averſionem ſummam teſtata eſſent. Pleriſque multum aquæ limpidæ ex oculis ſtillitaſſe. In nonnullis hypochondria vehementer contracta fuiſſe, alia cum anhelitu; alia ſat placide reſpiraſſe. Tertio alia, quædam quarto morbi die periiſſe, quædam vero illorum ſeptimum ſupervixiſſe. In vaccis lactantibus deficere lac coëpiſſe, & perpaucum, quod fuderunt, tenue fuiſſe & aquoſum: gravidas vero abortum paſſas eſſe. Qua tandem ratione contagium huc translatum ſit, ſe quidem ignorare profitebantur, ſuſpicari tamen, boves lue contaminatos finibus eorum appropinquaſſe, ſicque ſuo quoque gregi malum ſucceſſive communicatum eſſe.

§. VIII.

§. VIII.

Ne quis vero exiſtimet, luem noſtra inter pecora hodie graſſantem, alterius forte indolis eſſe, quam quæ bovilia & armenta aliarum regionum devaſtavit, agedum, excutiamus tantum principes, quæ morbum iſtum comitatæ ſunt, circumſtantias, atque obſervatis per extiſpicia factis comparemus, morbumque per omnia ſibi ſimilem eſſe conſtabit. Neque enim audiendi hic ſunt, qui falſo ſibi perſuadent, judicia, quæ ex ſectionibus & inſpectionibus cadaverum, malignis & contagioſis morbis denatorum hauriuntur, incerta, infida & utplurimum fallacia eſſe; ipſa enim lues illa, quæ nunc bovillum genus exercet, & continuos aliquot annos in principalioribus totius Europæ regnis atque provinciis proh dolor exercuit, opinionem iſtam falſitatis aperte convincere poteſt, cum, quæ ab aliis æque ac a nobis ipſis obſervata in extiſpiciis facta ſunt, planiſſimam nobis viam pandant, ad indolem peſtiferi mali penitiſſime cognoſcendam, ſicuti paulo inferius clariſſime patebit.

§. IX.

Ut ergo ſectionibus hiſce atque inſpectionibus cadaverum ſua maneat laus, dignitas atque utilitas, faciamus periculum, & ex paralleliſmo obſervationum, quas hoc modo ſibi compararunt alii, ſimilitudinem luis colligamus. *Joſephus Lanzonus*, qui contagioſam iſtam boum luem, annorum 1713. & 1714. in Ducatu Ferrarienſi deſcripſit, pleraque quidem viſcera ſana, ſed *omaſum* in quibuſdam correptum *ſphacelo* deprehendit: qua de re Ephem. N. C. Cent. 3. & 4. obſ. 151. p. 347. videantur. *Lanciſius* præter oris fauciumque ulcuſcula, etiam œſophagi, omaſi pulmonumque livorem obſervavit. In eo præterea, qui tertia morbi die perierat, bove, duriuſculam fœni maſſam, qualem nos etiam deteximus, adnotavit: in altero vero, qui ſexta ab inſultu morbi die mortuus erat, cum hepar & inteſtina tum pulmones ſphacelo tentatos, ac denique in tertio cor ac cerebrum corrupta, propemodum diffluxiſſe vidit. Permulti alii medicorum Italorum, qui cadavera aperiri juſſerunt, itidem, ut nos, cyſtidem felleam, naturali multo majorem, multaque corrupta bile repletam offenderunt. Alii pulmones hydatidibus obſeſſos & vomicis diſtentos atque laceratos conſpexerunt. Reliqua vero viſcera a ſanitatis ſtatu parum abfuere.

§. X.

Ipſa vero ſymptomata boum, maligno hoc contagio coinquinatorum ſic deſcribit modo allegatus *Lanzonus*: correptos malo boves cibum reſ-

puiſſe, aures ſubito collapſas procidiſſe, piloſque erectos fuiſſe, tremorem pene univerſalem corpus occupaſſe, ex oculis lacrymas, & naribus multum lymphæ exiviſſe, alvum ſolutam, & in aliquibus puſtulas ſub cute effloruiſſe, adeo ut nonnulli crediderint, variolis boves eſſe adfectos, tandemque ſeptem dierum ſpatio, magno cum cruciatu, ſicuti ex mugitu ille haud vane conjecit, concidiſſe.

§. XI.

Hiſce ſimiles pluresque alias circumſtantias in animantibus lue hac correptis adnotavit *Lanciſius*, quæ huc fere redeunt: ſubito nempe mœrere cœpiſſe, caput demiſiſſe, e languidulis oculis lacrymas, ex naribus copioſum mucum oreque copioſam ſalivam effluxiſſe; febri interea cum horripilatione correpta & alimenta nauſeantia humi jacuiſſe; linguam fauceſque ulcuſcula ſummo cum ardore obſeſſas tenuiſſe; ſiti admodum divexata animalia multum potaſſe, poſtea vero a potu ciboque abſtinuiſſe & idcirco, cum nec deglutire nec ruminare amplius potuerint, inedia ſitique ad interitum deducta fuiſſe, alvo ſæpe ſæpius lubrica dejectiſque fœtidis, variegatis & interdum cruentis humoribus. Pleraque putido gravique anhelitu, haud raro cum tuſſi, primam intra hebdomadem periiſſe; quæ vero ad alteram pertigerint (quorum tamen perpauca fuere) evadere conſueſſe, præſertim ſi, cadentibus pilis, cutis exaſperaretur, aut, facto ad nates & crura decubitu prohibiti eſſent.

§. XII.

Poſtremo, ne quicquam, quod ad perfectam *morbi* hujus *pecuarii* hiſtoriam concinnandam requiri poſſe videtur, jure a nobis deſideraretur, non noſtra tantum, ſed & aliorum obſervata abunde confirmata, ſed & alia plura detecta eſſe deprehendimus. Obſervarunt nonnulli linguam admodum inflammatam, in cujus etiam ſuperficie copioſas aphthas conſpexerunt. Et quis dubitet, quin etiam fauces, œſophagum ventriculoſque adnexos occupaverint? Quædam iſtorum pecorum ophthalmia laborarunt; alia pertinacem alvi obſtructionem experta, alia vero diarrhœa correpta fuere; in nonnullis urina recte ſe habuit, in aliis vero materiæ purulentæ ſimilis viſa eſt; ut taceam, illorum non pauca mictui cruento obnoxia facta. In quibuſdam circa ambitum inteſtini recti ecthymata, carbunculos vel petechias repræſentantia, in aliis vero vibices eſſe detectas. In aliis toto corpore puſtulæ emicuere, quibus ruptis ichor tenax & ſanguinolentus effluxit. In nonnullis denique tumores circa collum, abdomen, pectus & artus poſteriores animadverſi, quibus maturatis & vel ſponte ruptis vel lanceola apertis, magma quoddam, loturæ

car-

carnium haud abſimile, una cum craſſo, nigricante atque coagulato ſanguine copioſe effluxit.

§. XIII.

Omnibus hucuſque enarratis circumſtantiis addere illas adhuc liceat, quæ *ſubjecta* concernunt, quæque ſuo quodam jure ad hiſtoriam cladis bovillæ pertinent. Ejus generis ſunt: vaccis, tauris, ut & vitulis præ ſenioribus, inprimis bobus aratoribus & emeritis magis infenſam fuiſſe; hos, contagio licet correptos, præ illis certius ac citius convaluiſſe; quo obeſiora & habitiora fuere animalia, eo certius etiam atque citius malo tentata periere: quo vero graciliora, eo mitius cum illis actum eſt. Quam plurimæ vaccæ abortivere, ſicque maximam partem ſervatæ ſunt; id quod animadvertentes alii, remedia abortiva vaccis gravidis dedita opera exhibuerunt, ſatius judicantes, matrem quam fœtum ſervari.

§. XIV.

Quod ſi nunc ea omnia aut eorum ſaltem illuſtriora, quæ partim extiſpiciorum beneficio explorata, partim vero in univerſo morbi decurſu obſervata ſunt, mentis obtutui denuo ſiſtamus, habebimus totidem data ac veluti præmiſſas, ex quibus tam ad naturam, quam ad cauſſas cladis hujus clarius pernoſcendas via nobis pandetur. Sunt autem principaliores circumſtantiæ, quæ ſequuntur:

(1) Sanguinem, venis emiſſum, nigricantem atque grumoſum, omneſque partes muſculoſo-carnoſas lividi coloris cum inſigni flacciditate adparuiſſe.

(2) Primo luis inſultu totum quidem corpus contremuiſſe, at principaliter in primis viis, ore, faucibus, œſophago atque ventriculo vim ejus ſeſe exeruiſſe, teſtibus ulcuſculis, quæ dictis in partibus, imo lingua ipſa conſpecta ſunt; quibus ruptis materia magnæ acredinis effluxit, quæ, præterquam quod halitum tetrum atque graveolentem exſpiraverit, inſuper non ipſas modo illas partes earundemque confinia excoriavit, ſed & eorum manibus inflammationem adfricuit, qui eluendis illis ſuam navarunt operam.

(3) Secundo vel tertio morbi die anorexia correpta pecora a ruminatione quoque abſtinuiſſe, inertia mœruiſſe, & ex ore copioſam ſalivam, ex naribus mucum & ex oculis tenuiſſimum ſerum ſtillitaſſe.

(4) In pleriſque bilem copioſam eamque corruptam & æruginoſam in cyſtide ſolito ampliore repertam, indeque ad duodenum tranſmiſſam, cauſtica ſua acredine non huic tantum, ſed & continuis reliquis inteſtinis ruborem & inflammationem, eaque tempeſtive non ſoluta gangrænam

ac tandem ſphacelum induxiſſe; unde nigricantia ea non tantum hinc inde conſpecta, ſed & admodum extenuata, ut levi opera diffluerent & intolerabilem fœtorem exhalarent. Præceſſerunt communiter frequentes alvi dejectiones, & quidem materiæ admodum fœtentis ex flavo viridescentis, interdum ſtriis ſanguineis notatæ, interdum vero puri quidem ſanguinis, ſed a vivido ſuo atque purpureo colore longe alieni.

§. XV.

Sunt vero hæc omnia evidenti mihi argumento, ſubtiliſſimum ac penetrantiſſimum miaſma, ore naribuſque ab animali ſano hauſtum, fulminea celeritate per univerſum corpus ſeſe diffundere, præcipue vero ſanguini ejuſdemque craſi infenſum eſſe, quam tamen non tam diſſolvendo, quam potius coagulando deſtruit; quare etiam nigricans & grumoſus à nobis æque ac aliis eſt conſpectus. *Ramazzinus* in diſſertatione *de contagioſa epidemia boum* teſtis eſt oculatus, ex bobus à laniis extinctis ac deinde diſſectis, parum ſanguinis, licet adhuc calerent, exſtillaſſe, eumque inſuper craſſum fuiſſe & coagulatum. Neque ad aliorum Auctorum obſervationes provocare veretur, qui eandem hancce cruoris concretionem in aliis quoque malignis febribus detexerint. Inprimis vero ex *Petro Salio* refert, in quadam, maligna tali febri extincta ſanguinem in arteria magna ita concretum eſſe repertum, ut, *prehenſo illius ſanguinis altero principio, totus coaleſcens, ita integer fuerit extractus, perinde ac gladius e vagina extrahi ſolet.* Et quanquam hic ſanguinis ſtatus communi ſenſui admodum repugnare videatur, ocularis tamen inſpectio eundem ſatis confirmat, eidemque analogam conſtitutionem etiam in polypoſis concretionibus conſpicere licet.

§. XVI.

Neque vero maligni atque peſtiferi hujus fomitis vis atque efficacia per ſolam ſanguinis maſſam ſeſe diffundit ejuſdemque mixturam invertit atque deſtruit, ſed & lege circulationis totum corpus peragrat, omnibuſque tam ſolidis & ſolideſcentibus, quam fluidis partibus hanc ſuam feritatem communicat & adfricat: hinc eſt, quod omnes partes carnoſo-muſculoſæ vivacitatis ſolitæ expertes ac livido potius colore defœdatæ fuerint conſpectæ. Alii in partibus modo memoratis ſtrias nigricantes, quaſi putredine jam correptæ eſſent, deprehenderunt: unde etiam horrendum de ſe fœtorem ſparſerunt, &, niſi cadavera talia quam citiſſime terræ mandata fuerint, brevi temporis intervallo in celerrimam ſimulatque abominabilem putrefactionem abiere. Nonnulli *omaſum* alba, craſſa, ſteatomatica, ſubinde lapidoſa vel calciformi, ſed ſimul fœtidiſſima materia refertum, interdum ſphacelo actu adfectum conſpexerunt, cum

cum interea in ore interno, faucibus atque œſophago hydatides vel puſtulæ quam plurimæ occurrerent. Similiter puſtulas tales in hepate, liene aliiſque viſceribus detexerunt alii; ut taceam, quædam illorum plane putrida fuiſſe deprehenſa. In pulmonibus permultas quidam vomicas, in cerebro phlegma quoddam admodum fœtens, alii ulcuſcula, materia ſanioſa, intolerabilem fœtorem exſpirantia, repleta detexerunt. Imo ne ipſis quidem duriſſimis ac ſolidiſſimis partibus, nempe oſſibus, peperciſſe virulentum contagium, id evidenti argumento eſſe poteſt, quod medullam in illis omnem omnino abſumptam deprehenderint, qui illorum ſcrutinio ſuam impendere operam, conſultum duxerunt.

§. XVII.

Quid dicam de aliis *fluidis*, in quæ non minus, ut in ſanguinem ipſum, malignum miaſma virulentiam ſuam exeruit? Hinc eſt, quod in cyſtide fellea, naturali longe ampliori (qualis ejuſdem conſtitutio etiam in *peſte Dantiſcana*, teſtantibus cadaverum ſectionibus, obſervata fuit) bilem & ſolito copioſiorem & æruginoſam faciem præ ſe ferentem ad unum omnes conſpexerint; quæ deinde ad inteſtinum duodenum ac reliqua tenuia translata vi acredinis cauſticæ, quæ inducta eidem fuerat, inflammationem, gangrænam ac ſphacelum in illis cauſſata eſt; ſicuti phænomena hæc & ſymptomata bovillæ peſtis *Lucas Schroeckius*, in deſcribenda conſtitutioue epidemica Auguſtana Anni 1711. & ſequentium occupatus, eodem fere ritu delineat: nempe hoſtile miaſma ventriculum una cum inteſtinis primum omnium adgreſſum eſſe, illiſque non inflammationem tantum induxiſſe, ſed & ipſam eorum ſubſtantiam ad fœdam putrilaginem diſpoſuiſſe. In permultis tamen ſanguineas, in aliis fœtidas ac purulentas excretiones, ut dyſenteriæ malignæ ſpeciem præ ſe tulerint, præceſſiſſe, idem Ephem. N. C. Cent. 3. & 4. Append. p. 22. pluribus commemorat.

§. XVIII.

Quid vero juvat hæc omnia, tam quæ per extiſpicia, quam ſedula obſervatione eorum, quæ toto luis hujus bovillæ decurſu innotuerunt, tam prolixe recenſere? Multum profecto; quia viam nobis præmonſtrant, non ſolum naturam ejuſdem exactius cognoſcendi, ſed & in ipſum modum, quo ſenſim propagata fuit, intimius penetrandi. Audenter proinde adſerimus, pecuariam iſtam luem nihil eſſe aliud, quam *febrim peracutam*, admodum *malignam*, *contagioſam* & *inflammatoriam*, conjunctam cum horrore, eidemque ſuccedente æſtu interiorum, ſiti, inappetentia, ſubito virium lapſu aliiſque ſymptomatibus.

§. XIX.

Febrim dum voco *pecuariam* hanc *adfectionem*, nec ſine exemplo, nec ſine auctoritate multorum præſtantiſſimorum medicorum, qui in genuina ejus indole rite perveſtiganda deſudarunt, id facio. *Ramazzinus* in diſſertatione ſæpius allegata diſertis verbis *febrim* adpellat, idque ex *frigore*, *rigore*, *horripilatione*; mox ex *calore* acri & vehementi; per univerſum corpus diffuſo; cum *pulſus frequentia* aliiſque ſymptomatibus; febri familiaribus rectiſſime colligit. Et licet forte, quod à nonnullis objici poſſet, *ſpecialiſſima directio ac deſinitio motuum febrilium*, *typiis*; *ordo* & *criſis conſtans proprie dicta* deficere in ea videantur; id tamen non impedit, quo minus *febrium* claſſi *bovilla* hæc *lues* adnumerari mereatur; licet hæc omnia in tam perfecto & exquiſito gradu in brutino; ſicut in humano genere non obſerventur. Neque contrarius nobis eſt *Lanciſius* aliique, idem cum eo ſentientes, qui *peſtis* nomen eidem tribuunt: quia *peſtis* revera nihil aliud eſt, quam *febrium malignarum*; epidemice graſſantium, ſummus & exquiſitiſſimus gradus, cum *horrore*, *æſtu* & *ſiti*, inprimis vero cum *ſubitanea virium proſtratione* & *lipothymicis adfectibus* conjunctus.

§. XX.

At vero, ne ſolis decertare videamur auctoritatibus, id quod medicis & minus ſolemne & minus honorificum eſſet ſolet, idem ex ipſius rei natura probatum facile dabimus. Nulla eſt febris, quæ non cum ſenſibili actuum tam vitalium quam animalium alteratione ſit conjuncta; idem in ea, quæ bovillum hucuſque genus exercuit, clade contingere; manifeſtum eſt ex inſigni illa mutatione; quæ tam in *tono*, quam etiam in *pulſu* cordis obſervatur. Tonum eſſe alteratum, evincit *horror*, qui ſubinde totum corpus, ſubinde aliquas tantum ejus partes occupavit, cum extremorum refrigeratione, deinde *rigor*, *horripilatio*, & *reſpiratio* valde *anxia* & *anheloſa* cum *hypochondriorum contractione* ſtipata. Pulſum cordis admodum *frequentem*, qui ſine dubio cum *celeritate* conjunctus fuit, exacte detexerunt, qui manum regioni iſti admoverunt. Hos inter *Lanciſius*, qui epidemicam hanc adfectionem curioſe non minus, quam adcurate perveſtigavit, ſibi viſus eſt in arteriis carotidibus & axillaribus & celeritatem & frequentiam pulſus obſervaſſe. Animalium denique actionum læſionem incurriſſe pecora, clare hac adfecta, ex capitis inclinatione verſus terram, demiſſione aurium, notabili virium proſtratione & quadam veluti impotentia ad motum aliiſque indiciis clariſſime patuit. Ut taceam, *anorexiam* & totalem tandem à cibis *abſtinentiam*, *ſitim*, aliaque febrilia ſymptomata univerſum hoc negotium tanto clarius certiuſque reddidiſſe.

§. XXI.

Eandem hanc *febrim* diximus etiam *peracutam*; quia animalia, contagio hoc correpta, brevi temporis ſpatio periere: *Lanciſius* enim teſtis eſt, permulta præcoci morte, quaſi fulmine tacta, interiiſſe; id quod etiam in peſtilentia, homines adfligente, ſaltem circa ejus initia, ubi ſævitiam omnium maximam plerumque exercere ſolet, obſervarunt alii. Quam plurima illorum tertio vel quarto morbi die occubuerunt. Pauciſſima ſeptimum ſupervixere, eaque, in quibus paulo longius protractus fuit morbus, ut plurimum aliqua excretionis ſpecie laborarunt, quæ tamen eadem in omnibus facie ſeſe non exhibuit, ſed aliis copioſa fœtenſque materia ex naribus oreque effluebat ſpeciemque *ſalivationis* quaſi formabat; aliis in lingua & faucibus erumpebant puſtulæ nigræ vel rubræ, viſcidum fœtentemque humorem eumque tam acrem & corroſivum fundentes, ut foraminula quædam ſubinde ſatis profunda dictis in partibus relinqueret. Alia in *diarrhœam*, quæ haud raro in *dyſenteriam cruentam* degeneravit, incidebant. *Carbunculi* vero vel *furunculi* in pauciſſimis fuere obſervati, id quod fortaſſis denſitati vel craſſitiei cutis in hoc brutorum genere adſcribendum eſt.

§. XXII.

Porro eandem hanc *febrim* ſumme etiam *contagioſam* vocavimus; id quod ſequentes potiſſimum rationes clariſſime evincunt: nam *primo* ex *ſucceſſu infectionis ratione temporis* id tuto colligimus: quia non ſimul & ſemel, ſed *ſucceſſive* modo in hoc, modo in illo regno atque provincia ſuam exercuit virulentiam, & quidem, quod juſtam inprimis animadverſionem hic meretur, indiciis contagioſæ ſuæ indolis uſque adeo manifeſtis, ut in ipſos plane ſenſus incurrerent. *Lanciſius*, cujus jam aliquoties perhonorificam fecimus mentionem, initium *peſtis bovillæ*, quæ totam deinceps Italiam devaſtavit, ab unico bove, navi ex Hungaria advecto, repetit, qui, lue iſta peſtifera infectus, primum *Patavina*, deinde ſenſim reliqua *Dominationis Venetæ* armenta, coinquinavit, mox *agrum Mediolanenſem*, tum finitimas uſque ad *Ferrarienſem* ditiones lues occupavit, tandemque in regnum uſque *Neapolitanum* pomœria ſua extendit, ſed nullibi, niſi *ſucceſſive*. *Lanciſio* adſtipulatur *Lucas Schroeckius*, qui probaturus, non forte ex vitio aëris, vel alia quacunque cauſſa communi, ſed ex contagio natales ſuos derivaſſe peſtilens malum, quod Anno 1711. & ſequentibus in Germania Italiaque luctuoſa ſui ubique veſtigia reliquit, recte allegavit, *illa primum loca, ubi paſcuis frui bobus ex Hungaria adductis licuerit, luem invaſiſſe, armentis vero omnino peperciſſe, ad quæ illi vel alii ab his infecti haud pervenere, atque ubi conſor-*

tium

tium illorum, *ad quos contagium jam penetraverat*, *evitatum fuit.* Huic adjungo *Kanoldum*, qui in hiſtorica *peſtis* hujus *bovillæ* deſcriptione ubique ſedulo inculcavit, in nulla plane regione eandem exarſiſſe, quin manifeſta contagioſæ indolis indicia ubique conſpicienda ſeſe præbuerint.

§. XXIII.

Deinde eandem hanc *bovillæ cladis contagioſam* propagationem ipſa quoque autopſia ſatis evincit, qua quippe conſtat, boves ſanos, ſolo olfactu infectos, vel alias res contagio coinquinatas explorantes, ſibi malum iſtud conſciviſſe: ubi tamen non æque craſſo phyſico contactu opus eſt, ſed, cum tenuiſſimæ ſimulatque activiſſimæ & valde penetrantis naturæ ſit, ſolus afflatus ſufficit. Unde etiam, qui induſtria omni caverunt, ne pecora ipſorum ad paſcua communia, jam actu infecta deducerentur, vel aliena contagii ſuſpecta in illorum ditiones admitterentur, imo qui homines ipſos, ab infectis locis adventantes, ſollicite arcuerunt, ne loca à contagio adhuc libera frequentarent, vel per canes, equos aliaque animalia malum deportaretur, illi etiam per *Dei* gratiam ab eodem liberi atque immunes manſere; imo, licet hic & illic gliſcere cœpiſſet, tali tamen ſollicita cura ulterior graſſatio & propagatio ejuſdem fuit impedita.

§. XXIV.

Modus tamen mutuæ hujus communicationis non unus, ſed varius eſt: aut enim unum animal, lue hac contaminatum immediate inficit alterum ſanum; vel homines ipſi, quorum veſtimentis miaſma peſtilentiale inhæret, ex uno loco in alium illud transferunt; id quod etiam per canes, feles, quorum quippe animalium pilis ſimiliter adhæreſcit, fieri poteſt; vel ex pratis, in quibus animalia infecta paſcere ſolita ſunt, ope ſalivæ aliis communicatur; idemque fieri poteſt, ſi communi fonte utantur tam ſana quam infecta animalia; vel ſi animalium mactatorum ſanguis in terram profuſus debite non abluatur, vel ſollicite terra cooperiatur, imo ipſa quoque excrementa ab infectis rejecta, horrendumque fœtorem ſpirantia, aliorum ſanorum olfactui expoſita maneant. Taceo, ſtraminibus, fœno, ſaccis, equorum tegminibus, imo veſtimentis equiſonum pertinaciter innidulari peſtilens venenum, eoque modo ad loca admodum diſſita ſæpius transferri & communicari poſſe; probabile tamen eſt, per os potius & nares, quam per habitum cutis poroſum contagium peſtilens propagari: qua de re *Lucam Schroeckium* in deſcriptione *conſtitutionis epidemicæ Auguſtanæ* Ephem. N. C. Cent. 3. & 4. Append. p. 24. prolixius diſſerentem legere licet.

§. XXV.

§. XXV.

Eandem hanc *febrim malignarum* ſeriei adſcribere nulli dubitavimus; non pauca enim ſunt, quæ malignitatem, contagio iſti complicatam evincunt. Nam primum lues hæc effectum ſuum lethalem brevi temporis intervallo exerit & longe lateque diffundit; deinde eadem propemodum forma iiſdemque ſymptomatibus, in diverſis tamen regionibus, ſub diverſo etiam climate diverſaque aëris temperie vim ſuam deleteriam exercet medelamque vix ullam admittit. Accedit ſubitaneus virium lapſus & deſperabundus actuum & motuum vitalium neglectus, qui, ſicuti aliis febribus malignis, homines adfligentibus, familiaris eſt: ita de *malignitate pecuariæ* hujus *cladis* dubitare nos non ſinit. Nec obſtat, quod *Ramazzinus*, obſervaſſe ſe, citata oratione ſcribit: vires nempe horum animalium, etiam in ipſo morbi vigore, ſic ſatis validas fuiſſe: e ſtabulis namque educta & per campos circumducta, experiundi cauſa, num herbam aliquam depaſcere velint, robuſte inceſſiſſe, ſuæque libertati relicta ad ſtabula reverſa eſſe: ex hiſtoria enim morbi ſuperius adlata conſtat, ad mœrorem potius torporemque propenſa fuiſſe animalia, quam primum peſtilenti malo correpta eſſent, caput demiſſum aureſque pendulas exhibuiſſe, nec multum à ſtatu illorum, qui adfectu quodam ſoporoſo laborarunt, aliena fuiſſe.

§. XXVI.

Denique *inflammatoriam* adpellavimus eandem hanc *febrim*, idque paulo audentius; quam alii, qui titubanter & cum aliqua quaſi hæſitatione id fecerunt, *ſemi-inflammatoriam* eandem vocantes. Quid vero fluctuatione opus eſt in re manifeſta? Illi enim, qui, cadavera horum animalium aperiri, conſultum duxerunt, linguam in quibuſdam inflammatam & veſiculis rubris refertam, ventriculum quoque, præſertim *omaſum* & inteſtina non minus inflammata, quam fœda etiam putrilagine correpta & corrupta deprehenderunt. Ut non improbabile jam ſupra nobis viſum ſit, virus hoc malignum, ore naribuſque hauſtum, primum quidem in ſanguinem reliquaque fluida, deinde vero in ipſas quoque partes fibroſas ſolideſcentes, ac primas potiſſimum vias vim ſuam exeruiſſe, iiſque *inflammationem* & *gangrænam* tandemque *ſphacelum* induxiſſe.

§. XXVII.

Quod ſi nunc, ſatis expoſitis iis, quæ ad naturam peſtilentis hujus mali penitius cognoſcendam faciunt, ad *pathologico-ætiologicas conſiderationes* pedem promovere placeat; ante omnia & quaſi in anteceſſum mo-

nendum eſt, dedita nos opera à cauſſa prima metaphyſica hic eſſe abſtracturos. Quamvis enim ignoremus neutiquam, *Deum*, quod etiam haud raro comminatus eſt, hæc mala ſubinde immediate immittere hominibus, ut eos abuſuum, quos hoc vel illo beſtiarum genere perfrequenter commiſere, commonefaciat: magis tamen decere videtur medicum, de *phyſicis* potius quam *metaphyſicis* cauſſis ſollicitum eſſe. Quo ipſo ſimul opprobrium illud, quaſi falcem ſuam alienam in meſſem immittere geſtiat, caute evitabit.

§. XXVIII.

Si vero in *cauſſam* potiſſimum *proximam* hujus *epidemiæ*, à qua non modo profluxerit, ſed & variis deinde caſibus eventibuſque in hanc brutorum ſpeciem propagata fuerit, inquirendum nobis ſit, audacter adſerere nulli dubitamus, quin à *contagio maligno miaſmate*, ore naribuſque hauſto, ſuam derivet originem. Hoc enim, veneni inſtar, corruptionem putredinoſam, ad quam ſponte inclinat, inducit primum ſanguini reliquiſque humoribus, deinde vero, niſi vel ipſa naturæ autocratia vel medicamentis congruis tempeſtive vel penitus corpore eliminetur, vel ſaltem ad alia ignobiliora loca transferatur, ipſas quoque partes ſolidas & viſcera male adficit, quæ quippe eadem hac corruptione ſphaceloſa ſenſim occupata, totum tandem corpus interitui relinquunt. Quod vero nos *miaſma contagioſum* vocamus, alii vel *contagium* ſimpliciter, vel *fermentum contagioſum*, *malignum* atque *putredinoſum* adpellare malunt. Ubi parum intereſſe exiſtimamus, ſive hoc ſive illo vocabulo materiale illud *peſtis* hujus *bovillæ* principium indigitetur, dummodo in re ipſa, quod ſperamus, amicus ſit conſenſus.

§. XXIX.

Nemo autem hic à nobis expectet, ut peſtilentis hujus contagii, vel, ut nonnullis dicere placet, fermenti ſpecificam indolem ſecundum particularum ſuarum magnitudinem, figuram aliaſque accidentales proprietates modoſque deſcribamus: id enim partim impoſſibile partim inutile foret; quia, experientia teſte, parum vel nihil *alterantibus*, plus vero *evacuantibus* hic tribuendum eſt. Sufficere nobis poteſt, ex effectibus inſolentiſſimis ſimulque damnoſiſſimis, quos in corpore cauſſatur, ſatis naturam ejus conſtare. Id enim ratiocinando facile adſequimur, & ſubtiliſſimæ & ſimul activiſſimæ indolis in minima ſui mole, quod pleriſque venenis proprium eſt, *fermentum* hoc ſive *contagium* eſſe debere: quia, celerrime totum corpus peragrando, in fluidis craſin, in ſolidis vero texturam ſtructuramque, uno verbo mixtionem omnem ita intime per-

vertit atque diſſolvit, ut *putredinoſo-colliquativæ corruptioni* brevi temporis ſpatio relinquatur: quare etiam *motibus vitalibus*, inprimis *ſecretoriis* & *excretoriis*, quos alioquin natura, pro ſervando corpore ſuo molitur, ſummopere adverſatur, quæ proinde ad primum ſtatim ſenſum terrore perculſa, arma ſua quaſi deſperabunda abjicit, corpuſque totum ceu prædam morti relinquit.

§. XXX.

Quæ cum ita ſeſe habeant, alieni quidem ſumus à fabuloſa illa quorundam traditione, qua *peſtilentiale* illud *contagium* inſtar nebulæ cœruleæ viſibilis, qua non modo ab uno corpore in aliud tranſmigret, ſed & haud raro in rimas domus aliaſque latebras ſeſe abſcondat, ſuoque tempore priſtina virulentia denuo ſeſe prodat, præfigurare aliis lepide ſolent: interea tamen, uti neque craſſitiem illam ſenſibus obviam in eo admittimus: ita neque ſumme *volatilem* eandem eſſe, concedimus; quia veſtimentis inprimis laneis, pilis aliorum animalium, fœno, ſtraminibus aliiſque rebus & utenſilibus ſat diu ſatque pertinaciter nonnunquam inhæret, ut ad multa milliaria Germanica deferri ſeſe patiatur: unde ex orientalibus ad occidentales aliaſque mundi plagas haud infrequenter tranſportari, neminem, niſi rerum omnium olim geſtarum memoria deſtitutum, ignorare poſſe exiſtimamus.

§. XXXI.

Sunt autem *contagioſæ* hujus *luis* primi natales indagatu eo difficiliores, quo remotiores à nobis ſunt regiones, ex quibus ad nos alioſque tranſmittitur; id quod inprimis de *bovilla* hac *peſte* tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Quapropter fruſtra omnino labores ſuos impendunt, qui vel malignum cœli aſtrorumque adſpectum, vel ſingularem atmoſphæræ aëriæ corruptionem, vel inundationes hic & illic factas, vel prælia alicubi commiſſa vel alias quaſcunque cauſſas criminantur. Quid enim quæſo *adſpectuum Planeticorum*, ut ab illis dicendi initium faciamus, malignitas ad *pecora*, & quidem *cornuta* tantum & *ruminantia*? Quare reliquis omnibus animalium ſpeciebus faventiores ſunt, aut quare ſaltem eminenter nihil illis nocent? Aut, quare homines, qui tamen reliquis aliis animantibus ſunt ſenſibiliores, ſub iiſdem illis adſpectibus à *contagio* iſto penitus vivunt immunes? Certe enim Planetarum nullus, (ſola tellure noſtra excepta) ſua, quæ emittit, effluvia cum viventibus ſublunaribus communicat, vel ullam iiſdem alterationem inducit, ſive torvo & maligno ſive læto & benigno vultu ſe mutuo adſpiciant; omnia potius ad proprium gravitatis centrum relabuntur. Quare *Ramazzinus* Aſtrologos tales laute ridet, quando orationis ſuæ p. 15. ita

inquit: *Cœlum equidem non conſului, ut viderem, num ex aliquo maligno aſtrorum influxu peſtilentiæ bubuli gregis cauſſam divinare liceret, ut ex Saturni cum Marte ſyzigia in tauri ſigno; quemadmodum olim* Marſilius Ficinus *peſtis, quæ Anno* 1478. *totam Etruriam ac præcipue Florentiam depopulata eſt, cauſam retulit in conjunctione Martis cum Saturno in ſigno humano (quaſi aſteriſmorum in hæc inferiora virtus ab inditis nominibus eſſet petenda, ut, ſi forte hujuſmodi conjunctio obſervaretur in ſigno arietis & piſcium, poſſet aliquis ovilli generis aut marini populi excidium prædicere) ſed poſtquam, cum Juvenis eſſem,* Pici Mirandulani *libros adverſus Aſtrologos legi, Judiciariam a ſtudiis meis valere juſſi.*

§. XXXII.

Similiter pravam atmoſphæræ aëriæ conſtitutionem, nec non paſcua, maligno quodam rore infecta, omni culpa abſolvere hic nullus vereor. Non diſputo, an communes tales cauſſæ pecorariæ genti morbos quoſdam inducere valeant nec ne? Sed id tantum, &, ut mihi quidem videtur, jure nego, morbos tales per contagium mutuum propagari. Accedit alia vix ſuperabilis difficultas, cur vel prava illa aëris temperies vel prata rore maligno infecta ſoli tantum bubulo generi ſint inimica, reliquis animantibus cunctis, eodem aëre, iiſdemque graminibus utentibus innoxia? Conciliet hæc, qui poteſt, aut, cui operæ id pretium videbitur. Similiterque cum inundationibus & præliis hic & illic commiſſis comparatum eſt. Uti enim communes ſunt hæ cauſſæ: ita communes quoque morbos gignere poſſe, nemo ibit inficias. Hanc vero *bovillam cladem* contagio ortum ſuum debere, jam ſuperius probatum dedimus. Qui verminoſam in ſanguine putredinem ſibi imaginantur, ii verminoſam *Kircheri* hypotheſin dudum antiquatam inaniter tantum recoquunt.

§. XXXIII.

Ad *diagnoſin* devolutis, eo brevioribus eſſe licebit, quo certiores ſunt notæ, ſigna atque indicia, quibus ſeſe prodit *pecuaria lues.* Obſervari tamen in anteceſſum hic meretur, unam eandemque eſſe hanc bovilli generis adfectionem, quocunque demum in loco continua aliquot annorum ſerie graſſata ſit, non obſtantibus ſignis quibuſdam accidentalibus, quæ hic & illic ſeſe exeruere, & quæ proinde quandam morbi diverſitatem innuere videri poſſent. Eadem enim, aut certe non multum diſſimilia hic conſpiciuntur indicia, qualia ſunt horror febrilis, quem æſtus plus minus acris excepit, deinde adfectio quædam ſoporoſo-lethargica, ingens ac præceps virium lapſus, aliaque, quæ in hiſtoria morbi ſuperius notata ſunt, faſtidium nempe ciborum & ruminatio penitus abolita, capitis in terram inclinatio, aures pendulæ pluraque alia. Si quæ in his

vel

vel illis individuis obſervetur diverſitas, illa magis in *excretionibus* earundemque modo diverſo quærenda eſt: unde aliis cum gravi anhelitu materia quædam mucoſa atque graviter olens ex ore naribuſque effluxit; quibuſdam puſtulæ in lingua & faucibus erupere; alia fœdam alvi proluviem, ſubinde plane cruentam paſſa ſunt. In nonnullis, ad circumferentiam ſive ambitum cutis materia peſtilens extruſa, ibidemque ulcera, puſtulas atque tubercula in iis, qui evaſere, bobus excitavit. Aliis alia contigere.

§. XXXIV.

Non omnes tamen excretiones pari periculo expoſuerunt boves infectos. *Ptyaliſmus* non paucis fuit ſalutaris: laudat ejuſdem utilitatem in peſtilentia, homines adfligente, *Laurentius Giſelerus* tractatu de *peſte Brunſvicenſi* obſ. 106. ibidemque allegat exemplum mulieris quinquagenariæ, in qua, licet in ipſo peſtis fervore carbunculi cum bubone eruperint, nec tamen ad ſuppurationem vel maturationem pervenerint, ſalivatione tempeſtive ſuborta, materia peſtilens evacuata ſicque patiens ſervata fuit. Diarrhœa, inprimis cruenta, pleriſque funeſta fuit. Quibus in lingua & faucibus aphtæ ſunt exortæ, eorum aliqua individua ſervata ſunt. Vibices, hic & illic obſervatæ, lethales fuere. Pleriſque exitialis fuit hæc lues, vix enim tertium vel quartum ſupervixere diem. Qui evaſerunt, beneficio magis naturæ, quam arte ſervati ſunt boves. Obeſiores præ gracilioribus uti lui magis expoſiti: ita periculoſius etiam illi præ his laborant: ſenes contra & emeriti boves aratores uti contagioni; ita quoque periculo minus obnoxii fuerunt. Quæ vim luis feliciter ſuperarunt pecora, diuturno eoque vero virium defectu laborarunt; nec tamen eundem in adfectum, niſi rariſſimis forte exemplis, denuo inciderunt; id quod etiam in peſtilentia, inter homines graſſante, obſervarunt practici, niſi forte imperfecte fuerint judicati.

§. XXXV.

Commodum hoc loco, quo in *prognoſi* tradenda adhuc occupati ſumus, commodum, inquam, aut ſaltem non admodum alienum fuerit, illam quoque difficultatem ſolvere, quæ haud injuſte moveri hic poſſet: an non forte ſucceſſu temporis ab hac *bovilla lue*, quæ profecto nihil aliud eſt, quam febris maligna, contagioſa & inflammatoria, uno verbo, vera boum peſtis, hominibus juſte ſit aliquid metuendum? Conſulentes equidem practicorum annales, conſtanter adnotatum legimus, peſtilentia certum inter genus brutorum graſſante, reliqua omnia ab eadem immunia relinqui, omnium minime vero hominibus quicquam inde mali imminere: nihiloſecius tamen, quia non modo circa ſepulturam

pecorum, hac lue denatorum, negligentius verſantur homines, ſed & carnes bubulæ, quæ ſanæ creduntur, actu tamen infectæ ſunt, tam recentes, quam fumo induratæ & muria conditæ ab iiſdem devorantur: metus ſane non omnino injuſtus eſt, ne tandem corporibus humanis noxa quædam inde inferatur. Memoratu dignum eſt, quod *Lanciſius* Romæ obſervavit, nonnullos ſcilicet ob carnium talium infectarum eſum in diarrhœam & febrim incidiſſe. Similiter *Lucas Schroeckius* ex relatione D. D. *Johannis Mayeri*, Archiatri Elect. Palat. & Phyſ. Neoburgenſis memorat, *duobus ruſticis, cum bovem talem ægrotantem mactaſſent, & quia lienem pulmoneſque male conſtitutos invenerunt, ſepeliiſſent, carbunculos in brachiis fuiſſe exortos cum febre acuta, vomitu atque diarrhœa; duos autem canes, qui carnes iſtas* (infectas) *deguſtaverant, eodem die mortuos fuiſſe.* Nec ſilentio prætereundum exemplum a *Kanoldo* allegatum de lanione, qui, cum tumorem peſtilenti tali materia repletum aperiret, eaque cum vi exiliens, manum ejuſdem commacularet, in tumorem manus incidit: cui duas alias privatas obſervationes addere liceat de duabus mulieribus ruſticis, quarum utraque in mundandis & eluendis faucibus & lingua vaccarum infectarum occupata, inflammationem totius brachii inde incurrit, quarum altera feliciter evaſit, altera vero, quæ brachio inflammato butyrum liquefactam inunxerat, in gangrænam & ſphacelum incidit, ſicque, propria licet culpa, miſerrime periit. Ex quibus omnibus ſummam illam materiæ malignitatem colligere ſatis licet. Ut publica deinceps lege eſus carnium talium infectarum, aut de infectione ſaltem ſuſpectarum, ſive recentium ſive fumo induratarum vel muria conditarum rectiſſime prohibitus ſit.

§. XXXVI.

Quid vero tandem conſilii, ut peſtiferum hoc bovilli populi malum vel certius & ſolidius curetur, vel, ſi hoc ſperare cum fiducia non liceat, ulteriori ſaltem ejuſdem progreſſui obex ponatur, ne, quam comminari videtur, internecionem eidem tandem inducat. Nam, quod *therapiam* luis attinet, nihil ſane diſſimulo, ſuis eam difficultatibus utique laborare: cordatiores medici, qui bovillæ hujus contagionis naturam & phænomena ſatis ſibi nota & perſpecta reddidere, ingenue fatentur: nullum in hunc uſque diem certum atque ſpecificum remedium eſſe excogitatum; optandum ſaltem, innoxia fuiſſe; permulta nocuiſſe potius, quam profuiſſe, dubio omni caret. Accedit, curandi methodum, qua peſtilens virus vel enervari & inverti vel bruto corpore eliminari poſſet, mere fuiſſe empiricam, nulli certæ indicationi ſuperſtructam, cum tamen æque rationalem in brutinis, quam humanis morbis percurandis tandem eſſe oporteat. Has denique difficultates non parum auget ſingularis illa *anomalia*, qua cornigera hæc & ruminantia animalia reſpectu orga-

organorum, aſſumptioni, concoctioni ac diſpenſationi alimentorum inſervientium, non modo ab omnibus reliquis brutorum ſpeciebus, ſed & potiſſimum ab homine ipſo diſcrepant. Ut enim de *ventre magno* & *reticulo* nihil moneam, *omaſus* certe & *aboma/us* tantæ ſunt amplitudinis, tantaque alimentorum quantitate referti ventriculi, ut profecto medicamentorum vis multum infringi & obtundi debeat, antequam per reliquum corpus rite diſpenſari vel ſolummodo ad inteſtina tenuia, quæ in hac *bovilla adfectione* potiſſimum adfecta & inflammatione correpta ſunt, penetrare poſſit.

§. XXXVII.

Hiſce tamen difficultatibus nihil obſtantibus, omnem movebimus lapidem, ut, vitata omni *irrationali empiria*, peſtilentis hujus adfectus curatio, certioribus magiſque rationalibus indicationibus ſuperſtruatur. Fiet id, dummodo ad has *præmiſſas*, quas & inſpectio ocularis cadaverum & hiſtoria morbi nobis ſubminiſtrarunt, rite attendatur. Pateſcet hinc, contagium venenoſum ab animali ſano hauriri vel naribus vel ore, quandoque tamen etiam, licet forte rarius, per habitum cutis poroſum admitti. Si naribus excipiatur, breviſſimo temporis intervallo una cum aëre per tracheam & bronchia ejuſdem tranſibit ad pulmones, ibidemque ſanguini permixtum, lege circulationis diſpenſabitur toto in corpore, ſicque non modo fluida in craſi, ſed & ſolida in textura atque ſtructura alterabit & ad corruptionem putredinoſam diſponet. Si vero per os idem admittatur, coinquinabit humorem ſalivalem ejuſdemque ope, ſi una cum alimentis deglutiatur, univerſum canalem alimentarem. Fluent hinc ſequentes indicationes, quarum *prima* hæc eſt: contagium peſtilens in humorum maſſam receptum quantocyus, ne profundius eidem inniduletur, ejiciendum eſſe. *Altera* hæc eſt: idem illud malignum atque contagioſum fermentum maturius per tonſillas, parotides, aliaſque glandulas ſalivales oris, palati &c. quantacunque id fieri poteſt, celeritate eliminandum eſſe, priuſquam primis hiſce viis notabilem aliquam labem adfricare queat. Priori caſu *Bezoardica* & *Alexipharmaca*, poſteriori vero *ſalivantia* indicari, manifeſtum eſt.

§. XXXVIII.

Prius vero, quam utramque hanc indicationem ſtrictius perſequamur, de remediis univerſalioribus ita dictis eorundemque utilitate noſtram dicemus ſententiam. Principem in his locum concedimus *venæſectioni*, de qua tamen veriſſime valet, quod vulgo dici conſuevit: laudatur ab his, culpatur ab illis. *Ramazzinus*, licet *phlebotomiam in omnibus epidemiis ſuſpectam eſſe*, facile concedat: in hac tamen *bovilla febre*, quam *inflammato-*

mato-

matoriæ indolis eſſe, recte nobiſcum agnoſcit, eandem non modo ſalutarem, ſed & neceſſariam fore ideo credit, quod, cum *bovis cruor ex ſua natura ſit valde craſſus & ad facilem concretionem pronus*, *atque venenum iſtud de illorum ſit genere, quæ maſſam ſanguineam coagulandi vim habent*: hinc nullo alio remedio, quam ſanguinis miſſione laboranti & ob ſanguinis concretionem in vaſis ſanguifluis anhelanti animali promptius & facilius ſuccurri poſſe exiſtimat. Cum vero conſilium hoc *à priori* tantum petitum ſit, nullo vero experientiæ ſuffragio ſuffultum eſſe videatur: facerem potius cum *Lanciſio* aliiſque, qui *venæ inciſione* nihil periculoſius eſſe obſervarunt, provocantes ad uſum, rerum omnium magiſtrum optimum, qui quippe plus una vice ipſos edocuerit, morbis contagioſis in genere & ſpeciatim *epidemiæ* huic *bovillæ* nunquam non damnum eandem intuliſſe, quotieſcunque *ſcopo curatorio* fuerit ſuſcepta: at vero *præſervationis* cauſſa inſtitutam longe fructuoſiorem fuiſſe, non pauci mihi adſeverarunt: quam tamen ipſam commendationem ulteriori adhuc experientiæ committendam eſſe, non abs re ſuaſerim. Eluſiſſe contagium, nullo certo experimento conſtat. In peſtilentia, quæ A. 1708. in *Pruſſia* & A. 1709. *Dantiſci* graſſata eſt, & multa hominum millia abſorpſit, VSio ſemper nociva fuit deprehenſa.

§. XXXIX.

De *purgantibus*, inprimis *draſticis*, idem ſentimus. Etiamſi enim natura ipſa ad hanc excretionis ſpeciem inclinare videatur, cum pleraque pecora, lue hac infecta tertio morbi die in diarrhœam inciderint: obſervatum tamen eſt, armenta utplurimum cum alvinarum dejectionum reſolutione ad interitum ſponte ſua deproperaſſe; ut proinde veneno omni pejora viſa ſint. Quare ſecundum hanc obſervationem examinari merentur omnes remediorum formulæ, quæ ingenti quidem verborum & laudum adparatu ceu lui huic contraria commendata ſunt, eandem tamen potius auxerunt quam levarunt; ut proinde *aloën*, *colocynthidem*, *folia ſennæ*, *agaricum* aliaque purgantia longiſſime abeſſe jubeamus.

§. XL.

Plus tribuerem clyſmatibus, ex ſolo lacte dulci, cui tamen herbæ emollientes & anodynæ incoctæ eſſent, præparatis, calideque injectis: hæc enim non bilem modo corruptam diluent & acredinem ejuſdem cauſticam temperabunt, ſed & fibras inteſtinorum ſpaſmodice adfectas, quin & motum eorum periſtalticum admodum exacerbatum mitigabunt & ferociam non minus, quam frequentiam dejectionum alvinarum commoderabuntur.

§. XLI.

§. XLI.

Aſt, miſſis univerſalibus, revertamur ad *indicationum curativarum primam*, quæ exigit, ut peſtilens miaſma, ſive naribus hauſtum, ſive per habitum cutis poroſum in corpus intromiſſum fuerit, quantocyus denuo eodem expellatur: optima enim hæc eſt & intentioni naturæ quam maxime conſentanea artificis methodus, qua contagium in corpus receptum in principio ſtatim, quo malignæ ejuſdem vires prodere ſeſe cœperunt, à centro ad circumferentiam extrudatur. Alterantibus enim parum vel nihil hic tribuendum eſt, cum nullum hucuſque ſpecificum ſit inventum, quod malo huic cum ſucceſſu opponi queat. Interea omnia medicamenta, quæ contra malignam hanc luem hucuſque commendata ſunt, aut inpoſterum commendabuntur, certum ſcopum certumque finem habere debent. Aut enim ſanguinem humoreſque ita diſponant neceſſe eſt, ut peſtiferum contagium nullam in eos efficaciam exerere queat; aut idem jam in humores receptum ita corrigere, alterare, invertere & obtundere, ut omni ſua priſtina, qua pollebat, energia exuatur; aut denique naturam ipſam excitare & ad certam evacuationis ſpeciem invitare debent; niſi enim quippiam horum præſtent vel præſtare poſſint, ceu inutilia meramque irrationalem empiriam ſpirantia ſunt repudianda. Cum itaque natura periphericam hanc excretionem ſubinde ſponte ſuſceperit, formando in ſuperficie cutis puſtulas, tubercula aliaque hujuſmodi, eaque methodus proſpere ceſſerit infectis animantibus: quid ni *Veterinarius* artificialiter eandem imitetur?

§. XLII.

Indicari hic *Bezoardica* & *Alexipharmaca*, palam eſt; non tamen calida vel æſtuoſa eſſe illa oportet, ſed temperatiora, uti ſunt ex radicibus *pimpinella alba*, *angelica*, *ſcorzonera*, *vincetoxicum &c.* ex herbis vero *ſcordium*, *dictamnus creticus* aliaque talia, quæ tamen omnia non modo in ſubſtantia & majori doſi, ſed & convenienti cum regimine exhibenda eſſent. In eo namque hucuſque peccatum eſt, quod animalia, quam primum de contagio ſuſcepto ſuſpicionem præbuere, à ſanis quidem fuerint ſeparata, ſed peſſimo non niſi conſilio factum eſt, ut, ſanis in ſtabulo relictis, ægra inde educerentur, & ventis, pluviis, frigori aliiſque aëris injuriis expoſita, certiſſimæ perniciei immolarentur: cum potius ſtabulis, rimis omnibus probe obturatis, includenda, ſtraminibus, fœno, ſaccis aliiſque operimentis ſollicite tegenda fuiſſent, ut, diaphoreſi placide provocata, eo ipſo peſtilens miaſma ſimul exterminaretur: pro quo fine ſalutariter obtinendo nonnulli camphoram accenſam & in aquam conjectam, ceu potulentum valde aptum, ad vim contagii

non modo perdomandam ſed & diaphoreſin placidam procurandam, non abſque omni ratione commendare ſolent. Exulare vero ex formulis talibus iterum jubemus adſtringentia quædam, uti ſunt *tormentilla* & *biſtorta*, quibus nonnulli, traditione majorum decepti, antidotalem efficaciam tribuere conſueverunt; quæ tamen omnia eo nocentiora judicanda ſunt, quo frequentius diarrhœa complicari ſolet, qua quippe intempeſtive ſuppreſſa, gangræna imo ſphacelus certiſſime ſecutus eſt.

§. XLIII.

Si vero ore contagium hauſtum fuerit, idque in glandulas ſalivales & adfinia organa energiam ſuam exerere coeperit, id quod ex copioſæ mucidæ & admodum fœtentis materiæ ſtillicidio ex ore naribuſque haud difficulter hariolari licet, *ſalivantia* hic omnem abſolvent paginam; quia, ptyaliſmo tali ſponte ſuſcepto, multa individua ſervata eſſe, obſervationes docent. Cum igitur artem naturæ imitatricem eſſe oporteat, ſequendum eſt conſilium eorum, qui ex *aceto*, *allio*, *ſulphure*, *ſale*, *ſalvia* & *juniperi* fructibus aliiſque talibus decoctionem parari, boumque naribus, linguæ, palatoque bis de die & obſtinato animo adfricari jubent, *nullo diſcrimine*, *bonane ſint valetudine*, *an peſtifero jam morbo concuſſa ac labefactata?* Ac, ne quis forte exiſtimet, nudam eſſe ſpeculationem, nullo experientiæ ſuffragio confirmatam, integrum nobis erit, cum *Lanciſio* ad *Hetruriam*, accepti beneficii teſtem, provocare, ubi boves lue infectos, ruptis oris veſiculis, medicatiſque prædicto magmate ulceribus ſanie inflatis, in priſtinam valetudinem reſtitutos eſſe memorat. Et quid impedit, quo minus provocare nobis liceat, in alio quamvis animalium genere, ad *epidemiam equorum*, quæ A. 1712. Romæ graſſata eſt? Cum in ea ſalivam, de contagio ſuſpectam, ominarentur veterinarii, frænulum, ad ſalivam proliciendam, ori inſeri curarunt, idque maximum præſtitiſſe uſum experti ſunt. Frænulum nempe illud quotidie quater vel quinquies ori equorum inſerebatur, eique maſſa pilularis linteo, nodo colligata adnectebatur, quæ ex *hepatis* ♄, *baccarum Lauri* in pulverem tritarum & *aſſæ fœtidæ* partibus æqualibus, nec non *aceti* q. ſ. ad formam pilularem eidem conciliandam parata erat: ex hac deinde maſſa confiebant boli, quorum quiſque ſemunciam pendebat, & quorum unus linteo circumductus frænulo alligabatur. Interea os & fauces decoctione, ex alumine & viridi æris, ſapone, ſalvia & ſcordio acetoque acerrimo diligenter eluendæ & a ſordibus, quibus hæ partes coinquinatæ conſpiciebantur, liberandæ erant, ſolerter tamen cavendo, ne humorum talium, contagio coinquinatorum, ſummaque acredine pollentium, quicquam manibus eorum adfricaretur, qui ſordido iſti operi præfecti erant; cum enim ulcuſcula illa & puſtulæ oris, linguæ & faucium, ruptæ acerrimum ſtillitarent

ſerum;

ſerum: hinc inflammationem manuum totiuſque brachii inde incurrerunt, qui incautius partes illas tractarunt.

§. XLIV.

Salivantibus ad latus ponimus *ſetacea*; per cutim colli in animalibus infectis trajicienda, certo perſuaſi, tenacem illam lympham, quam ex ore naribuſque infectorum boum ſponte effluxiſſe vidimus, quamque, *ſectis cadaveribus*, *tracheam inter & æſophagum ac ſupra pericardium & pulmones concretam* in epidemia equorum nonnulli obſervarunt, paulatim foras ejectam iri. A *veſicatoriis* vero, collo vel nuchæ admovendis dehortantur, qui eorundem uſum admodum fuiſſe noxium ſua & aliena experientia deprehenderunt. *Inuſtiones* potius, ferro candente factas ſuaſerunt alii, nullum quoque alium ſibi ſcopum præfixum habentes, quam ut, vel ulcuſculis hoc modo artificialiter excitatis, ſerum corruptum contagioque contaminatum, acre quippe cauſticumque inde redditum, tempeſtive evacuetur.

§. XLV.

Uti vero ſolidum ipſoque uſu comprobatum ex hiſce fructum perceperunt, qui in *veterinaria* exercenda occupati ſunt: ita perſpicere nobis vix datur; cui bono a nonnullis commendentur *antifebrilia*, & inter illa præcipue famoſum illud *antipyreticum*; *cortex* nempe *Peruvianus*? Non diſſimulamus; perplexos quodammodo nos eſſe redditos, cum in eleganti illa *oratione*, quam in *Licæo Patavino* de *contagioſa epidemia* boum recitavit *Ramazzinus*, illam etiam quæſtionem, præter omnem expectationem à graviſſimo viro examinatam atque diſcuſſam legeremus: an decantatum hoc *antifebrile* ad curandam hanc bovillam luem ſymbolam conferre queat? Vehementius mirati ſumus, cum calculo ejus probatum conſpeximus remedium, quod, uti nulla antidotali efficacia gaudet: ita neutrum quoque ſcoporum curativorum uſu ejus obtinere licet. Equidem *Ramazzinus* ipſe ingenue confitetur, ſe in continuis & inflammatoriis, quales ſine dubio ſunt, quæ *bovillum genus* nunc exercent, ex *corticis Peruviani* uſu perraro, rectius forte dixiſſet, nunquam, febrem ſolutam obſervaſſe: nihiloſecius tamen, quia perſuaſum ſibi habet, laudatum iſtud febrifugum vel fermentum malignum reſtinguere vel ita ſaltem enervare, ut nocere amplius nequeat: vix dubium ipſi videtur, quin in perſananda hac *bovilla peſte* non poſtremum ſibi locum vindicet, dummodo in primis ſtatim principiis, cum animal ægrotare coëperit, in larga doſi, ad tres nempe uncias cum aquæ cardiacæ libris decem vel duodecim exhibeatur. Verum cum duabus diſſertationibus, altera de *impoſtura corticis Peruviani* & altera de *uſu* ejuſdem *noxio*, *licet recto in febribus*, ſatis de-

monſtraverimus, indoli febrium non modo contrarium eſſe *chinchinæ* uſum, ſed & quam plurima haud raro funeſta conſectaria poſt ſe relinquere: ſupervacuum hoc loco fuerit, ſententiæ illius confutationi prolixius velle immorari.

§. XLVI.

Ad *anthelmintica* potius eorundemque cenſuram nos convertimus, quibus quippe non parum efficaciæ tribuere ſolent, qui verminoſam *Kircheri* hypotheſin, qua in peſtilentiis hominum verminationem, quam *animatam putredinem* vocat, non ſolum in ventriculo & inteſtinis, ſed & aliis in partibus corporis vult eſſe obſervatam, adoptarunt. Equidem nec ſanguinem nec alia fluida vel ſolida animalium, clade hac extinctorum microſcopio curioſius examinandi, occaſio ſe nobis obtulit: proindeque certo determinari a nobis non poteſt, an *Kircheriana* illa obſervatio veritati reſpondeat nec ne? Attamen, cum in maligna hac atque ſumme contagioſa febre, quæ paucorum dierum decurſu animalia, eadem correpta, e medio tollere ſolet, id præcipue agendum ſit, ut contagium peſtilens quantocyus expellatur vel ita ſaltem obtundatur & enervetur, quo minus putrefactoriam ſuam energiam exerere queat: hinc periculum, quod præſentiſſime imminet miſeris ejuſmodi animalibus, conſilia illa de necandis vel expellendis vermibus, qui forte nullibi, niſi in cerebro eorum, a quibus afferuntur, reſident, longiſſimo poſt ſe intervallo relinquit.

§. XLVII.

At vero, cum *bilem*, inprimis *cyſticam* admodum corruptam & æruginoſam eſſe, inſpectio ocularis & nos & alios edocuerit, remediis illam alterantibus acredinemque cauſticam, qua laborat, obtundentibus & infringentibus locum aliquem concedendum eſſe, nullus dubito. Neque negandum eſt, in febribus *ardentibus* atque *bilioſis*, quin *cauſo* ipſo, ubi bilis eodem vitio laborat, *cryſtallum montanam*, *conchas acido citri ſaturatas*, *nitrum depuratum* vel *regeneratum*, *tartarum vitriolatum* aliaque talia optime ſeſe gerere; an vero eundem effectum in *ruminantibus* ſint præſtitura; ideo dubium eſt, quod in ventriculo humano alterans cum alterando immediate concurrere, ſicque mutuum conflictum inire poteſt: in *his* vero, ob ſingularem organorum, alimentaris ſucci elaborationi inſervientium, conformationem id expectare non licet.

§. XLVIII.

Piaculum foret, ſi *curationem ſympatheticam*, quam nonnulli tam *curatorio*, quam *præſervatorio* ſcopo commendant, ſilentio hic penitus prætermit-

mittere vellemus. Ea hunc in modum inſtituta fuit: animal vivum, ſed contagio jam contaminatum in foveam profundam eum in finem paratam, omiſſis tamen omnibus ſive ſuperſtitioſis ſive magicis ceremoniis, præcipitatum atque ſic ſepultum eſt, creduntque curæ iſtius auctores, malum hoc modo brevi a ſua vehementia remiſiſſe, tandemque ceſſaſſe. Uti vero perdifficile eſt, inter cauſſam & effectum ullum, ſaltem probabilem hic reperire nexum: Ita craſſam quoque ſuperſtitionem hæc curandi ratio redolere videtur. Experientia tuto allegari nequit, quia ſubinde lues ſponte remittit, ſicque metus eſt, ne fallacia cauſſæ non cauſſæ committatur; id quod hoc in caſu frequentiſſimum eſſe, inde patet, quod vis contagii menſibus hybernis utplurimum ſponte remiſerit, verno autem tempore adpropinquante priſtinam ſuam virulentiam exerere denuo cœperit, ſub calore inprimis tepido, qui putredini gignendæ & propagandæ aptiſſimus eſſe ſolet; id quod in peſtilentia hominum conſtanter quoque obſervatum eſt, ubi tamen ſimul cavendum, ne ſpontaneam talem ſive remiſſionem ſive ceſſationem huic vel iſti medicamento vindicemus, ſicque *fallaciam non cauſſæ ut cauſſæ* committamus.

§. XLIX.

Quare, ut omnis errandi occaſio, quæ admodum præceps hic eſt, prudenter evitetur, remediorum formulæ, quæ contra *peſtem* hanc *bovillam* magno numero hactenus fuere commendatæ, ſecundum omnia ac ſingula ingredientia ſcientifice ſunt examinandæ, an indoli ejusdem & complicatis ſymptomatibus conveniant nec ne? Quod ſi ſcrutinio hoc deprehendatur, purgantia ingredi vel adſtringentia, ſatius erit, illis abſtinere. Quod ſi etiam dicta ingredientia ita comparata ſint, ut nec peſtilens contagium jam receptum corpore expellendi, nec vim ejusdem infringendi efficacia polleant, illa omnia, ſi non manifeſte noxia, ſupervacua tamen & inutilia ſunt. Quamobrem *Lanciſius* audacter quidem, ſimul tamen graviter atque vere pronunciare non dubitat: *inter tot tantaque uſurpata in bovilla peſte remedia,* quorum ſeriem, quæ inutilia plane expertus eſt, Parte II. N. V. prolixe exponit, *Nullum inventum fuiſſe, ita plerisque oportunum, ut vere proprium ac ſpecificum ſtatui appellarique poſſit: Quinimo nonnulla periculi plena, aut potius exitialia, per ancipites & infauſtas curationes, pauca vero innoxia extitiſſe.* Id quod proinde, ne poſteritas ignoraret, repetere conſultum duximus.

§. L.

Cum itaque, ut ex hactenus deductis liquet, tam parum præſidii in remediorum uſu quærendum ſit: confugiendum potius ad *Prophylaxin*, caute atque prudenter inſtituendam, ceu medium longe ſecurius atque præſtantius, ad peſtilens hoc malum ſive antevertendum ſive penitus tandem profligandum. De venæſectione, præſervatorio ſcopo ſuſcepta,

jam ſuperius mentem noſtram aperuimus. Nec pauca laudata nobis ſunt remedia, quibus præſervatoriam efficaciam, omni exceptione majorem adſcribere nonnulli haud verentur; quorumque ſelectiores tantum formulas communicamus. Ruſticus quidam annoſior, multa rerum œconomicarum experientia clarus, magna cum fiducia, ut ne quidem pecora ſua ab infectis ſeparari vellet, commendavit *axungiam* ſive *piſſæleon*, cui ſemina anethi, ari & ſynapeos una cum allio æquali doſi & proportione incorporanda eſſent. Alius ſingulis menſibus ejusdem *piſſælei* cochlear unum exhibuit, pabulo omni propria jumentorum urina interea irrorato. Alius olei ruſci cochlear unum proprio animalis ſanguini, ſub miſſione ejusdem excepto, permiſcere ſolitus, effectum indubitatum polliceri auſus eſt. Silentio prætereo multa alia, quæ ab hujus furfuris hominibus magno hiatu commendari conſueverunt, non tamen propterea omnia alto ſupercilio contemnenda, quia nonnunquam & olitor opportuna locutus. Unius tamen remedii, cujus virtutes in præſervandis a lue pecoribus magnis extolli ſolent laudibus, mentio adhuc facienda eſt. Conſtat illud ex Rad. Carlinæ & gentianæ partibus æqualibus, v. g. unciis duabus, Caſtorei ʒj. Aſſæ fœtidæ ʒiij. & Camphoræ ʒj. convertendo cuncta hæc ingredientia in formam pulveris, tantumque ejus pani butyro illito inſpergendo, quantum cuſpide cultri adprehendi poteſt, ſingulisque individuis novilunio propinando.

§. L I.

At vero, niſi me omnia vehementer fallant, putarem ego, in humana vigilantia, circumſpectione & conſiliis politicis plus præſidii atque ſalutis, ad antevertendam hanc diram luem, quærendum eſſe, quam in operoſo illo medicamentorum adparatu. Proinde, quam primum malum iſtud in bovile quoddam irrepſiſſe, unumque vel alterum individuum infeciſſe animadvertitur, *ſana* ſtatim *& integra ab ægrotantibus & infectis ſunt ſeparanda*; quæ regula uti *Columellam*, antiquiſſimum *rei ruſticæ* ſcriptorem agnoſcit auctorem: ita ipſa natura animalibus ſubminiſtraſſe videtur, dum ſana refugiunt infecta, eo plane tempore, quo nulla contagii indicia manifeſta ſeſe produnt. In eo ſolummodo peccatum eſſe videtur, quod animalia ægra, quæ cura maxime indigebant, bubilibus educta aëris quæ injuriis variis expoſita fuerint, ſanis interea in illis relictis: qua ratione multa, quæ ſervari potuiſſent, individua morti immolata eſſe, dubio omni caret.

§. L I I.

Non ſufficit autem, animantia *ſana* ſeparaſſe ab *ægris*, ad contagii progreſſum intercipiendum: ſed, cum alii etiam homines, qui inter pecora infecta verſantur, uti ſunt paſtores, Veterinarii, cuſtodes aliique, qui eorundem curam gerunt, itemque equi, canes, feles aliaque animalia, pennis, pilis & plumis contecta facile contagioſa miaſmata recipere diuque nonnunquam ſuis in veſtimentis, cute, pennis atque plumis recondere ſoleant, neceſſitas efflagitat, ut omne *illis* commercium cum animantibus ſanis ſerio interdicatur, *bo-*

runt

rum vero intuitu ſedulo caveatur, ne in illorum viciniam admittantur, ſicque omnis mutuæ infectionis cauſſa præſcindatur. Cumque ſtramina, fœnum, ſacculi, tegmina equorum aliaque talia peſtilens venenum ſuos in poros recipiendi retinendique aptitudine polleant: neutiquam permittendum, ut, ſi à locis lue pollutis veniant, per pagos oppidaque, integra adhuc ſanitate fruentia tranſvehantur. Hac enim ratione, omnibus contagio rimis obſtructis, dubium nullum eſt, quin a finibus talium locorum clades iſta averti efficaciſſime poſſit. Neque vero putamus, id quempiam ita interpretaturum, quaſi propterea providentiæ divinæ leges vel modum præſcribere contendamus. Si enim in peſtilentia homines adfligente fugere inque locum ſecurum ſeſe recipere licet; quidni in impediendo peſtis bovillæ progreſſu eadem prudentia uti liceret? Inprimis cum experientia provide inſtituta, conſilii talis ſucceſſum reipſa permultis in locis confirmaverit: unde *Lanciſius*, qui iſtam hominum circumſpectionem atque prudentiam utroque pollice probat, ſimul induſtriam *Mutinenſium*, *Etruſcorum*, *Centumcellanorum*, *Picenorum* & *Flaminienſium* admodum laudat, qui, cum agros ſuos, diſpoſitis undique cuſtodiis muniviſſent, intacti ea clade ad illud uſque tempus manſerunt. Quapropter fateri minime erubeſcit, *nullum certius arcendæ peſtis remedium ſupereſſe, quam ſi affectorum corporum contactus omnis ac propinquitas ſtudioſiſſime devitaretur.*

§. LIII.

Interea latere neminem poteſt, quanta ſæpe ſocordia edicta principum optima & ſecuritati ſalutique publicæ proſpicientia, de viis atque diverticulis omnibus quam diligentiſſime cuſtodiendis, inſuper haberi & negligi ſoleant: quare in edictorum talium tranſgreſſores ſeveriſſime erit animadvertendum, ut pœnis ſaltem deterriti, ſuum in poſterum officium melius faciant. Qua eadem ſeveritate coërcenda quoque erit negligentia eorum, qui in ſepeliendis cadaveribus boum, qui lue iſta perierunt, profunditatem fovearum legibus præſcriptam examuſſim non obſervaverint. Metuendum enim eſt, ne, ſi ſuperficialiter nimis humentur, terra à canibus, lupis aliiſque carnivoris animalibus eruantur, vel putreſcentia talia corpora halitus fœtidos libere per aëra diffundant, eundemque corrumpendo malignarum ac peſtilentium febrium quin imo peſtis ipſius humanæ ortui anſam ſubminiſtrent. Quare non abs re monent alii, ut, quando ad locum tumuli devehuntur cadavera, illæ eorum partes, ex quibus ſordes promanarunt, cum lue conflictarentur, ſtraminibus diligenter obſtruantur, imo, quod ſatius foret, tota illa via, quæ à ſtabulo ad ſpeluncam, cadaveri inhumando deſtinatam, deducit, ſtramentis, igne deinde concremandis, ſternatur. Cumque terra fovearum, in quas præcipitantur cadavera, ſucceſſu temporis ſubſidere ſoleat, opera quoque danda eſt, ut nova ſuperingeratur, inque illam graminis loliacei, quod non facile radicitus extirpari ſeſe patitur, ſemina conjiciantur ne effluvia putreſcentium corporum tam facile exhalare aëremque coinquinare queant.

§. LIV.

Sunt & alia ſaluberrima monita, *prophylaxin* reſpectantia, quæ omnium minime hic negligenda ſunt. Poſtquam convaluere boves ægri, integrum adhuc octiduum in bubili relinquendi & interea victu tenuiore v. g. furfuribus aqua copioſiore dilutis alendi ſunt. Stabulum ipſum a fimo diligenter repurgandum, idque altius defodiendum, neutiquam vero in agros devehendum eſt. Parietes atque tectoria undique abradenda & ſuffimentis, ex thure, galbano, baccis Lauri atque juniperi, ſabina, hyſſopo paratis, aër repurgandus. Pecora ipſa, priuſquam ad ſana paſcua iterum deducantur, aqua & aceto æquali proportione inter ſe mutuo permixtis abluenda ſunt, ſicque metus omnis contagii, pilis forte adhuc adhæreſcentis auferendus; inprimis vero præſepia, in quibus ſalivæ contaminatæ reliquiæ metuuntur, à ſordibus ſuis liberanda, diligenter abſtergenda & bis quotidie allio recenti confricanda ſunt, quod idem etiam ſacculo inditum amphoræ, ex qua bibunt boves, alligandum & aquæ immergendum eſt, ut viribus ejuſdem imbuatur. Margines ſive labra fontium, ex quibus potulenta haurire conſueverunt, ſimiliter acri lixivio, ex calce potiſſimum parato, abluenda ſunt. Saluberrima denique lex eſt, qua prohibetur, ne pelles detrahantur animalibus, lue hac extinctis, imo nec adeps, ad candelas inde conficiendas, eximatur, nec ex lacte vaccarum ægrotantium butyrum vel caſei præparentur, omnium vero minime carnes eorundem ſive recentes, ſive fumo induratæ, ſive ſale conditæ in eſum uſumque humanum convertantur, quicquid etiam in contrarium allegetur ab aliis. Et quamvis nullum facile conſilium proficiſci à nobis debeat, quod aliis præjudicium vel damnum parere poſſit: communis tamen ſalus & utilitas ſuadere videtur, ut fœnum omne una cum ſtraminibus, quod anno præterito in locis contagio fœdatis collectum eſt, vel libero aëri aliquandiu exponatur, ut, ventis perſpirantibus, contagioſus fomes, quem ſine dubio concepit, diſpergatur, vel, quod ſatius, vulcano immoletur.

§. LV.

Plura eaque noſtris forte ſalubriora conſilia, pro avertenda hac *peſte bovilla*, quæ à ſat longo tempore varia Imperia, Regna, Principatus & vaſtiſſimas totius pene Europæ regiones devaſtavit, tempus ſuppeditabit. Nos interea in hiſce acquieſcimus, *Deum* T. O. M. precati, ut hiſce noſtris conatibus ex alto benedicere pluresque alios excitare dignetur, qui operam ſuam in re tam utili atque neceſſaria nobiſcum conjungant, ut fidum tandem atque ſecurum excogitetur remedium, quo malo tanto, quotannis ferme invaleſcenti aut ſaltem hinc inde repullulanti cum ſucceſſu obviam procedi poſſit.

FINIS.

CLXXXVIII.

BURCARD DAV. MAUCHART

ET

CHRISTOPH. HENRICI KLEMM,

DE

LUE VACCARUM

TUBINGENSI.

Tubingæ Oct. 1745.

§. I.

EXhibuimus *nuper* de *lue Vaccarum* Tubingenſi *priorem* diſputationem per phænomena antecedanea, conſtituentia & concomitantia ac denique conſequentia, ideoque hiſtoricam magis. *Subjungimus* nunc *poſteriorem*, pathologico - therapeuticam, atque ſic a datis ad concluſiones, ab effectu ad efficiens, &, quæ his ſuperſtruuntur, indicationes, variamque indicatorum materiem pergimus. In tanta vero dicendorum farragine ſuccinctæ ſtudebimus brevitati.

PATHOLOGIA.

§. II.

Luem hanc *definimus*, febrem continuam, acutam, malignam, epidemiam, contagioſam, inflammatoriam, a potiori dyſentericam, in aliis peripneumonicam magis, in quamplurimis utramque junctam. Continet hæc definitio genus & differentiam ſpecificam, ideoque ſufficit. Supplebimus & reliqua, cuncta enodabimus hæc prædicata in ſubſequentibus mox mox paragraphis. *Lues* vero audit communiter morbus, qui epidemice graſſatur, contagioſus eſt atque periculoſus utplurimum.

§. III.

Genus huic affectui conſtituimus *febrem*. Dicitur autem febris, ut verbis utamur B. celeber. *Stahlii*: (*a*) inſigniter & ſatis conſtanter alteratus motus ſanguinis, & hunc veluti preſſis veſtigiis inſequentia, etiam caloris, frigoris ſenſationum, augmenta: roboris autem ad voluntarium motum impotentiæ, ſeu atoniæ. Aut juxta mentem B. celeber. *Bærhaavii* (*b*) febris adeſſe judicatur per individuos comites & ſigna pathognomonica, pulſum velocem, calorem atque horripilationem, hanc quidem ordinarie magis in illis febribus, quæ ab internis cauſis ortæ ſunt: his poſitis, poni febrem, ablatis tolli ſtatuit. Jam, ſi horum medicinæ promachorum effata de febris idea formali attemperemus ipſi hiſtoriæ phænom. conſtituentium, in priore diſp. noſtra de lue vaccar. §. 10. allegatorum, facile dilucefcet, febrem paſſos eſſe boves lue laborantes,

(*a*) G. E. Stahl Theor. Med. Ver. p. 925. in 4 to Halæ Magd. 1708.
(*b*) Herm. Boerhaave Aphoriſm. de cognoſcend. & curandis morbis, §. 561. 562. 563. & in commentariis Gerard. van Swieten ad Aphoriſm. hoſce Boerhaav. Tom. 2. p. 6. & 7. in 4to Lugd Bat. 1745.

rantes, atque ideo patebit, quid ſentiendum ſit de *aſſerto Stahlii* (*c*) quod nimir. in brutis *neque* tam *vere*, neque tam *facile*, neque *tam varie* locum eſſe videatur febrilibus commotionibus. It. paulo infra: brutis nullas, aut quicquid tandem huc trahatur, utique *pauciſſimas* & penitus *rariſſimas* febres evenire. Scil. *ob defectum* in his *energiæ æſtimatoriæ*, tam rerum, quam actionum.

Olim jam *Varro* (*d*) *ſigna boum*, *qui* ſive ex æſtu, ſive e labore *febrem habent*, recenſuit: adapertum os humido ſpiritu crebro, & corpus calidum. Pariter *Columella* (*e*) *ſigna febricitantis bovis* hæc adducit: manantes lachrimas, gravatum caput, oculos compreſſos, fluidum ſalivis os, longiorem, & cum quodam impedimento tractum ſpiritum, interdum & cum gemitu. Alibi tradit idem (*f*) *ſuum febricitantium* ſigna. &c. Quid, quod *Varro* (*g*) *de caprabus* ſic ſtatuat? De emptione aliter atque de ovibus dico, quod capras ſanas ſanus nemo promittit, nunquam enim ſine febri ſunt. Sed hyperbolen ſapit hoc dictum! Quicunque ergo morbus habet ſuæ ſpeciei ſigna pathognomonica, phænomena conſtituentia & rationem formalem, is quoque pro tali eſt agnoſcendus. Atqui febris brutorum habet eadem &c. Ergo. Quodſi enim vel maxime concedamus in homine tanquam animali rationali, febribus ſubeſſe principium quoddam, ad certum, nempe ſalutis, finem cum intentione & intellectu agens, habebit illud potius rationem cauſæ efficientis, quam formalis, febrium. Forma vero dat eſſe rei, a forma morbi fit ejuſdem recta denominatio. In brutis tale principium, moraliter agens, neque Stahlius audebat admittere, hinc, ne hiatum & fiſſuras ageret ejus ſyſtema, de energia æſtimatoria, de conſultatione (ut verba habent l. cit. p. 937) non per præfigurationem phantaſiæ perpetranda: ſed *rationi* ſolum juxta principia nobiſcum nata, conſona, veram brutis febrem denegare coactus eſt. Sed altioris atque longioris hæc ſunt tractationis, & aliena a præſenti ſcopo!

§. IV.

Febrem hanc vocamus *continuam*, quia jugiter aderat vel frigus, vel calor p. n. remiſſioris quidem per intervalla gradus, ſed nunquam penitus ceſſantia: *acutam*, quia velociter, paucorum ſpatio dierum, periculoſe decurrebat: *malignam*, tum reſpectu periculoſioris acutiei, tum occultioris

ris

(*c*) Id. Stahlius ibid. p. 936.

(*d*) M. Terent. Varro de re Ruſtica L. 2. C. 1. p. m. 55. b.

(*e*) L. Junius Moderatus Columella de re ruſtica L. 6. c. 8. de febre boum p. m. 181.

(*f*) Id. L. 7. C. 10. p. 204. b.

(*g*) Varro de re ruſtica L. 2. C. 3. p. m. 58 b. Hoc quidem aſſertum, in ſenſu febris medico, non facimus noſtrum. Certe non quadrat in noſtras capras. In genere etiam abſurdum eſt, non naribus ſpiritum trahere, ſed auribus.

ris & ſubdole latentis aliquando morbi, & gravioris humorum corruptionis, cum nimia vitalium ac animalium virium proſtratione: *epidemiam*, quod plurimas uno in loco atque paſſim in diverſis Germaniæ non modo, ſed etiam Europæ regionibus, e cauſa communi, minus familiari, invaſit: *contagioſam*, quoniam una vacca, lue infecta, alias eadem infecit, & mediate & immediate; vid prior. Diſp. de hac lue §. 8. 9. 13. 15. & e præſentis diſp. ſubſequo §. 8: *inflammatoriam*, ob ſtaſes inflammatorias, ſtigmata rubra ac liventia paſſim in quam plurimis viſceribus atque partibus internis, per extiſpicia obſervatis, tam earum boum, quæ in principio morbi ſunt peremptæ cultro ac ſecuri, quam quæ in progreſſu ſponte ſunt mortuæ: *dyſentericam*, a potiori, ob tormina, dejectiones alvi frequentiſſimas, liquidas, aliquando cruentas, atque teneſmum, quibus ordinarie ſtipata fuit hæc febris. vid. prior Diſp. p. §. 10. 11. 12: In aliis tamen vaccis *peripneumoniam* magis, ob reſpirationem anheloſam, ſuſpirioſam, prior. diſp. §. 10. p. 9. & §. 12. tuſſim increbeſcentem, ſine notabili exſcreatione & pulmones ſemper inflammatos, pauciſſimis exceptis §. 19. p. 17. prior. Diſp. *Dyſenterico-peripneumonicam*, ſcil. utramque junctam, cum ægrotantes vaccæ & peripneumonia & dyſenteria ſimul laboraſſent, ſi non in principio ſtatim morbi, tamen in progreſſu.

§. V.

Atro *peſtilentiæ*, vel peſtis carbone ac *titulo haud notavimus* hancce luem, ideo maxime, quod anthracum atque bubonum nullibi comparuerint veſtigia, ſatellitum alias veræ peſtis ſolennium. Qui vero pro illa ſpecie *choleræ*, aut *diarrhœæ bilioſæ*, quam vulgo *die Ubergälle* vocant, venditare voluerint, per nos faciant. Nos ab hac *abſtinuimus appellatione*, non eam ſaltem ob cauſam, quod in pleriſque, lue citius tardiuſve & mortuis & ſecuri cultroque peremptis non apparuerit exceſſiva illa, quæ nomini germanico *der Ubergälle* occaſionem præbuit, cyſtidis felleæ magnitudo, ac turgeſcentia a copioſiſſima bile contenta, vid. Diſp. prior p. 17. §. 20; ſed etiam ne foveamus vulgares plebis ac veterinariorum errores circa theoriam & praxin hujus luis nimium cum craſſos, & abſonos, tum periculoſos.

Multo magis a vera *hujus luis idea abludit denominatio* alia *germanica*, *die herzweiche*, ſ. *mollities cordis*, ab hujus flacciditate & collapſu dicta, pro qua luem hanc, ab initio certe, venditarunt nonnulli: rariſſime enim penitus flaccidum & molle fuit cor, raroque in conſiſtentia ſua & duritie muſculoſa mutatum, diſp. prior. p. 19. 22.

§. VI.

Subjectum morbi *adæquatum* eſt totum corpus, hic ibi, plurimis locis

modiſque, intus & extus, febrem, & e febri patiens: *Principale* conſtituunt viſcera primæ digeſtioni ſervientia & pulmones. Hoc ſubjectum patitur intemperiem febrilem, inflammatoriam, ſtimulum, ſtricturas, arroſionem, putredinem gangrænoſo - ſphaceloſam.

§. VII.

Cauſa proxima eſt morbificum corpus quoddam, ſubtile, ſumme activum, roſivo - putrefaciens, ſanguinem potiſſimum & lympham inquinans, diffuſivum, & ſui ſimilis productivum, ab infectis in ſanas vaccas propagativum, ſive contagioſum immediate ac mediate. Subſiſtemus hic tantiſper in generali hac idea ſpecifici hujus veneni, & modo allegata confirmabimus prædicata. *Cauſas morales*, angelum percuſſorem, pœnam a Deo immiſſam, faſcinum, magiam tranſmittimus, utpote non modo longe difficillimi objectum ſcrutinii, ſed ita quoque comparatum, ut omnes tamen hæ cauſæ ſupranaturales & extraordinariæ aliquam in ipſo corpore animalis ægri cauſam producant phyſicam, iſtius morbi proximam.

Unde ad forum phyſico-medicum reducta hac luis *cauſa proxima*, ſtatuimus eſſe corpus, ſ. materiam, utcunque ſubtilis illa & vel ſub auræ ac ſpirituoſæ ſubtilitatis indole concipiatur. *Subtilitatem* vero probant: citiſſima, intra unum alterumque diem, ejuſd. diffuſio in tantum non omnia viſcera, infectionis promptitudo, ab ægris in ſanas, non tantum vicinas, ſed & remotas, adhæſio ad veſtes, pabulum, ſtramen &c. unde contagium ultra profertur atque propagatur. De *ſumma* ejuſdem *activitate* teſtantur omnium fere functionum vitalium, animalium atque naturalium ſubitanea quaſi ac graviſſima proſtratio, ſtaſes ſanguinis inflammatoriæ, gangrænoſæ, ſphaceloſæ, brevi & tam multis in partibus exortæ, vitæ ſummum ubique periculum, mors non frequens ſaltem & ordinaria, ſed & feſtinata, poſt duos ſeptemve dies ab invaſione, univerſalitas luis, quæ pauciſſimis parcit vaccis, licet saniſſimis, curationis difficultas in genere, potiſſimum vero ſi jam per moram invaluit malum. *Roſivo - putrefacientem* declarare videntur indolem, ſtimuli torminoſi ac teneſmodes, fibrarum carnearum in ventriculis & inteſtinis, tunicarum pulmonis, tracheæ ſeparari ac ſecedere cœptarum (quod Batavi maxime obſervarunt medici, in prior. diſp. jam laudati, in ultima ſimili boum lue Batava) attritus & arroſio rubro - livida, putrida, imo fuſco - nigra, ibi gangrænoſa, hic ſphaceloſa, graveolentia fecum alvinarum acerrima, fœtor quarundam oris putredinoſus. A *tali* vero *cauſa* morbifica *ſanguinis purpuram ſerumque potiſſimum inquinari* arguunt ſanguis, jugulo emiſſus, fervidus brevique conſiſtens & concreſcens, diffuſiſſima in tot viſceribus inflammatio & gangræna, unde non minus eluceſcit, cur diffuſivam ac ſui ſimilis productivam in limine hujus aphoriſmi vocaverimus: veroſimile namque eſt, non modo veneni hujus portionem ab extus acceſſiſſe, quæ totam vaſtiſſi-

tiſſimi hujus animalis maſſam ſanguineam in univerſum corruperit, ſed cujus etiam exigua quantitas, fermenti rationem habens, ſanguinem & lympham commutarit brevi in ſuam indolem malignam.

§. VIII.

Contagioſam peſtis hominum indolem uti ſunt, qui in dubium vocarunt, imo audacter exſibilarunt, ſicut ultimi de peſte Maſſilienſi ſcriptores medici; ita quoque non deſunt, qui luis noſtræ boum proſcribant *contagium.* Videtur tamen hoc ſatis *apodictice probari*, cum [α] alibi, paſſimque certo conſtiterit ab unico bove infecto, in pagum introducto, confeſtim ſimiliter infectos fuiſſe boves, maſculos & feminas, antea ſaniſſimos; dehinc vero [β] totum gregem de domo ad domum eadem lue correptum fuiſſe, [γ] ſalvoſque duntaxat [a potiori certe, cum fuerint rari nantes in gurgite vaſto] perſtitiſſe, qui ſtatim ſani adhuc, e ſtabulis nondum infectis, aliorſum deducti fuerunt ac aſſervati, quamvis haud longinque ab urbe, l. pago, infectis: e contrario [δ] lues hæc ſtabulum ſemel ſubingreſſa omnes, quas continuit, vaccas ſucceſſive adorta ſit, licet ab ægrotante e veſtigio ſeparatas & in aliud ſtabulum, vel in paſcua ablegatas: [ε] hic Tubingæ ſub initium luis e grege Bruehlano, tum incolumi, empta ſaniſſima vacca & in ſtabulum deducta, in quo paucis ante diebus e grege Nicarino vacca lue periit, brevi ſimiliter & funeſte correpta fuerit: [ζ] effluvia, dyſentericarum maxime, teterrimam ac acerrimam ſpirent fracedinem; unde & [η] ipſæ ſanæ vaccæ, ſi quando illis ſanguinem, feces alvinas, urinam lue mortuarum odorari contigit, incondito boatu & furibunda quaſi averſatione calcitrantes ſunt debacchatæ: [ϑ] eadem lues in conſtabulantes tranſierit, quamvis rariſſime capras: [ι] Weylæ, in ſilva Fagina, molitor in ſuis ædibus, quarta miliaris germanici parte diſtantibus ab illo pago, lue vaccarum per prægreſſam hyemem miſere devaſtato, undecim tamdiu ſuas ſervavit vaccas incolumes, donec deficiente fœno ſuo domeſtico, aliud e pago apportatum ſurrogaverit vaccis, & omnes brevi dehinc, lue correptas ſucceſſive, amiſerit: [κ] alius vero ibidem & ſues infecerit ſuas, projectis ad comendendum inteſtinis vaccæ, lue demortuæ. Alia, obſervata alibi, ſpecimina contagii præterimus.

§. IX.

Quam vero extra dubitationis aleam poſita ſperamus, quæ hucuſque §. 7. & 8. de cauſa luis proxima tradidimus generalia, tam non erubeſcimus fateri *difficillimam* fore ac *dubiam ſpecialiorem abditiſſimæ hujus cauſæ determinationem.* An ſcil. naturæ magis ſit acidæ, vel alcalinæ, fixioris, an volatilioris? an puræ talis, an mixtæ? aut num ſulphureæ potius

ſit

ſit indolis? an ſolius regni animalis productum, inſtar contagii ſerpentis de loco in locum, ab individuo in aliud? aut num primitus debeatur effluviis in regno minerali, vel vegetabili: et quæ ſunt ſexcenta alia. Quam vaſtus, eheu, ſe heic aperit dicendorum campus! ſed & problematum atque myſteriorum labyrinthus! non aliud hic proſtat *filum Ariadnæum*, quam longa, multiplex, accurata *obſervatio* omnium phænomenorum morbificorum, experimentorum, juvantium atque nocentium, ejuſque dehinc *ſagax dijudicatio* phyſico-medica.

§ X.

Quamvis autem docti atque ingenui medici facile nobiſcum ſint conſenſuri, [*b*] quod hactenus & omnibus numeris abſoluta obſervatio, & certa cauſæ proximæ ſpecialior determinatio ſint adhuc inter deſiderata; tamen *licebit ex* ipſis, quæ ſuppetunt, *datis*, in priore noſtra diſp. præmiſſis, atque aliorum medicorum, maxime modo laudatorum Batavorum conſonis, *concluſiones elicere probabiles* & ab effectibus ad cauſam argumentari efficientem. Si e jactis tum principiis hiſce theoreticis cuncta, vel pleraque ſaltem & potiora, queant explicari phænomena, & ipſa praxis ſuperſtructa felici reſpondeat eventu, novum robur accedet theoriæ, vel probabilitas ſaltem ſyſtemati.

§. XI.

Anne igitur *alcalinam hujus cauſæ* morbificæ proximæ *naturam* produnt ſequentia, in vaccis ægrotantibus, & circa ſales alcalinos obſervata? [α] appetitus ſtatim & conſtanter proſtratus: eundem ſane notamus effectum in homine, ſeu ſano, ſeu ægro, a largiore, vel longo alcalium & alcalinorum uſu: [β] unde inquinatum & p. n. alcaleſcens acreque factum in primo mox ventriculo, pabulum deſinunt, etiam voluntarie, ruminando in os repetere vaccæ. [γ] Indoles humorum omnium, tam bruti, quam hominis, alcalina potius & ammoniacalis, quam acida. Quamvis enim victu, maximam partem aceſcente, utantur, atque ſalibus acidis inquilini corporum eorundem humores copioſiſſime imprægnentur quotidie, docent tamen experimenta chemica, nullibi ſal acidum, ſibi relictum, liberumque haberi. Atqui vero ipſa luis cauſa proxima, ſi non ſemper primitive, tamen derivative & a potiori per contagium inducitur, e vaccis ægrotantibus in ſanas propagata: [δ] bilis earum

(*b*) Exemplo ſint celeber. quatuor medici Batavi, Ant. de Haen. Wilh. Ouvvens, Abrah. Weſterhoff & Conr Henr. Velſe, in pertractatione Batava de præſenti lue ac ſtrage vaccarum: Verhandeling van de tegen woordige ziekte en ſterſte van het Rundvee. in 8 vo Hagæ Comit. An. 1745.

rum fluidior utplurimum & fervida. Alcalina vero diſſolvunt bilem atque fluidiorem reddunt, pariter ac alia oleoſa ſulphureaque: (ε) ſed & acriorem reddunt; unde hæc ſtimulis ſuis inteſtina graviter irritat, eorundemque lympham mucumque, quibus naturaliter oblinuntur intus, fundit, tormina, diarrhœam, dyſenteriam excitat. (ζ) Bilis ægrarum vaccarum ab inſtillato ⏦ 🜍. exhibuit efferveſcentiam notabilem, manifeſto exemplo alcalinæ hujus morboſæ bilis naturæ, magiſque alcalinæ, quam naturaliter ſolet. Confer. quæ *Bohnius* (*i*) *Verheyenus* (*l*) aliique habent de experimentis chymicis, c. bile inſtitutis cyſtica boum aliorumque brutorum. Bilis etiam duarum, lue mortuarum, vaccarum ab ○°○ tartar. per deliq. altera nullam plane mutationem, altera clariorem modo flavedinem adepta, demonſtravit utrinque, principium alcalinum heic prævaluiſſe p. n. morboſæ hæ biles non fœtebant, vid. prior. noſtræ diſp. §. 22. & 23. alias vero putreſcens, ſed & tum fœtens, bilis omnino manifeſtum & copioſius ſiſtit alcali volatile. (η) Fluxus lachrymalis, ſtillicidium muci ac ſalivæ e naribus acore copioſum atque perpetuum, ut alias quoque cauſas admittunt, ſic alcalinam fundentem non excludunt. (ϑ) Comparati effectus alcalium fixorum atque volatilium in corpore vivo cum phænomenis in hac lue vaccarum; alcalia enim illa fixa, cuti applicita, huic inducunt pruritum, calorem, rubedinem, dolorem ut ab igne, inflammationem, gangrænam & deſtruunt animalium compagem inſtar veneni; (*m*) in vaccis autem, quot paſſim, quæſo, in viſceribus, veſtigia ruboris, inflammationis, gangrænæ, ſphaceloſæ putredinis fuerunt obvia? Nec obſtat ſalem alcalinum fixum, de quo potiſſimum ſuperiora intellexit prædicata *Bœrhaavius*, nonniſi vegetabilis regni per violentum ignem eſſe productum, quod ergo nec ab extus adventitium, nec intus genitum in corporibus vaccarum ſupponere liceat: idem enim celeb. Author ſub eadem claſſe comprehendit (*n*) quoque ſales, ex humoribus, carne, ovis &c. putrefactis. Igitur tale miaſma volatile, contagium e R. A. hic etiam poteſt ſupponi luis cauſa proxima. Quid, quod ejuſmodi ſales alcalini volatiles atque vegetabiles omnino etiam in atmoſphæra poſſint ſoleantque liberaliter fluctuari exemplo fumi fuliginoſi. Denique (ι) juvantium atque nocentium in hac lue obſervatio. Apud nos quidem profuerunt nitroſa acidula cum alexipharmacis atque reſolventibus mixta. Acetum vini ſimplex & bezoardicum. Interpoſitus ſubinde hauſtus refrigerans, *ein Kühltranck* e lacte

(*i*) Joh. Bohnius in circ. Anat. Phyſiol. in 4 to Lipſ. An. 1686. p. 279. ſ.
(*l*) Phil. Verheyen, Supplement. Anat. in 4 to Bruxel, An. 1710. p. 88. ſs. it. Bœrhaav. in Inſtit. Med. & in Commentar. Hallerian. in Parte phyſiol. C. de Act. bilis utriuſque.
(*m*) Bœrhaav. Chem. Tom. 2. p. 54. ſ.
(*n*) Id. Inſtit. Med. §. 1140.

concreto, *ſauter geſtandener milch*, pulvere pyrio & oleo lini. Ipſum quoque hoc oleum lini ſimpliciter crebro vaccis infuderunt. Talia vero cuncta principio alcalino morbifico & invertendo & obvolvendo, ſtaſibus autem inflammatoriis reſolventia, & putredini alexipharmaca recte opponi, nemo fortaſſis erit, qui neget. Siniſtrum vero & funeſtum habuerunt eventum multa meraque alcalina terreſtria, lixivioſa, calefacientia, theriacalia, opiata, purgantia, præſertim acria.

§. XII.

An ſulphureum, inflammabile quidpiam huic *cauſæ* proximæ *alcalinæ connupſerit*, *aut ſingularis* plane ac heteroclitæ *indolis* hæc *fuerit*, uti multa ſunt e claſſibus venenorum, nondum ſatis intellectæ & determinabilis, operoſe jam diſquirere ſuperſedemus? & §. 11. præmiſſis acquieſcimus: idque tanto ſecurius, quod ſicut alias in tot morborum hominis curationibus obtinet, cauſa morbi proxima non ſatis diſtincte perſpecta, ſed tamen ejus effectu proximo luculenter detecto, hunc ceu cauſam ſubordinatam & ſecundariam arripere, phænomena hinc explicare & indicationes totamque curationem ſuperſtruere licet. Is vero *effectus fuit inflammatorius*, rubore, infarctu & ſtaſi ſanguinis in minimis arteriolis, ſatis ſuperque conſpicuus, imo altius, in gangrænam, evectus, & putredinem ſphaceloſam, in quamplurimis viſceribus ipſiſque paſſim integumentis inducens.

§. XIII.

Cauſas remotiores, quæ potuerint eſſe, & alibi fuerint ſubinde, plures recenſuimus in priore de hac lue diſſertatiuncula. Sed quænam ex his vero videatur ſimillima, ex ipſo §. 8. præcedente partim colligitur; contagium ſcilicet, partim ex iis, quæ in priore diſp. p. 7. jam anticipavimus. Neque tamen negamus, poſſe hanc morbi bovini ſpeciem primitus oriri, ſine contagio, ſine prævio, in illa regione ac loco, ægrotante alioſque dehinc infecturo bove.

Contagium tale *communicatur* & *immediate*, & *mediate*, de tauro in vaccam, aut vice verſa, coitu: e matre gravida in fœtum, per communem utriuſque circulum ſanguinis: afflatu halitus oris, effluviis per tranſpirationem, attactu mutuo, immediato: ſaliva, muco narium, aliiſque humoribus excretis, per olfactum, lambitionem, maſticationem, deglutitionem pabuli infecti, hauſtum contagio corruptæ aquæ pro potu, per contaminata præſepia aliaque utenſilia, per coria infectis detracta, veſtimenta hominum, cum ægris converſantium, vel per alia bruta, canes e. gr. feles, capros &c. nefario auſu projecit ipſo noſtræ luis tempore nebulo quidam (hactenus quidem incognitus) cyſtidem felleam & inteſ-

inteſtini fruſtum, ex infecta procul dubio vacca, in tabernam alius civis noſtratis. An terrendi, an inſultandi, an directa inferendi contagii voluntate, non conſtat? Sic in vicinia cujuſdam pagi incolæ inſtitutum, quod ruſticis, in ſuperſtitioſa & magica nimis quàm pronis, valde placet, nempe partes aliquas cadaveris infecti bovis, vel integrum cadaver, imo & vivum ſanumque hujus ſpeciei, quæ epidemice ægrotat, individuum, defodiendi in terram limitibus proximi pagi adſcriptam, *auf einem Zehenden*, exſecuti de gravi hoc dolo, quo ſe quidem a lue liberarunt, ſed eandem, alteri pago intuliſſe accuſantur, adhucdum tenentur: firmiter enim ſibi perſuadent, tali modo luem in hoc pago extingui & in finitima loca derivari. Quod ultimum magis metuendum, quam prius ſperandum eſſe videtur.

§. XIV.

Subjectum, *cui cauſa* hæc *proxima*, §. 11. 12. indigitata, *inhæret* primitus ac primario, videntur eſſe lympha & huic analogi humores, ſaliva, mucus narium, lympha irrorans tracheam, bronchia, œſophagum, ventriculum, inteſtina. Certe per reſpirationem & deglutitionem delatum miaſma in nares, pulmonem, fauces, ventriculos, ideo tragœdiam ſuam aperit luditque in illis maxime viſceribus partibuſque, lympham illorum domeſticam ſanguinemque corrumpit magis magiſque, & ipſos reliquos e ſanguine ſecretos in ſuis colatoriis humores, bilem, ſuccum pancreaticum, lac &c. præter naturam alterat ac inficit, donec & ſolidæ partes, cutis, muſculi, tunicæ, vaſa, glandulæ, vitium fluidarum ſua etiam corruptione, eroſione, deſtructione, putredine luant. Poterit vero, quamvis rariore, alio modo primum ſuſcepti contagii ſubjectum eſſe peripheria cutis, ac miaſma ibi in vaſa reſorbentia lymphatica ac ſanguinea tranſire, totique primum maſſæ ſanguineæ infundi.

§. XV.

Ita vero *circulus* habetur *vitiorum*! lympha, ſanguis, bilis &c. & corrumpuntur, & corrumpunt. Functiones in corpore magis magiſque turbantur, impediuntur, abolentur, pro cauſæ activitate ac ſubjecti receptivitate citius tardiuſve, gravius mitiuſve; at funeſte utplurimum, ni malo tempeſtive occurratur ac legitime, quia ſumme activum & perniciſſimum miaſma, atque diffuſa in tot viſceribus eſt inflammatio gangrænoſa. Deberemus jam *ſymptomatum deductionem proſequi* ac *explicationem* juxta principia §. 11. 12. 14. Sed longius abriperemur, quam præfixa pagellarum paucitas permittit. Poterunt huc multa repeti ex illa medicor. Batavor. pertractatione. (vid. *not.* noſtr. (*h*) *Tangemus pauca* ſaltem *phænomena*, non æque alibi ventilata.

§. XVI.

Et primo quidem *Ruminationis:* hanc vero protinus ſupprimi ac profligari, cum morbus aliquis aut lues invadit, & *Peyerus* (*o*) multique alii, & ipſa experientia teſtantur, in noſtra etiam lue. Defectum pabuli, e primo maxime ventriculo in os ruminatione repromendi, non poſſe accuſari, teſtatur ſectio mortuarum boum, quibus venter ille primus pabulo ſemidigeſto repletus ordinarie eſt a morte inventus; neque tamen ita diſtentus & infarctus fuit, ut, quod ſanis aliquando accidit e nimia voracitate, metum incurrerit crepaturæ, atque ideo fibræ hujus ventriculi muſculoſæ vim ſe contrahendi amiſerint e nimia diſtenſione, atque hinc bolos ruminandos furſum protrudere in œſophagum fauceſque nequiverint; ſed cauſa potius videtur eſſe petenda partim a virium & ſpirituum animalium e morbo maligno proſtratione, cum alias laboribus nimium fatigati boves ruminationem aliquandiu ſuſpendere ſoleant, partim ab anorexia & pabuli faſtidio, partim ex difficultate ut deglutitionis, ſic etiam ipſius ruminationis, ob œſophagi & tracheæ tunicas interiores inflammatas, imo ex parte ſeparatas, quemadmodum per ſectiones cadaverum obſervarunt medici Batavi, nec non frequentem glandulæ thyroideæ inflammationem, imo & ab ipſa primi ventriculi inflammatione interna, ſubinde per ſectiones reperta, quæ fibras motrices tendendo, ac dolorificas reddendo, motui ruminatorio effecit ineptas. Quid, ſi & pabulum, primo atque ſecundo ventriculo contentum, jamjam ſubierit morbificam, nauſeabundam fermentationem atque corruptionem, quod denuo linguæ offerre nolit animal?

§. XVII.

Cur tertius ventriculus, *omaſum*, ſ. Echinus, ſ. Centipellio dictus, noſtratibus *das Büchlein*, *adeo generaliter* in omnibus lue mortuarum ſit repertus *inflammatus*, imo *gangrænoſus*, *obduratus*, atque contentum inter foliola ejus alimentum ordinarie totum exſuccum, friabile & quaſi aduſtum? multas ſubeſſe cauſas arguimus. Ruminatio omiſſa effecit ut pabulum e primo & ſecundo ventriculo in omaſum deſcenderit minus & attritum & dilutum, hinc etiam propter ipſam omaſi ſtructuram foliaceam & lamellatam, heic moram nectere & adhærere diutius atque tenacius oportuerit, non enim modo plurimæ ſunt omaſi lamellæ, octoginta octo numeratæ abs *Peyero*, ſed ita etiam collocatæ & papillis quaſi uncatis inſtructæ, ut crudius atque ſiccius pabulum in totidem tranſitus obices impingat, idque tanto magis, quod inflammatæ totius hujus ventriculi tunicæ, ejuſque lamellæ officio ſuo, conquaſſandi, diſcerpendi ac

(*o*) Joh. Conr. Peyerus in Merycolog. in 4to Baſil. 1685. p. 248. ultimis lineis.

ac exprimendi pabulum, minus rite deſungi valeant. Inſignis vero & vaſorum ſanguineorum copia omaſi, quibus mirifice luxuriant ipſa ejus foliola, junctim cum ſuperiore cauſa effecit, ut a potiori & ſemper hic ventriculus repertus ſit inflammatus & ex hoc calore præternaturali inflammatorio pabulum, inibi contentum, exaruerit, imo ipſe totus ventriculus aliquando quaſi occalluerit.

§. XVIII.

Cur magna, ut loquuntur, *bilis?* ſ. cur folliculus fellis bile turgidus in plerisque (alibi quidem magis, quam in noſtra lue) repertus? veterinarii circa hanc ætiologiam peccant exceſſu, atque cyſtidem felleam venditant pro lerna malorum, bilem cauſſantes hanc copioſam, juſto fervidiorem in inteſtina non ſaltim, ſed & abomaſum & omaſum effundi, ſtimulos, eroſionem, inflammationem, dyſenteriam &c. inducere: cum tamen ejuſdem copia prætenſa nec in duodeno, nec in abomaſo & omaſo reperiatur per ſectionem, imo, cum adeo magna quantitate abundet intra cyſtidem, tanto minore influet in duodenum; cum probabile non ſit, bilem tam exceſſiva quantitate generari vel in hepate, vel in veſicula fellea, ut pari copia & coacervari poſſit in cyſtide, & depluere in duodenum. Unde probabilius videtur, *bilem utramque* cyſticam & hepaticam, in illis vaccis, quæ poſt mortem bile turgidiſſimas exhibuere cyſtides, *impeditam fuiſſe*, ab inflammatis duodeni tunicis, & per ſpaſmodica tormina conſtricto, vel & flatibus valide diſtento duodeno, *in ſuo* per ductum cholidochum communem *libero ac pleniore* deſcenſu & *influxu*, *in duodenum*, adeoque *regurgitaſſe in veſiculam felleam*, eodemque confertius confluxiſſe.

Uti vero bilis admodum facile ſpumeſcit non modo, ſed & putreſcit, ſicque ſuo aëre interno elaſtico expanditur, majus affectat repletque ſpatium, ita poterit & *hæc cauſa diſtenſionis folliculi fellei* a bile copioſa & inſuper orgaſtica expanſaque locum ſimul habere, tantoque certius, quod *nullam* ſupereſſe *aliam* putemus *rationem phænomeni*; quod nos ſemel, Batavi vero aliquoties, obſervavimus, *diſtentæ* nimirum *cyſtidis felleæ per aëris majorem*, quam bilis, *quantitatem*, cum tamen ipſæ tales veſiculæ nullatenus vel digitis vel cultro, vel alio conſpicuo modo fuerint læſæ, *quam* aërem bilis domeſticam, calore, fermentatione liberatum ac evolutum: hunc namque aërem e duodeni cavo in ductum cholidochum, cyſticam & veſiculam felleam accerſere vetat, inter alia, maxime ductus cholidochi valvuloſa inſertio in duodenum, quæ nihil ex inteſtino regurgitare ſinit in ductum hunc bilarium. Omittimus plura & properamus ad tertiam hujus thematis tractationem therapeuticam.

THERAPIA.

§. XIX.

Indicationes ſunt vel *Curativæ*, vel *Palliativæ*: vel *Prophylacticæ Curativæ* ſunt: (α) cauſam morbi proximam, miaſma malignum, lingua, faucibus, primo ventriculo, naribus, pulmone, cute ſuſceptum, quantocyus eliminare. (β) Idem ſubjugare, invertere, corrigere, obvolvere. (γ) Diaphoreſin. ptyaliſmum & excretiones cutis ſcabioſas conſervare, promovere, alvinas vero caute moderari, temperare. (ε) Vires alimentis eupeptis, ſubſtantificis cordialibus ſuſtentare, appetitum, ſub reconvaleſcentia, & ruminationem adjuvare, excitare. (ζ) Totum corpus ab impuritatibus mundare, tonum viſcerum roborare, optimam præcipere diætam.

FONS PHARMACEUTICUS.

§. XX.

Præſidia pro variis hiſce indicationibus ſubminiſtrat primo *externa*: quæ aëris in ſtabulo purificationem & medicationem reſpiciunt, perſtringemus in fonte, qui ſequetur, diætetico. *Amuleta*, quæ vi magnetica & electrica venenum contagioſum attrahant abſorbeantve, certa habemus nulla; ſurrogamus vero talia, quæ effluviis ſuis & fœtorem ſtabuli corrigant, & inſpirata per nares, aut in cutem tranſpirantia obtineant vim reſolvendi & putredini reſiſtendi. Suaſimus, hoc ſcopo, nodulum ex aſſa fœtida, aliquot allii unguiculis & camphora, e collo vaccæ ſuſpendendum. Alii rad. colchici, valerianæ, angelicæ &c. commendant: trabes etiam ſtabuli & præſepe illinendas bis in hebdomade oleo tart. fœtido. Ad linguam, fauces nareſque purgandas, muci ac ſalivæ ex his fluxum conſervandum, miaſma illis innidulans infringendum & excernendum, alimentis etiam atque medicamentis viam reddendi puriorem conducit, *naribus*, præſertim ante quamlibet medicamentorum infuſionem, *affricto pipere* groſſo modo contuſo, ſternutationem & tenaces muci ſtrias provocare. Item *nares*, *linguam*, *os*, *fauces fricare ac eluere* aceto, in quo nitrum cryſtallinum, atque pulveris ſinapi tantillum fuerint ſoluta & infuſa, vel etiam ſola muria, niſi quidem puſtulæ & excoriatio harum partium exigant mitiora: quo caſu oleum lini, nitrum, cremor lactis, albumina ovorum, cum tantillo croci commixta, potius illini deberent frequentius atque placidius, cavendo, ne mora & tempeſtate calida linctus hic aceſcat.

Nodulus etiam *ſialogogus*, e rad: pyrethri ℥ß. r: pimp: min: ʒij. aſſ: fœt. ʒiij. Sem: ſinap. nitri tabul. aa. ʒj. Baccar: junip. ʒij. M. & conciſ.

ciſ. atque contuſ. in petia linea forti colligatis & per modum habenæ, mediantibus funiculis intra os ſuper lingua quotidie ſemel iterumque per aliquot horas detinendis. Talia vero & in principio, & in progreſſu morbi ſunt inſtituenda & continuanda, donec notabiliter remiſerit morbus, vel oris fauciumque alius ſtatus alia requirat medicamenta, vel alia criſis, e g. peripherica per ſudorem, ſcabiem, potius videatur eſſe proſequenda. *Vapor decocti pectoralis*, traumatici, calidus in nares fauceſque non male admittetur frequentius. De *aceti vapore* dicemus proxime, ubi de emeticis: ſuo etiam loco, np. in fonte chirurgico, de frictionibus, unguentis veſicantibus &c.

Curas ſympatheticas, quamdiu intra limites magiæ naturalis, ſine manifeſta proximi læſione, & citra ſuperſtitionem ac nominis divini profanationem, peraguntur, non rejicimus, ſed aliis harum curationum expertioribus relinquimus. Patet hinc, *inter vetitas artes* referendam eſſe *defoſſionem bovis*, lue ægrotantis, l. defuncti, l. partium ejus *in confinem* alieni diſtrictus *locum*, de quo ſupra §. 13 diximus. Olim, ante viginti aliquot annos graſſata Luſtnavii vaccarum lues neque violento tali remedio, ſepulti tauri admiſſarii vivi, ſanique, ceſſit.

§. XXI.

Interna, Evacuantia: Emetica. Cui ſcopo hæc in febribus malignis & dyſenteriis hominum inſervire queant, medici haud ignorant. Summis extulit laudibus *radicem* ſuam *hypecacuanhæ Helvetius*. Videntur hæc ipſa eo reſpectu convenientiora, quod & primæ viæ, quatuor maxime horum brutorum ventriculi, miaſmate morbifico præcipue ſunt inquinati, horumque ventriculorum primus maximuſque, plurimo infarctus pabulo, expurgationem depoſcit, ut vel medicamentis locum faciat. Cum vero enormis quantitas emetici, ejuſque draſtici, requiratur ad vomitus vaſto huic animali movendos, ut ipſius antimonii hepatis ℥ß. vel ʒvj. pro una doſi adhibeantur abs veterinariis, cum ejus vel tria quatuorve grana hominem per ſuperiora purgent ad internecionem uſque: itaque nondum auſi ſumus talia ſuadere. Tentavimus quidem in ipſa hac lue aliquoties pulv. emeticum e rad. hypec. ʒj. Tart. emet ℈j. in decocti furfuracei ℔ij. diluendum, atque dimidiam ejus partem illico, alteram poſt ſihorium infundendam præcepimus, eo fine, ut, etiamſi vomitus non excitaret, ventriculos tamen ſtimularet, atque ſic nimiam contentorum molem propulſaret, imo ſtagnationes ſanguinis diſſiparet, ſtimulato, auctoque ventriculorum motu periſtaltico; (*p*) Dum vero notabilem nullam præſtiterit ef-

(*p*) In memoriam redit hac occaſione præſidi cura ſingularis in febre maligna caſtrenſi, quam exercitus gallici tum protomedicus, poſtea archiater Cæſareus, Dn. de Volter in nuperrimo bello Bohemico feliciſſime ſuſcepit, infuſione tartari emetici in aqua fontana largiore, non emeticam, ſed reſolventem & diaphoreticam exercente virtutem, quam Vir illuſtris ipſe laudavit præſidi.

efficaciam, & vaccarum, quæ tale vomitorium aſſumpſerant, aliæ occubuerint, aliæ evaſerint, neutræ vero evacuationem ſive per ſuperiora ſive per inferiora, fuerint expertæ, *omiſimus emetica poſthac. Sed alium ſubſtituimus modum*, qui, juncta reliqua methodo curandi, in multis feliciter ceſſit, & magnam copiam ſalivæ, pabuli aliuſque craſſamenti ventriculis eduxit, per modum quaſi vomitus: nimirum lateri candenti per vices infundi curavimus acetum vini, vaporem ad caput vaccæ, juſta diſtantia deorſum allegatum pannoque obvelatum dirigi, ac ore hiante, per tranſverſim ſcil. infixum craſſiorem bacillum jugiter patulo ſervato, excipi. Unde, prout jam dictum, molimina non ſaltem excreandi, tuſſiendi, vomendi, ſed & ipſi plures vomitus ac copioſæ ſubſequebantur excretiones.

Purgantia, acria certe, reſinoſa, fortia reformidavimus, ob ſtatum viſcerum inflammatorium & dyſenteriam. Vidimus etiam talia, a vulgo adhibita, peſſime ceſſiſſe. Hinc ne ſal quidem anglicum uſurpavimus, quamvis in principio invaſionis, ſcopo leniter evacuatorio, abſterſivo & refrigerante, poſt celebratam venæſectionem, commendari ab aliis medicis, duarum unciarum quantitate, voluerit, atque potuerit.

Diaphoreticorum, ſed non nimis volatilium acriumve uſus eſt fuitque probatiſſimus. Eo, felici auſpicio, conniſa eſt natura, hinc calor æquabilis toti reductus corpori, & excretio, ſi qua imminebat, cutanea ſcabioſa critice adjuta. Potus itaque & alimentoſus & medicamentoſus omnis nonniſi tepidus caliduſque conceſſus eſt, ne ſufflaminaretur tranſpiratio. Diaphoreticorum atque provocandæ diaphoreſis ulterior fiet mentio inter alexipharmaca, & in fonte diætetico. De evacuatione per errhina & ſialogoga ſupra jam diſſeruimus §. 20. qualia vices etiam præſtiterunt expectorantium.

Atque ſic indicationi evacuatoriæ primæ & quartæ §. 19. potiſſimum & quantum licet e fonte pharmaceutico ſatisfecimus.

XXII.

Interna *Alterantia*: Secundæ indicationi debentur ea, quæ cauſam morbi proximam ſubjugent, invertant, corrigant, obvolvant. Cum vero *antidotum ſpecificum* & infallibile hactenus *non innotuerit* intra limites ordinariorum & generalium oportet ſubſiſtere alterantium medicamentorum. Atqui juxta §. 11. cauſa morbifica probabiliter ſupponitur alcalinæ eſſe naturæ; ergo remedia huic opponenda debent eſſe *a potiori acida, vel acidula.* Succincto talium apparatu in ſimili boum lue proceſſerunt noviſſime, laudabili cum ſucceſſu, plus ſemel laudati medici Batavi ſolis fere innixi acidis, aceto vini, tartaro depurato, (nitro etiam depurato), oleo vitrioli, qualia diluerunt multa tepida vel ſimplici aqua, vel lacte ebutyrato, vel decocto hordeato, vel ſero lactis, interpoſitis aliquando

lar-

largioribus olei lini doſibus, cane vero & angue pejus fugienda monuerunt acria, excalefacientia & exſiccantia remedia, utpote quibus inflammatæ jamjam partes exurantur magis magiſque. Nos quidem haud neglleximus acida & acidula, vaporem aceti, acetum bezoardicum, ſal commune, nitrum depuratum, (ſi quidem inter acidula referri mereatur) nitrum tabulatum, lac concretum; (*geſtandene Milch*). Sed hiſce ſolis non fiſi ſumus, maxime in progreſſu morbi, tuſſis frequentia & vehementia, ac torminum excretionumque dyſentericarum gravitate.

§. XXIII.

Hinc *nitro junximus temperatiora alexipharmaca*, *reſolventia*, ipſamque *camphoram* in refracta doſi, quam ſcil. toties, in nitri depurati conſortio, tutam non minus, ac efficacem obſervavimus in hominis partium internarum inflammationibus febribuſque putridis. *Formula* ejuſmodi *pulveris*, quem *das Biehſeuchpulver* nominavimus, hæc fuit: ℞. Hb: Scord. noſtrat. Card: b. aa. ℥iv. Rad: angelic Petaſitid. Farfar. liquir. aa. ℔ß. 🜍: commun. ℥iv. Nitri ℔j. Ter: ſigil: r. Bol: commun. Fulig: ſplend. aa. ℥iv. Camph. ʒiß. M. f. Pulv. Ex hujus ʒß formetur cum Rob. ebuli vel junip. bolus ſingulo quadrihorio per fauces detrudendus ac deglutiendus. Pulveris hujus ʒſs. vendita eſt in noſtris pharmacopoliis uno crucigero cum dimidio. Aſſumptis hiſce bolis confeſtim ſuperinfundi juſſimus libras duas, vel ultra, calidi ſequentis *infuſi reſolventis & vulnerarii*, quod ideo *das Aichwundranck* apellavimus, & cujus ʒſs. conſtitit ſeſqui-crucigero: ℞. Hb: c. fl: bellid. min. Veronic. Fl: hyperic. Hb: recent: chærefol. aa. ℥iv. R: liquir. ℔ſs. Baccar junip. ℥ij. M. C. C. D. Infundantur ʒiſs. ferudis duabus menſuris Wirttembergicis, ſ. libris octo aquæ fontanæ, in qua furfur ante fuerit coctum. Hanc vero *ſimplicem aquam furfuratam jugiter pro potu* conceſſimus, quin nolentibus obtruſimus vaccis. *Collegium Ducale ſanitatis Stuttgardienſe* hanc præcepit formulam: (*q*) ℞. Rad: carlin. 🜍: com. C: C: uſt. Saponis aa. ℔ſs. Nitri ℔ij. Camph. ℥j. Furfur. Farfur vel farinæ ℔iij M. F. Puls cujus ʒij cum acri aceto, vel jure braſſicæ capitatæ, muria conditæ, *Sauerkrautbruhe*, in globulum coactæ exhibeantur vaccæ mane ac veſperi. Juvencæ, in minore quantitate. His globulis *ſequens* addi *decoctum* juſſit pro potu: ℞. Rad: leviſtic. Liquir. aa. ℥iv. Hb: c. fl: bellid: min; Veron. Fl: hyperic. aa. Mvj. Baccar: junip. ℥ij. M. C. Harum ſpecierum Mij. in ▽. furfurac. ℔viij. coquantur ad remanentiam ℔vj. D. ℔j. pro doſi ad potum.

§. XXIV.

(q) *Anſtalten, wornach ſich die Unterthanen des Herkogthums Württemberg bey der furwahrenden Seuche unter dem Hornvieh, insgemein die Ubergalle genandt, vor-in-und nach derſelbigen zu richten. 4t. Stuttgart 1745.*

§. XXIV.

Talium atque ſimilium e F. Ph. uſu diligente ſperavimus, & ipſo eventu frequenter obtinuimus tam cauſæ morbificæ proximæ eliminationem atque ſubjugationem, quam etiam productæ ſtaſis inflammatoriæ ac putredinis diſcuſſionem atque correctionem. *Interpoſuimus* vero ſubinde etiam *obvolventia*, atque cauſam morbificam acrem, inteſtinorum roſiones ac tuſſim *demulcentia oleoſa* & *mucilaginoſa*: Sem: lini in decocto, oleum lini expreſſum, hocque ℥viij. quantitate pro una doſi, ſemel iterumque repetenda: cremorem lactis cum ovorum albuminibus & ſaccharo canarienſi: cremores hordei, vel avenæ: lac dulce, e ſana vacca, ſaccharo edulcoratum. Tanta autem olei lini, quantam Batavi exhibuerunt aliquando librarum duarum, ad alvum ſiccam & conſtipatam referandam, doſi nobis non fuit opus, cum unicum ſaltem in noſtra lue conſtipationis exemplum proſtiterit, centenis vero potius contrarium, alvus nempe ſolutiſſima atque liquidiſſima.

Adſtrictiva, *theriacalia*, *opiata* vel plane non admiſimus, vel in refracta doſi rariuſque conceſſimus, ne lupum ſtabulisincluderemus, ac inflammationem præcipitaremus in gangrænam ſphacelumque. Hinc ſuo pretio relinquimus, vel medici prudentiæ commendamus, quem nonnulli, mane ac veſperi ingurgitandum dilaudarunt *hauſtum*: ℞. Theriac. ʒij. Ol: oliv. vel lini ℥ij. Rob ſambuc. duo cochlearia, pulv: pyrii cochlear unum, lactis concreti (*ſaure Milch*) ℔j. M. D. vaccæ pro una doſi.

Recentiſſimus ſcriptor de peſte ultima Ucrainienſi & Odzacovienſi *Schreiber* (*r*) proponit ad uſum internum peſtiferis *camphoram cum mercur. dulci*, imo & *corticem peruvianum*, qui alias ab Anglis, in commerc. lit. Nor. abs Werlhoffiio, &c. in gangræna in-& externa, febribuſque extollitur inflammatoriis. Ingenioſis rationibus non minus ac fidis experimentis ſententiam hanc ſtabilire eſt annifus. Quantum hæc ad noſtrum faciant rhombum, ſagaci potius lectori, quam longiori tradimus noſtræ inquiſitioni?

XXV.

Si, ex uſu horum atque reliquorum, e triplici fonte pharmaceut. chir. & diætetico remediorum, *ægra* vacca *melius habere incipiat*, minus frigere, ſed potius naturaliter ubique calere, liberius reſpirare, minus tuſſire, pabulum appetere, alvo rarius dejicere, imo & lac denuo præbere largius ac laudabile, *tamen* aliquot dies *pergendum* eſt *eodem curationis tramite*, niſi quod ſingulis ſaltem 6. vel 8. horis medicamenta præbeantur,

(*r*) Jo. Freder. Schreiber, Obſervat. & Cogitata de Peſtilentia, quæ Annis 1738. & 39. in Ucrainia graſſata, & quæ Odzacovium vaſtavit. 8vo Berolin. 1744. p. 52. ſſ. 57 67. ſſ.

tur, tanto autem frequentius alimenta, concoctu facilia, de quibus in F. D. plura. Inſervient ipſiſſima illa medicamenta tam ad reliquias morbi debellandas & expellendas, quam purificandos corporis humores & viſcera roboranda, digeſtionemque adjuvandam.

Tum vero, *penitus ſuperato morbo*, in ſtatu reconvaleſcentiæ ſuaſimus ſequentem *pulverem* abſorbentem, tonicum, pepticum, quem titulo *das Biehpulver bey der Wiedergeneſung*, inſignivimus. ℞. Cretæ albis. ℔ſs. Træ. ſigil: r: Siles. ℥iij. Rad: gent. Brion. Saponar. gelic. rhapont. aa. ℥iv. Hb: card: b. Hed: ter. aa. ℔ſs. Bac: junip ℔j. ⊖. commun. ℥viij. M. f. Pulv. Cujus ℥ſs. ſeſquicrucigero conſtans, cum rob junip. in bolum formato, ſingulis 6. vel 8. horis erat ingerenda, hauſto inſuper vel priore infuſo pectorali vulnerario, §. 23. vel aqua ſimplici furfurata tepida, §. 28.

FONS CHIRURGICUS.

§. XXVI.

Inter *indicationes curativas* ex hoc fonte primas tenet ſanguinis, in ſtaſes proni, tempeſtiva eductio ac ventilatio *per venæſectionem* in alterutro colli latere, alias etiam pone caudam adminiſtrari ſolitam, & a nobis in jugulo, pondere ℔iſs. vel duarum præceptam, Batavi medici uncias ſanguinis 24. 30. 40. uſque ad 60. una vice non modo juſſerunt detrahi, mole ſanguinis in vaſto hoc animali, & experientia propria ac plebeja adducti; ſed & venæſectionem ter quaterve repeti, primis nempe morbi diebus. De vegetis ac mediæ ætatis hæc venæſectionis præcepta procul dubio ſunt intelligenda, imo limitanda ad vaccas Batavorum vaſtiores, grandiores atque pinguiores noſtratibus, optimo inſuper gramine fœnoque paſtas. Facile tamen largimur apud nos etiam venæſectionem ad ℔ij. vel tres evehi, &, ſi vires ſuppetant, repeti poſſe, ſed ultra quinquendium protracto morbo & inflammationibus internis gangrænæ ſphaceloque proximis non amplius locum invenire. Quarta morbi veſpera vaccæ graviter lue decumbenti curavimus e collo mittendas ſanguinis duas fere libras, cum maxime anheloſa reſpiratione, dyſentericis excretionibus ac ophthalmia inflammatoria peſſime haberet. Ceſſitque optime hæc ventilatio, una cum reliquis conjunctis ſubjunctiſque remediis, vacca in integrum reſtituta & adhucdum ſuperſtite ſaniſſima.

Quid, ſi *Ægyptiorum*, hominibus adhiberi ſolita, *narium ſcarificatio*, vel & *in arte veterinaria non infrequens aurium* externarum, *palati*, *caudæ inciſio*, *ſcarificatio* & ſauciatio hic in uſum vocentur? *Setaceum* in parte inferiore juguli nos quoque plurimis trajiciendum curavimus e funiculo, ſetis equinis conſtructo, l. loro, perunctiſque, terebinthina veneta, admixta etiam ungt: Ægyptiaci portione. Præſtitit fibra radicis hellebori

 ni-

nigri recentis; hæc enim majorem affluxum, copioſiorem atque longiorem excitavit ſuppurationem. Tali ſetaceo aliæ ſupervixerunt, aliæ immortuæ ſunt vaccæ. Batavi medici non habent, quod de ejus, frequenti licet, uſu laudent. Nos pariter ſacram in illo ſalutis anchoram non invenimus; cum tamen multæ vaccarum convaluerint ſi non ex-tamen cum tali ſetaceo, idque ipſum egregie reſpondeat indicationi expulſoriæ ad peripheriam corporis, criſinque ſcabioſam & ulceroſam invitandi, cetera vero plane innoxium ſit, commendatum nobis aliiſque porro habebimus.

§. XXVII.

Veſicatoriorum, in febribus inflammatoriis acutis uſui laudatiſſimo, velut & ipſi ſetaceo ſurrogari poſſet *unguentum* illud rubefaciens atque veſicatorium, vel puſtulas ſaltem excitare ſolitum *e ſcarabæis unctuoſis*, butyro incoctis, contritis & cum antiquo caſeo in unguentum ſpiſſius redactis, quod ante quadraginta hos annos faber quidam ferrarius & veterinarius haud incelebris Schorndorffenſis frequenti uſu celebravit, ſcopo veſicandi, acreſque humores extrahendi, primum brutis, dein & hominibus frictione illitum ſemel iterumque contra rheumatiſmos, dolores arthriticos, tumores varios a ſtaſi ſanguinea & ſeroſa ortos, ſucceſſu ſubinde exoptato. Poſſet ergo vel id ipſum, vel e cantharidibus paratum cuti vaccarum in collo, dorſo, regione ſacra ſupra caudam, pilis vel relictis, vel abraſis, aliquoties fortiter affricari, ortaque hinc puſtuloſa exulceratio fluxuſque ſanioſus aliquandiu foveri per ungt. digeſtivum, imo & novam ung. veſicantis illinitionem.

Frictionum, mediante panno rudiore, vel peniculo ſtramineo compactiore paulo durius ſubinde præſtandarum in dorſo, lateribus, artubus non contemnendum & hic obſervavimus uſum. *Plebis* vero *modum minime probamus*, *quæ* totum vaccæ corpus, e morbo jam ſatis frigeſcentis, *frigida perfudit prius*, quam frictionem inſtitueret. Uti vero in ἀκμῇ morbi has frictiones admodum invitæ & cum ſignis moleſtiæ ac doloris utplurimum admittebant vaccæ, ſic magna ſpei parte exciderent, niſi poſt frictiones pannis decenter obtectæ largiorem incurrerent tranſpirationem. Strigil, ſi ferant, ad fricandum pariter inſervire poteſt.

Clyſmata, & mero calente lini oleo, vel decocto fl: ſambuc. Chamom. Summit: aneth. Sem: lini in lacte, addito lini oleo, non ſaltem in alvi longiore conſtipatione, rariſſimo quidem noſtræ luis ſymptomate, ſed in ipſa quoque dyſenteria, ſcopo demulcendi & obvolvendi, locum habent: quemadmodum contra teneſmum *ſuppoſitoria* e fruſto butyri, non ſaliti, aut lardi recentis, ano ſubinde intruſa.

Excutia ventriculi, oleoſis oblita, ſemel iterumque per fauces, & œſophagum demiſſa in primum vaccæ, magnum illum, ventriculum, ac ultro citroque agitata everrendis & vomitu excutiendis non modo inſerviet

viet contentis, ſed & everrendo faucium muco, atque deliniendæ & perungendæ deglutitionis viæ.

FONS DIÆTETICUS.

§. XXVIII.

Aër frigidus, pluvioſus vitetur, fervidus temperetur & ſubinde ventiletur in ſtabulo, alteretur atque purgetur fumis vaporibuſque medicatis, e ligno junip. accenſo, baccis juniperi, prunis injectis, halitibus bullientis aceti, a fecibus, quas ægræ copioſas ac fœtidiſſimas reddunt, diligentiſſime mundetur ſtabulum quotidie ſemel, vel bis: donec vero hæ per certum hominem ſtabulo ac urbe efferantur, longius interea ab ægra vacca ſemotæ in ſtabulo coacerventur, ac ſtramine contegantur. Stramentum & copioſum & ſiccum mundumque vaccæ ſubjiciatur, cubanti præſertim, caloris & munditiei gratia. Superato autem morbo viribuſque receptis, aëre libero, ſereno, temperato, calidove convaleſcens ſubinde permittatur frui.

Pabula e tenello, trifoliorum maxime, recenti gramine, ſub meridiem demeſſo, potius quam fœno, chordo, ſicco convenit. Sed ordinarie neutrum appetunt. Unde, pro virium conſervatione debent offerri, quin obtrudi offæ, juſcula, pultes. Offa e pane, butyro eliquato, ſem. carvi in aqua coctis cum modico ſalis culinaris: cremores hordei & avenæ, decoctum oryzæ in lacte: avena in aqua calida macerata, cum modica ſalis communis quantitate: aliquando etiam fruſtis cucurbitæ recentibus, vel pomi aciduli, projectis tentandus eſt appetitus, calorque internus temperandus. Talia bis quotidie ſunt ingerenda, ea, quam admittat feratque ægra, quantitate. *Appetitu redeunte* major recentis, dein etiam ſicci graminis ſ. fœni copia concedatur, cavendo, ne reconvaleſcens nimio ſe obruat pabulo, & recidivam hinc incurrat. Si tum in paſcua emitti velit, horum aditus nonniſi a nebulis, rore, pruina, aliiſque impuritatibus per ſolis radios pluviamque probe repurgatorum permittatur.

Potus nunquam frigidus, qualiſcunque, ſit. Convenit pro hoc aqua ſurfuracea, h. e. aqua fontana, cujus ℔XXIV, furfuris ſex fere manipuli ſint incocti, quotidie recens parata, ne aceſcat. Hujus aliqua portio vaccæ apponitur in vaſe patulo, mundo, ut pro lubitu hauriat. Niſi autem ſponte & largiter ipſam biberit, ſubinde, vel nolenti & refraganti, infundatur. Alternis cum aqua vicibus propinari quoque poteſt tepidum ex herbis ac radicibus infuſum dilutius, vid. §. 23. Subinde lac ebutyratum: ſerum lactis. *Quæcunque* vero *infundi* vaccis *debent*, mediante poculo idoneo, vel cornu in hanc rem adaptato & excavato, *non per*

nares ut alias fieri ſolet, *ingerantur*, *ſed per os*, quia ſic minus negotii faceſſunt aſſumenti.

Tranſpiratio ac *ſudor promoveantur* non ſaltem medicamentis §. 22. 23. & calore ſtabuli §. 28. ſed inprimis etiam *pannis*, *laneis* maxime, toti vaccæ corpori a cornibus ad caudam *ſuperexpanſis*. Vidimus in aliqua, deſperata fere, vacca extantiſſimum optimi ſucceſſus exemplum, quæ ſub tali panno in jugem deducta tranſpirationem auctiorem melius ſtatim habuit & e voto convaluit, poſitis quidem ponendis & reliquis remediis.

Lac, ſeu quodcunque ejus loco in uberibus præſto eſt, *quotidie emulgeatur* placide, emulctum vero *plane in nullum cedat uſum*, ſed in fimetum effundatur extra urbem evehendum, donec pleniſſime convaluerit vacca. *Decubitus & ſtatio* relinquantur arbitrio ægrotarum. *Laxius*, ſive longiore catena, præſepi *alligentur*, ut liberius ſitum corporis mutare queant.

§. XXIX.

Indicationes palliativæ: Deglutitio, quæ lue laborantibus videtur eſſe difficilis & dolorifica, poteſt facilitari partim molli exterſione, mundificatione oris, linguæ & faucium §. 20. 24. & per excutiam ventriculi, oleoſis probe impraegnatam §. 27. partim frequenti infuſione decocti vel infuſi calidi §. 23. partim faucium lubricatione, delinitione per linctum ex oleoſis, mucilaginoſis §. 24. *calor internus* febrilis longe ſatius temperatur per acidula, nitroſa, blanda, alexipharmaca, §. 22. 23. quam ſolennibus illis refrigerantibus, quos vocant hauſtibus, *Kuhltrancke*, & aquæ frigidæ ingurgitationibus. Quid enim, niſi pernicioſiſſimum, inde redundabit, in pulmones, ventriculos, inteſtina, ſtaſin ſanguinis inflammatoriam paſſos, quid ad tuſſim, tormina, diſentericas excretiones? *Nimiis alvi excretionibus* nulla opponantur ſtyptica. Aſt ſi primæ viæ canaliſque inteſtinorum ſatis ſuperque videantur eſſe purgatæ, febriſque acuta plurimum remiſerit, tum licebit etiam adhibere interna tonica, adſtringentia & theriacalia, refractis doſibus & per intervalla. *Torminibus* proſpicient & oleoſa, aliaque demulcentia, & interpoſita caute opiata, inprimis diaſcordium, theriaca. *Anus excoriatus*, *inflammatus* perungatur tepido lini oleo, modice camphorato. *Ani prolapſus* foveatur decocto fl: ſambuci & ſummitatum millefolii, atque mediante calido linteo, quod pulvere colophoniæ prunis ardentibus inſperſo inſimul ſuffumigari poteſt, molliter reponatur. Fumus accenſæ colophoniæ, ad anum mediante infundibulo admiſſus, & huic ſcopo & *teneſmo mitigando* inſerviet: *vires* conſerventur & roborentur analepticis ſubſtantificis §. 28. Fuerunt e plebe mulierculæ, quæ vini aliquot cochlearia offis admiſcuerunt pro confortatione. Non male! niſi excedatur quantitate.

§. XXX.

§. XXX.

Indicationes prophylacticæ reſpiciunt vel ſanas vaccas, a lue præſervandas. *Vel reconvaleſcentes* e lue, ne recidivam incurrant: *vel* & tandem, quin *primario homines*, eos maxime qui cum ægra pecude jugiter ſunt occupati, ne vel ſimili morbo, vel alio hinc corripiantur & periclitentur.

Igitur ſanæ ab ægris confeſtim ſeparentur, ab omnibus effluviis morbificis, per ægrarum tranſpirationem &c. media, §. 13. indigitata, hauriendis ſolicite ac perpetim arceantur atque muniantur. (*ſ*) Excrementa alvina & veſicalia, plurimo ſtramento excepta, mucus ore ac naribus exſtillans, lac emulctum, ſanguis vena miſſus, quotidie ſtabulo ſemel, vel bis exportentur foras in campum, loco a viis publicis atque paſcuis remoto, atque in terram profunde defodiantur, ſingula ſtrata obtegantur ſtramine ac denique terra obruantur, nunquam eruenda in poſterum pro ſtercoratione pratorum, agrorum, hortorumve. Omnis ſuppellex, ægris adhibita, e. g. vas e quo biberunt, in quod lac fuit emulctum, ſtrigil, panni, quibus obtegebantur, vel fricabantur &c. ſanis minime applicentur.

§. XXXI.

Stabula ſerventur munda, crebro ſuffumigentur ac ventilentur. Quæ vero continuere prius ægras vaccas, non inſerviant ſanis, niſi diu ante & ſumma cum cura fuerint repurgata. Hæc autem mundificatio ſtabulorum infectorum peragatur fecum omniumque impuritatum ocyſſima eliminatione, parietum, oſtiorum, januarum, trabium, præſepis abſterſione repetita per lixivium calidum, nova incruſtatione & dealbatione parietum per calcem, pavimenti ablutione, imo reſtauratione per novos lapides arenamque, ſtabuli ſic repurgati ulteriore ventilatione per aërem ſoliſque radios, fumigationem, aceti vaporem, tabaci fumum, ſubinde per plures ſeptimanas, imo menſes. Strigil, catenam collarem, campanulam, collo nonnullis appendi ſolitam, pariter plus ſemel in lixivio forti, reliqua vero utenſilia cremare oportet ac abolere. Nonnulli & ipſa præſepia Vulcano immolant. Si fœni aut ſtraminis copia delituerit in ſtabulo infecto, vel proxima contiguitate, ut infici potuerit, cunctam oportet cremare, aut aqua madefactam extra urbem evehere in ſterquilinium & poſt an-

(*ſ*) Nicarinum gregem noſtrum lue infectum, heic ſtatim ab omni commercio cum duobus reliquis gregibus ſolicite removerunt, hoſque binos paſtum eductos in montem urbi vicinum ſeptentrionalem, atque dies nocteſque ibidem relictos ſervarunt incolumes quatuordecim diebus, donec, non ſine contagii ſuſpicione, minimum per homines cum ægris vaccis converſatos, aliquæ vaccæ pari lue corripi cœperint; atque tum cives noſtri ſuas quilibet domum repetiere vaccas, atque communi luis diſcrimini in urbe ſubjecerunt.

annuam putrefactionem demum agrorum adhibere ſtercorationi.

Ab ipſis *ægris arceantur* capræ, canes, oves, equi, feles &c. ne contagium ab ægris transferant ad ſanas, ſi vel ad has acceſſerint, vel earum pabulum. Ipſi *Veterinarii* aliique cum ægris converſantes vel plane non appropinquent ad ſanas, vel alias prius induant mundas veſtes, manuſque & brachia oxycrato ſtrenue detergant. Quamprimum vacca vel leviſſime ægrotare incipit, a paſcuis fontibuſque publicis detineatur, reliquus vero ſanus grex non revocetur in ejuſmodi paſcua, ab ægris paulo ante frequentata, ſed alia nova, munda, de loco ad locum per vices alternando.

§. XXXII.

Ut lue correptæ ſeparatim detinerentur, aqud nos etiam agitatum eſt *problema*: *an* præſtet *lue correptas domi*, ſtabuliſque *ſervare* ſuis, *ſanas* autem conſtabulantes, imo univerſas totius civitatis, *aliorſum ablegare*? *An vero ægras* ſtabulis ſuis conſuetis & domeſticis excluſas *in commune* quoddám, *extra urbem*, in loco neque tranſeuntibus, neque urbi moleſto ac pernicioſo exſtruendum *ſtabulum* & *noſodochium recipere*, eaſque ibidem per certos homines cuſtodire atque curare? Priorem ſententiam ſatis fulcire videtur vel ſola hæc rationum graviſſimarum biga: nimirum quod ægræ vaccæ extra urbem & a conſortio ſanarum proſcriptæ periculum infectionis & hominum & reliquarum vaccarum vel tollant, vel minuant, tum & omnes in univerſum ægræ, uno ſtabulo collectæ, legibus & ordini curationis rectius ſubjici queant. Sed *prævaluit* tamen altera *ſententia*, *ſervandi in urbe ægras*, *dimittendi* vero *ſanas in campum*, exſtructo ex aſſeribus tecto, quin & hic ibi parietibus ad muniendas vaccas contra aëris injurias, circumductis. Potiores hæ fuerunt *decidendi rationes*: difficultas inveniendi locum pro communis ampliſſimique ſtabuli exſtructione, qui a viis publicis, urbe, ſilvis feriſque, udoſis vallium & fluminum nebuloſis effluviis remotus, aqua vero laudabili fontana inſtructus ventiſque ſit perflabilis: futurus intolerabilis atque hominibus pariter ac vaccis pernicioſus fœtor talis ſtabuli, triginta vel quinquaginta, quin centenis pluribuſque jugiter incuneati vaccis, lue laborantibus, unde ægrotantes promiſcue, præſertim vero reconvaleſcentes non potuiſſent non in pejus ruere: inclementia aëris, mox nimis fervidi, mox frigidiuſculi, mox pluvioſi. Has autem aëris viciſſitudines & injurias vix ſatis cavere licuiſſet, niſi ſingulari cura magniſque ſumptibus ædificato ſtabulo: denique cuſtodum atque veterinariorum tanto certior graviorque metuenda negligentia ac perverſa tractatio, quo minus illi ab ipſis vaccarum dominabus obſervari ac corrigi potuiſſent, quæ vero domi ſervatis ſolertiorem adhibere inſpectionem commode valuerunt.

§. XXXIII.

§. XXXIII.

Vaccæ tam ſponte ſua lue *mortuæ*, quam ægræ violenter occiſæ, omnes *integræ ſepeliuntur* (niſi propter inquiſitionem medicam cadavera fuerint ſecanda, ſed extra urbem, ſub dio, in loco ſepulturæ) coriiſque ſuis inveſtitæ ſingulis profundioribus foveis injiciantur, inciſa prius hic ibi altius pelle, atque ſic inutili reddita, ne turpis lucri ſpes avaros alliciat effoſſores ad corii detractionem, calce viva conſpergantur, & ſuperjecta quatuor pedum altitudine terra, ut planitiem cum ora foveæ conſtituat, contegantur. *Locus ſepulturæ* ſit, quantum licet, remotus ab urbe, via publica, paſcuis publicis, fluvio, rivulo, ſcaturigine fontis publici, ſilva, feris: &, ne a vulpibus, lupis, apris, vel aliis, quæ cadaveribus inhiant, brutis, ſit circumſeptus & præcluſus. Ne *cadavera*, *dum efferuntur*, contagioſa effluvia extillent e naribus, faucibus, alvo in platea atque vias publicas, alvus manipulo ſtraminis obturetur, item os atque nares: vel totum caput ſacco includatur, non facile perfluenti. Totum vero cadaver ſtramine obtegatur. *Evectio cadaverum* nocte ingruente, vel ſummo fiat mane, huic ſoli operæ deſtinato curru. *Excoriator*, vel quicunque alius, tali ſepulturæ intentus, *adſtringatur* omnium maxime ad haſce cautelas, ne alia ſana bruta, domos & loca, a lue adhuc libera, accedat & ab hominum converſatione, quantum poteſt, abſtineat, caneſque ſuos, alias ordinarios ſatellites, domi relinquat, dum ægras mortuaſque tractat vaccas.

XXXIV.

Sanæ vaccæ quotidie ſtrigili probe fricentur ac detergantur, mane paſtum non educantur niſi nebulis, rore, pruina per ſolis radios antea diſpulſis, domumque vel in ſtabulum veſperi tempeſtive reducantur. Nares, os, lingua quovis mane antequam in paſcua dimittantur, irrorentur atque fricentur eclegmate e rob junip. aceto & aliquantillo piperis, vel mixtura ex oleo olivar. aceto & theriaca. Paſcua eligantur munda, ranunculis, eſulis non infeſta, vel noxiæ hæ plantæ evellantur, aut demetantur. Caveatur potus aquarum ſtagnantium, paludoſarum & impuratum. Sub æſtuoſiſſima diei periodo detineantur vaccæ in loco umbroſo, patulæ ſub tegmine fagi. Ingluvies, & nimia, pabuli vel optimi, voracitas temperetur. Quotidie, vel alternis diebus, mane præbeatur pulvis prophylacticus, quem titulo donavimus, *Berwahrungs - Biehpulver*: ℞. Bac: junip. Rad: angelic. Gentian. Petaſitid. Farfar. aa. ℥viij. Nitri ℔ſs. Cret: albis. ℔j. Teſt: ovor: pulveriſat. Sal: com. aa. ℔ſs. M. f. Pulv. Doſis eſt ℥ſs, quæ conſtat uno crucigero, exhibenda in boli forma cum rob. junip. vel ebuli. *Inclitum Collegium ſanitatis Stuttgardienſe* ſeq. pulverem præſcripſit: ℞. Rad: gent: r. Carlin. Bol: alb. aa. ℔iv. Nitri ℔vj. Sulph: flav. ℔ij. Sem: lini ℔iv. M. f. Pulv.

Venæſectio præſervativa, noſtrates vaccas a lue non defendit. Nihilo tamen ſecius ſuadenda videtur & vegetioribus & pinguibus & adſuetis. Par ratio eſt *ſetacei*.

§. XXXV.

Ut omnes *rimæ lui* propagandæ, aut recens irrepturæ *præeludantur*, ſimulque *hominibus contagium caveatur*, opus eſſe, vel certe tutius, videtur, ab omni carnium, ſevi pelliumque uſu abſtinere, etiamſi e vaccis, in principio morbi mactatis, deſumantur. Imo pelles, ſanis detractæ ſub epidemica luis graſſatione debent pulvere calcis vivæ & corticis quercus, ad perficienda coria uſualis, conſperſæ, in loco ventis aërique libero expoſito aliquandiu (integrum annum imperavit collegium ſanitatis) aſſervari, antequam coriariis tradantur. Ut vero conſtet certo, an mactandæ per laniones vaccæ ſint ſanæ, aut minimum nulla luis indicia præbeant, jurati carnium inſpectores ſunt conſtituendi, qui nullum carnium uſum, ſive in macello publico, ſive privatim concedant, niſi bovem antea exploraverint: num appetitu vigeat, pro more bibat, naturaliter caleat in cornibus, auriculis, naſo, lingua, uberibus? An tuſſiat, difficilius reſpiret, alvum habeat naturalem? Ore, naribus copioſum fœtidumque mucum extillet? Tumoribus, bubonibus, ſcabie ſit inquinata? An ſanguis, jugulo effluens in mactatione, naturali ſua gaudeat qualitate? Mactatarum vero & apertarum, annon viſcera & inteſtina abdominis atque pectoris colore notentur extus, vel intus inflammatorio, inpr. vero omaſum? An cyſtis fellea prætumida? An bilis ejus p. n. vel fluidior, l. ſpiſſior & decolor?

Bos ex alieno loco in urbem non admittatur, ſive ad mactationem, ſive fœturam, niſi per teſtimonia fide digna conſtiterit veniſſe e loco ſano, a lue immuni. Ne vero & noſtra urbs, aliave loca lue correpta, aliis præjudicent ſanis, lege pariter juſtiſſima cautum eſt, ut ante elapſum trimeſtre nec boves, nec fœnum, nec ſtramen aliorſum divendantur.

§. XXXVI.

Atque hæc ab §. 28. uſque in præſens dicta reſpiciunt tam prophylaxin ſanarum boum, quam reconvaleſcentium, imo ex parte & hominum. Unum ſupereſt, ut *Veterinarios alioſque*, qui frequentant ægrum pecus, *admoneamus*, ut, ſui ipſorum quoque gratia, munditiei ſtabulorum non tantum invigilent, ſed & proprii corporis; manus ſubinde lavent oxycrato, faciem abſtergant, os diligenter eluant, veſtes, cum domum redierint mutent, in viſitatione ægrarum geſtent amiculum e tela cerata, fumum tabaci frequenter hauriant, reſpirationem aliquandiu, dum vaccis proxime adſtant ægris, contineant, vel averſa facie hauriant aërem, ſalivam crebro exſpuant, rad: angelicæ, vel aliam ſimilem fragrantem & alexipharmacam maſticent, ac mane domo exeuntes jentaculo ſe præmuniant.

Faxit *Deus*, ut, quam boni publici gratia ſuſcepimus, qualiſcunque hæc opella fine ſuo haud plane deſtituatur! &, ſicuti jam ultra bimeſtre urbs noſtra ab omni lue perſtitit immunis, ita vigeat floreatque in poſterum diutiſſime!

TANTUM.

CLXXXIX.

ABRAHAMI ENS,

DISQUISITIO ANATOMICO-PATHOLOGICA

DE

MORBO BOUM

OSTERVICENSIUM PRO PESTE

NON HABENDO.

Halberſtad 1746.

§. I.

CIrca finem elapſi menſis ſeptembris, Oſtervici, urbe, in principatu Halberſtadienſi, ſita, motus ingens ortus, civeſque jam omnes ſe deperditos ac conclamatos credebant, (utpote, maxima ex parte, ex agro, pecudumque integritate viventes) immo & incluſos orbatoſque fore omni adjacentium regionum commercio negotioque, vano quarumdam vaccarum mortuarum metu, clamoreque medici, peſtem teterrimam dicentis ſcribentiſque; natam ex halituoſo-ſpirituoſo-venereo-aëreo-venenoſa, eheu! communicatione; animaque, tam placida, tamque bona, cujus actiones non intelligit; proh dolor! nunc ſubito ſæviente, furiente belligeranteque; & quæ ſunt reliquæ ſeſquipedales voces.

Malo licet nunc fere ſublato, ejuſdem doctrinæ iiſdemque principiis imbuti medici, proxima in vicinia, inſurgentes, omni nervo, modoque omni poſſibili; peſtem eſſe; peſtemque bovinam malignam graſſari Oſtervici; contendunt, ſcribunt, miſcentque quadrata rotundis, rem tamen, ut rem, minime & nunquam, pro dignitate, examinantes aut intelligentes.

§. II.

Hoſce ergo inter motus §. 1. juſſuque regiæ cameræ principatus Halberſtadienſis; medicinæ doctor, phyſicus ejuſdem principatus, & urbis Halberſtadienſis doctiſſimus ampliſſimuſque conſul, dominus *B. Lieberkühn*, amicus noſter; noſterque quondam Leidæ commilito, cujus & hic loci, ad tempus frui licet conſortio; eo, ad examinandam rem, profectus.

Quo comite; lubens flagranſque cupiditate, ſponte & ego, eodem, quo redii, ex montibus ſilvæ Hercyniæ, die, ad quos me plantarum (earumdem deliciis captus) & quærendarum & examinandarum gratia, contuleram, redux, ut peregrinus viatorque illuc conceſſi.

§. III.

Oſtervicum verſus delati, illico, concomitante loci magiſtratu, civiumque magna multitudine, quos rei allexerat novitas, ad pratum mortuarum & expoſitarum nos una contulimus lactantium boum.

Siſto nunc hic tibi, humaniſſime lector! ea ſolummodo phœnomena, quæ vera bonaque fide atque ipſa cadaverum diremtione comperta, autopſia docuit, ſanum caſtiſſimumque ratiocinium ſuaſit, doctrina medica probavit: eventuſque tandem confirmavit: non plus ultra.

§. IV.

Ibique §. 3. ſtatim, quo ad externas partes, invenimus nihil, quod vitii venenoſi vel dicti §. 1. quidquam teſtaretur.

Phymata neque, neque anthraces, carbunculos, ſcabiem, buboneſque peſtilentiales conſpicere, nec puſtulas quinta vel ſexta die per totum corpus erumpentes, ac tubercula variolarum ſpeciem referentia, ut *Ramazzino*, licuit.

Remotis autem integumentis externis & communibus, jam muſculos abdominales inflammatos jamque inflammatum peritoneum offendimus, vera prægreſſæ inflammationis ſigna edentes.

§. V.

Aperto abdomine, omentum in conſpectum, inflammatione correptum, prodiit.

Boum ventriculus primus & major Κοιλία μεγάλη, & ſecundus minor Κεκρύφαλος ſeu reticulum pariter & cibo maxime & potu repleti.

Tertius, qui omaſum audit & Εχῖνος vel centipellio, non ſolum præ reliquis omnibus inflammatus ac extenſus erat, malique veram præcipuamque ſedem teſtabatur, & membranæ, foliaceæque plicæ, ſphacelo ipſo affectæ & nigræ; ſed & contenta ipſa prorſus exſiccata, limoſa, ſabuloſa, dura, denſa, friabilia, &, ut ab intruſa percipi potuit manu, maxime & diu poſt mortem æſtuantia, quæque vix ipſo cultro diſcindi poterant, tranſitumque aſſumtorum, ex prioribus ad ſequentem, omnem interclauſerant.

Hic ſolutus præcedentibus & ſequente, glomeris fere inſtar apparebat, ſupraque terram projectus, ut globus, hinc inde volvebatur.

Nonne plicæ hic numeroſæ, majorem aſſumtorum remoram cauſſantes, infarctum, tandem obſtructiones & inflammationes creavere?

Quartus, qui abomaſum, ſeu Ἤνυστρον, vacuus, ſatis contractus & inflammatus erat.

De partibus hiſce recenſitis, mi lector! ideam ut habeas, conſulas velim egregii J. C. *Peyeri* merycologiam; nec non G. *Blaſii* anatomen animalium & alios, qui de Zootomia præclari quid edidere.

§. VI.

Hos §. 5. ordine excipiebant inteſtina inflammata & valde contracta, ſecundum longitudinem, cultro aperta, muci tenuis immo & circa rectum (in quibuſdam) ſanguinis quid continentia, ut & meſenterium; nec non veſica urinaria, boum lactantium uterus, & in imprægnatis, ipſe pullus, ſuis cum tunicis ac cotyledonibus.

Nec illibatas reliquit ſæviens hæcce inflammatio adjacentes partes, & præ-

præcipue veſicam felleam; certiſſimo experimento, nata ſemel in loco quodam inflammatione majore, ſerpere inflammationem

§. VII.

Hinc §. 6. ad ſuperiora migrantes, thoracem nunc, nunc diaphragma, pleuram, mediaſtinum, pulmones, (qui nec hydatidibus conſperſi, nec vomicis diſtenti, aut lacerati erant, ut *Lancifius* in peſte bovilla Romæ obſervavit) cor cum pericardio luſtrantes rimanteſque, nullibi inflammationis veſtigia preſſimus

Porro: lingua conſpurcata, ſordida; ſed in eadem nullæ puſtulæ, ulcera aut maculæ, ut *Lanciſio* iterum obſervatæ, nec in ipſo œſophago.

Oculi luridi inflammatique, &, diſtracto cranio, cerebri vaſa tumida & ſanguine, ibi infarcto, turgida; ſed minime fœtidum aut diffluens erat cerebrum ut *Lanciſius* invenit

Vermes in naribus, ad cornuum radices, in labiis atque ore comperiebantur nulli, ut modo nominatus detexit.

Nec caudam intactam eſſe curavimus detracta cute, juxta articulos in fruſtula diviſam; ſed nihil dicti §. 1, in ea, nec ſubtiliſſimos illos ſpiritus *Bellino* hic tam anxie quæſitos, peccante anima agitatos, invenimus.

§. VIII.

Ad unam omnes, quarum duodecim erant, & quas methodo indicata § 4. 5. 6. 7. diſſectas vidi, pari ratione ſe habebant.

A cauſſa, vel vitio ergo eodem & communi, idem effectus, morbi, mors, in omnibus.

Hæc hactenus, amice lector! quod ad anatomicam & præmittendam diſquiſitionem.

§. IX.

Cauſſæ vero pathologicæ ſequentes videntur:

Omnes quas mortuas apertaſque vidi, athletice ut plurimum, corpore bene valentes erant & plethoricæ, (quomodo ſeſe autem illarum anima § 1, habuerit, neſcio, nec de occultis judicat eccleſia) hac ratione jam prædiſpoſitæ; reliquæ vero, quibus hæ conditiones deerant, licet eodem pabulo, aëre &c veſcerentur, integræ intactæque permanſerunt, aut non ita graviter affectæ.

§. X.

Solum, quo animantia hæc paſcebantur, vallis erat, circumdata monti-

tibus, & monticulis plurimis, inundata imbre ingente, circa initium menſis auguſti, & ab aqua ex montibus vicinis delabente, & quidquid ſabuloſi, limoſi, ſqualidi luridive hi habebant, ſecum rapiente, & per prata hæc longe lateque diſpergente, obſita, ut ipſæ plantæ, ibi creſcentes ſimul corruptæ, quibus vitam habebat ſuam boum grex hicce.

§. X I.

Eodem quidem in loco § 10, & venenatas plantas, ut: colchicum, lolium temulentum, cicutam, ſtramonium, hyoſcyamum, tithymalos clematitidem, ſive viornam vulgo Lobelii, ranunculorum varias ſpecies, populaginem, aliaſque vidi multas, quæ aſſumtæ, topicas certe creare valent inflammationes; ſed hiſce cauſſam atrocis hujus morbi non ita tribuo: Alma enim genitrix providenſque bonaque mater natura; & inſtinctu naturali, & proboſcide longiori, nerviſque olfactoriis bonis inſtruxit animantia hæcce; quibus has bene diſtinguunt, intactas relinquunt nec niſi ſumma forte enecata fame comedunt, vid. *Wepferi* hiſtoria cicutæ aquaticæ (edit. Leidenſis) p. 11; hominibus vero, ut abſtineant, ſibique proſpiciant, mentem ſanam, in corpore ſano conceſſit.

Nolo tamen prorſus inficias ire, (nam neſcio) quod non & forte, ex venenatis plantis, quid abripuerint & comederint, & fœnum ipſum hiſce inquinatum ſit: quis divinabit? quis enarrabit?

§. X I I.

Menſe eodem ſeptembri ſubitum cum rubigine ortum eſt gelu, prata fere rore hocce nocturno congelata, aër nebuloſus, turbiduſque erat, flante ſimul borea.

§. X I I I.

Boves per bubulcos, primo mane, tempeſtate dicta §. 12, moreque ſolito, ad loca nova hæc §. 10, a magiſtratu ipſis indicata, ex ſtabulis ſuis calidis, fimo, aëre incluſo, exſpiratione, exhalatione, urina, multitudine, balnei fere laconici inſtar, æſtuantibus, deductæ, ibique ob rationes §. 9. 10. 11. ſucceſſive correptæ.

Quid ergo candide lector! nonne, ex recenſitis hiſce conditionibus ſimul ſumtis, cauſſam mali proximam conſtituere liceat? Nonne hæ, applicatæ humano corpori, eadem §. 15. creare valent? Et quæ tandem differentia inter humanum & animalis, ratione carentis, corpus? Nonne iiſdem vaſis, arteriis, venis, nervis, membranis, muſculis, & reliquis, excepto habitu externo, quibus homo conſtat?

§. X I V.

§. XIV.

Eadem ergo §. 15. iiſdem ſub conditionibus §§. cit. animalibus accidunt, quæ & hominibus.

§. XV.

Hinc, ex ſubitanea hacce refrigeratione §. 12. 13, & ſqualore pabuloque corrupto & forte venenoſo, ſenſim collecto, aucto accumulatoque §. 10. 11, in primis natæ obſtructiones & inflammationes viis, & præcipue in omaſo §. 5, febriſque tandem, ut individuus imflammationis comes.

Ergo morbus hicce, non peſtis teterrima §. 1; ſed bona fide acutus inflammatorius, recenſitis jam cauſſis, natus dicendus.

§. XVI.

Signa pathognomica, quibus cognoſcitur, animal hocce morbo §. 15, affectum, ſunt:

Pulſus durus, inflammatorius, calor ſitiſque ingens, oculi rubentes, lingua ſordida, halitus graveolens, urina parca & inflammationem notans, ſanguis miſſus, (ut experimentis inſtitutis conſtat) ſtatim corii inſtar concreſcens & durus, abſque fluidiore latice. (quæ omnia inflammationis febriſque effecta).

Porro: nares manantes, (ob refrigerationem ſubitaneam & maximam §. 12. 13.) ἀποσιτία, (partim ob febrim §. 15, partim ob impletos ventriculos §. 5) jactatio, titubatio, capitis nunc inclinatio, nunc reclinatio, vacillatio membrorum, boatuſque frequens, (ob ſummos dolores) lactis ſecretio, primo maxime imminuta, ſublata deinde, (nam ad inteſtina tenuia, ubi maxima chyli fit abſorbtio, cibus & potus pervenire nequeunt § 5, hinc chyli, in lactea vaſa, nulla ingreſſio, hinc &, ope circulationis, deinde nulla lactis ſecretio) fœcum copia primo imminuta, minus ſcybalata, deinde & ſublata. (ratio eadem cum præcedente.

Hæc omnia, (ut experientia conſtat) brevi temporis intervallo, ceſſant, quam primum animal alvum iterum legitime exonerare valet.

§. XVII.

Tandem, in quibus remedia præſcripta vel medelam non afferunt, vel potius maxime negliguntur, poſt triduum, quatriduum, quinque, ſex dies, ſeptimanam, duas treſve, (pro ut malum majus vel minus fuerit) ſubſequitur placida mors, prægreſſa (in aliquibus) diarrhœa, ſtriis ſanguineis interdum colorata, extenſione membrorum relinquens teſtimonia mali

 cer-

certa §. 4. 5. 6. 7. diſſectione ſola, non autem futilibus nugis, detegenda.

§. XVIII.

Si autem hunc morbum § 15, quis peſtem dixerit, ſane omnis obſtructio, inflammatio & febris, peſtis erit, ergo & pleuritis, nam & ex hac moriuntur homines & pereunt animalia: hinc ignorantiam ſuam prodit. Sed qui bene diſtinguit, bene docet.

§. XIX.

Fidem hanc §. 15, magis augent iterum experimenta, medico ſuaſu, inſtituta:

Boves quædam lactantes & ſanæ, ex alio loco, Oſtervicum verſus, deductæ, ægrotantibus partim, partim & jam mortuis, alligatæ, ut ab communicatione forte peſtilentiali & credita § 1, afficerentur; ſed en! adhuc dum intactæ, ſanæ ſuperſtiteſque ſunt.

Vaccæ vero, quæ Wernigeroda, ubi idem & ex iiſdem cauſſis graſſatus eſt, & dirus ille morbus, & Oſtervicum verſus coactæ, & ibi neglectæ, interiere.

§. XX.

Robur tandem addit ponduſque ſequens experimentum:

Generoſum pectus, propriis ſumtibus (rarum ſane exemplum!) in patriæ bonum, ut veritas appareat, bobus quibuſdam, mortuarum viſcerum partes, ut & ipſius omaſi; deglutiendas præbuit; ſed & hæ, ad hunc uſque diem, minime peſte, vel morbo quodam affectæ vegeteſque perſtant.

Geſnerus, in hiſtoria animalium ſcribit: boves paſcendo herbas inficiunt, bibendo fontes, ſtabulo præſepia, & quamquam ſani ſint, odore morbidorum afflante depereunt.

Sed hoc a nobis viſum non fuit.

Et ſi *Lancifii* effatum de peſte bovilla verum, inquientis: nullum armentum, ac ne unum quidem bovem communi morbo, ſponte ſuâ, ſed per contagium aut fomitem ſemper ægrotaſſe;

Stat ſane & confirmatur adhuc magis dum noſtra theſis, experimenta inſtituta ſunt, uti hic vides.

Et cur tandem ad latentes ac obſcuras cauſſas aut potius nugas § 1 (an forte quia narravere patres, vel aniculæ ſomniavere quondam noſtræ?) confugiendum, cum manifeſtæ adſint? § 9. 10. 11. 12. 13.

§. XXI.

§. XXI.

Ex collatis ergo & repetitis experimentis § 19. 20. diſſectionibus tot rite prudenterque inſtitutis § 8, cauſſiſque bene indagatis perſpectiſque § 9. 10. 11. 12. 13, ratiocinio juſto § 15. 18. eventuque tandem & ulrimo confirmante 16 & 18.

Jam per ſe patet falſa *peſtis* accuſatio § 1.

Id, ſchemate hocce, erat demonſtrandum.

§. XXII.

Caveant ergo in poſterum conſulantque ſibi, qui, omni auxilio omnique experimento deſtituti, de re, nec intellecta, nec examinata, judicium nimis præmaturum nimiſque inconditum tam temerarie proferre, &, quod neſciunt ignorantque, peſtem vocare, audent.

Nec illotis manibus ruant in ſacratiſſimum *Apollinis* & *Aeſculapii* templum: illudque, præſentia ſua, fœdent, conſpurcent aut polluant, ne quoque ruat in illos *Jovis* fulguratoris *deum* que gravis fulminanſque ira.

§. XXIII.

Hicce ergo morbus indicatus & deſcriptus § 15. non ſanandus erit calidis illis compoſitionibus, illuſtriſſimiſque abſque omni ratione ſufficiente titulis præditis, & ex ingredientibus ſibimet, maxima ex parte, contradicentibus ac deſtruentibus, confectis.

Quarum tantummodo quaſdam referre, nimis tædioſum tibi, cui, ex meliori & nobiliori luto, finxit præcordia Titan, forte foret, amice lector! hinc ſtudio omitto.

Hiſce enim, hominibus applicatis, ex morbo alioquin non acuto, acutum, & ex acuto, acutiſſimum, immo ipſam teterrimam funeſtiſſimam & immedicabilem producunt peſtem.

Sane! Medici ipſimet ſunt ſæpiſſime omnis inflammationis & inflammatoriæ efflorefcentiæ mortiſque cauſſa, ut: eryſipelatis, purpuræ, ſcarlatinæ, &c.

Bonique hi, tot voluminibus tamque craſſis in folio, &, quoad formam aut titulos, toties jam mutatis, (ſæpe de lana caprina, aut de ſinapi ſumendo poſt prandium repletis) qui, quidquid adhuc boni habent, paucis abſolvere potuiſſent pagellis, ſe morborum acutorum myriades, calidiſſimis cum eſſentiis ſuis, (addito pereleganti epitheto: Noſtræ ordinationis) Tincturis, quintis-eſſentiis & ſpirituoſis, O amphoræ vini! curaſſe, aperte &, abſque omni humano pudore, publice alteque jactantes; tacentes vero quam ſcitiſſime, quot letho, inſcitia ſua & proſcribenda proſcindendaque methodo, dederint, (ſed tegit oſſa lapis) & de qui-

 bus

bus volumina longe ſpiſſiora atque ingentia, ſalva conſcientia & majore cum veritate ac utilitate, condere, ſi vellent, poſſent, quæ vix ac ne vix quidem; terra, mare cœlumque altum caperet.

Nec mehercule! optimis ſuis nugis & antidotis ipſi quandoque ægrotantes confidunt; ſed tutiora anxie quæſitant, & ſic Sutori medico apud comicum ſimiles ſunt.

Miror hinc! mirari famoſiſſimum ſuo tempore medicum atque chemicum, filiolum proprium, ex morbo quodam acuto graviter decumbentem, mori, cui tamen largam, ſtrenue & quotidie, ſalis ſui volatiiis oleoſi copiam propinaverat, ut ipſe ſcribit.

Utinam! tandem invigilarent hiſce reges, principes patreſque patriæ, quibus publica & ſubditorum cura commiſſa, ne, ante tempus, peſſumdetur gens humana.

Et ſane ipſimet propria de ſalute & vita periclitantur, talia ſæpiſſime *Archiatrorum* & rudi ſtipati *comite.*

Adeant potius hi medici, diſcantque cautius mercari, neque in poſterum impune ſævire in hominum animaliumque viſcera, hauriantque theſauros operibus incluſos veros *Hippocratis*, *Celſi*, *Aratei Cappadocis*, *Piſonum*, *Lommii*, *P. Alpini*, *C. Aureliani*, *Sydenhamii* paucorumque aliorum primi ſubſellii, virorum; nec non magni beatique præceptoris mei fama ſupra æthera noti, *Boerhaavii*, in quibus, quid & quæ in acutis chroniciſque agenda, luce meridiana clarius, ratione ſana, fide probata, expoſita nobis ſunt, ſpretis latrantibus impune catellis & agyrtis, ubivis gentium, ſane! & terrarum, numero infinitis.

§. XXIV.

Rumpor riſu, ſolvor cachinno, & mecum ipſe vel ſeveriſſimus *Cato*; ſi ex tartaris rediret, quoties evolvo aut perlego, huc jam, ad debellandam peſtem, abſona remedia, commendata ac laudata, alga & ulva vilioribus projectioribuſque.

Tot alexicaca, alexiteria, bezoardica, calidiſſima quævis theriacalia, fortiſſima ſtimulantia, ſudorifera, & quæ ſunt ejuſdem farinæ, lethifera, hoc in caſu, ac damnanda medicamina, garum, haleces ſalitas, zingiber atque piperata; nec non antimonachicum illud, ſeu antimonium crudum quo quondam monachos morti dedit *Albertus magnus* epiſcopus ille Ratiſbonenſis, cum monachos omnes ſuos eo, ut porcos, (nullum inter hos & illos, uti videtur, diſcrimen faciens (nimis cito & viliori pretio, ſaginare vellet:

Hæc enim omnia; illud, quod relictum eſt ex fluidiore latice, auſſerunt, diſſipant; ſanguinem magis indurant, mala quotidie augent, & horrenda ſymptomata & exanthemata producunt, mortemque accelerant vitanda & proſcribenda.

Tot-

Tot inſana & ſuperſtitioſa caligine experta & probata amuleta & prophylactica!

Et quis medicorum, modo ſana præditus ratione, hæc legens, hæc videns, non rideat? non horreat?

Nec profecto! ipſos ſinunt miſeros & intactos veterum Ægyptiorum Deos, quietos & terra abſconditos, ut: porrum, allia, cepas, &c; de quibus olim & hoc noſtro tempore *Juvenalis*.

O ſanctas gentes, quibus hæc naſcuntur, in hortis Numina.

§. XXV.

Hinc noſtro in caſu §. 15, ex ratiocinio, per analogiam, morbus hicce in initio curandus:

Miſſu ſanguinis ad libras uſque vel prima ſyncopes initia, ut cita benignaque obtineatur reſolutio concreti ſtagnantiſque ſanguinis.

Quid, ad augendam aut minuendam cordis vim, valeat major aut minor ſanguinis, in corpore noſtro, copia, de hac videatur, ſi volupe eſt, Diſſertatio noſtra inauguralis: de cauſſa vices cordis alternas producente.

Medicamentis antiphlogogiſticis, quæ nec operoſam pharmacopoei manum poſcunt, nec magno veniunt pretio; ſed ſolum natale profert, & quæ facile, a cive pauperiore, vel ruſtico, parari & comparari poſſunt, utrumque enim alias ſcopulis plenum.

Abſtinentia, per aliquot dies, ab omni cibo, ut commode, ab omni infarcto, depleantur ventriculi §. 5.

Emeticis ne vexetur animal, ne continens ſimul cum contento eructet.

Decoctis largis antiphlogiſticis, ſubfarinoſis, actu calidis & potentia refrigerantibus, collectam ſaburram §. 5. emollientibus, diluentibus, leniter evacuantibus, perpetuam, aſt lenem, diarrhœam inducentibus; ſitim, calorem, æſtum exſtinguentibus, concretum ſtagnans, in vaſis ſanguiferis, reſolventibus, incidentibus, attenuantibus, dolorem ſedantibus, obtundentibus, putredini & inflammationi reſiſtentibus.

Quo ſpectant & poſca, ex aqua melle aceto, parata, vel lac ebutyratum, ſerum lactis, zythogala, hydrogala, ſuccus betulæ, emulſiones ex farinoſis, ex ſeminibus & capitibus papaveris hortenſis, papaveris erratici, ex ſeminibus quatuor frigidis majoribus & minoribus: his ut & decoctis, melle, vel ſyrupo, poſt coctionem ſacchari, relicto, nitro, vel tartaro, chryſtallis tartari, rob ſambuci, ſapone veneto, & ſimilibus additis.

Quæ tepidula, ope cornu vel infundibuli, aſſiduo, vi, elevato & reclinato capite, infundi poſſunt.

Quæ dicta præſtant, & ex quibus decocta parari poſſunt, ſunto:

Plantæ & illarum radices, ſemina, flores, emollientes, ſubfarinoſæ, laxantes &c. quarum quædam ad M. I. vel alterum ſimul, & ſufficienti aquæ copia coqui, nec quantitate aut qualitate nocere poſſunt, ut:

Althææ, Malvæ, Boni Henrici, parietariæ tuſſilaginis, mercurialis, verbaſci, Saponariæ, Glycyrrhizæ, Alchimillæ, Meliloti, Cyani vulgaris,

 Tri-

Trifolii odorati ſeu loti urbanæ, alſines, Papaveris erratici, vulnerariæ ruſticæ, atriplicis, ſpinachiæ, braſſicæ rubræ, flor. Sambuci.

Farinæ ipſæ, ut: avenæ fagopyri, tritici, ſecalis, hordei, lentis, piſorum, fabarum, lathyri, lini, orobi, & ſimilium.

Plantæ reſolventes, putredini reſiſtentes, ſitim ſedantes, partim & lacteſcentes, & in quibus aliquid, ſubnitroſi ineſt & laxantis &c. cum ſuis radicibus, ſeminibus, floribus, ſunt;

Taraxaci, Hieracii, endiviæ, ſonchi lævis & aſperi, lactucæ, chondrillæ, ſcorzoneræ, tragopogoni, cichorei, graminis canini, plantaginis terreſtris, beccabungæ, anagallidis aquaticæ, ſymphyti majoris, bellidis pratenſis, lampſanæ, pulmonariæ, acetoſellæ, acetoſæ, valerianellæ pratenſis, fumariæ, portulacæ.

Decoctis, ad putredini & inflammationi magis reſiſtendum, addi interdum poſſunt: acetum vulgare, vel ſambucinum, rutaceum, calendalæ & ſimile, vel interdum paucæ guttæ ſpiritus nitri dulcis, aut quædam ſpiritus ſulphuris per campanam, vel ſpiritus aut olei vitrioli.

Nec aquoſis, aceſcentibus, aut jam actu acidis parcendum.

Vannis toti abdomini ſuppoſitis, aqua calida repletis, ut aquæ exhalantis ros ad abdomen perveniat, & venulis reſorbentibus inhalari poſſit.

Setaceis, aut cauterio ignito, inurendo & perforando clunes aut femora, ut revulſioni locus detur.

Cataplaſmatibus calidis, toti abdomini applicatis, linteis & fibulis alligatis, factis ex jam memoratis emollientibus & farinoſis, farinis ipſis, additiſque reſolventibus & calidis; tanta ibi in copia (modo ſua bona noſſent incolæ) creſcentibus, ut:

Abſinthio, mentha, matricaria, chamæmelo, ſcordio, millefolio, ruta, tanaceto, marrubio, cardiaca, alliaria, ſimilive.

Clyſmatibus, ter, quaterve de die, ſcopo laxandi, emolliendi, incidendi, lubricandi, refrigerandi, nutriendi &c. injectis; factis ex recenſitis emollientibus, laxantibus, refrigerantibus lacteque ipſo &c. additis oleis, ut: lini raparum, cannabis, vel ſimili, melle, vel ſyrupo, vel rob ſambuci, nitro, ſapone veneto, vel nigro liquidiori & vulgari, & interdum addito ipſo aceto.

Quæ, ope ſiphonis majoris, (& quos ibi jam paratos habent (a) bubulcis vel cuſtodientibus injici poſſunt.

Materies infarcta §. 5. decoctis & clyſmatibus hiſce, emollita, & leniter quodammodo jam fluxilis reddita, tandem purgante fortiori, apta doſi, exhibito & repetito, integre, forma liquida, (ut inſtillari poſſit) expelli debet, cumque præcedentium decoctorum antiphlogiſticorum certa quantitate miſceri, infundi, coqui poteſt, aut fiant emulſiones.

Ex ſequentibus aut ſimilibus fiat ergo selectus, ut:

Succo inſpiſſato elaterii, vel aloes, Fol. Sennæ, Rad Bryoniæ, ari, polypodii quercini, jalapæ, cortice ebuli, ſambuci, frangulæ, ſeminibus carthami, baccis rhamni cathartici, gratiola. Soldanella alpina.

Cor-

Corpore, aqua tepidula, acidula, puro ſemper reddito, pannis, aut ſtrigilibus perfricando, ut perſpiratio ſervetur, augeatur.

Stabulis quotidie repurgatis, portis, favente cœlo, ſæpe apertis, ut aër renovetur, circuletur. Sitque ille ſubfrigidiuſculus, purus, aut aceto calido, exhalante purificandus, aut prunis ardentibus inſperſo nitro, olibano, ſale marino, pulvere pyrio contuſo.

Lectulo ſtramineo, ſæpe renovato & repurgato; ut molliter dolore & morbo feſſum animal cubet.

Nec multitudine ſimul ægrotantium impleatur ſtabulum.

In hiſce perſiſtendum, donec ceſſaverint dicta §. 16, animalque vegetius evaſerit, comederit, ſecretiones & excretiones, more legeque naturæ ſolitis, proceſſerint, dato interdum adhuc purgante: deinde diaphoreticis & aperientibus pertractandum, decoctis largioribus & multum aquoſis.

Quæ fieri poſſunt ex rad. Eryngii, vel bardanæ. Ononidis, petroſelini, valerianæ ſylveſtris, fœniculi, ruſci, rubiæ, paſtinacæ, dauci & ſimilibus, ubivis ibi obviis, addito rob ſambuci, juniperi, melle, vel ſyrupo jam dicto, ſale quodam, per incinerationem, parato, ut: ſtipitum fabarum, cardui benedicti, abſinthii, centaurii minoris, aut ejuſmodi, qui inter ſe haud, aut per parum, differunt.

Nec non decoctis, ex herbis aromaticis, pari ratione, præparatis & exhibitis, ut ſunt:

Hederæ terreſtris, vel agrimoniæ, veronicæ, thymi, ſerpilli, ſaturejæ, chamædryos, chamæpityos, virgæ aureæ, ſolidaginis ſaracenicæ, eupatorii cannabini, agerati vulgaris, artemiſiæ, abrotani, calthæ vulgaris, aſperulæ odoratæ, betonicæ, hyſſopi, calaminthæ montanæ, &c, quibus integra ibi repleta prata.

Dando gramen recens, vel fœnum optimum minime inquinatum, lac ebutyratum aqua dilutum, coctum cum pane, furfuribus, vel farinis, aquamque puram, pro cibo potuque.

Ultimo, movendo corpus, animalque per prata leniter agitando & roborando, quem in finem ejus pabulo admiſceantur & folia & radices tot ibi creſcentium plantarum, ut:

Quinquefolii, tormentillæ, ſanguiſorbæ, lapathi, hydrolapathi, biſtortæ, filicis, fragariæ, polygoni, ulmariæ, tragoſelini, verbenæ, nummulariæ, hyperici, nymphææ, baccæ corni, juniperi, ſorbi, fructuſque pruni ſylveſtris, ſeu acaciæ germanorum, cynosbati, glandes quercinæ.

Et hæc ſunt, quæ ſana ſuaſit dictavitque mens.

§. XXVI.

Si hiſce §. 25, infarcti non fit cita reſeratio, nec inflammati §. 5, reſolutio benigna obtinetur; (in quibus tamen ad finem uſque perſiſtendum) ſed inflammatio ſuam ſequitur indolem, & exitus omnibus cognitos, ſpes nulla relicta, nec animalium heri, aut poſſeſſores, emulgendi, & ad ſumtus illicitos inducendi. aut cogendi.

Optan-

§. XXVII.

Optandum ſane! ut medici omnes remedia & ipſas hic recenſitas plantas, profecto optimas, ſuaque bona propria ipſimet ſcirent, & botanici eſſent, indicarentque miſeris homin.bus; ſed o dii deæque! ipſimet ſæpiſſime &, maxima ex parte, divinæ hujus ſcientiæ ignari experteſque, ceſpitant & in cimmeriis tenebris reptant.

Nec toties illuderentur aut deciperentur ſciolis & naſutis pharmacopœis & ignaris, quid pro quo ſubſtituentibus, nec in præſcriptionibus, toties totieſque, hallucinarentur ipſi, eandem plantam ter præſcribentes, ut; althæam, ibiſcum, biſmalvam; ſed hæc ſunt adhuc minima, nec ita curat fiſcus aut prætor, modo deleteria & graviora non forent, & utrique necarent homines & animalia.

§. XXVIII.

Boum lactantium jam multæ, remediis meris antiphlogiſticis, ſanatæ, & præcipue illæ, quæ obſequiorem, fortuna jubente, & indefeſſum nactæ herum.

Teſtatur id ſchedula, Oſtervico, ad regiam huc data cameram.

§. XXIX.

Prophylactica omnium optima ſunt, vitando omnes illas cauſſas § 9. 10. 11. 12. 13, quæ mali §. 15 anſam dedere.

Venæ ſectio & alvi purgatio, juſto tempore, inſtitutæ, & crebriores, per diem, ad fontes lucidos, deductiones, cœloque frigidiori, gauſape involutio, non nocebunt.

§. XXX.

Utinam! ubivis, ubi animalium, hoc tempore, ſiderationes tot contingunt, indefeſſa medicorum optimos ſolertia, pietas amorque in patriam, excitaret, ut cladis Europæ fere generalis, aperto corpore, cauſſas indagarent, ac ſerio, relictis & ſpretis nugis §. 23. 24, de remediis hoſtem communem profligantibus & certis, & communi opera & amica mutua, cogitarent.

§. XXXI.

Carnes mortuarum & ægrotantium lac ut comedant homines, nunquam concedendum; licet hoc factum ſit, & ipſo magiſtratu inhibente & nolente, primo, præteriti anni, vere, a Batavis, (gente, utpote, valde œconomcia & lucripeta, ne quid pereat:) & ſane! optime ipſis ceſſit negotium hocce, nec de morbo quodam conqueſti unquam.

Memini me Leidæ, ab amicis ſtipatum botanophilis quibuſdam, rura petentem ac paludoſa uliginoſaque luſtrantem loca, pluviaque quandoque orta, aut ſiti premente, ruſticorum intrantem ædes, caminos, ſalſamentis fumo induratis, & ex mortuarum vaccarum carne depromptis, repletos videre.

Et hoc, hic loci, atque hoc tempore,

TANTUM.

C L.

J. CAROLI UNGNAD,

CASUS

ANATOMICO-PHYSIOLOGICUS

RARIOR.

Stettin. 12 Januar. 1750.

Ex Exempl. MSSC. ad Editorem.

JUſſu Illuſtriſſimi Regiminis menſe Auguſto anni præteriti corpus Hedewicæ Catharinæ Hartin, in aquis ſuffocatæ, in diœceſi Colbatz, in pago Selow, a phyſico atque chirurgo civitatis inſpectum ac obductum eſt. Inprimis autem hocce in cadavere exquiſite examinandum fuit,

Utrum illud ingravidatum fuerit, nec ne?

Externe nullum in integro hoc cadavere vel minimæ læſionis apparebat indicium, niſi quod ipſa aqua, cui defuncta aliquot jam dies innataverat, ſtella item ſyria, nec non inſignis temporis mora, hocce cadavere tunc temporis novendecim ante dies jam jam extincto, univerſam corporis peripheriam putredinoſam reddiderint.

Caput, thorax & abdomen una cum omnibus viſceribus & contentis nulla prorſus laborabant labe.

Præcipuum autem laboris noſtri objectum, puta uterum, qui alias in ſtatu ordinario exiguam quidem attamen parumper craſſam atque compactam figuram pyriformem extra ſtatum graviditatis offert, non tantum majoris erat molis & capacitatis, ſed & longe amplius extenſus, unde quoque vaſa ejus ſanguinea mirum in modum ſanguine diſtenta conſpiciebantur.

Primo intuitu, fatemur, non exiguum nobis de facta hujus cadaveris imprægnatione ſubnatum eſſe dubium, quandoquidem uterus plane vacuus nobis videbatur, nec ullum fetus in eo deliteſcentis veſtigium apparebat.

Illico vero ergaſtulum hocce debito modo perſcrutati, in eo ſatis diſtincte plurimas partes cranii, ſcilicet os frontis, utrumque os bregmatis, nec non maxillam inferiorem, omnia tamen ab invicem ſeparata tenerrimeque exſtructa, ac ſollicite a nobis aſſervanda, obſervabamus.

Subtilis ſimul artuum extremorum hac in regione præſens erat pars, quæ procul dubio radium & cubitum lateris dextri ſeu partem mediam brachii dextri conſtituebat.

Omnia igitur hæcce momenta atque documenta unum quemvis ipſo ſole clarius convincunt, hocce cadaver revera concepiſſe, fœtumque geſſiſſe, licet pauciſſimæ ſaltem illius partes noſtrum in conſpectum venerint.

Quoniam vero omnes illæ a nobis recenſitæ partes fetus adeo teneræ ac ſubtiles erant, omni jure judicamus, fœtum hunc bimeſtrem tantum fuiſſe reliquas vero inviſibiles atque abſentes hujus fetus partes ex inſigni ardore ſolis, ex mora tot dierum, nec non ex vi corruptibili aquæ, in qua corpus hoc ſubmerſum fuit, plane conſumptas, corruptas & in putredinem redactas fuiſſe; oſſa autem a nobis indicata hanc forte ob cau-

ſam a corruptione reſtitiſſe libera, quia, teſte experientia, oſſa cranii præ reliquis univerſi corporis oſſibus citius a natura formantur.

Cæterum ne minimum quidem ullius violentiæ illatæ in ventre ſupremo hujus cadaveris exſtabat ſignum, verum potius ejus integumenta una cum cranio ac partibus contentis apparebant integra ac ſana.

Nulla porro nobis ratione hujus cadaveris ſuboritur ſuſpicio veneni vel introſumpti vel oblati, ſiquidem externe ne minimum hujus rei apparebat indicium, imo neque in ipſo ventriculo ulla mutatio coloris, vel aliqualis tumor, vel levis inflatio, multo vero minus inflammatio ſeſe manifeſtabat, certiſſimo indicio, corpus hocce in aquis extinctum exſpiraſſe.

Hocce igitur in caſu quam maxime mirum nobis videtur, quod oſſa calvariæ paulo ante a nobis recenſita atque in utero reperta ne minimam corruptionem experta, verum potius recentia, ſana ac albicantia reperta fuerint.

Etenim extremitates atque apices horum oſſium, quorum coalitu ſucceſſu temporis ſuturæ formantur & oſſa cranii invicem junguntur, ſubtiliſſimis villis niveis ſimiles erant, unde innumeræ illæ crenulæ, quæ figuram ſerræ ſubtiliſſimæ ſenſui viſus offerebant, non ſine maxima animi voluptate a nobis conſpectæ fuere.

Non levis porro nobis inde ortus eſt ſcrupulus, quod, omnibus reliquis iiſque innumeris fetus hujus partibus diſperſis atque abſentibus, paucula tantum hæcce cranii oſſa in cavitate uteri reſidua fuerint, & cur illa non pariter evanuerint.

Sana ratio, ut opinamur, prohibet, ne medicus in cadaver humanum inquirens, illud, quod tantum auditu, non autem viſu percepit, relationi medico-chirurgicæ inſerat; hinc omni jure momenti hujus maxime notabilis, quod ex ore affinium hujus ſuffocatæ percepimus,

Scilicet quod illa, ex aquis repetita, in imis corporis partibus ſive abdomine ſanguine quam maxime tincta atque maculata fuerit;

in relatione noſtra nullam plane mentionem fecimus, attamen illud, prouti decebat, judici coram expoſuimus.

Prius vero quam huic diſquiſitioni finem imponamus, merito dubitamus, utrum omnes fetus hujus deperditæ partes uno ictu & per abortum, an vero per intervalla temporis & per ſucceſſivam corruptionem evanuerint!

Ex hæmorrhagia paulo ante deſcripta judicandum ſane eſt, quod cadaver hocce ſub undis & in ipſo agone mortis ingentem matricis ſpaſmum imo plane abortum perpeſſum fuerit.

Per hunc vero abortum plurimæ fetus hujus partes abſentes ſine dubio ejaculatæ & aquis immerſæ fuere.

Inge-

Ingenue itaque fatemur, cauſam hujus rei adhuc nos latere, cur ſcilicet pauca hæc a nobis recenſita oſſa, præſertim autem radius & cubitus dexter in utero reſidua fuerint, non autem una cum fetu evanuerint, cum nihilominus integer encephalus & nonnullæ ejus partes continentes oſſeæ a nobis non fuerint obſervatæ.

Quærenti ex nobis, numne partes fetus abſentes, matre adhuc in vivis exiſtente, ex utero egreſſæ fuerint, reſpondemus, id nobis hanc potiſſimum ob rationem impoſſibile videri, quia mater ad ultimam vitæ ſuæ lineam uſque ſana fuit, nec ullum vel inflammationis vel ſphaceli vel alius morbi in fetu ante mortem matris apparuit ſignum.

Recenſet equidem Clariſſ. Scharſchmid. in relationibus medico-chirurgicis Part. I. caſ. 63. hominem mercenarium medios inter labores & pauciſſimo temporis ſpatio aliqualem dolorem in brachio dextro ſenſiſſe, idemque brachium poſt tres ſeptimanas ſine amputatione & ſponte decidiſſe, reliquis omnibus imo ipſis vicinis totius corporis partibus ſanis reſtitantibus; attamen hocce exemplum noſtro caſui parum vel nihil luminis accendit, dum l. c. de partibus externis, nobis vero de partibus internis ſermo eſt.

Alii ex hiſtoria hujus caſus forſan judicabunt, fœtum demum poſt mortem matris extinctum partes ſuas per corruptionem aquarum & moram temporis ſucceſſive & diverſis vicibus perdidiſſe.

Ponamus, hanc ſententiam firmo niti fundamento, nullo tamen modo perſpicimus, qui fieri potuerit, quod plurimis fetus partibus abſentibus pauciſſima illa oſſicula in utero non tantum præſentia ſed & ſana & plane incorrupta, & cur illa permultis aliis corporis oſſibus longe teneriora non ſimul exſtirpata fuerint.

Pro dijudicanda hac lite, quæ forſan intuitu partus, præſertim vero dyſtociæ maximos exerere uſus potis eſt, ingenium noſtrum dubium ſimulque imbecille deploramus, hinc unum quemvis, qui leviſſimas haſce meditationes perſcrutatione dignas cenſebit, amice ac ſub... ...gamus, ut nos hac in re adeo fluctuantes benevole erudiat, cauſamque, cur illa oſſa poſt mortem matris ſola ſimulque ſana in utero reſtiterint, indigitet.

Rem certe nobis facturus eſt longe gratioſiſſimam, qui ſua de hoc caſu perquam memorabili nobiſcum communicare meditamina voluerit.

FINIS.

DISPUTATIONUM

AD HISTORIAM ET CURATIONEM MORBORUM

PERTINENTIUM TOM. III. PARS III.

MORBI ABDOMINIS.

LXXIII. J. *Jacobi* Ritter, olim Diſcipuli noſtri, *de impoſſibilitate & poſſibilitate abſtinentiæ a cibo & potu, occaſione puellæ Frutingenſis dit. Bernenſis inediam longam ſimulantis* Diſſ. Baſil. 1737. Fraudulenta inedia, a ſeveriori Præfecto continuo detecta, ægræ tamen puellæ hic deſcribitur. Inde de nutritione, de decremento per tranſpirationem; de minori neceſſitate alimenti in animale non tranſpirante, de vita minima egit. *pag.* 1

LXXIV. *Danielis Wilhelmi* Triller & *J. Erh. Frid.* Bulisii diſp. *de fame lethali & calloſa oris ventriculi anguſtia* Witteberg. 1750. 3. april. Poſt multum glaciei uſum paulatim amiſſa deglutiendi facultas, & longa fames, cum emaciatione, ad mortem duxit. Induratus, pene oſſeus & anguſtiſſimus erat œſophagus, qua in ventriculum ſe demittit. Multa ſcitu digna addit vir clar. 31

LXXV. *Georgii Auguſti* Langguth *de tabe ſicca lethali ex calloſa pylori anguſtia* progr. ad diſp. LXXIV. Memorabilis caſus vomitus perpetui, tabiſque funeſtæ: a ventriculi oſtio inferiori calloſo, ipſo vero eo receptaculo in ampliſſimam caveam dilatato. Cauſa ab ictu, aque omenti ſcirrho ab auctore derivatur. 63

LXXVI. *Henrici* Henrici & J. *Friderici* Messer *de Cholera Morbo* Hall. 1740. Choleræ cauſas varias collegit Cl. Henrici, & ipſe ex propria experientia protulit, a repreſſis ſudoribus pedum fœtidis, a fonticulo occluſo: a comeſtis fungis: a cucumeribus & cereviſia; a frigidæ potu: ab ovis piſcis barbi: a Lactuca: a terrore: a tartaro emetico non rite præparato. Inter remedia plurima, & aliqua ex hypotheſi collegit, ut indigeſtam illam cryſtallum montanam: opium rejicit, & a veteribus adhibitum fuiſſe negat. 73

LXXVII. *J.* Kæmpf *de infarctu vaſorum ventriculi* Baſil. 1751. Morbum non valde notum hic fuſe deſcribit auctor*, ſanguinis nempe in vaſis ventriculi congeſtionem & ſtagnationem: ejus morbi in cadavere detecta veſtigia producit, hæmorrhoides fere cum ejuſmodi obſtructionibus conjungi monet, lienem in vomitu cruento accuſatum ſæpe innocentem eſſe addit. Demum cauſas mali enarrat, eo corticem peruvianum refert, ferrum, opium, ſpiritum vini, vim externam Ex aliqua harum cauſarum ſanguis in ventriculi vaſa congeſtus his fractis denique erumpit, aut putreſcit, aut in ſcirrhum cogitur. Ad curationem ſuadet venæ ſectionem, ſales medios, cichorium, clyſteres ex furfure, decoctum radicis juniperi. Aegrotorum novem hiſtorias ſubjungit, inter quas etiam uteri & recti inteſtini putrefactio continetur. 99

LXXVIII. *Gothofredi* Sand & *Georgii Alberti* Stolz *rarus ventriculi abſceſſus* Regiomont. 1701. Hiſtoria morbi mortiſque ex vero purulento, inque ventriculum rupto, abſceſſu. 125

LXXIX. *Franciſci* Thiery præſide *Camillo* Falconet, doctiſſimo viro, propoſita theſis in hæc verba *Ergo ab omni re cibaria vaſa ænea prorſus ab'eganda* Paris. 1749. Celebrata utique, variiſque linguis reddita diſputatio lites excitavit, legibuſque ſanciendis pro fundamento fuit, quibus cuprea vaſa, tamquam valetudini adverſa damnan-

nan-

nantur. Sed neque ſtamni aut innocentiæ, aut minus tutæ craſſitiei fidit. 175
LXXX. *Pauli Henrici Gerhardi* MOERING Epiſtola ad Ill virum *Paulum Gottlieb* WERLHOF *quæ mytulorum quorundam venenum, & ab eo natas papulas cuticulares illuſtrat*. Brem. 1742. Morbus ſingularis ex mytulis etiam pauciſſimis comeſtis natus, in quo adfectio ventriculi nauſea, vomitus cum convulſiva indole & demum urticata eruptione conjungitur: brevis tamen morbus, etſi minax, & facile ſuperabilis eſt 183
LXXXI. *Danielis* HOFMANN & *Ferdin. Chriſtoph.* OETINGER *de aere microcoſmi factitio* Tubing. 1737. Prima hiſtoria eſt emphyſematis ex lapſu, fractaque coſta nati: in expoſitione ejus mali experimenta memorabilia interponuntur. 201
LXXXII. *Abrahami* VATER & *Laurentii* WEIDNER *chordapſus Celſi occaſione ventris enormiter contracti in homine ſubita morte exſtincti obſervati* Witteberg. 17 8 Id nomen inponit contractioni abdomini, cum anguſtia ventriculi plerorumque inteſtinorum conjunctæ. 223
LXXXIII. *Joh.* ZELLER & *Immanuel* WEISMANN *docimaſia, ſigna, cauſæ & noxa vini lithargirio mangoniſati variis experimentis illuſtrata* Tubing. 1707. Utilis diſputatio, qua funeſta vini mangonia anni 1705. deſcribuntur, cum anno pridem 1695. ſimiles fraudes graſſatæ fuiſſent. In cadaveribus inflammatus ventriculus adparuit. Præter conſueta ſymptomata aliquando etiam diuturnum aſthma, alias ulcus ventriculi ſucceſſit. A ſolo plumbo hæc ſymptomata ortum duxiſſe conſtat, cum acidiſſima vina abſque malo potata fuerint, ſolaque nocuerint, quæ ex fraude ſaturnina dulciora evaſerant. Experimentis etiam variis oſtendit auctor, etiam externo uſu ceruſſam eadem mala excitaſſe, quæ deglutita movet. Venena lenta ad ſaturninam claſſem refert. Liquorum exploratoriorum optimum fuiſſe expertus eſt eum, qui ex lixivio calcis vivæ cum auripigmento componitur, & melius, quam alia præſidia, plumbi exiguum momentum cum vino commiſtum detegit. Recentem vero oportet adhibere 235
LXXXIV. *Johannis* ASTRUC & *Petr. Ludov. Mariæ* MALOET theſis in hæc verba *Ergo morbo colica pictonum dicto venæ ſectio in cubito* Paris 1751. Antiquum morbum eſſe, & ante CITESIUM Pariſiis innotuiſſe oſtendit: ſedem in ſpinali medulla ponit, & rachialgiam dici jubet. Suadet doloris tempore venæ ſectionem, plurimum uſum decoctorum diluentium, fomentum ad lumbos, ſemicupia, narcotica. In ſtadio paralytico præcipit decoctum lignorum, ſudorem ope ſpiritus vini vel fumi cinnabaris excitum: ſales medios, mercurialia, thermas Baregianas, embrocham, arenationem, veſicatoria. 259
LXXXV. J *Baptiſtæ* du BOIS theſis in hæc verba *Non ergo colicis figulis venæ ſectio* Paris. 1751. & 1756. Morbos percurrit, quibus opifices in metallis occupati obnoxii vivunt. Oppidi *Villedieu les poëles*, in aere elaborando occupati, malignam valetudinem deſcribit, adhibet forte emeticum ex vitio antimonii trito, eo ſucceſſu, ut fere intra quatriduum morbus ſuperatus ſit. Emollientia & venæ ſectionem, quam ad emollientia refert, vehementer rejicit, & in noſocomiis morbum difficillimum reddere per experimenta queritur. Sedem mali ponit in obſtructo meſenterio. Sua methodo trecentos ægros abſque triſti eventu ſanavit. Peſſime habere obſervat eos, qui corium auripigmento tingunt. 277
LXXXVI. J. *Guilielmi* ILSEMANN *de colica ſaturnina metallurgorum* diſp. Gotting. 1752. Eximia diſputatio, & per experientiam nata. Labores primum metallicos deſcribit, eas maximas operas hac colica adfici obſervat, quæ lithargyrium excoquunt: auctores recenſet, qui de eo morbo ſcripſerunt. Symptomata mali enarrat, alvi conſtipationem, colicam in paralyſin degeneraturam, etiam cæcitatem. Cauſam non ponit in arſenico, cum uſtores a malo fere immunes ſint, mineræ hercinicæ arſenico vix miſceantur, a puriſſimo lithargyrio figuli ſimilibus malis adficiantur, neque in argento vivo, quo fodinæ hercinicæ deſtituuntur, ſed in plumbo,

cujus pars non minima avolat, dum calcinatur, ut in polline furnos obducente omnino verum plumbum ſit, quod recuperari poſſit, & lithargyrium ſudanti operariorum faciei adhæreſcat, deque manibus, quas blandituri canes lingunt, ſimillima tormina etiam beſtiæ referant. Venenatam efficaciam ad lithargyrium refert, quod ab acido primarum viarum ſolvitur, abſque eo acido innocens futurum, quale id omne eſt, quod pulmone recipitur. In ſanguinem autem penetrare certum eſt, cum ex urina plumbum reſtitui poſſit. Curationem ab emollientibus & febrifugis repetit, ut tamen acida excludat. Machinam excludendis aptam vaporibus proponit. 297

LXXXVII. J. *Erneſti* KUHNII *de ileo* diſſ. Leidæ 1702. Ab. involutis inteſtinis, aut in ſe invicem ſuſceptis, malum repetit. Duo exempla adducit. Addit frequens eſſe malum, & a Ruyſchio quater obſervatum. 347

LXXXVIII. J. *Gottl.* LEIDENFROST *de volvulo inteſtini ſingulari* eximium progr. Duisburg. 1759. Poſt verum volvulum inteſtinum de abdomine eruperat, inverſum, & per duos pedes invaginatum, ut phænomena tunicæ villoſæ curioſitati medici pateſcerent, qui ea opportunitate egregie uſus eſt. Morbus præter ulcuſculum inteſtini, facile fermentis vinoſis adhibitis convaluit. 364

LXXXIX. *Martini Jacobi* KUPFER diſſ ſiſtens *volvulum ſanguineum ejuſque curationem in viro* quodam Regiomont. 1720 Vomitus poſt ſæviſſimos dolores colicos recurrens, cum alvo obſtructa diuturnus, ſuperatus linimentis, clyſteribus, medicamentis amaris &c. Cauſam in ſanguine per venam portarum ſtagnante ponit. Memorabilis obſervatio eſt, in Livonia hæmorrhoides rariſſimas eſſe. 369

XC. *Laurentii* GRUBER *de febre acuta epidemica exanthematico-dyſenterica* Baſil. 1747. Tiguri hæc dyſenteria ſæviit, de genere putrido, ut emetica omnino non ferret, purgantia non facillime, & per exanthemata judicaretur, hinc per ſudorifera medicamenta rectiſſime curaretur. 385

XCI. *Abrahami* VATER & auctoris J. GOTTLIEB VOGEL *de dyſenteria epidemica maxime contagioſa & maligna ſuperiori anno patriam devaſtante* Witteberg. 1747. Dyſenteriam ex nebula ortam fuiſſe contendit auctor, quæ ſibi & urbi patriæ gravis incubuerit. Ab horæis fructibus negat natam fuiſſe, cum ante eos fructus graſſata, neque ab iis aucta, & aliquando omnino levata fuerit. A bobus dyſentericis homines, mitius tamen, infectos fuiſſe teſtis eſt. In curatione rejicit venæ ſectiones, emetica: laudat blanda laxantia, tum theriacam, & alexipharmaca. Adſtringentia nocuiſſe confirmat. 399

XCII. *Andr. Eliæ* BUCHNER & auctoris *Thomæ* LAURICH diſp. *de ſingulari quadam Indorum orientalium dyſenteria ejuſdemque præcipua a noſtrate differentia.* Hall. 1752. Auctor in inſula Java ab anno. 1742. ad 1749. medicinam fecit. Deſcribit dyſenteriam hybernam ejus regionis a fructuum horæorum abuſu, aque capto frigore natam, per initia mitem, ſenſim vero invaleſcentem, ſex integris menſibus duraturam, raro lethalem, non contagioſam. Eam curat, non quidem adſtringentibus fructibus, ut Indi ſolent, ſed orizæ decocto, vino rubro cum nuce moſchata, abſorbentibus, quibus nitrum admiſcet. A fructu ananas liberalius comeſto in Europa dyſenteriam ſucceſſiſſe vidit. 421

XCIII. *Samuelis* ERNST Arovienſis helveti, & diſcipuli noſtri olim amici *Emanuelis* KOENIG, Diſp. *de tænia ſecunda Plateri* Baſil. 1743. Primam tæniam, in Belgio, frequentem ab Helvetia abeſſe ſcribit. Anatomen animalis exhibet, qualis artificioſe repletis arteriis, aut canalibus adparet. Quodvis internodium habet ſua vaſa chylo turgida. Alia ſunt ex communi trunco, & quaſi aorta, nata, qui medium articulum percurrit, & alius denique truncus quadrangularis, oram ambit articuli. In alterutro, incerto, latere oſculum eſt: aliud vero vicinum punctum minus. Omnes articulos conjungit canalis, qui longitudinem animalis ſequitur, & qui in extremo articulo, cum ſimili ſemper ſequentis articuli canali

con-

continuatur. Vivere porro hanc animalium catenam oſtendit auctor, ſed catenam potius eſſe, quam ſimplex & unicum animal, ut omnino canalis, qui longitudinem ſequitur primi animalis, ſe ad ſimilem alterius beſtiolæ canalem adaptet. De capite dubitat. Oſtium laterale in papilla eminens pro vero ore habet, quo animal alimentum captet, idem forte evomit. Propria etiam ova admittit. 431

Clariſſimi van Doeveren egregiam de vermibus inteſtinorum diſputationem nimia, pro ſcopo noſtro longitudo, vetuit recipere

XCIV. *J. Gottlieb* Bauer *epiſtola* ad amicum olim noſtrum doctiſſimum, *J. Godofredum* de Hahn *de molis inteſtinorum* Dreſd. 1747. Curationem deſcribit hominis, cui frequens in vomitum deſinens capitis dolor, non ſine aliis vitiis moleſtus erat. Huic cum ſanguine puro multa concrementa fibroſa, cartilaginoſa, ſeceſſerunt, ex ſanguine forte retento & perinde in ſpeciem ſolidam compacto uti molæ ſanguineæ in utero ſolent. 461

XCV. *Sigiſmundi* Koenig, ex medica apud Bernates familia clinici, *λιθογενεσιας humanæ ſpecimen duab. epiſtolis ad Soc. Reg. Brit. comprehenſum* Bern. 1685. 12. Memorabilis hiſtoria conſervari meretur & tradi poſteris. Virgo lapides varii generis per vomitum & ſeceſſum rejecit, qui in aere in pollinem relabebantur; in ſpiritu nitri ſolo ſolvebantur; deſtillati dabant terræ plurimum, ſalis urinoſi volatilis pauxillum & aliquantum acidi. Multa etiam alia ſingularia in eo morbo fuerunt, clyſterum vomitus, urinæque fœtidæ. 475

XCVI. *Imman.* Weismann *hiſtoria lithotocæ mulieris* Tubing. 1716. 4. edita. Unice conſervavi hiſtoriam ipſam, reliquam, nimis longam, ratiociniorum & ſimilium caſuum collectionem omiſi. 493

XCVII. Ex *Johannis* Lembke & *Andreæ* Westphal diſſ. *qua pars inteſtini jejuni per guttur inferius excreta ſalva manente ægri vita deſcribitur* Gryphiſwaldiæ ann. 1741 edita, perinde hiſtoriam rei geſtæ ſolam retinui. Per dyſenteriam de ano deceſſit pars inteſtini jejuni cum fibris muſculoſis, valvulis, villoſa adeo tunica, glandulis miliaribus, & meſenterii particula. 495

XCVIII. *Georgii Erhardi* Hamberger *de ruptura inteſtini duodeni ex ſcirrho ulcerato & denique rupto* Jenæ 1746. 499

XCIX. *Caroli Friderici* Kaltschmidt *de ileo a ſcrupulis pirorum meſpilaceorum eroſo & perforato* Jen. 1747. Longa particula ilei obſtructa duris fæcibus, ut omnino ne argento quidem vivo via libera eſſet, & denique tribus locis perforata, ut ileum pene a colo avulſum eſſet. 502

C. *Henrici* Henrici & reſp. *Georg. Ludov.* Nottnagel utilis diſp. *de abſceſſu meſenterii & muſculorum abdominis plane ſingulari* Hall. 1712. In primo ægroto multum humoris nigri, etiam in fila collecti, & meſenterii, nempe celluloſæ ejus partis, magna ſedes ulcere abſumta, quod ſuper obturatorem internum ad genua uſque continuabatur. In altera hiſtoria abſceſſus peritonæum inter & muſculos abdominis poſiti a quo vertebræ, dorſi ultima & prima lumborum luxatæ. Pulmo etiam aeri inacceſſus, caſeoſa materie plenus. Inde alias crebraſque abſceſſuum meſenterii hiſtorias obſervatas ſecundum cauſas diſponit, menſtruas & hæmorrhoideas purgationes omiſſas, aut repreſſas; affectum hypocondriacum, hepar obſtructum, repreſſas variolas, calidorum abuſum, & ſpirituoſi potus, denique glandularum obſtructionem.

Altera pars diſputationis eſt de abſceſſibus abdominis a vulnere extus clauſo, cum intus pateret: a vulnere ſola intervalla muſculorum abdominis perambulante, ab inflammatione prægreſſa. 505

CI. *J. Georgii* Scherb *de calculo receptaculi chyli hydropis cauſa* Leid. 1729. In medio chylo poſt paracenteſin fruſtra factam lapillus repertus eſt, quem crediderunt in chyli receptaculo habitaſſe, quod in pectore nullum ductus thoraci-

ci veſtigium ſuperſtes repertum fuerit. Deſcribuntur viæ chyli, & hydropis raræ ſpecies, etiam oculi. 535

CII. *Rudolphi Jacobi* CAMERARII & *Jonæ* BRUNNER diſp. exhib. *hepatite defunctorum extiſpicia* Tubing. 1716. Duæ inciſiones quibus conſtitit, in hepate dura coagula fuiſſe. 555

CIII. *Abrahami* VATER programma *quo hepar in hydrope ſæpius inſons eſſe e ſectione viri ante duas ſeptimanas poſt diuturnum alvi fluxum cruentum tandem hydrope exſtincti demonſtrat* Witteberg. 1720. Nempe ſaniſſimum hepar in hydropico. 570

CIV. *Aug. Friderici* WALTHER *de atra bile* progr. Lipſ. 1741. Alterum exemplum dat ſanguinis in arteriis veniſque coacti: alterum bilis & ſanguinis lienalis nigerrimi. 573

CV. *Andreæ* PETERMANN & *Guntheri* ALBRECHT *Scrutinium uteri ex calculis veſicæ felleæ occaſione caſus cujuſdam ſingularis* Lipſ. 1698. Hiſtoria icteri aliquoties egeſtis per alvum calculis ſoluti, denique vero inciſi cadaveris, & numeroſiſſimorum in eo repertorum calculorum. 581

CVI. *Georgii* BETZOLD diſſ. *de Cholelitho* Argentor. 1725 Bonæ hiſtoriæ, altera dolorum hypochondrii dextri egeſto calculo ſublatorum, altera plurimorum calculorum repertorum in viis cyſticis 605

CVII. J. *Andreæ* WISLICEN *lapides bilioſolymphatici per metaſtaſin febris catarrhalis exorti ac per abdomen exulceratum excluſi* Liſp. 1742. Sponte ſubnatus tumor denique ruptus, atque egeſti calculi 50, ab oleo tartari ſolubiles, ut oleum conſpicuum reſtitueretur. 629

CVIII. *Hermanni Friderici* TEICHMEYER & *Wilh. Henr. Aug.* STROEHLEIN diſſ. *de calculis bilariis* Jen. 1742. Experimenta enarrantur, capta in bilariis calculis. Inflammantur, ſolvuntur in ſpiritu nitri parte aliqua molli ſuperſtite. Hepatici calculi molliores ſunt, pallidiores, ſemper natatiles 639

TABULA DISPUTATIONUM

QUARTI VOLUMINIS,

Scil. Partis tertiæ continuatæ.

DE MORBIS ABDOMINIS.

CIX. CAr. *Friderici* KALTSCHMIDT Progr. *de liene pueri novem annorum raræ magnitudinis*, Jenæ 1751. Lien unius libræ demta uncia, cum hepar ſeſcunce unico major foret, cætera ſanus. In adulto homine lien ſolet uncias pendere duodecim, pag 1

CX. *J. Valentini* SCHEID & *J. Godofredi* SCHEID *Obſervationes quatuor lienum diſruptorum*, Argentorat. 1725 Inter frequentiora violentæ mortis ab exigua cauſa natæ exempla, hæc eſt molliſſima viſcerum ruptio, 5

CXI *Abrahami* VATER & *Chriſtiani Sigiſmundi* ETZLER Diſſ. *de Scirrhis viſcerum occaſione ſectionis viri tympanite defuncti*, Witteberg. 1723. Poſt icterum, hecticumque morbum hepar majus, tuberculoſum, pancreas ſcirrhoſum, lien ſpiſſus quin carneus, 21

CXII. *J. Philippi* METZ *Diabetis obſervatio rara*; Baſil. 1737. Omnino enormis urinæ copia, quæ longo tempore, quotidie adſumtorum copiam quatuor in die libris ſuperavit; 33

CXIII. *Chriſtiani Gottlieb* KRATZENSTEIN *Theoria fluxus diabetici more geometrico explicata*; Hall. 1746. Obſervationes aliquot, & propria experimenta, & theoriam continet, qua diabetes a conſtrictione venoſa deducitur, *Tab. XIII.* 51

CXIV. *J. Martini* ORT *Hiſtoria renis ſiniſtri maximi tumidi & corrupti in cadavere humano reperti*, Baſil. 1719. Ren maximus, gangrænoſus, ruptus; inteſtinum colon comprimens, ſanguis effuſus in cerebri ventriculos, & ſcriptorium calamum, 87

CXV. *Chriſtiani Andreæ* KOCH Gottingenſis olim Doctoris libellus, quo *affectus in libris & praxi rariſſimus ab Hermanno* BOERHAAVE *in Noſocomio Leidenſi ſanatus deſcribitur*, Leid. 1728. editus. Cum poſt iſchuriam, & ſubſequentem urinæ incontinentiam, denique ſeceſſiſſet de veſica lacinia calculis plena, & maneret dyſuria, atque veſicæ ulcus manifeſtum foret, BOERHAAVIUS alvum quidem duxit medicamento; quod præcipitatum mercurium recipiebat; deinde decoctum dedit glycyrrhizæ nitratum, & opiatum pharmacum. Ita ex crudeli morbo fœmina convaluit, *Tab. XIV.* 103

CXVI. *J Bápt. Ludovici* CHOMEL & *J. Franc. Clémentis* MORAND theſis in hæc verba *Ergo tumidis hæmorrhoidibus hirudines*, Pariſ. 1750. Multa exempla inſignium, horum vermium ope perfectarum, curationum affert, 116

CXVII *J. Hieronymi* LAPI de curatione ſtranguriæ contumacis frequentem maleque tractatam gonorrhæam conſequentis diſſ. Edit. II. Rom. 1754. Exiguum facileque periturum libellum; non vulgaris ſaporis, hic in collectione noſtra conſervandum eſſe duxi. Oleum injicit in eo ſtranguriæ genere, & omnes hujus curationis cautelas ſollicite adducit; 125

CXVIII. *Gottlob Henrici* TROSCHEL noſtri aliquando Cl. Auditoris, *de Morbis ex alieno ſitu partium abdominis* Diſp. Francofurti ad Viadr. ann. 1754. propoſita. Ampliori, quam quidem in Academiis ſolent, libello magnum morborum ambitum amplexus eſt: aliqua etiam vitia contemplatur, vix dum a medicis conſiderata, ut viſcerum ob ligamentorum laxitatem mutatum ſitum; hepatis magnitudinem, cum vinculis ad ejus mali tolerationem excogitatis: meſenterii in ſuſceptione inteſtinorum adfectionem, *Tab XV.* 143

CXIX. *Jeremias* LOSS & *Frider.* GEITZINGER Diſp. *de languore lymphatico*, Witteb. 1673. Curationes aliquas hydropicorum habet, & lymphaticorum vaſorum ſub cerebri membranis viſorum memoriam, 213

CXX. *J.* BOECLER *ad exteros Medicos occaſione fraudulentæ mulieris quæ per totam fere vitam monſtroſo ventre omnium decepit oculos conſcripta epiſtola*, Argent. 1728. Innocentiſſimam Medicorum Argentoratenſium exſpectationem excuſat, qui fraudulentum tumorem, ut quidem decebat, a morte feminæ avebant inciſioni ſubjicere, 241

CXXI. *Hermanni Pauli* JUCH & auctoris *Georg. Chriſtophori Beati* BREHM *de hydatidibus* Diſp. Erford 1745. Tumor ſcirrhoſus enormis, univerſis fere abdominis viſceribus adnatus, plenus hydatidibus ad multa millia, quarum pluſculæ per paracenteſin effluxerant, *Tab. XVI.* 253

CXXII. *J. Chriſtophori* POHL *de hydrope ſaccato ex hydatidibus* Progr. Lipſ. 1747. Celluloſa tela diaphragmatis plena 200 hydatidibus: in femina tamen gravida, *Tab. XVII.* 267

CXXIII. *Jacob Chriſtoph.* SCHEFFLER & *Chriſtiani* JACOBI *hiſtoria hydropis ſaccati*, Altorf. 1724. 281

CXXIV. *J. Hadriani* SLEVOGT & *J. Sebaſtiani* STEUBE *de infelici hydropis ſaccati curatione*, Jen. 1721. Sacco lieni & reni adnato pertuſo cum 28 libræ aquæ uno tempore effluxiſſent, mors poſt quartam partem horæ ſucceſſit. Hydrocephali, hydropis pectoris hiſtoriæ, aliaque utilia doctæ diſputationi miſta, 291

CXXV. *Michaelis* ALBERTI & *Chriſtophori Erneſti* CONO auctoris, *caſus memoria dignus hydropis lapſu integro abdomine ſanatæ*, Hall. 1727. Sanatio obtenta per copioſiſſimum ſeri ex veſica profluvium, quod lapſui ſupervenit, 309

CXXVI. *Polycarpi Gottlieb.* SCHACHER & *Joh. Gottlieb* MOEBII *de Virgine aſcitica poſt paracenteſin purpura maligna exſtincta*, Lipſ. 1725. Sedes fuerat in ovario, quo & aqua & plurimæ hydatides continebantur, *Tab. XVIII.* 329

CXXVII. *Ludovici* SALZMANN *de abſceſſu interno miræ magnitudinis cum hydrope & aliis notatu dignis in muliere Argentorati nuper obſervato*, Argentor. 1671. Hydropica, in cujus abdomine fuerunt 56 libræ aquæ, inguinis vero mirus tumor plenus hydatidum, 353

CXXVIII. *J. Huldr.* PEYER IMHOFF *ovarium hydropicum in Virgine repertum*, Baſil. 1718. In hydropica ſaccus maximus 42 librarum, in quo gelatina, & materies caſeoſa varia. Duas alias, *Wepferianas*, addit hiſtorias, quarum altera eſt hydropis ovarii cum pilis piloſis in ovario conjuncti: & alia hydropici ovarii MIEGIANA hiſtoria, 375

CXXIX. *Abrahami* VATER & *Pauli Gottlob* BERGER *Graviditas apparens ex tumore ovarii dextri enormi orta per tres annos cum dimidio durans tandemque in aſcitem terminata*, Witteberg. 1722. Poſt lac in mammis, & alia ſigna graviditatis hydrops ovarii dextri maximus, renes comprimens, ut urina in uretere retineretur. Uterus adeo perfecte de pelvi elapſus, ut ejus nihil quidquam in pelvi ſupereſſet, *Tab. XIX.* 389

CXXX. *J. Ehrenfried* SCHLENCKER *de ſingulari ovarii ſiniſtri morbo*, Leid. 1722. nempe tumore ovarii ſcirrhoſo & lapideo, *Tab. XX.* 417

CXXXI. *Nicolai* WILLII *ſtupendus abdominis tumor*, Baſil. 1731. Ovarii nempe aquoſus tumor centum & ultra librarum, unica cavea, in qua partim hydatides,

tides, & partim gelatinoſus liquor : hepar ſanum, pectus ad ſecundam coſtam uſque repulſum. Aliud exemplum maximi tumoris abdominis in Virgine, qui poſt 14 annos ſponte evanuit, cum ex lapſu maxima vis aquæ per urinam excreta foret, *Tab. XXI.* 441

CXXXII. *Polycarpi Gottlieb* SCHACHER *de ovarii tumore piloſo* Progr. Lipſ. 1735. Pilorum in cellula ovarii tumefacti per pinguedinem repertorum glomeres naſcebantur, ex interna craſſaque ovarii tunica, *Tab. XXII.* 474

CXXXIII. *J. Franciſci* FONTAINE *Obſervatio rarior tumorem abdominis ex ſcirrho ovariorum præſertim ſiniſtri inſigni*, continens. Baſil. 1753. Iterum hepar ſanum, ovarium ſiniſtrum 10 librarum: plenum pinguedine, aliaque parum cum ſanitate conveniente materia, *Tab. XXIII.* 481

CXXXIV. *Chriſtophori* CUNRAD & *J. Friderici* STARKE *de hydrope uteri* Diſp. Regiomonti 1701. Hiſtoria mali a *J. Friderico* DECKERO mutuata, in ſcriptis hujus Cl. Viri non reperitur. Poſt longum & difficilem intellectu morbum, nihil aquæ in abdomine repertum, ſed uterus ad vaginam cæcus, ut unice foramen minimum, cum vaſis vero uteri ſanguineis communicans, menſibus fundendis aptum ſupereſſet. Multum in utero ſcirrhorum & hydatidum, 495

CXXXV. *Georgii Erneſti* STAHL & *Georgii Friderici* JÆSCHKE Diſſ. *de inſolitis menſium viis*, Hall. 1702. Varia ex menſibus retentis nata mala hoc titulo comprehendit, hæmorrhagias, morbos colicos, hæmoptyſes, & ſanguineum vomitum, urinam demum cruentam. Medicamenta etiam proponit, 525

CXXXVI. *Polycarpi Gottlieb* SCHACHER *de hæmorrhagiis gravidarum*, Lipſ. 1717. Hæmorrhagiæ perpetuæ cum bonis ægri rebus, hiſtoria, quam denique placenta ſecuta eſt, quæ de utero deceſſit. Inquirit autem Vir Clar. qui fieri potuerit, ut fetus abſque putredine in utero tam longo tempore potuerit ſupereſſe, 555

CXXXVII. *Johan.* D'URBAN *de hæmorrhagia uterina*, Edimburg. 1753 Hujus diſputationis utilitas magis in bono ordine & vero candore eſt. Obſervationes tamen etiam habet, gravis in prægnante femina, per ereptam placentam ſublata: ſimilemque in hæmorrhagia a placenta in partu reſide, atque feliciter educta curationem, aliaque utilia. 559

CXXXVIII. *Chriſt. Gotthil.* KIESLING bonæ ſpei juvenis, qui ante diem interiit, Diſp. inauguralis, qua *uterus poſt partum inflammatus* deſcribitur, Lipſ. 1754. Præter doctam morbi expoſitionem, etiam ejuſmodi ſcirrhoſum uteri & veſicæ ulcus habet, quale deſcripſi, 583

CXXXIX. *Georgii Erneſti* STAHL & *J.* KANOLD (qui ex Uratiſlavienſium obſervationum collectione celebritatem conſecutus eſt) *de abortu & fetu mortuo* Diſſ. Hall. 1704. Abortum verſus redeuntium menſium periodos fere fieri; abortui veri fetus facile abortum alicujus concrementi ſuccedere obſervat. Plethoram felici prægnationi nocere, atque fetum a nimio appetitu extenuari; non ſemper nocere ſanguinis effluxum, aliaque ad hiſtoriam medicam abortus pertinentia addit, 605

CXL. *Polycarpi Gottlieb* SCHACHER & *Chriſtiani Jacobi* SEILER *de placentæ uterinæ morbis* Diſp. Lipſ. 1709. Inter alia notatu minime indigna, hiſtoriam habet funeſtæ in partu ſanguinis jacturæ, cum placenta orificio uteri adhæſiſſet, 631

CXLI. *J. Georgii* ROEDERER & *J. Georgii Chriſtiani* HIRSCHFELD Diſſ. *de uteri ſcirrho*, Götting. 1754. Altera hiſtoria eſt uteri, pariter ut glandulæ meſenterii & ipſius circa peritonæum adipis indurati, altera mercurio dulci ſublati ſcirrhi, *Tab. XXIV.* 657

CXLII. *Georgii Daniel* COSCHWITZ & *Georgii Henrici* HATZFELD *de Virgine hydropica uteri mola ſimul laborante*, Hall. 1725. Mola de utero pendens fibroſa, carnoſa, cum ſanguine in tribus cavernis effuſo, 667

CXLIII. *Abrahami* VATER & *J. Gottlieb* VATER *mola prægnans*, Witteberg. 1729. Varias placentas morbificas, & ova etiam humana depingit Vir Cl. *Tab.XXV.* 695

CXLIV. *G. Rutgeri* HANCOPH *de mola occaſione molæ oſſeæ in vetula octogenaria*

inventæ, Götting. 1746. Mirum morbum ipſe vidi, accurate hic deſcriptum, carneam nempe rotundamque maſſam, cortice oſſeo tectam, in utero repertam, *Tab. XXVI* 713
CXLV. *J. Georgii* SCHMIDT *de concrementis uteri* Diſp. Baſil. 1750. Ejuſmodi concrementa ſc. molas alias feliciter egeſtas, alias a morte, in cadavere inciſo, repertas auctor deſcribit, 731
CXLVI. *Car. Friderici* KALTSCHMIDT *de mola ſuppuratione confecta relinquente globum pilorum pugni magnitudine cum teſta ſebacea* Progr. Jenæ 1752. & ejuſdem Progr. 751
CXLII. *De mola ſcirrhoſa in utero inverſo exſtirpata*, ibid 1754. fere ex titulo intelliguntur, 755
CXLVIII. *Rud. Jac.* CAMERARII & *Georgii Friderici* ORTH *de fetu 46 annorum* Diſp. Tubing. 1722. Etiam hunc mirum fetum vidi induratum, ſed involucro cartilagineo & oſſeo obductum, ex femina 94 annorum, exque uteri cavea ſed a morte exciſum, *Tab. XXVII.* 757
CXLIX. *J. Erneſti* TURK *Hiſtoria mulieris varia oſſa per alvum ejicientis*, Ultraject. 1727. Poſt vivum & legitimum fetum femina oſſa alterius fetus paulatim per alvum egeſſit, 795
CL. *J. Caroli* UNGNAD *Caſus anatomico-Phyſiologicus rarior*, Stettin 1750. ex Epiſtola ad me data. In utero inciſo oſſa reperta, quantum ad fetus ſceleton quidem non ſufficeret; ut non conſtaret, qua via reliqua oſſa perierint, 801

FINIS TOMI QUARTI.

DISPUTATIONUM

AD

HISTORIAM

ET

CURATIONEM MORBORUM

PERTINENTIUM.

PARS TERTIA

CONTINUANTUR MORBI ABDOMINIS.

CIX.

CAR. FRIDER. KALTSCHMIED

DE

LIENE PUERI NOVEM ANNORUM

RARÆ MAGNITUDINIS.

PROGRAMMA.

Jenæ 9 Maij 1751.